



ADM. R. P. F.

LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI, ORD. MIN. REG. OBS. S. P. FRANCISCI, LECTORIS JUBILATI EXPROVINCIAL. EXAMIN. SYNODALIS, AC S. O. CONSULTORIS

PROMPTA BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA

Innumeris fere locis ad Auctorum fidem sedulo restituta a compluribus Doctissimis Viris luculentissimis Additionibus locupletata, nec non Vindiciis Auctoris in easdem Notas, & Additiones.

NOVISSIMÆ HUIC EDITIONI ACCEDUNT

LOCUPLETISSIMA TRIUM PRÆSTANTISSIMORUM VIRORUM

ADDITAMENTA, ET CORRECTIONES

TUM AD SACRAM THEOLOGIAM, TUM AD JUS CANONICUM, ET CIVILE MAXIME PERTINENTIA.

ADJECTIS ETIAM SUMMARIIS

TOMUS SEPTIMUS.

Q. R. S.

ROMÆ MDCCLXXXIX.

EX TYPOGRAPHIO JO. ZEMPEL PROPE S. LUCIAM TINCTÆ.

SUMPTIBUS NATALIS BARBIELLINI IN FORO PASQUINI,

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ADPROBATIONES.

IN additionibus hujus septimi Voluminis Bibliothecæ FERRARII, quas attente perlegi, nihil deprehendere mihi visum est, quod non eruditum, non utile, non sanioribus fidei, morumque regulis consentaneum sit. Quapropter nihil obstare censeo, quominus publici juris fiat.

Romæ die 28. Junii 1789.

Fr. Jo. Franciscus Rigo Ord. Præd.
In Colleg. Germanico Hungarico Sac. Theolog. Professor.



NIhil quod sciam, in hoc septimo LUCII FERRARIS Bibliothecæ Volumine, quod jussu Rmi P. Mamachi Magistri Sacri Palatii scrupulose expendi, deprehendere licet, quod plene non respondeat receptis fidei, & morum regulis, quapropter publici juris fieri posse arbitror.

Datum in Conventu Jesus Mariæ die 29. Junii 1789.

Fr. Dominicus Nicolaus a SSmo Rosario
Augustinianus Excalceatus, Indicis Consultor.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Franc. Xaverius Passeri Vicesgerens.

REIMPRIMATUR,

Fr. Th. Maria Mamachius Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX TITULORUM

Qui septimo hoc Tomo continentur.

Q

Scien-

Fagnan. *loc. cit. num.* 33. *& seq.* Bellarm. *loc. cit.*
8 *cap.* 15. & alii. (1) In Ecclesia vero Romana Quadragesima continet sex hebdomadas, quibus additi sunt quatuor alii præcedentes dies ad complendum numerum quadragenarium jejunii a Christo consecrati, ex quo ab ipsis sex hebdomadis subtrahantur abstinentiæ, & jejunio sex dies dominici; textu expresso *in cit. cap. Quadragesima* 16. *dist.* 5. *de consecratione* adduct. *supra n.* 3. docetque expresse S. Gregor. *Hom.* 16. Fagn. *loc. cit. num.* 34. Bellarm. *loc. cit.* & alii passim. (2)

9 A Clericis autem Quadragesima olim de Mandato Telesphori servabatur per septem integras hebdomadas; *c. Statuimus* 4. *c. Quadragesima* 5. *& c. Denique* 6. *dist.* 4. Bellarm. *loc. cit. c.* 14. & alii passim.

10 Quadragesimæ jejunium in Ecclesia Romana incipit a Feria quarta Cinerum, textu expresso *in cit. cap. Quadragesima* 16. *dist.* 5. *de consecratione*, ibi: *Idest feria quarta, quæ cap. jejunii subnota-*
11 *tur*. (3) Excepto tamen Mediolano, & locis aliis in quibus Ambrosiano ritu Officium celebratur, ubi ex quo non jejunetur quatuor primis diebus, jejunatur in in diebus Rogationum. *Concil. Mediolanens.* 1. *part.* 2. *tit. de jejunio*. (4)

12 In Quadragesima non est prandendum ante recitationem saltem publicam Vesperarum, *cap. Solent* 49. *dist.* 1. *de consecrat.* Vide verb. *Officium Divinum art.* 4. *num.* 16. *& seq.* & verb. *Jejunium art.* 1. *num.* 47.

13 Dispensatus circa esum carnium ob debilitatem virium, & ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio. Vide verb. *Jejunium art.* 1. *num.* 30.

14 Non sic tamen est dispensatus a jejunio, qui est dispensatus circa esum carnium, quia cibi Quadragesimales, seu jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales. Vide *a num.* 31. *ad* 34.

15 Ad quem spectet dispensare circa Quadragesimam, & jejunium? Vide verb. *Jejunium art.* 2. *num.* 35. & hic infra *num.* 26.

16 Qui in fraudem jejunii de loco, ubi viget præceptum jejunandi, seu jam incæpta est Quadragesima, se transfert ad locum, ubi non jejunatur, seu nondum incæpta est Quadragesima, peccat graviter. Vide verb. *Jejunium art.* 2. *num.* 29. *&* 30.

17 Qui autem de loco, ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide transit ad loca, seu per loca, ubi non jejunatur, non tenetur jejunare. Vide *ibid. num.* 31.

Si quis non in fraudem jejunii, sed negotio- 18
rum causa de loco proprii domicilii, ubi nondum est incæpta Quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam est jam incæpta Quadragesima, non tenetur jejunare illic per octo alios dies Paschæ ad complendam Quadragesimam. Vide *ibid. num.* 32.

E contra vero, si talis in loco sui domicilii 19
complesset Quadragesimam, non tenetur postea alibi observare illos octo dies. Vide *ibid. n.* 33.

Episcopus in sua Diœcesi concedere debet fa- 20
cultatem etiam Vicariis foraneis, & Archipresbyteris, ut de consilio Medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetitis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat. *Sacra Congreg. Episcopor. in Hydruntina* 20. *Augusti* 1591.

In Quadragesima non est venandum. Nicolaus I. 21
ad consulta Bulgar. cap. 44. Item non sunt facien- 22
da Judicia Criminalia, nec aliquis morti est addicendus. Nicolaus I. *ibidem cap.* 45. Item non est 23
vacandum jocis, Nicolaus I. *ibidem cap.* 47. Item 24
non est præliandum, nisi urgente necessitate. Nicolaus I. *Ibidem cap.* 46. *& in Decreto titul. de bellis cap.* 4. Item fieri non possunt nuptiæ neque 25
convivia. Nicolaus I. *ib. cap.* 48. *& in Decreto tit. de Matrimon. cap.* 9. Item fieri non debent 26
Consilia, seu Placita populorum; *cap. Placita* 2. *caus.* 15. *quæst.* 4.

In Quadragesima prædicandum est omni die, 27
vel saltem ter in hebdomada. Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 4.

Dominicis Quadragesimæ olim ex antiqua con- 28
suetudine Fideles vescebantur carnibus, & ultra modum se ingurgitabant per totas noctes carnibus vescentes. Quod valde detestabatur Sanctus Gregorius, ut patet in *cap. Denique* 6. *dist.* 4. At nunc ablata est illa consuetudo. Et Ecclesia ut excessum in esu carnium auferret, totaliter carnes illis diebus abstulit. Dies tamen non fecit jejunabiles, quia Dominici erant. *Sic Tostatus tom.* 20. *in tertiam partem Matthæi cap.* 6. *q.* 95. *edit. Venetæ* 1728.

An Concionatores in Quadragesima excusentur 29
a jejunio, & abstinentia a carnibus, variant Doctores. De Concionatore, qui per integram Quadragesimam continuo prædicat cum valde gravi suo incommodo, & studio, seu multas eodem die conciones habet, & pagos peragrat verbum Dei nunciaturus, si commode ob id jejunare, & abstinere a carnibus non possit, absolute concedunt Na-

(1) Apud Gotho-Hispanos, & Gallos Quadragesimæ initium erat die dominico qui prima dominica Quadragesimæ dicitur, jejunii vero feria II. proxime subsequente.

(2) Socrates igitur proculdubio hallucinatus est *lib.* V. *hist. cap.* 22., cum dixit, Romæ jejunari tres tantum hebdomadas ante Pascha.

(3) Romæ sub octavi sæculi finem Quadragesimæ initium a feria II. post Dominicam primam putabatur, ut ex Leonis III. ad Carolum Augustum epistola ann. DCCCVIII. arguit Cennius *T.* II. *Cod. Carol. pag.* 57. Quatuor tamen ante hanc primam Dominicam diebus jejunium ad plenum XL. dierum numerum extra Quadragesimam multo ante S. Gregorium M. fuisse institutum contra Menardum evicit Card. Thomasius *T.* VII. *oper. pag.* 187.

(4) Varia etiam fuit in hoc jejunio nonnullarum Ecclesiarum disciplina; qua de re vide Zaccariam *Onomast. Ritual. T.* II. *pag.* 115.

Natalis Alexander *Theol. dogmatic. & moral. tom.* 2. *lib.* 4. *articul.* 7. *Regula* 5. *de Decalogo vers. Necessitas denique*, Lessius, Navarrus, Filliucius, Layman & alii cum Sporer *tom.* 1. *appendic.* 3. *ad præcept. decalog. sect.* 4. *num.* 63. Diana coordinat. *tom.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 24. cum Joan. de la Cruz, Tabiena, Azorio, Graff., Fernandez, Reginald. Silvio, & aliis ibi allegatis, Reiffenstuel *Theologiæ moral. tractat.* 10. *distinct.* 2. *numer.* 67. Felix Potestas *tom.* 1. *tractat. De peccatis actualibus disput.* 1. *quæst.* 8. *articul.* 4. *conclus.* 2. *resolut.* 2. Busemb. *lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 4. cum aliis ibi citatis, & alii plurimi. Negant autem ipsi, & alii communiter, ut & nos docuimus sub verb. *Jejunium art.* 2. *num.* 34. de Concionatore, qui ob conciones alibi repetitas, vel ob suæ memoriæ facilitatem non indigeat longo studio, & labore, seu qui unam tantum, vel alteram concionem in hebdomada habeat; cum in ipso cesset causa exemptionis, nempe labor notabilis, & grave incommodum, *arg. cap. Cum cessante* 60. *de appellat. L. Cum ancillam* 6. *ff. de condition. ob causam*: *L. Adigere* 6. §. 2. *ff. de jurepatronat.*

30 Alii autem cum distinctione respondent; Aut enim ipse Concionator prædicat ex officio, puta ex voto, seu obedientia Superioris, ejusque concio propter imperitiam, & carentiam aliorum ad idem ministerium, est populo valde utilis, & necessaria, & tunc si non obstante sua cognita impotentia ad simul jejunandum, & concionandum, adhuc ex justa & rationabili causa a superiore ad concionandum mittitur, ab jejunio excusatur, quia jejunium præcipitur ut promotivum ad bonum, & non impeditivum majoris boni, in casu, & ut diximus sub verb. *jejunium loc. cit.* Aut talis concionator voluntarie prædicat, & non missus, seu ideo missus, quia vult, aut mitti quærit ob mercedem, & lucrum, nec sua prædicatio est ita necessaria, quin alii sint qui æque bene, vel melius supplere possint, & tunc jejunare, & abstinere a carnibus tenetur, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Ad Rom.* 3. *num.* 8. *cap. Non est probanda* 27. *caus.* 1. *quæst.* 1. *c. Super eo* 4. *de usuris*, *c. Ex tuarum* 2. *de sacrileg.* cum ipse in fraudem jejunii voluntarie, sine necessitate, & obedientia quærendo quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, exponendo se ad prædicandum propter mercedem & lucrum, se culpabiliter reddat impotentem ad præceptum Ecclesiæ servandum, possitque merito ipsi objici illud Apostoli ad *Rom.* 2. *num.* 21. *Qui prædicas non furandum, furaris*, prædicas non violandum jejunium, & violas, & illud *Michææ* 3. *num.* 4. *Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant*. Sic Silvester *verb. Jejunium q.* 9. *num.* 2. & ex ipso & Cajetano Binsfeldius *in Enchirid. Theolog. par.* 3. *cap.* 33. *conclus.* 2. Matthæuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 7. Et idem videntur docere Philiarch. *De Offic. Sac. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. Toletus *l.* 6. *cap.* 5. Fernandez *in Examin. Theolog. t.* 2. *c.* 8. §. 2. *num.* 12. Fagundez *Præcept.* 4. *lib.* 1. *cap* 19. & alii plures, qui tunc solum excusant Concionatores a jejunio, quando concionarentur ex officio, nempe ex voto, seu obedientia, aut eorum conciones essent populo valde utiles & necessariæ. Navarrus autem *in Manual. cap.* 21. *n.* 17. & post illum Graffius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 14. & Reginaldus in *praxi tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 219. & alii putant hanc sententiam esse veram, quando talis Concionator prædicaret principaliter propter mercedem, & lucrum; Secus vero si minus principaliter ob necessitatem se sustentandi, in quo sensu dicimus esse intelligendum id, quod ex aliis asseruimus sub verb. *Jejunium art.* 2. *n.* 23. *in fine*.

Quamvis tamen Bonacina *tract. de præcept. Eccles. disp. ultim. part.* 1. *punct. ultim. n.* 13. Diana coord. *tom.* 4. *resolut.* 25. *num.* 3. Filliuc. *in praxi tom.* 3. *tract.* 27. *p.* 2. *cap.* 6. *num.* 124. Lessius *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 6. *num.* 44. Sporer *loco cit. sect.* 4. *num.* 19. *&* 63. Busemb. *loco cit.* cum aliis ibi allegatis, & plures alii velint, quod absolute excusentur tales Prædicatores a jejunio; etiamsi conciones suscipiant ob mercedem, putantes, quod non sit necesse, contra supracitatos, ut prædicatio efficiatur ex voto, vel officio. 31

At vero in praxi tamquam probabilior, ac magis tuta, pia, ac rationi consentanea, sequenda est sententia dicentium non excusari ab obligatione jejunii, & abstinentiæ a carnibus Prædicatores illos, qui voluntarie, & sponte prædicant principaliter propter mercedem, & lucrum; Et solum posse excusari, si prædicent ex officio, nempe voto, aut obedientia, ac propter mercedem minus principaliter, ob solam nempe necessitatem se sustentandi; Unde semper commendabilis remanet recolendæ memoriæ Benedictus XIII. qui, cum esset Archiepiscopus Beneventanus, nullum in sua Archidiœcesi concionari sinebat, qui in cibis Quadragesimalibus Quadragesimam non servaret, probe sciens, quod magis movent exempla quam verba, & efficacius est vitæ quam linquæ testimonium, ac longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla, cum homines amplius oculo, quam auribus credant. Et tanto magis est hæc nostra sententia tenenda hisce diebus post tria in ævum commendabilia pro debita jejunii observantia a fel. rec. Benedict. XIV. edita Brevia, primum nempe incipiens, *Non ambigimus*, secundum: *In suprema*, ac tertium *Libentissime*, ex quibus clare insuper habetur, quod qui juxta prædicta excusantur simpliciter a lege jejunii, non remanent liberi ab abstinentia a carnibus: & econtra qui simpliciter excusantur ab abstinentia a carnibus, non remanent liberi a lege jejunii; Cum diversa sint præcepta, & a diversis non fiat illatio, *L. sed si ante* 17. *ff. de except. L. Papinianus* 20. *ff. de minorib. L. Si Maritus* 10. *in fine*, *Cod. de donat. inter vir. & uxor. cap. Ad audientiam* 12. *de decimis*, cum similibus: Quæ utinam pro sua æterna salute ab omnibus plene & integre observarentur. 32

Coqui Religiosorum peccant parando Religiosis in Quadragesima, aliisque jejuniorum diebus cibos in quantitate, & qualitate sufficientes ad fractionem jejunii, præsertim si sciant aliquos ob id jejunium vere fracturos. Sic explicite Matthæuc. *in Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 11. & alii 33

alii plures implicite. Et ratio est quia, ex suo officio tenentur parare, & ministrare solum eam ciborum quantitatem, & qualitatem, quæ ab Ecclesia, & propria Regula est permissa, seu tolerata; alias sic ponendo aliquos in occasione frangendi jejunium, fierent participes peccati eorum, juxta illud Apostoli *ad Romanos* 1. *num.* 31. *Digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, & juxta Regulam Nicolai I. *in c. Notum* 10. *caus.* 2. *q.* 1. *Facientem, & consentientem par pœna constringit*: Sicut enim, uti dicitur in verb. *Tabernarius* ex communi Doctorum, caupones, seu tabernarii peccant, si alteram refectionem, seu cibos vetitos apponant illis, quos certo sciunt ad jejunium obligari, & ab illis cibis teneri abstinere, nisi rationabiliter timeant ex tali denegatione sibi obventurum gravissimum malum, seu damnum, quia alias participes fierent eorum peccati; Ita & in nostro, ac simili casu; nam de similibus idem est judicium; *L. Non possunt* 12. *& L. Nam ait Pædius* 13. *ff. de Legibus*.

34 Nec valent se excusare quod Superiores sic eis præcipiant, quia in tali casu eis in hoc obedire non tenerentur, immo prohiberentur, cum sit res ab Ecclesia, seu Regula prohibita, sicque contra animam præcepti, & ex *actibus Apostolor. cap.* 5. *num.* 29. *Obedire oportet Deo*, nec non Ecclesiæ, seu Regulæ, *magis quam hominibus*. Unde S.P.N. Franciscus *in c.* 10. *Regulæ* sic expresse mandat: *Firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Hinc tanto magis peccarent Superiores, si qui essent, qui ob avaritiam non sufficiens ad jejunandum præstarent subditis prandium, & ob id subditi cogerentur vespertinam refectiunculam quasi in cœnam convertere, contra præscriptum a Benedicto XIV. recolend. mem. in novissimo suo Brevi incipient. *Libentissime*, ubi ad secundum hoc dubium; *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?* Respondit; *Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ*. Cum enim ipsi sua detestanda avaritia essent causa, cur subditi non haberent sufficientem refectionem ad jejunandum, essent consequenter culpabilis causa fractionis eorum jejunii, nam quod est causa causæ, est etiam causa causati, per text. *in leg. Manumissiones* 4. *ff. de justit. & jure, & arg. cap. Ad audientiam* 12. *de homicid. ac cap. Si culpa* 9. *de injuriis*, cum similibus. Caveant igitur hujusmodi Superiores, si qui sint, ut nedum propriis, sed & alienis onerentur peccatis, & præmisso ad id opportuno remedio, contriti dicant cum Regio Psalte: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo*. *Psal.* 18. *n.* 14.

35 Quadragesimæ tempus cum cæteris jejunii temporibus, & diebus exæquatur in eo quod respicit observantiam legum a SS. Domino Nostro statutarum. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 99. incip. *Si Fraternitas* §. 1. In Quadragesima diebus
36 Dominicis non licet epulas licitas cum vetitis permiscere. Idem *ibid.*

Quadragesimæ diebus permittitur Militibus S. Januarii esus lacticiniorum, & cum opus fuerit, etiam carnium. Idem Constitut. 24. incip. *Romanæ Ecclesiæ* §. 6. Quadragesimæ jejunium juxta Kalendarium Romanum ab Italo Græcis est observandum. Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 8. 37 38

Quadragesimali tempore pisces non edunt, nec vinum bibunt Maronitæ; Veterum enim jejunii disciplinam iisdem Maronitis, seu Syris, Armenisque Catholicis relaxari numquam passa est Apostolica Sedes, ideoque rejecta tamquam minus legitima causa ad facultatem dispensandi obtinendam a Missionariis allata, jejuni lex servari præcipitur. Benedictus XIV. Constitut. incip. *Allatæ sunt* §. 47. in cujus Summario sic præcise habetur: *A Syriacis, & Armenis in latinorum Ecclesiis Sacrum peragentibus proprium Ritum servari præcipitur: Missionariis denegatur facultas dispensandi eosdem Syros, & Armenos super abstinentia a piscibus jejunii tempore; Omnes denique Græcos, & Orientales Ritus conservandos esse decernitur; Moneanturque Missionarii, ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus, & schismate revocent, non a suis approbatis Ritibus avertant.* 39

Quoad quadragesimalis jejunii debitam observantiam, vide novissimam Encyclicam Clementis XIII. incip. *Appetente* allatam jam tom. 4. verb. Jejunium, *art.* 1. *n.* 90. 40

QUARTA FUNERALIS.

Quarta funeralis, seu Canonica portio est Jure Canonico inducta ob Sacramenta, quæ suis Parochianis Parochus ipse administrat, & ideo illi de Jure debetur, *c. Nos instituta* 1. *cap. Relatum* 2. *cap. De his* 4. *& cap. Cum super* 8. *de sepulturis*, *& Clementin. Dudum, de sepulturis*. 1

Talis Canonica portio de legitima & rationabili consuetudine potest induci, ut sit medietas, vel tertia pars, *c. Antiquos* 10. *q.* 1. *cap. Explicari* 9. *de sepulturis*. Unde attendenda est cujusque Provinciæ, & loci legitima & rationabilis consuetudo. *Communis*, per text. *in cit. cap. Explicari, & cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*. Et sic expresse decrevit *Sac. Congreg. Conc. in Ebredunen.* 15. *Julii in responsion. ad* 12. *& in Mantuana* 18. *Junii* 1699. 2

Quarta funeralis, seu portio Canonica usque ad quartam exclusive potest præscribi spatio decem annorum absque titulo; Ad hoc autem ut præscribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur consuetudo 40. annorum cum titulo, aut immemorabilis. Alexander *consil.* 196. *num.* 15. *vers. De præscriptione lib.* 2. Silvester verb. *Canonica Portio num.* 2. *&* 4. Molina *de Justitia & Jure tract.* 2. *disp.* 215. *num.* 7. Lupus *de Canonica portione c.* 2. *n.* 64. *&* 65. Barbosa *de Offic. & potest.* 3

Pa-

Parochi part. 3. cap. 25. num. 16. Samuel *de sepulturis tract. 1. controvers. 9. conclus. 5.* & alii passim.

4 Quarta funeralis debetur Ecclesiæ, in qua Parochianus consuevit Missam audire, & Divina, & recipere Sacramenta, *cap. Cum quis 2. de sepulturis in 6.* Rota *part. 1. recentior. decis. 376. n. 1.*

5 Et sic de Jure debetur proprio Parocho, seu Vicario, vel Sacerdoti habenti curam Parochianorum, *cap. Requisivisti, de testament. cap. Cum ex eo, de election. Clementin. Dudum §. Verum, de sepulturis*, Rota *in Mediolanens. Quartæ funeralium 14. Mart. 1622. coram Merlino*, Barbos. *loco cit. num. 19. & 20.* Samuel *loco cit. conclus. 8.* & alii communiter.

6 Si Parochianus in una Ecclesia solet audire Divina, & in altera recipere Sacramenta, Quarta debetur ei, a qua solet recipere Sacramenta; *cap. Nos instituta 1. de sepulturis*, Silvester verb. *Canonica Portio numer. 11.* Barbos. *loc. cit. concl. 11.* & alii.

7 Quarta funeralis debetur Parochiæ, ubi quis habet domicilium, licet propter bellum, aut pestem, seu animi levandi gratia in Villam, seu alium locum se contulerit animo redeundi, & ibi objerit; Abbas *in c. De his 4. de sepulturis*, Barbosa *loc. citat. numer. 26.* Samuel *loco citat. concl. 15.* Rodriq. *tom. 3. quæst. Regular. q. 46. artic. 9. conclus. 2.* & alii passim.

8 Quarta funeralis debetur Ecclesiæ Parochiali, etiamsi quis ægrotus ad aliam Parochiam deferri se fecerit, & ibi obierit, cum ob domicilii mutationem in tali casu Ecclesia sua Parochialis non perdat Jus Quartæ funeralis, *ex Clement. Dudum, de sepulturis*. Barbosa *loc. cit. num. 27.* Samuel *loc. cit. conclus. 14.* Abbas *in cit. cap. De his 4. de sepulturis*, Silvester *in Summa verb. Canonica 15.* cum multis aliis.

9 Quartam funeralem Ecclesiæ Parochiali debet qui in ægritudine constitutus, se cum bonis suis ad Religionem in aliam Ecclesiam transtulerit: Secus vero est dicendum, si sanus bona sua Monasterio, aut alteri Ecclesiæ dederit, *cap. De his 4. de sepultur. Barbosa loc. cit. num. 28.* Samuel *loc. cit. conclus. 15.* Miranda *loc. cit. qu. 48. art. 9. conclus. 3.* & alii passim.

10 Sepultura electa apud Ecclesiam, ubi majores defuncti solent ab antiquo sepeliri, Quarta funeralis non debetur ei, sed Ecclesiæ suæ Parochiali, in qua consuevit audire Divina, & recipere Sacramenta; *cap. Cum quis 2. de sepultur. in 6.* Barbosa *loc. c. numer. 29.* Miranda *loc. citat. art. 9. conclus. 4.* Samuel *loc. c. conclus. 16. & Communis aliorum*.

11 Quarta funeralis pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur Parocho domicilii, non vero Parocho Cathedralis, neque Parocho Parochiæ, ubi adest sepultura suorum Majorum. Sic expresse decrevit *Sacr. Cangregat. Concil. in Tiburtina 12. Maii 1685. in responsion. ad 3. & in Narnien. 26. Septembris 1699.* Vide verb. *Canonicus art. 8. numer. 14.*

12 Servanda est consuetudo, quod in funeralibus eædem faculæ, seu Intortitia, quæ fuerunt accensa in associatione Cadaveris, deserviant, & ræccendantur circa feretrum in Ecclesia, in qua sepeliendum est Cadaver. Sic expresse decrevit *Sac. Cong. Concil. in Tiburtina 12. Maii 1685. in responsione ad 4.*

Quarta funeralis non debetur Parocho, intra cujus limites viator retentus pro delicto, & habilitatus cum cautione decedit, stante consuetudine in Civitate, quod Jus sepeliendi peregrinos, & viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem. *Sac. Cong. Conc. in Pisauren. 22. Januar. 1618.* 13

Quarta Parochialis debetur Ecclesiæ Cathedrali, vel præscriptione, vel ex eo quod illam sibi reservavit, quando Parochiæ fuerunt erectæ in signum Superioritatis. Rota *part. 1. recentior. decision. 376. num. 2. & 3.* Barbosa *loc. c. num. 22.* Samuel *loc. c. conclus. 9.* Riccius *resolut. 299. num. 4.* & alii. 14

Curatus unius Diœcesis (quæcumque sit) in transitu Cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Diœcesi, transeundo per propriam Parochiam, & Jurisdictionem, non potest aliquam partem ceræ, & pecuniarum prætendere. *Sacr. Congregat. Episc. & Regular. 15. Novemb. 1675. & Ead. Sacr. Congreg. Episcop. novissime in Placentina pro Terra Clastidii 24. Novembr. 1713. in respons. ad 2.* Vide verb. *Parochus art. 3. a. num. 37.* 15

Quarta funeralis, seu Canonica portio debetur de iis, quæ ratione funeris præbentur ab heredibus defuncti, *cap. Inter cunctos 1. de Privileg. inter Extravagant. communes*. Sixtus IV. Constit. incip. *Regimini*, S. Pius V. Constit. incip. *Etsi Mendicantium*, Barbosa *loc. c. Controvers. 10. conclus. 1.* & plures alii apud ipsos. 16

Funeralia de Jure communi dicuntur, quæ ratione sepulturæ obveniunt, & quacumque occasione funerum ad Ecclesiam perveniunt cum defuncti corpore; *cap. Cum liberum 5. & cap. In nostra 10. de sepulturis*, Barbosa *l. citat. numer. 37.* Samuel *loc. c. conclus. 2.* Portell. *in dub. Regular. verb. Canonica portio numer. 5.* & alii plurimi apud ipsos. 17

Quarta debetur de omnibus Intortitiis, & Candelis, quibus defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associatur, nec non de omnibus Intortitiis, & Candelis, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accenduntur: Sic expresse statuit novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*, unde ubi adest consuetudo, quod in Ecclesia circa Cadaver diversa accendantur Intortitia ab illis, quæ fuerunt accensa in associatione Cadaveris in itinere ad Ecclesiam tumulantem, debetur Quarta de omnibus. Vide *supra n. 12.* 19

Etiamsi funus non fiat in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differatur, debetur nihilominus Parocho Quarta de omnibus Intortitiis, & Candelis, quæ circa Cenotaphium, seu tumulum honorarium, & in Altaribus ejusdem Ecclesiæ accenduntur. Sic expresse Benedictus XIII. in cit. Constit. incip. *Romanus Pontifex*, & jam alias declaraverat *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. in Senensi 3. Augusti 1621.* 19

Quar-

20 Quarta autem non debetur de Intortitiis, & Candelis, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes manualiter per viam deferunt. Sic expresse Benedictus XIII. *ibidem*, & jam pluries fuerat declaratum *a Sacr. Congregat. Episcop. & Regular.* & signanter 29. *Novembris* 1588. *& in Firmana* 5. *Martii* 1596.

21 Item Quarta funeralis non debetur de Missis, Legatis, Anniversariis, hisque similibus piis relictis ad favorem Ecclesiæ tumulantis, vel exponentis, a defuncto dispositis. Sic expresse Benedictus XIII. *ibidem*, & jam fuerat declaratum a S. Pio V. Const. incipient. *Etsi Mendicantium*.

22 Vela, Sudariola, & similes panni, non solum peti, sed neque etiam a sponte dantibus occasione funerum accipi possunt a Parochis: *Die enim* 13. *Augusti* 1718. *in una Terræ Massæ Tudertinæ Diœcesis* propositio dubio in Sacra Congregatione Concilii: *An sub Quarta comprehendantur Frumentum, Pannum, Sudariolum, & Cera, quæ accenditur, & extinguitur ante Ecclesiam Fratrum?* Responsum fuit: *Comprehendi sub quarta funerali Frumentum, & Ceram, non autem Pannum, & Sudariolum, & quoad Sudariolum Sacra Congregatio mandavit illud amplius non auferri cum cadavere, nec ab heredibus Parocho consignari.* Sic refert Ursaya *to.* 4. *p.* 1. *n.* 13. *In Tudertina Funerum pro Patribus Tertii Ordinis S. Francisci Terræ Massæ cum Archipresbytero ejusdem loci*, ubi multa docet ad rem.

23 Regulares olim Quartam funeralem solvere tenebantur solum in illis Conventibus, seu Monasteriis, quæ eam solvere consueverant 40. annis ante Concilium Tridentinum; Secus vero in aliis ex post ædificatis, & quæ in dies ædificabantur, ut patet ex ipso Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* & declaraverat S. Pius V. Constit. incip. *Etsi Mendicantium*; & pluries *Sacra Congregat. Concilii, ut in Pampilon.* 22. *Semptembr.* 1591. *in Meliten.* 2. *Augusti* 1607. *in Asculana* 2. *Septembr.* 1679. *in Lauden.* 2. *Maii* 1711. *Et Sacra Cong. Episcopor. & Regular.* 17. *Novembris* 1673. *in Senogallien.* 23. *Decemb.* 1707. *in Bricinorien.* 16. *Mart.* 1717. & sæpe alibi.

24 At novissime contrarium determinavit Benedictus XIII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*; qua decernitur, & mandatur, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorucumque Regularium de cetero tumulabuntur, Quarta funeralis persolvatur, præservando favore Parochorum consuetudines legitimas pro illis locis, in quibus vigent, percipiendi portionem majorem Quartæ, cum aliis ordinationibus, & derogationibus opportunis; Et in Concilio Romano *tit.* 8. *de Officio Judicis Ordinarii c.* 5. mandat Episcopis, ut ipsam publicari curent, atque pro illius observantia invigilent, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati. Unde, ut ejus dispositio ab omnibus plene percipiatur, hic ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS &c.

„ Romanus Pontifex æqui bonique supremus 25
Assertor, Auctoritatem a Christo per beatum Petrum, Apostolorum culmen, sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdum, quæ a Prædecessoribus suis ob rationabiles, & justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum præjudicium, & detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis, & contentionibus fomentum præbere animadvertit, maxime inter Dei, & Ecclesiæ Ministros, quorum est evangelizare pacem, & quibus a Domino non aliud frequentius, neque enixius commendatur, quam ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis mature pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium animarum saluti, Divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sane quamplures Romani Pontifices Prædecessores nostri multiplicia, ac plane insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in Terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt præsidiis, Viris nempe vitæ Sanctitate, Doctrinæ laude, ac Orthodoxæ Religionis Zelo præstantibus, eidemque in Cœlis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis Indultis, & Privilegiis benigne decorarunt; ac inter alia iis illud concesserunt, ut Canonicam portionem, seu Quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quæ in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minime tenerentur, ac ad majorem ejusmodi Privilegii firmitatem, sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V. Prædecessore Nostro editæ in Concilio Viennensi, & relatæ in Clementina *Dudum, de Sepulturis*, nec non Concilii Tridentini Decreto relato *in c.* 13. *sess.* 25. *de reform.* prædictam Quartam funeralem Parocho aperte reservantibus non semel amplissime derogarunt; Unde non acerbæ modo Parochorum querelæ, sed innumeræ etiam contentiones, atque lites inter eos & Regulares super solutione ejusdem Quartæ diversis temporibus excitatæ fuerunt, quæ coram Ordinariis Locorum, & deinde in variis quoque almæ Urbis Nostræ Tribunalibus, præsertim vero in Auditorio Palatii Nostri Apostolici, & in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, præfati Concilii Tridentini Interpretum, magno partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussæ, sicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium pro diversis causarum circumstantiis, atque vario Judicantium sensu, decisæ, ac definitæ fuerunt. Hæc porro judicatorum, sententiarumque diversitas, cum nullam certam, ac determinatam constituerit regulam, in evenientibus

bus casibus observandam, magnum plane fomentum, & ansam relinquit, immo & latam sternit viam ulterioribus inter prædictos Regulares, & Parochos litibus, & controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari dissidiis, novisque prægravari dispendiis possunt cum Divini cultus detrimento, & scandalo plurimorum.

Quo circa Nos maxime expedire censentes, ut ejusmodi controversiæ, & lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternæ caritatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia, Catholica Fide, & Sede Apostolica optime meritos præcipuo semper in honore, ac pretio habuerimus, & habeamus; Nihilominus considerantes exemptionem a solutione Quartæ funeralis, præfatis Ordinibus a dicta Apostolica Sede concessam, modo vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis prædictorum Regularium, ac proinde non modo consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus ceteroquin Sacri Canones, & prisca Ecclesiæ disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur, & antedicta Apostolica Privilegia ad æquitatis limites reducantur: Hinc igitur est, quod Nos omnia, & singula memorata Privilegia exemptiva a solutione Quartæ funeralis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut præfertur, quandocumque, & quomodocumque concessa, præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore, & substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, in præsenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, præmissa omnia Privilegia quoad Quartam funeralem, tantum pro locis infra exprimendis, moderamur, reformamus, ad viam Juris reducimus, & quatenus opus sit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuipiam deinceps suffragari posse, vel debere decernimus.

Præterea motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus sancimus, & statuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, a die publicationis præsentis Constitutionis in futurum Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur, persolvatur, & cum effectu tradatur Quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quibus defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, nec non omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur; A prædicta tamen Quarta funerali exceptæ intelligantur, & sint Candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus assignetur Quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cœnotaphium, seu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ accensa fuerint. Hæc porro omnia locum habeant, & exacte in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur, sive in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulturam elegerit; sub prædicta Quarta funerali comprehendi non intendimus, immo expresse ab ea excipimus Legata Missarum, & Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiæ tumulantis, vel exponentis a Defuncto deposita: Circa quæ, ac omnia, & singula alia, de quibus in præsenti Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia prædictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa, salva prorsus & illæsa, ac inviolata perpetuo permanere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore, quandocumque spectabit, inconcusse, & irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi vero consuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem prædicta Quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus sancimus, præcipimus, & jubemus.

Decernentes pariter, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictorum Ordinum Regularium Superiores, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias justificatæ fuerint, vel etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut alio quovis prætextu, & ex quocumque capite, colore, & causa, etiam necessario exprimenda, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto, vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in Jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud Juris, vel Facti, Gratiæ, vel Justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu juvare in Judicio, vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plena-

plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari debere. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum dicti Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, nec quorumvis Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros eisdem Ordinibus, ut præfertur, illorumque Superioribus & Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Litteræ &c.

Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. M. Card. Prodat.

F. Card. Oliverius.

26 Parochi consequi non possunt, neque prætendere ab heredibus Defunctorum, qui sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, duplicem Quartam, seu portionem majorem solita dari pro illis, qui sepeliuntur in propria Parochia. Sic expresse declaravit *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. in Brundusina* 7. *Decemb.* 1640. quod cum aliis Decretis confirmavit Clemens X. Constit. incip. *Alias*, quæ ut ab omnibus in promptu habeatur, hic, pro ut jacet, subnectitur.

CLEMENS PAPA &c.

„ Alias pro parte tunc existentis Commissarii Curiæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ supplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terræ Leverano Brundusinæ Diœcesis, omnibusque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum Fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipsorum Parochorum, & Presbyterorum sæcularium Ecclesiis sepeliebantur: Emanavit die 7. Decembr. 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis: videlicet. 27

„ Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad tollendas indebitas exactiones, quæ, ut proponitur, in tumulandis Defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum, prout præsentis Decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundusino, ceterisque Locorum Ordinariis, ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero sæculari, majorem post hac eleemosynam sibi attribui faciant ab heredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium prædictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri sæcularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus &c. die 7. Decembris 1640. Et subinde cum tunc existentes Fratres Provinciæ Dalmatiæ dicti Ordinis Congregationis præfatæ exposuissent, functiones funerales Defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturæ mandarentur facere ad eos non autem ad Parochos spectare; Congregatio præfata die 31. Augusti 1657. aliud Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Sac. Congreg. Eminentiss. S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, juxta alias resoluta, censuit, functiones funeralium super Cadavera Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ecclesiis circa præmissa servandum esse, prout servari mandat, & præcipit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 31. Augusti 1657.

„ Cum autem sicut pro parte dilecti filii Francisci Mariæ a Castro S. Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis præfati, Nobis nuper expositum fuit, ipse Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere

" pere desideret: Nos specialem ipsi Francisco
" Mariæ Procuratori Generali gratiam facere volen-
" tes eumque a quibusvis Excommunicationis,
" Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasti-
" cis sententiis, Censuris, & pœnis a Jure, vel
" ab homine, quavis occasione, vel causa latis,
" si quibus quomodolibet innodatus existit, ad
" effectum præsentium dumtaxat consequendum,
" harum serie absolventes, & absolutum fore
" censentes; Supplicationibus ejus nomine Nobis
" super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta
" præinserta Auctoritate Apostolica tenore præ-
" sentium approbamus, & confirmamus, illisque
" salva tamen semper in præmissis auctoritate
" memoratæ Congregationis Cardinalium, invio-
" labilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.
" Decernentes, easdem præsentes Litteras semper
" firmas, validas, & efficaces existere, & fore,
" suosque plenarios, & integros effectus sortiri,
" & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro
" tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab
" eis respective inviolabiliter observari, sicque
" in præmissis per quoscumque Judices Ordina-
" rios, & Delegatos, etiam causarum Palatii
" Apostolici Auditores judicari, & definiri debe-
" re, ac irritum, & inane, si secus super his a
" quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-
" ranter contigerit attentari: Non obstantibus
" Constitutionibus, & Ordinationibus Apostoli-
" cis, ceterisque contrariis quibuscumque. Da-
" tum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub
" Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1672. Pontifi-
" catus Nostri anno secundo.

28 Et novissime fuit iterum resolutum a *Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium* 24. *Novembris* 1713. *in respons. ad* 3. *in causa Placentina funerum vertente inter Fratres Conventus Clastidii Min. Observ. S. Francisci ex una, & Parochum dictæ Terræ Clastidii partibus ex altera, de, & super infrascriptis dubiis &c.* Vide verb. *Parochus art.* 3. *n.* 40. ubi Decretum, & responsio Sacræ Congregationis ad singula dubia.

29 Dantur hic alia Decreta *Sacræ Congregationis Episcoporum in una Placentina* 16. *Decembr.* 1661. edita pro causa inter Clerum Sæcularem Placentiæ, & Monachos Cassinenses ejusdem Civitatis Ecclesiæ S. Sixti ad relationem Eminentiss. Cardin. Pallottæ, apud Impressores Camerales tenoris sequentis.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

Per occasioni di mortorj e funerali sono nate tra li Monaci Cassinensi di S. Sisto di Piacenza umilissimi Oratori dell'EE.VV. ed i Parrochi della stessa Città alcune differenze, che in sostanza si riducono a tre.

Primo, se i Monaci suddetti, quando sono invitati, e vanno alli Mortorj, siano obbligati convenire alla Chiesa Parrochiale.

Secondo, se possano quei, che fanno li Mortorj, ed esequie, dar maggior quantità di candele, e Cera alli detti Monaci, di quello che diano al Parroco, o Parrochi, ed al Clero secolare.

Terzo, se portandosi a seppellire i morti nelle Chiese delli Monaci sia lecito alli Parrochi entrare nelle dette Chiese, o pure siano obbligati a lasciare i cadaveri su la porta, ed ivi dare l'ultimo vale?

Per terminazione di queste differenze è piaciuto all'E. E. V. V. dar per Ponente l'Eminentiss. Pallotta, ed avendo l'Eminenza sua riferito, e le parti informato hinc inde in facto, & in jure, vengono ora l'E. E. V. V. umilmente supplicate a dare la risoluzione, e tutto &c. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, causaque, auditis partibus Eminentissimo Pallotta referente, mature discussa, & examinata, censuit quoad primum: Monachos hujusmodi accedentes ad funeralia defunctorum in aliena Parochia, convenire debere in Ecclesia Parochiali cum aliis pariter accessuris, & deinde omnes una cum Parocho ad Domum defuncti efferendi ritualiter procedere.

Circa secundum, distributionem Candelarum, quoad differentiam qualitatis, pendere ab arbitrio Heredum, aut aliorum distribui mandantium.

Et demum circa tertium, servanda esse decreta, & declarationes alias factas, scilicet Parochis in associatione, sive occasione associationis Cadaverum non licere ingredi Ecclesiam Monachorum prædictorum, sed teneri dimittere Cadavera ad Januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale; Officia vero & alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Monachis peragi debere, non autem a Parochis. Atque ita in præmissis omnino deinceps fieri, & exequi præsentium vigore mandat, ac præcipit contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 16. *Decembris* 1661.

M. Card. Ginettus.

Item dantur Decreta *Sacræ Congr. Rit. in una Senogallien.* 13. *Julii* 1675. edita pro causa inter Archipresbyterum, Canonicos, & Curatos Parochialis & Collegiatæ S. Petri Corinalti Senogalliensis Diœcesis ex una, & Conventus, & P. P. Augustinianos, & Minores Conventuales dictæ Terræ Corinalti ex altera partibus auditis, eminent. & Reverendiss. Card. Casanate referente, infrascripta dubia proposita, & resoluta fuerunt una cum aliis. 30

I. *An heredes Defunctorum sint cogendi ad retinendum Domi Cadavera usque ad tempus sepeliendi? An vero eisdem heredibus liceat pro libito asportare dicta Cadavera e propriis Domibus ad quamcumque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta, uti Vicario Foraneo?*

II. *An illatis cadaveribus private ab heredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum depositi, Regulares convenire, & congregari debeant in dicta tertia Ecclesia, aut in Parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?*

III. *Ad*

III. *An Cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, & in ea permanere per aliquod tempus?*

IV. An Regulares possint cogi ad associanda Cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda? An vero possint expectare in dictis propriis eorum Ecclesiis? & an in casu, quo Regulares non accedant ad associandum dicta Cadavera, amittere debeant Intortitia, uti Parochus prætendit?

V. *An Parochus teneatur associare Cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda usque ad Januas ejusdem Ecclesiæ, etiam ipsis Regularibus non associantibus; Et an Parocho associanti liceat ingredi Ecclesias Regularium cum stola, & Cruce?*

VI. *An si Parochus requisitus intervenire recuset funeralibus Defunctorum in Ecclesiis Regularium sepeliendorum: possint heredes, immo & ipsi Regulares, asportare cadavera ad Ecclesiam sepulturæ electæ, Parocho non interveniente, ac prædicti Regulares eadem cadavera sepulturæ tradere? Et an Parochus in funeralibus dictorum Defunctorum majorem eleemosynam solito prætendere possit?*

Ad primum; *Sacra Congregatio respondit quoad tempus humationis Cadaverum servandam esse Synodum; & in reliquis, petita, & etiam non obtenta licentia, posse Cadavera deponi arbitrio heredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturæ.*

Ad Secundum; *Sacra Congregat. inhærendo aliis Decretis respondit: Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi Cadaver fuit depositum, ut supra.*

Ad Tertium; *Sac. Cong. respondit Negative.*

Ad quartum; *Sacra Congregatio respondit; Regulares non posse cogi ad exeundam a propriis Ecclesiis ad effectum associandi Cadavera in eisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa expectent ad januas; quo vero ad Intortitia, remisit causam ad Judices suos.*

Ad quintum; *Sacra Cong. respondit, Parochum teneri associare Cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda; Quo vero ad ingressum Parochi cum stola, & Cruce distulit resolutionem;* eam videas inferius *n.* 31.

Ad sextum; *Sacr. Congr. respondit, vocato Parocho, & ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda; quo vero ad emolumenta per Parochum prætensa, nihil dandum ultra solitum. Et id denuo declaravit, & servari mandavit. Hac die 13. Julii 1675.*

21 Item referuntur alia Decreta ejusdem *Sacræ Cong. Rituum in una Vaden. ad dubia eidem proposita die 2. August.* 1698. ut sequitur: *Prætendentibus Parochis, seu Mansionariis Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Vaden. in associatione defunctorum, qui sepulturam sibi eligunt, sive alio quovis modo in Ecclesia Regularium sunt tumulandi, ab eorumdem heredibus, una cum proprio Parocho Defuncti, omnes esse invitandos: Ecclesias Regularium ingredi cum stola, & Cruce: ibique functiones, & Officium circa Cadaver peragere, ac insuper pinguiorem eleemosynam pro associandis, seu tumulandis forensium, seu externorum cadaveribus in Ecclesiis prædictis Regularium, quam a Civibus, posse exigere, si in ipsis Parochialibus sepelirentur. Deducta coram Reverendissimo Episcopo Vaden. controversia, & ab eo post quamplurimas comparitiones pro declaratione ad Sacram Rituum Congregationem remissa: Exinde Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali de Noris commissa, & ab eodem propositis infrascriptis dubiis, videlicet.*

I. *An in associatione Cadaverum ad Ecclesias Regularium sint vocandi omnes Mansionarii præter Parochum?*

II. *An Parochus ingredi possit Ecclesias Regularium cum stola, & Cruce, ibique Officium, & functiones peragere?*

III. *An liceat Parocho exigere majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium quam a Civibus?*

Sac. eadem Rit. Congr. utraque parte tam in voce, quam in scriptis, prius audita, Negative in omnibus respondit, & ita declaravit, & servari mandavit die 2. Aug. 1698.

Item adducuntur Decreta *Sacræ Congregationis* 32
Conc. in una Novarien. Funerum 15. Mart. 1704. edita pro causa inter Parochos, & PP. Reformatos Oppidi Varalli ejusdem Diœcesis Novariensis, in qua propositis dubiis sequentibus, nempe:

I. An Cadavera impuberum Oppidi Varalli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura designata existente in Ecclesia Parochiali, vel potius licitum sit Parentibus, tam ante, quam post mortem illorum pro eis sepulturam eligere, eaque tumulari facere in proprio sepulcro majorum in Ecclesia PP. Reformatorum existente & quatenus affirmative quoad secundam partem.

II. An dicta Cadavera deferri possint ad dictum sepulcrum Majorum absque associatione Parochorum, & Cleri sæcularis post eorum monitionem ad interveniendum funeri, & recusantium?

III. An Parochis intervenientibus, sive associatis, sive non ab aliis Canonicis ejusdem Parochiæ distribui debeat Candela major illa, quæ datur Superiori Regularium associato ab aliis Fratribus?

IV. An dicta Cadavera deferri valeant ad Ecclesiam in quacumque hora diei, & an de nocte absque expressa licentia Ordinarii.

V. An Parochi sub aliqua, & quacumque prætensione possint differre, vel impedire, ne tempore debito Cadavera ad sepeliendum deferantur, & quatenus Negative?

VI. An Parochis impedientibus, licitum sit heredi post expectatum triduum a morte Defuncti ducere funus, etiam de nocte ad Ecclesiam, in qua Cadaver est sepeliendum?

VII. An Parochi cogere possint heredes ad peragendum in Ecclesia Parochiali omnes functiones Missæ solemnis accensis luminibus in singulis Altaribus Anniversariorum, quæ fiunt in Ecclesia Reformatorum occasione funerum?

VIII. An

VIII. An dicti Parochi possint cogere heredes, ut celebrare faciant Missas pro Defuncto singulis Sacerdotibus sæcularibus funus associantibus?

IX. An in prætensa associatione Cadaverum sint per heredem Defuncti in æquali numero convocandi tot Sacerdotes sæculares, quot convocantur Fratres Reformati?

X. An in casu, de quo agitur, Episcopus Novarien. habuerit jurisdictionem in supradictos Fratres Reformatos prætensos delinquentes extra Claustra, seu turbantes Jura Parochorum.

XI. An interdictum, de quo agitur, sustineatur in casu?

Die 15. Mart. 1704. respondit prout infra.

Ad I. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative de die, de nocte Negative, nisi de licentia Ordinarii.

Ad V. Negative.

Ad VI. Affirmative, præterquam de nocte ut supra.

Ad reliqua Dubia Negative singillatim responsum fuit.

33 Parochis pro associandis, & tumulandis Cadaveribus eorum, qui repentina, vel violenta morte decedunt, non licet exigere majorem Quartam, seu majus emolumentum eo quod exigi, seu præstari solet ab eo, qui testamentum condidit. *Sacra Congr. Conc. 24. August. 1669. lib. 6. Decret. fol. 283.*

34 Item nec licet Parochis exigere majorem Quartam seu majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a Civibus, ut respondit *Sacr. Congreg. Rit. in Vaden. 2. August. 1689. in respons. ad 3.* ut patet *supra numer. 31.*

35 Pro exactione Quartæ funeralis non gravatur heres, sed lis agitur inter Parochum, & Ecclesiam tumulantem. *Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. in una Civitatis Castelli 14. April. 1615.* Nicol. *Lucubrat. Civil. lib. 4. tit. de Interdict. num. 26. limit. 10.* ubi Decretum Sacræ Congr. Conc. refert, Monacell. *tom. 2. tit. 14. formul. 1. num. 14.*

36 Quarta funeralis solvitur in quantitate juxta consuetudinem Regionis & Locorum solita, & præscripta. *Sacra Congr. Conc. in Ebredunen. 21. Jul. 1695. in respons. ad 12. & in Mantuana 18. Jun. 1699.* apud Monacell. *loc. cit. num. 14.*

37 Confraternitates, quæ habent Jus Sepulturæ, debent sepelire sine præjudicio Quartæ funeralis, aliorumque emolumentorum, quæ spectant ad Capitulum, vel Parochum. *Sac. Congregat. Episcop. in una Anconitana 19. Decembr. 1608.* apud Nicol. *in Flosculis verb. Confraternitas num. 22.* & apud Piton. *Constit. ad Parochos n. 290.*

38 Quarta funeralis pro sepultura Educandarum, ac Mulierum sæcularium in Monasteriis Monialium decedentium cui debeatur; Vide verb. *Moniales art. 1. a n. 61. ad 63.*

39 Alia ad rem vide verb. *Parochus art. 3.* & verb. *Sepultura.*

40 Addenda sunt ad rem sequentia decreta, quod attenta consuetudine Diœcesis debeatur Episcopo Quarta, tum decimarum, tum Funeralium. *In Anglonen. Cathedratici, Decimarum, & Quartæ Funeralis* propositis sequentibus dubiis:

I. *An Episcopo debeatur Cathedraticum in casu &c.*

II. *An eidem debeatur Quarta Decimarum in casu &c.*

III. *An eidem debeatur Quarta funeralium in casu &c. Sacra Congregat. Concil. 30. Januar. 1723.* respondit: Ad primum, secundum & tertium, *Affirmative.* Sic apud Thesaurum Resolution. 7. *in d. Anglonen.*

In Cassanen. Quartæ decimarum proposito dubio, An *Clerus Ecclesiæ Parochialis Marathææ continuare debeat in annua præstatione modiorum, seu tumulorum 50. frumenti pro quarta decimarum debita Episcopo in casu &c. Sacra Congr. Conc. die 27. Septemb. 1738.* respondit, *Affirmative.* Et proposita causa *in ead. Cassanen. Quartæ Decimarum sub dubiis: I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? II. An Episcopus Cassanensis pro Quarta Decimarum teneatur contribuere expensis, ac sumptibus litis motæ per Communitatem Marathææ super exactione ipsarum decimarum in casu &c. Sacr. Congr. Conc. die 4. Jul. 1739.* respondit, *Ad primum in decisis, & amplius. Ad secundum Negative.* Sic apud Thesaurum Resolution. *dictor. Annorum.* 41

Additiones ex aliena manu.

Extra Italiam, Insulasque adjacentes, ad quas vires suas haud porrexit Constitutio S. M. Benedicti XIII. incip. *Romanus Pontifex*, de qua *Auctor n. 24.* servatur quoad solutionem Quartæ funeralis a Regularibus faciendam *Concilium Tridentinum sess. 25. c. 13. de Reformat.* demandans, ut Regulares non aliter sint exempti a solutione quartæ funeralis, quam si per quadraginta annos ante ipsum Concilium eam non solverint. Vide ultra allegatos ab *Auctore n. 23. Rotam in Vilnen. quartæ funeralis 6. Jun. 1746. §. 2. & 23. Januar. 1750. §. 2. cor. R. P. D. Canilliac Decano.* 42

Quæstionis autem est, utrum ad Regulares, an ad Parochos spectet probare, quod ipsi Regulares per quadraginta annos ante *Tridentinum Concilium* quartam funerariam haud solverint. Spectare ad Parochos, resolvit Sacra Congregatio Concilii Interpres in una *Minorum Observantiæ Provinciæ Poloniæ 14. Novembr. 1682.* & allegata hac Resolutione firmant *Matthæucc. in suo Officiali Curiæ Ecclesiast. c. 41. num. 9. Rot. in Calaguritana quartæ funeralis 2. Jul. 1728. §. 8. cor. bon. mem. Ratt.* inter impressas *decis. 214. num. 5. in d. Vilnen. quartæ funeralis 6. Junii 1749. §. 11. & 23. Januar. 1750. §. 17. cor. R. P. D. Canilliac. Decano.* 43

Differt Ecclesia Cathedralis ab aliis Ecclesiis quoad acquirendam præscriptione exemptionem a solutione quartæ funerariæ; Cathedralis enim Ecclesia quadragenaria acquirit exemptionem a solutione quartæ funerariæ; Cæteræ vero Ecclesiæ indigent immemorabili, vel centenaria ad hanc acquirendam exemptionem; Rota *in Barchinonen. Jurium Parochialium super quarta, & oblationi-* 44

 bus,

bus 9. Julii 1732. §. 4. cor. clar. mem. Aldrovand.

45 Quoad quantitatem quartæ funerariæ standum consuetudini, ut innuit *Auctor num.* 2. At notabile est, quod si ea prætendatur infra medietatem, sufficit præscriptio decem annorum; si autem ultra medietatem prætendatur, necessaria est præscriptio quadraginta annorum; *Rota in Florentina quartæ funeralis 6. Martii* 1711. *fere per tot. cor. bon. mem. Cafarell.*

46 Reliquum est, ut notetur, quartam funerariam peti haud posse ab Heredibus defuncti, sed ab Ecclesia ubi ille tumulatur; *Rota in Calaguritana quartæ funeralis super bono jure 2. Julii* 1728. *§. 5. cor. bon. mem. Ratt.* inter impressas *decis.* 214. *num.* 1.

QUATUOR TEMPORA.

1 Jejunium Quatuor Temporum, idest Veris, Æstatis, Autumni, & Hyemis, quamvis multi per text. *in cap. Jejunium* 1. *dist.* 85. existiment institutum fuisse a S. Callisto Papa & Martyre, qui creatus fuit Summus Pontifex *die 2. Sept. anni* 221. Baronius tamen, & Spondanus *ad ann. Domin.* 57. *num.* 62. *ad ann.* 226. *num.* 1. auctoritate SS. Patrum, & antiquorum Scriptorum tenent, Jejunium Quatuor Temporum institutum fuisse ab Apostolis, ex quo jam observaretur a Fidelibus primo, & secundo Sæculo Ecclesiæ, & sic plusquam ducentis annis ante S. Callistum Papam & Martyrem, qui tamen hujus obligationis jejunandi dictis Temporibus admonuit aliquos populos, qui illud negligebant, ut notant dicti Baronius, & Spondanus *locis citatis* & sequitur Clericatus *nelle sue spighe raccolte verb. Quattro tempori num.* 500. & alii plures, & concordat Lectio 4. in Festo ipsius S. Callisti *die* 14. *Octobris*, ibi: *Constituit Quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur*, ubi nota ly *ex Apostolica traditione*; & ly *Ab omnibus servaretur*. (1)

2 Mysterium autem, & causa, cur in unoquoque istorum Temporum fuerint instituti tres dies jejunii? est, quia, sicut Dominus in Lege veteri præcipiebat, ut suæ Divinæ Majestati in recognitionem sui supremi Dominii offerrentur omnium Primitiæ, ut *Exodi* 13. & alibi, ita in Lege nova, seu Evangelica, ut renovaretur talis recognitio, seu confessio supremi Dominii Dei super omnia nostra, statuerunt Sancti Apostoli, ut Christifideles jejunarent in unoquoque Quatuor Temporum, *Veris*, scilicet, *Æstatis*, *Autumni*, *& Hyemis* tribus diebus, idest die *Mercurii*, *Veneris*, & *Saturni*; Cum enim omnia, simul duodecim sint jejunia, correspondent duodecim mensibus anni, symbolizantque, quod omni mense offerimus Divinæ Majestati primam diem, tamquam *Primitiam* totius illius mensis, & anni, sicque talibus jejuniis recognoscimus, & confitemur Deum ipsum tamquam absolutum Supremum Dominum nostrum. Unde Doctissimus Carolus Macri *in suo Hierolexico verb. Jejunium* sic expresse habet: *Jejunium quatuor Temporum tamquam Primitias* (*Apostoli*) *instituentes, in quibus duodecim dies tamquam Primitiæ duodecim Mensium observantur*; sic etiam tenet Clericatus *loc. cit. num.* 501. & alii: Et concordat *cap. Jejunium* 1. *dist.* 76. ibi: *Ut sicut annus per Quatuor volvitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora*; Quamvis tamen *in ipso cap. Jejunium* dicatur, quod tale jejunium prius celebrabatur solum ter in anno, ibi: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus*.

Primum jejunium Quatuor Temporum celebratur in prima hebdomada Quadragesimæ; Secundum, in hebdomada Pentecostes; Tertium, in mense Septembris post Exaltationem Sanctæ Crucis; Quartum, in mense Decembris ultima hebdomada completa ante Vigiliam Nativitatis, *cap. Constituimus* 2. *cap. De jejunio* 3. *& cap. Statuimus* 4. *dist.* 76. in quo ultimo cap. sic expresse habetur: *Statuimus etiam, ut jejunium Quatuor Temporum hoc ordine celebretur: Primum, in initio Quadragesimæ; Secundum, in hebdomada Pentecostes; Tertium vero in Septembri; Quartum in Decembri more solito fiat.* (2) Unde Glossa *in citat. cap. De jejunio* 3. *dist.* 79. *verb. In Decembri* habet hos versus: 3

Prima Quadragenæ servet jejunia Veris.
Pneumatis hebdomada servare secunda juberis.
Tertia Septembris cultum fert Mercurii istum.
Sabbata jejunent vigilem præeuntia Christum.

Et facilior vulgaris versus indicat talia Tempora his verbis: 5

Post Cen, & post Pen, post Cru, & post Lu.

Post *Cen*, idest prima hebdomada post *Cineres*; Post *Pen*, idest post Festum Pentecostes; Post *Cru*, idest post Festum Exaltationis Sanctæ Crucis in mense Septembris; Post *Lu*, idest post Festum S. Luciæ in mense Decembris.

Et circa hæc Quatuor anni Tempora dantur etiam sequentes versus, quos refert Ursaya *in Miscellaneo sacro, & profano primo litt. Q. nu.*8. 6

Dat Clemens hyemem, dat Petrus Ver Cathedratus.
Æstuat Urbanus, autumnat Bartholomæus.

QUÆ-

(1) De horum temporum jejunio, ejusque antiquitate, atque adeo Apostolica origine præter Thomassinum, & P. de l'Isle erudite disseruerunt Muratorius, & Sbaralea, quorum dissertationes habes a Zaccaria illatas in tomum 1. *disciplinæ populi Dei Fleurianæ*.

(2) Antiquior S. Leo M. eadem tempora diserte indicat *serm* VIII. *decimi mensis* his verbis: *siquidem jejunium vernum in quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale in hoc, qui est decimus, celebramus*.

QUÆSTUARE, QUÆSTUARII, SEU QUÆSTORES.

1 Quæstuarii, seu Quæstores eleemosynarum non sunt admittendi, nisi habeant Litteras Diœcesani, vel Papæ. Conc. Lateranens. IV. *cap. 62. Cum ex eo 14. de pœnit. & remissionibus, Clementin. Abusionibus 2. de pœnitentiis, & remissionibus.*

2 Unde licentia concedi non potest à Principibus, vel Magistratibus sæcularibus, sed obtinenda est a Papa, vel Episcopo. *Clementin. Allusionibus 2. de pœnitent. & remissionib.* & declaravit *Sac. Cong. Conc. in Regien. 9. Jan. 1582. & in Aver-*

3 *sana 22. Febr. 1610.* Pro licentia quæstuandi pro locis piis juxta solitum exigi solum possunt obuli quinque ad mercedem Notarii. *Sac. Cong. Episc. in una Civit. Castelli 14. April. 1615.*

4 Quæstores eleemosynarum non debent permitti ab Episcopis prædicare. Conc. Trident. *sess. 5. de*

5 *reform. c. 2.* Quæstores, qui Indulgentias publicant, & eleemosynas colligunt, debent omnino aboleri, & prohiberi. Concil. Trident. *sess. 21. de reform. c. 9.*

6 Quæstores eleemosynarum nihil possunt populis proponere præter id, quod in litteris, seu licentiis continetur, Concil. Lateranen. IV. *cap. 62. cap. Cum ex eo 14. de pœnit. & remissionibus, Clementin. Abusionibus 2. de pœnit. & remissionibus.*

7 Quæstores eleemosynarum non possunt gestare Habitum falsæ Religionis, neque versari in tabernis, aliisque locis indecentibus. Conc. Lateranen. IV. *c. 62. cap. Cum ex eo 14. de pœnitent. & remissionib.*

8 Quæstores eleemosynarum sub falso nomine Crucesignatorum, si sunt Laici excommunicantur, & Clerici suspenduntur ab Officiis, & Beneficiis, *cap. Tuarum 11. de privilegiis.*

9 Quæstores contra præmissa, & alia delinquentes puniri debent per Episcopos, non obstantibus Privilegiis. *Clement. Abusionibus 2. de pœnitent. & remissionibus, §. Quæstores,* & sæpe declaravit *Sac. Cong. Episcop.* & signanter *in Spoletana 16. Septembr. 1596. 18. Dec. 1600. & 3. Dec. 1601. in Lancianen. 5. Febr. 1602. & 5. Mart. ejusdem anni, & in Pistorien. 7. Jun. 1605.*

10 Eleemosynæ repertæ penes Quæstuarios delinquentes, si dari non possint eidem loco, cujus contemplatione fuerunt factæ, distribuendæ sunt Monasteriis Monialium, quæ magis egent. *Sacra Cong. Episcop. in Baren. 20. Augusti 1596. in Urbinaten. 4. Septemb. ejusdem anni, in Vintimilien. 3. Jun. 1597. in Aquensi 13. Jul. 1605.*

11 Quæstores eleemosynarum in statu Ecclesiastico deputari possunt a Ministris Confraternitatis Confalonis pro colligendis eleemosynis ad redimendos captivos ejusdem status. Sixt. V. Const. 38. incip. *Cum benigna.*

12 Quæstuare nullus potest pro eleemosynis S. Antonii de Vienna sine licentia Generalis, vel Capituli Religionis S. Antonii sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ. Clemens VIII. Constit. 2. incip. *Rationi.* Nec Patentati, seu Commissarii 13 talis Abbatis Generalis S. Antonii Viennensis possunt quæstuare sine licentia in scriptis Ordinarii loci, non obstantibus eorum Privilegiis. *Sac. Cong. Conc. in Theanen. 30. April. 1678.* in qua utraque parte informante, censuit, non posse a prædictis Commissariis quæstuari, nisi ad formam Sacri Concilii Tridentini *cap. 9. sess. 21. de reform.* & Bullæ Gregorianæ incip. *Romanum,* & iterum *in Cajacen. 28. Augusti 1683.* in qua censuit danda, & servanda esse Decreta edita in dicta *Theanen.* Et si 15 ipsi Commissarii quæstuantes circa id committant excessus, & falsitates, seu quomodocumque delinquant, debent ab Episcopis carcerari, eorumque pecuniæ, scripturæ, resque aliæ sequestrari. *Sac. Cong. Episcop. in Regiensi 15. Jun. 1613.*

Confraternitatibus, & aliis locis piis, quæ hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quæstuandi. Vide verb. *Eleemosyna num. 41.* 15

Ordinarii prohibere non possunt Regularibus, ne quæstuent ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo. Vide *ibidem num. 42.* 16

Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim quærere, nec prohiberi possunt fideles, ne eas ipsis conferant; Unde si aliqui Ordinariorum, vel alii impediant per vim, vel dolum, aut consulant, ne eleemosynæ dentur Regularibus Mendicantibus, tunc ipso facto Excommunicationem incurrunt. Vide d. verb. *Eleemosyna n. 32.* 17

Non possunt tamen quæstuare extra districtus consuetos, & assignatos propriis Conventibus. *ibid. n. 33.* 18

Et sic novissime statuit iterum Sacra Congreg. Episcop. in Lauden. Quæstuationis in causa vertente inter P. P. Minores de Observantia loci Sancti Columbani, & P. P. Reformatos loci Codunei ejusdem Diœcesis, ubi quærebatur, an P. P. Reformati possent quæstuare in illis locis, in quibus quæstuare solent P. P. Observantes, tam respectu vini, quam aliorum comestibilium, & an possint habere privatum Hospitium in illis Civitatibus, & oppidis, in quibus moram facere possunt in Conventibus P. P. Observantium. Unde *die 5. Sept. 1710.* propositis in Sacra Congregatione Episcopor. & Regular. Ponente Card. de Abdua tribus sequentibus dubiis, resoluta fuerunt ut infra. 19

I. *An liceat P. P. Reformatis loci Codunei quæstuare in loco Sancti Columbani, ejusque districtu?*

II. *An liceat eisdem P. P. Reformatis habere Hospitium proprium in dicto loco S. Columbani, seu potius debeant hospitari in Conventu Minorum Observantium S. Francisci sito in dicto loco S. Columbani?*

III. *An, & in quas pœnas dicti P. P. Reformati inciderint ob aperitionem prætensi Oratorii publici in dicto loco S. Columbani absque licentia Ordinarii?*

Ad I. Responsum fuit Negative præterquam quoad quæ-

quæstuationem vini tantum tempore vindemiarum, & semel post Pascha juxta solitum.

Ad II. Negative, quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Ad III. Remaneant suspensi ab Officio, donec petierint ab Episcopo, a quo benigne recipiantur.

Sic refert D. Ursaya *tom. 8. part. 1. discept. 40.* ubi per tot. multa habet ad rem.

20 Item sic novissime iterum statuit *eadem Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Ventimilien. Quæstuationis in causa P. P. Capuccinorum cum P. P. Reformatis*. Vide dict. verb. *Eleemosyna num. 34.*

21 Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus Diœcesi situm est eorum Monasterium. Vide *ibidem numer. 35.*

22 Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quærunt in locis, ubi existunt Conventus, sed solum si eas velint colligere extra ipsa. Vide *ibid. n. 36.*

23 Si autem extra Diœcesim, in qua erecti sunt Conventus, quæritare voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Diœcesis. Vide *ibidem num. 37.*

24 Fratres Mendicantes quærere nequeunt per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel Oblatos. Vide *ibid. n. 38.*

25 Quæstores Regulares non possunt retinere sibi partem eleemosynæ, sed totam deferre, & consignare debent Monasterio. *Conc. Trevirense c. 12.* Nec Superiores Locales possunt quæstuationes locare suis Oblatis, seu Conversis, & sic facientes graviter peccant, & tenentur ad restitutionem, quia sic tamquam ficti pauperes avaritiæ student, & injuste auferunt eleemosynas aliis pauperibus vere indigentibus, & Regularibus ex sola mendicitate viventibus. Vide dict. verb. *Eleemosyna n. 25.* Et tales superfluæ quæstuationes impediri, & prohiberi possunt ab Ordinario, & contrafacientes coerceri. Genuens. *Prax. cap. 57. num. 11.* Donat. *Prax. tom. 1. tract. 13. qu. 32. num. 11.* Monacell. *tom. 1. tit. 1. formul. 6. num. 8.* Matthæucc. *cap. 43. Officialis quoad Quæstus num. 8.* & alii.

26 Quæstuatio pro Monasteriis Monialium indigentium non est facienda per mulieres Conversas, etiam non professas, sed per Deputatos ab Ordinariis locorum, ut ad tollenda pericula violandæ honestatis, statuit expresse Gregorius XIII. Constitut. incip. *Deo sacris*, & recte observant. Tambur. *de jure Abbatissar. disp. 18. qu. 2. num. 4.* Monacell. *tom. 1. tit. 6. formul. 6. numer. 4.* & alii.

27 * Græci quantumvis exhibentes Testimoniales de adhæsione sua Romanæ Ecclesiæ, adhuc tamen ex Decreto Innocentii XI. prohibentur quæstuare, & facultatem ea de re obtentam a quocumque, vel ab ipsa pariter Congregatione jubentur Episcopi ad se recipere, & ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide transmittere. Insuper Clemens XII. in suo Brevi mandavit, pecuniam ita a Græcis collectam, & alicubi depositam sequestrari ab Episcopo, & ad eamdem Congregationem transmitti. *Institut. Ecclesiast. 75. §. 1.* *

Additiones ex aliena manu.

Quomodo in quæstuatione se gerere debeant Religiosi Mendicantes, tradit *Vanespen Jur. Eccl. univ. par. 1. tit. 29. c. 4. fer. per tot.* ubi *num. 43.* ita concludit: *Denique* (ait) *in hac quæstuatione se ita exhibere debent, ut suo modesto, & religioso agendi modo ab otioso illo quæstuosorum hominum genere a Concilio Trident. abolito se plane distinguant, non minis, aut fraudibus inducant Fideles ad eleemosynas, non petant tamquam debitum, aut solitum, neque ulla arte, etiam prætextu dicendi aliquas orationes, aut lucrandi certas indulgentias, aut aliter extorqueant pecunias, aut alia bona, sed simpliciter, pie & modeste petendo eleemosynam pro sustentatione Fratrum, accipiant tantum quod sibi sponte offertur, nec super iis eleemosynis ullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in utilitatem ipsorum Conventuum, quemadmodum Pius V. & Gregorius XIII. ex sententia Sacr. Congregationis Concilii Tridentini in simili quoad collectionem eleemosynarum ac intertentionem Hospitalium responderunt, ut refert Fagnanus ad c. Quam ex eo, de pœnit. & remiss. num. 21. 22. & 23.* 28

Quod ait *Auctor hic num. 17.* tum verbo *Eleemosyna num. 32.* Ordinarios quoquo modo impedientes, quo minus Religiosi mendicantes quæstuent, ipso facto excommunicationem incurrere, absolute verum haud est. Perpensa enim ipsa Constitut. incip. *Sacri* a Sixto IV. favore Ordinum Prædicatorum, & Minorum edita allegata, Ordinarii ut supra impedientes, interdictum ingressus Ecclesiæ, suspensionem a regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, alii vero inferiores excommunicationem incurrunt. Sed nec statim, verum *nisi pœnituerint*, sunt verba Constitutionis §. 8. *& persuasiones, & inhibitiones, & prædicta revocaverint infra triduum postquam desuper requisiti fuerint.* 29

Responsio Auctoris.

Quo ad ea, quæ hic adducuntur sub *num. 2.* Revera stando præcise dispositioni dictæ Constitutionis Sixti IV. ipsa solummodo tradit, quæ fideliter ex ejus verbis refert D. Additor. Sed mea conclusio desumpta est etiam ex aliis Pontificiis Constitutionibus, allegatis ab aliis classicis Auctoribus, & signanter ab eruditissimo D. Francisco a Mostazo *lib. 7. de causis piis c. 12. de eleemosyna*, ubi sic expresse concludit: Præterea si *aliquis Ordinariorum, aut alii impediant per vim aut dolum ne Eleemosynæ dentur Religiosis, tum ipso facto excommunicationem incurrunt, ut ex Bullis tradidit* Crux *dict. c. 3. concl. 2.* Trullencho *d. c. 5. dub. 8. num. 22.* Et Alponsus de Casarubius *in compendio privilegiorum Mendicantium* verb. *Eleemosyna num. 8.* sic præcise referentes, *ibi*: *Idem Sixtus IV. voluit, quod Ordinarii, seu quicumque alii prohibentes, ne Fratribus Carmelitis Eleemosynæ fiant, ipso facto sint excommunicati: & contra tales*

les possint Rectores Ordinum mendicantium, & Auditor C. A. ac Inquisitores hæreticæ pravitatis sicut contra hæreticos procedere.

(*) Ceterum, cum in Pontificiis Constitutionibus citandis plerumque Scriptores minori, quam oporteret diligentia versentur, ipsas Constitutiones, quas Casarubius, aliique a Lucio appellati laudant, Lector per se consulat, nec illis fidat. (*)

QUINQUAGESIMA.

---

1 QUinquagesima a Sancto Thelesphoro Papa fuit instituta; *capit. Quadragesima 5. distinct.* 4.

2 In Quinquagesima olim Clerici tenebantur ad jejunium, ex S. Telesphoro Papa *in cap. statuimus* 4. *dist.* 4. & S. Gregorio Papa *in c. Denique 6. ead. dist.* 4. (1)

3 Advertendum est, quod nostra S. Mater Ecclesia nos disponit ad Sanctam Quadragesimam tribus antecedentibus Dominicis, nempe Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, sic nuncupatis, eo quod cum præcedant Dominicam Quadragesimæ sic dictam a numero subsequentium quadraginta dierum jejunii, conveniebat nuncupare remotiorem ex ipsis *Septuagesimam*, intermediam *Sexagesimam*, & ultimam *Quinquagesimam*, ut respondit Carolus Magnus Alcuino, deindeque docuit idem Alcuinus, & tradunt moderni antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi apud Baillet. *in Historia Festorum mobilium tom.* 4. *de vitis Sanctorum*

4 §. 2. *num.* 4. Quamvis aliqui attribuant nomenclaturam *Septuagesimæ* memoriæ septuaginta annorum captivitatis populi Hebraici, apud Raynaud. *Oper. t.* 1. *pag.* 492. teste toties laudato eruditissimo Cardin. Lambert. deinde Summo Pont. Benedicto XIV. *volum* 1. *notificat.* 14. recte advertente, quod stante horum opinione, non haberi posset sufficiens fundamentum nuncupandi aliam *Sexagesimam*, aliamque *Quinquagesimam*.

5 In istis tribus Dominicis suadet Ecclesia suis fidelibus majoris pietatis, ac devotionis exercitia, ut tradit Thomassin. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. ibi: *Satis constat, tres istos Dominicos dies majoris pietatis studio colendos esse*. Et Concil. Provincial. Mediolanen. 3. *tit. de Festorum dierum cultu*, sic expresse habet: Studeat Episcopus, ut quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia Mater, & Officiorum Ritu, & Hymnis, Canticisque Fidelium mentes ad mœstitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac præparat tot ante diebus ad sancte recolendam Christi Domini Passionem, & Crucem, eo potissimum tempore Fideles sibi in curam traditos, spectacula, ludos scenicos, & alia, quæ Gentilitatis speciem præseferunt, tunc præsertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tamquam a sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia omnino fugientes ad pietatis Christianæ studia, & ad orationem attentiores sint, proposita omni Christianarum actionum exercitatione.

Ab istis Dominicæ diebus primitivis temporibus 6
incipiebant Ecclesiastica jejunia, ut habetur *in sermone tertiodecimo* adscripto Petro Blesensi, quamvis ab aliis alii attributo, ut notat dict. Cardin. Lambertin. *loc. cit.* ibi: *Jejunium Quadragesimale Regulares Cœnobitæ incipiunt a Septuagesima, Græci vero a Sexagesima, Clerici nostri, auctore Telesphoro, a Quinquagesima. Universus exercitus Christianæ militiæ, juvenes, & Virgines, senes cum junioribus ab hac Quadragesima*. Et quod Clerici olim tenerentur incipere jejunia a Quinquagesima habetur expresse *ex cap. statuimus* 4. & *capit. Denique 6. dist.* 4. Sanctus enim Telesphorus Papa addidit Quadragesimæ septimam hebdomadam, quæ vocatur *Quinquagesima*, textu expresso *in cap. Quadragesima 5. distin.* 4. ibi: *Quadragesima sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadam, & vocatum est hoc tempus Quinquagesima*. (2) Ast dicta antiqua jejunii observantia fere penes omnes abiit in desuetudinem, ut docet universalis praxis, & solum remansit apud quasdam castigatiores, & observantiores Regulares familias; Ecclesia tamen ob dictam jejuniorum anticipationem harum trium hebdomadarum nomenclaturam retinuit.

Quando in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesi- 7
mæ, & Quinquagesimæ occurrit Festum Purificationis B. M. V. in Ecclesiis eidem sub alio titulo dicatis scilicet Annunciationis &c. Missa debet cantari de Dominica tantum, nec facienda est commemoratio Purificationis B. M. V. *Sacr. Rit. Cong.* 23. *Aug.* & 13. *Sept.* 1704. *in Catanien.* & 15. *Sept.* 1736. *in Toletana*.

R A-

(1) Falsa hæc opinio de Telesphoro Quinquagesimæ auctore a falsis Isidori Decretalibus orta est. Quinquagesimæ nomen quadringentis post Telesphorum annis invectum est, immo & plusquam centum post S. Ambrosium, quod sufficit, ut falsitatis arguatur Sermo XIX. qui sub ejus nomine *de Quinquagesima* inscribitur. Legitur hoc nomen in primo an. DXI. Aurelianensi Concilio, a quo Quinquagesima interdicitur.

(2) Certiora hujus consuetudinis, qua Clerici a Quinquagesima jejunare jubebantur, documenta suppeditant Vita S. Udalrici Sæculo circiter decimo Augustani Episcopi, Concilium Claromontanum ann. 1095. sub Urbano II., Synodus Andegavensis ann. 1270. Salisburgense vero Concilium an. 1281. ad idem Religiosos omnes adstrinxit.

R A P I N A.

Vide verb. FURTUM.

RAPTOR, RAPTUS.

1 RAptor Virginis, & violenter ipsam stuprans non committit delictum exceptum in Bulla Gregor. XIV. incip. *Cum alias* (nec consequenter exceptum in Bulla Bened. XIII. incip. *Ex quo*); *Sic Sacr. Cong. Immunitatis in Theatina* 9. *Octobris* 1628. *lib.* 1. *Decret. Pauluc. pag.* 108.

2 Non censetur casus exceptus Raptus puellæ, ita ut Raptor possit sola Episcopi auctoritate extrahi e Domo Canonicali immuni: Attamen recurritur ad Sanctissimum pro confectione, & transmissione processus super asserto Raptu, & qualitate delinquentis; Et Episcopus informet an, & quomodo possit commode provideri in posterum super Canonica? *Sac Cong. Imm. in Mantuana* 8. *Decemb.* 1703. *l.* 3. *Decret. Vall. pag.* 540.

3 Alia vide verb. *Matrimon. quoad Impedimenta art.* 2. *a. num.* 103. *ad num.* 117.

RATIONIS USUS.

1 RAtionis usus circa septennium inchoari solet. Benedict. XIV. tom. 2. Const. 28. incip. *Po-*
2 *stremo mense* §. 32. Et reprobatur sententia Nattæ, & Bursati, qui requirunt ætatem duode-
3 cim annorum. Idem *ibid.* Immo quandoque contingit, ut ante septennium quis ratione præditus inveniatur. Idem *ib.*

RECOGNITIO CORPORIS DELICTI.

1 REcognitionem Cadaveris permittat Episcopus etiam post humationem in casibus permissis, servatis servandis *Sac. Cong. Immun. in*
2 *Signina* 24. *Mart.* 1627. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 43.
Ita datur facultas exhumandi Cadaver pro Recognitione corporis delicti. *Sacr. Congregat. Immun. in Civitatis Castellanæ* 1. *Febr.* 1673. *lib.* 1.
3 *Decret. Alt. pag.* 763.
Datur facultas Episcopo pro aliquibus casibus faciendi Recognitionem Cadaverum ad effectum procedendi etiam in Ecclesiis, & Conventibus Regularium. *Sacr. Cong. Immun. in Fanen.* 20. *Aprilis*
4 1649. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 76.
Aliquando conceditur Vicario Generali facultas pro quinque casibus dandi licentiam pro sua prudentia, ut vulnerati, vel cadavera existentia in locis immunibus transferantur serv. serv. in locum vicinum, & opportunum pro Recognitione corporis delicti. *Sac. Cong. Imm. in Prænestina* 19. *Januar.* 1669. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 306.

Aliquando conceditur facultas Archiepiscopo con- 5
signandi arma Extractorum Curiæ Sæculari pro Recognitione corporis delicti cum præservatione ab Irregularitate, facta protestatione ad formam *cap. Prælatis, de homicid. in* 6. *Sac. Cong. Imm. in Beneventana* 15. *Augusti* 1668. *l.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 252.

Ministri excommunicantur, si propria auctorita- 6
te faciant extrahere ab Ecclesia Cadaver pro facienda Recognitione. *Sacra Congregat. Immun. in Portuen.* 21. *Novemb.* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 87.

Non absolvuntur, nisi petita venia, atque de- 7
leta Recognitione corporis delicti. *Sac. Cong. Immun. in Hydruntina* 29. *Dec.* 1625. *Ex Regesto Script. veterum pag.* 80. *in Eugubina* 22. *Januarii* 1673. *lib.* 1. *Decr. Altoviti pag.* 763.

Constat, Recognitionem corporis delicti factam 8
fuisse in loco immuni, quando cadaver ab eo fuit extractum de Mandato Judicis Laici. *Sacra Cong. Imm. in Oritana* 30. *Sept.* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 618.

Et præfatus Judex incurrit Excommunicationem, 9
& acta gesta per d. Judicem concernentia Recognitionem corporis delicti nulla sunt, quamvis non præcesserit declaratoria Excommunicationis incursæ. *Sac. Cong. Immun. ibid.*

Judex Eccles. non potest de se tribuere licen- 10
tiam Gubernatori, seu Curiæ sæculari faciendi hujusmodi Receptionem.

Ministri Curiæ Laicæ, quamvis requisiti ab Ab- 11
bate ad faciendas Recognitiones judiciales in Monasterio contra Collegiales Collegii Borromæi, excommunicantur. *Sacra Congregat. Immun. in Papien.* 15. *Novembr.* 1689. *lib. Decretor. Mart. pag.* 530.

Curia Sæcularis non potest absque facultate 12
Apostolica facere hujusmodi Recognitionem in persona exempta, ut in Colono partiario Mensæ Episcopalis vulnerato. *Sacr. Cong. Immun. in Fanen.* 12. *Jul.* 1689. *d. lib. p.* 491.

Qui in Sacerdote occiso id egerint, incidunt in 13
Censuras. *Sac. Cong. Immun. in Feretrana* 3. *Julii* 1674. *lib. Decr. Altoviti pag.* 962.

Recognitionem personalem Regularis offensi de- 14
gentis in Monasterio non est admittendum fieri per Curiam Sæcularem, quæ tamen poterit ab eadem Curia fieri, mediante persona Medici, Chirurgi, & Testium. *Sac. Congr. Immun. in una Burgi S. Sepulcri* 13. *Novembr.* 1629. *lib.* 1. *Decret. Pauluc. p.* 12.

Recognitio cadaveris facta a Curia Laica, peti- 15
ta, sed non expectata licentia Ordinarii, in Do-

mo

mo Sæculari, ad quam per confratres sodalitii delatum fuerat cadaver in solamen Parentum, non lædit Immunitatem. *Sacra Congregat. Immun. in Sutrina* 13. *Novembris* 1691. *lib. Decret. Martelli p.* 38.

16 Secus dicendum de Recognitione eadem facta a Curia Laica, dum defertur a Parocho ad sepulturam. *Sac. Congreg. Immun. in Nullius S. Ruffi d. die ibidem*.

17 Pro simplici Recognitione corporis cadaveris Tertiariæ extra locum immunem non incurritur Excommunicatio. *Sacra Congregat. Immun. in Maceraten.* 1. *Maii* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altov. p.* 1387.

18 Non obstat de læsione Immunitatis, quando Curia Laica processit ad Recognitionem Corporis Delicti, habita solum, ut dicitur, Denuncia Baroncelli contra Laicum ob attentatum furtum in Domo Laici, quamvis ante d. Recognitionem, & in actu illius fuerit datus pro suspecto ejusdem furti quidam Sacerdos. *Sacr. Congregat. Immun. in una S. Severin.* 11. *Decemb.* 1703. *l.* 3. *Decr. Valleman. p.* 541.

19 Ex Recognitione corporis Cadaveris Parochi sepulti in Ecclesia Parochiali Commendæ Religionis Hierosolymitanæ, a qua Parochi d. Ecclesiæ nominantur, facta auctoritate, & cum interventu Equitis dict. Religionis, non constat de Læsione Immunitatis. *Sacra Congr. Immun. in Papien.* 24. *Maii* 1701. *ibi pag.* 354.

20 Valida est recognitio corporis delicti, facta in Domo, & in Cadavere personæ exemptæ a Curia Laica, quæ primo impedivit transferri Cadaver ad locum immunem, sed habito præcepto a Ministro Ecclesiastico de non impediendo, amplius non obstitit, & tunc Censuras non incurrit. *Sac. Cong. Immun. in Terracinen.* 20. *Jun.* 1690. *lib. Decret. Martelli pag.* 625.

21 Aliquando cum facultate Apostolica Episcopus potest communicare, vel etiam consignare corpus delicti, & etiam acta facta pro Recognitione ejusdem. *Sacra Congreg. Immun. in Fulginaten.* 16. *Jul.* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 104. *in Nepesina* 30. *Octob.* 1694. *ibi pag.* 154. *in Clusina* 2. *Aug.* 1695. *ibi pag.* 106. *& in Immolen.* 30. *Novemb. dict. An. & lib. p.* 231. *& alibi*.

RECURSUS.

---

1 PRo incurrendis Censuris sufficit recursus ad Judicem Laicum contra Jurisdictionem Ecclesiastic. *Sac. Cong. Immun. in Clusina* 5. *Jul.* 1639. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 94.

2 Ob recursum ad hanc Sacram Congregationem Archiepiscopus abstineat a molestiis. *Sac. Cong. Immun. in Regien.* 14. *Decembr.* 1660. *lib. Decret. Rocci pag.* 305.

3 Ob Recursum habitum pro bono pacis ad Magistratum sæcularem Ecclesiastici non incidunt in Censuras. *Sacra Congreg. Immun. in Assisien.* 12. *Septemb.* 1673. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 839.

Ob Recursum ad Judices Laicos pro impediendo, ne Curia Ecclesiastica posset vocare Laicos ad comparendum personaliter pro examine, Ordinarius procedat. *Sacra Congregat. Immun. in Montis Cassini* 20. *Novemb.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 59. 4

Contra Superiorem Regularem qui habuit Recursum ad Judicem Laicum contra confugitum in suo Conventu, qui pluries percussit Fratrem Laicum; unde Judex Laicus misit Birruarios in Conventum, Archiepiscopus procedat, & quatenus Confugitus sit extractus, restituat Ecclesiæ sibi benevisæ. *Sacr. Congr. Immun. in Theanen.* 27. *Mart.* 1685. *lib.* 3. *Decr. Altov. pag.* 427. 5

Religiosi incidunt in Censuras, & sunt puniendi ob recursum ad Ministros Laicos ad effectum, ut Milites hospitarentur in bonis Abbatis Commendatarii. *Sacr. Congregat. Immun. in Mediolanen.* 7. *Octobris* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paulucci, pag.* 93. 6

Qui habuit recursum ad Forum Laicum contra Clericum, antequam absolvatur, debet renunciare Judicio intentato in Tribunali Laico. *Sacr. Cong. Immun. in Aversana* 10. *Januarii* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallemani pag.* 15. 7

Recurrens ad Judicem Laicum contra Clericos, & obtinens sequestrum super bona donata eisdem Clericis, consulat conscientiæ suæ. *Sacra Congregat. Immun. in Nullius Altamuræ* 1. *Septemb.* 1639. *ibi pag.* 72. 8

Sacerdos, qui auxilio brachii sæcularis capit possessionem Beneficii, incurrit Excommunicationem. *Sacra Congreg. Immun. in Alatrina* 29. *Aprilis* 1704. *lib. Decret. Vallem. pag.* 576. 9

Recurrentes ad Ministros Regios contra Auctoritatem, seu Iurisdictionem Ecclesiast. Censuras incurrunt. *Sacra Congreg. Immun. in S. Severi* 8. *Iulii* 1687. *lib. Decret. Mart. pag.* 131. *&* 16. *Novembris* 1688. *ibi pag.* 380. *in Boven.* 18. *Martii* 1698. *lib. Decret. Vallem. pag.* 142. 10

Committitur Ordinario, ut procedat contra Ecclesiasticum ad Censuras, & alias pœnas, juxta Sac. Can. ob recursus habitos ad Judices Laicos. *Sacra Congregat. Immun. in Papien.* 24. *Julii* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 101. *in Neapolitana* 9. *Maii* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 44. 11

Item Vicarius Generalis procedat prout de Jure contra Sacerdotem ex causa recursus habiti ad Judicem Laicum contra Clericum. *Sac. Congregat. Immun. in Hydruntina* 30. *Septemb.* 1704. *l.* 3. *Decret. Vallemani pag.* 618. 12

Constito de renunciatione, & revocatione recursus ad Potestatem Laicam, & obligatione de se abstinendo a similibus, datur facultas absolvendi censuratum ob ipsos recursus. *Sacra Congregat. Immun. in Theatina* 27. *Junii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 228. *in Venusina* 2. *Septemb. d. A. & lib. pag.* 247. *in Cosentina, seu S. Joannis in Flore* 9. *Augusti* 1701. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 371. 13

Et si oriatur controversia super refectione damnorum, absolvitur cum reincidentia post duos menses: *Sacr. Congreg. Immun. in Aquilana* 15. *Novembr.* 1704. *lib.* 3. *Decr. Vallem. pag.* 627. 14

15 Suspensis Censuris, & facta per Baronem N.
renunciatione recursibus ad Judicem Laicum, Ju-
dex Ecclesiasticus competens procedat super ne-
gotio principali, *Sacra Congregat. Immun. in Insu-
lana 25. Februarii 1689. lib. 2. Decret. Vallemani
pag.* 138.

16 Prævia renunciatione recursibus, & dimissa pos-
sessione Domus, ac præstita refectione damno-
rum, Episcopus procedat in causa, cui datur fa-
cultas absolvendi. *Sac. Congreg. Immun. in Ostu-
nen. 22. April. d. Anni, & lib. p.*149. *& 19. Aug.
dict. Anni, & lib. pag.* 170.

17 Attenta renunciatione recursibus, absolvuntur
etiam in forma privata censurati, qui executi fue-
runt Bullas Ecclesiasticorum. *Sacra Cengregat.
Immun. in Policastren. 12. Januar.* 1700. *lib. 2. De-
cret. Vallemani pag. 266.*

18 Regulares habentes recursum, seu recurrentes
ad personas extra Ordinem pro obtinendis Di-
gnitatibus, Officiis, gratiis, seu pœnarum remis-
sionibus, incurrunt privationem vocis activæ, &
passivæ, & perpetuam inhabilitatem ad omnes
Dignitates, Gradus, Honores, Officia, & Munia
sui Ordinis. Et easdem pœnas incurrunt etiam
Superiores aliquas gratias suis subditis conceden-
tes, seu pœnas aliquas remittentes ad instantiam,
& requisitionem quarumcumque Personarum, tam
Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra Ordinem
existentium. Immo Regulares neque ad hunc ef-
fectum recipere possunt favores Sæcularium etiam
sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos. Sic
sæpe sæpius statuerunt plures Summi Pontifices
19 pro diversis Ordinibus. Et signanter Gregorius
XIII. *die* 17. *Aprilis* 1574. Constitut. 66. incip.
Nihil in unaquaque pro Cassinensibus, quam con-
firmavit Urbanus VIII. *die* 11. *Maii* 1638. Con-
stitut. 248. incip. *Alias*. Idem Gregorius XIII. *die*
20 1. *Junii* 1580. Constit. 62. incip. *Cum nihil magis*
pro Dominicanis, quam confirmavit Clemens VIII.
die 23. *Maii* 1592. Constit. 7. incip. *Religiosos Vi-
ros*, & Paulus V. *die* 7. *Januarii* 1608. Const. 39.
21 incip. *Admonemur*. Clemens VIII. *die* 8. *Junii* 1692.
Constitut. incip. *Religiosorum* pro Congregatione
Cisterciensi S. Mariæ de Alcobatia in Regnis Por-
22 tugalliæ. Idem Clemens VIII. *die* 14. *April.* 1593.
Constit. 21. incip. *Quæ ad prosperam* pro Congre-
gatione Eremitarum S. Hieronymi de Observan-
23 tia. Idem Clemens VIII. *die* 21. *Maii* 1593. Con-
stitut. 23. incip. *Quoniam* pro Carmelitanis. Idem
24 Clemens VIII. *die* 3. *Septembris* 1596. Constit. 43.
25 incip. *Ambitiosam* pro Camaldulensibus. Idem Cle-
mens VIII. *die* 23. *Decembris* 1600. Constitut. in-
cipient. *Ambitiosam* pro Congregatione B. Petri
26 de Pisis. Idem Clemens VIII. *die* 23. *Julii* 1604.
Constitut. 109. incip. *Quoniam* pro Cruciferis.
27 Idem Clemens VIII. *die* 1. *Decemb.* 1604. Consti-
tut. 114. incip. *Quoniam* pro Augustinianis, quam
Constitutionem confirmavit Paulus V. *die* 4. *Julii*
1608. Constitut. 31. incip. *Admonemur*, & Alexan-
28 der VII. *die* 1. *Julii* 1661. Constitut. 113. incip.
Admonet. Paulus V. *die* 22. *Septemb.* 1607. Con-
29 stitut. 35. incip. *Quoniam* pro Congregatione S. Sal-
vatoris. Idem Paulus V. *die* 30. *Martii* 1613. Con-
30 stitut. 79. incip. *Alias per Nos* pro Cisterciensibus
Italiæ. Idem Paulus V. *die* 27. *Augusti* 1616. Con-
stitut. 98. incip. *Quoniam* pro Cœlestinis, quam
confirmavit Alexander VII. *die* 5. *Julii* 1655. Con-
stit. 3. incip. *Alias*. Idem Paulus V. *die* 18. *April.* 31
1619. Constit. 114. incip. *Admonemur* pro Mino-
ribus de Observantia, quam Constitutionem con-
firmavit Urbanus VIII. *die* 29. *Julii* 1639. Consti-
tut. 271. incip. *Admonemur*, & novissime Bene-
dictus XIII. *die* 16. *Novembris* 1724. Constitut. 6.
incip. *Universalis Ecclesiæ Regimini*. Idem Paulus 32
V. *die* 4. *Septembris* 1619. Constitut. 116. incip.
Admonemur pro Minoribus Conventualibus. Idem 33
Paulus V. *die* 6. *Septembris* 1619. Constitut. 117.
incip. *Admonemur* pro Minimis. Urbanus VIII. *die* 34
15. *Februarii* 1639. Constitut. 258. incip. *Quoniam*
pro Congregatione Fesulana S. Hieronymi. Ale- 35
xander VII. *die* 27. *Junii* 1656. Constitut. 12. incip.
Sacrosancti pro Congregatione Montis Virginis de
Ordine S. Benedicti. Clemens X. *die* 27. *Februarii* 36
1671. Constitut. 31. incip. *Exponi Nobis fecit* pro
Congregatione Montis Oliveti Monachorum Or-
dinis S. Benedicti, in qua confirmat alias consti-
tutiones Pii IV. & Gregorii XIII. ad id emana-
tas. Idem Clemens X. *die* 2. *Octobris* 1671. Con- 37
stitut. 46. incip. *Ex injuncto* pro Capuccinis, ubi
id prohibetur etiam sub pœna excommunicationis
latæ sententiæ, & comprehenduntur omnes Reli-
giosi recurrentes ad quascumque Personas extra
dictum Ordinem existentes pro obtinendis Obe-
dientiis, seu permissionibus visitandi eorum Pa-
rentes, seu Propinquos, aut loca Sacra quæcum-
que, vel ut ad Dignitates, sive Officia quælibet
ejusdem Ordinis, aut ut ad studia promoveantur,
sive ut ab uno loco ad alium locum transire, vel
in aliquo particulari Conventu permanere eis li-
ceat, vel ut cum eis dispensetur, ut ante per-
actum septennale studium in Concionatores assu-
mi, aut ut ante completum in eodem Ordine se-
ptennium ad Sacrum Presbyteratus Ordinem pro-
moveri valeant, sive ad alia similia consequen-
da, tam pro se quam pro aliis ejusdem Ordinis
Fratribus. Vide D. Ursayam, *tom. 2. part. 1. di-
scept. 37. per tot. a num. 1. usque ad num.* 332. ubi
egregie plurima resolvit ad rem scitu dignissima.
Vide etiam infra *num.* 41.

Censuris aliisque Ecclesiasticis pœnis punire de- 38
bet Episcopus Clericos recursum habentes ad Ju-
dices Laicos. *Sacra Congreg. Concil. in Derthonen.
6. Julii 1726. ad 1. dub.* apud Thesaurum Reso-
lutionum Sacræ Congreg. Concil. *tom. 3. pag.* 344.

Recurrentes ad Sedem Apostolicam, eorumque 39
Procuratores offendi prohibentur sub pœna excom-
municationis in Bulla Cœnæ. Bened. XIV. to. 1.
Const. 14. incip. *Pastoralis Romani* §. 12. Recurren-
tes a Sententiis, vel Decretis Judicum Ecclesiasti- 40
corum ad Tribunalia laica, excommunicantur.
Idem *ibid.*

Ad dicta supra *post n.* 37. addenda est novissima 41
dispositio ejusdem Pontificis in Constit. incip. *Sa-
crosancti Apostolatus*, in qua sub dat. 11. Augu-
sti 1748. memoratis variis Summorum Pontificum
Constitutionibus variis pro Religiosis Ordinibus
ad id emanatis, & Decreto pro omnibus Regula-
ribus a particulari Congregatione a Sixto V. de-
pu-

putata anno 1587. edito, ac confirmato, nunc denuo confirmat, ac renovat pro Ordine Fratrum Minorum sub Obedientia Ministri Generalis totius Ordinis degentium, Pontificias Constitutiones, ac Sacrarum Congregationum resolutiones ipsis inhibentes recursus ad Sæculares, vel alias Personas extra dictum proprium Ordinem pro obtinenda intra præfatum Ordinem gratia, vel vitanda pœ-
42 na. Nec non præcipit Generalibus, vel Provincialibus, cæterisque Ordinis hujusmodi Superioribus cujusvis status, gradus & qualitatis nunc, & pro tempore itidem existentibus, ne ipsi ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum, tam Laicalium, quam Ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Gardinalatus honore, ac quacumque sæculari dignitate, & præeminentia Ducali, & Imperiali fulgentium; cuicumque ipsius Ordinis professori ullam gratiam, ullumque gradum, aut dignitates, vel Officia & administrationes concedere, vel pœnam aliquam remittere, & condonare audeant quovis modo respective, seu præsumant sub excommunicationis pœna eo ipso absque alia declaratione incurrenda.

43 *Præterea* (sunt præcisa verba dictæ Constitut.) *Præterea in casibus, in quibus Fratribus dicti Ordinis de jure, vel juxta illius Constitutiones appellare, aut recursus habere licet, id non aliter deinceps fieri posse, auctoritate, & tenore præsentis statuimus, & ordinamus, quam ut gradatim, a gravamine scilicet Guardiani ad Provincialem, a Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ (si de negotio & Causa agatur Familiam dicti Commissarii concernente, alias immediate ad Generalem) & ab isto ad Ministrum Generalem, itaut Causæ appellationis hujusmodi antequam ab eodem Ministro Generali cognitæ, & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri, & agitari nequeant. Quam quidem legem non solum in appellationibus, sed in quibuscumque recursibus, & querelis, aut causis inter dictos Ordinis hujusmodi professores quoquomodo agitandis inviolabiliter observari, sub pœnis per memoratas ejusdem Ordinis Constitutiones præscriptis, & in illis contentis ipso facto absque alia pariter*
44 *declaratione incurrendis. Demum omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, & quibusvis Venerabilium Fratrum S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apostolicæ Nunciis nunc, & pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recursus, aut appellationes super cujuscumque Causæ cognitione admittant, Causasque ipsas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas juxta præsens decretum per dictos Superiores præscripto ordine servato cognitas, & definitas fuisse, sub pœna nullitatis actorum inde secutorum, auctoritate, & tenore præsentis itidem harum serie interdicimus; Ac omnibus, & singulis Ordinis præfati professoribus sub pœnis in supradictis Gregorii Prædecessoris Litteris contentis, & contra inobedientes inflictis eo ipso irremissibiliter incurrendis, ne ipsi ad sæcularia Tribunalia, ea quæ a dicti Ordinis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint, sub quovis prætextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant quoque, seu præsumant, seu per interpositas personas præmissa peragere curent & faciant, dicta auctoritate prohibemus*. Vide tamen verb. *Appellatio art. 3. numer. 29.* *

REFERENDARII CURIÆ ROMANÆ.

Referendarii utriusque Signaturæ Papæ nobilitatis veræ Privilegio decorantur. Paul. III. Const. 23. incip. *Debita consideratione*. Sixtus V. Const. 41. incip. *Quemadmodum*. 1

Comites Palatini creantur. Paul. III. & Sixtus V. *in citatis Constitutionibus*. 2

Insigniis Pontificiis, vel Pontificalibus, si Abbates fuerint, in eorum Ecclesiis, uti possunt. Paulus III. & Sixtus V. *in citat. Constitutionibus*. 3

Beneficia ubique existentia obtinere, & retinere possunt. Paul. III. & Sixt. V. *in cit. Constitutionibus*. 4

Studii occasione absentes, fructus suorum Beneficiorum percipiunt. Paul. III. & Sixt. V. *in citat. Constitution.* 5

Horas Canonicas postpositis horis recitare valent. Paul. III. & Sixt. V. *in citat. Constitution.* 6

Illi, & duo eorum Familiares nihil solvunt pro expeditione Litterarum Apostolicarum. Paulus III. & Sixtus V. *in cit. Constitution.* 7

Testari possunt de bonis acquisitis ex Beneficiis. Paul. III. & Sixtus V. *in cit. Constit.* 8

Exempti sunt a Jurisdictione Ordinariorum ipsi, & eorum Familiares. Paul. III. & Sixt. V. *in cit. Constit.* 9

Referendarii Officium est perpetuum. Paul. III. & Sixtus V. *in cit. Constit.* 10

Antiani præcedunt aliis, etiamsi isti essent Episcopi. Paul. III. & Sixtus V. *in cit. Constitut.* 11

Referendarii quas materias proponere possint in Signaturis, & quas non? Quando manus apponere, & quando non? In Commissionibus quas causas possint Ordinariis committere, quomodo debeat abbreviare lites? &c. Statuit Pius IV. Const. 53. incip. *Cum nuper*. 12

Referendarii utriusque Signaturæ quales debeant esse? statuit Sixtus V. Constit. 41. incip. *Quemadmodum*. 13

Centum debent esse Signaturæ Justitiæ, & non plures; Et ex his septuaginta tantum Signaturæ Gratiæ. Sixtus V. in citat. Constit. incip. *Quemadmodum*. 14

Referendarii Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ in causarum expeditionibus ad quid non teneantur, & ad quid possint se extendere? omnia distincte statuit Paulus V. Const. 71. incip. *Universi*, *tit. de Signatura Gratiæ, & Justitiæ*. 15

Referendarius extra Ecclesiam præcedere debet Canonicis, & Dignitatibus, non tamen intra eam. *Sacr. Congregat. Rit. in Veronen. 6. Junii, & 4. Julii 1626.* 16

Referendarii cedunt præcedentiam Auditori Confidentiarum. *Sac. Congreg. Rit. 6. Decemb. 1621.* 17

REFRACTARII.

Refractarii Bullæ *Unigenitus*, an, & quando sint a Sacra Eucharistia, & Viatico repellendi? Vide *tom.* 8. verb. *Viaticum*, ubi ad litteram affertur novissima Constitutio Bened. XIV. id declarans cum pluribus aliis ad rem facientibus.

REGALIA, EJUSQUE JUS.

1 Regalia jus est, & facultas Regibus concessa, fructus, & proventus vacantis Episcopatus (cujus electio ad Regem pertineat) percipiendi, & beneficia, ac præbendas curæ animarum expertes, interim conferendi.

2 Unam ex præcipuis causis, quæ S. Thomæ Cantuariensi exilium, mortemque attulit, Regaliam fuisse certum est, Henrico II. Angliæ rege fructus vacantium Ecclesiarum usurpante, novasque electiones, quo diutius frui posset, in longum trahente: quem abusum, cum S. Thomas non ferret, gratia, loco, & vita excidit.

3 In Galliis nonnisi sub undecimi sæculi finem Regalia irrepsit; sed abusus in dies crevere, nec Concilium Lugdunense Oecumenicum anni 1274. satis illos coercuit *can.* 12., immo eo tandem deventum, ut (quod frustra aliquoties a Regiis Ministris tentatum fuerat, adversante semper, & vincente Clero) jus Regaliæ ad omnes Gallici Imperii Provincias, a Ludovico XIV. tribus edictis a. 1673. & 1675. extenderetur.

4 Innocentius XI. nihil eorum, quæ Pontificiam Majestatem, studiumque vindicandorum Canonum decerent, omisit, ut tanto malo occurreret. Episcopi tamen metu adacti (si duos excipias, Alectensem, & Apamiensem, qui sancto Pontifici adhæserant, ut ei insidias struerent, & Jansenianæ Sectæ, cui addicti quammaxime erant, illum, fieri si posset, conciliarent) Episcopi, inquam, metu adacti, licet faterentur, *Regaliam ex tolerantia Ecclesiæ, non jure aliquo Regio provenire; esse servitutem canonicæ, & naturali Ecclesiarum libertati oppositam, & ideo a Concilio Lugdunensi ad loca, ubi hactenus inoleverat restricta, nec extendi a Regiis posse, sed solo Ecclesiæ consensu*, sibi cedendum existimarunt, repugnante Pontifice.

5 Præter Maimburgum, qui nonnulla de Regalia sparsim in postremis, quos edidit, libris attigit, Natalis Alexander Dissertationem octavam ad Sæculum XIII., & XIV. Regaliæ defendendæ destinavit. Utrumque Eminent. Cælestinus Sfondrati in *Gallia vindicata* confutavit. Nec tamen omittendæ P. Roncagliæ in eam Natalis Dissertationem Animadversiones.

REGIMEN.

Triplex est regendi forma, scilicet Monastica, Oeconomica, & Politica. Prima circa privatæ personæ mores instituendos; Secunda circa regendam familiam; Tertia circa Rempublicam gubernandam occupatur. *Communis*. 1

Monastica igitur est, qua quilibet se, suosque personales mores ad regulam rectæ rationis componit: Monastica enim edocet qualiter quævis privata persona suos personales actus recte, ac juste moderetur, rebellem portionem inferiorem superiori subjiciendo, omnesque suas actiones ad rectum rationis dictamen componendo, & hujusmodi. Oeconomica est, qua caput, & rector domus & familiæ, suos liberos, ac subditos recte gubernat: Oeconomia enim instruit quomodo in familia sit honeste, ac probe vivendum; ad quod teneantur genitores, liberi, superiores, subditi, servi, & hujusmodi. Politica est, qua populus, seu Respublica gubernatur; Politica enim demonstrat quomodo regenda sit Civitas, & Provincia, quæ spectent ad Principem, quæ ad subditos, quæ sint Leges condendæ, quæ artes, & professiones sint excolendæ, quæ præmia probis, quæ improbis supplicia debeantur pro bona, ac pacifica Reipublicæ conservatione. *Sic in re communissima*. 2 3 4

Politica forma regendi Rempublicam est triplex, scilicet Monarchica, Aristocratica, & Democratica. In Politica enim aut unus tantum regit ceteros, & hoc regimen dicitur *Monarchia*, cujus contrarium vitium est Tyrannis; Aut pauci, iique optimates, ac divites, & est *Aristocratia*, cui opponitur *Oligarchia*, hoc est factio paucorum; Aut denique omnes nobiles, & plebeii, seu saltem plures nobiles, & plebei ex populi electione promiscue imperant, & est *Democratia*, hoc est populi totius imperium, cui adversatur Ochlocratia, quæ Populi confusionem significat. *Communis*. 5

Regimen ergo Monarchicum, seu forma regendi Monarchica, est, cum tota regendi potestas residet apud unum; Monarchia enim est illa, in qua summum imperium sine superioris, aut æqualis populi, vel alterius Principis consortio exercetur, ut in Gallia &c. Regimen Aristocraticum, seu forma regendi Aristocratica est, cum pauci, & ipsi optimates, ac divites regunt; Aristocratia enim illa dicitur, in qua nobilior pars Reipublicæ supremam potestatem in illa habens imperium absolutum exercet in ceteros, ut apud Venetos, Januenses &c. Regimen Democraticum, seu forma regendi Democratica est, cum totus populus regimen habet, aut saltem aliqui tum ex nobilibus, tum ex plebeis ex populi electione, seu est illa, in qua tota jurisdictio formaliter, & subjective residet in tota Communitate; ministerialiter vero, & quo ad executionem ex arbitrio ipsius Communitatis particularibus Ministris convenit 6

venit ministerium, & potestatis executio, ut quondam Athenis, & nunc in Batavia. *Sic in re Communis*.

9 Quænam vero ex supradictis regendi formis melior, ac utilior sit? magna est controversia. Plures enim, præsertim Hæretici, inter quos signanter Calvinus *lib.* 4. *Institut. cap.* 6. §. 9. *& cap.* 20. §. 8. ad impugnandam Ecclesiasticam Monarchiam, volunt ex tribus dictis formis meliorem, ac perfectiorem esse Aristocraticum, & omnium deteriorem esse formam regendi Monarchicam, præsertim in toto Orbe terrarum, aut in universa Ecclesia constitutam. Nos vero absolute concludimus, quod ex dictis tribus formis nobilior, perfectior, & præstantior sit forma regendi Monarchica. Sic teste eruditissimo Bellarmino, *tom.* 1. *de Romano Pontifice*, *cap.* 2. (1) veteres omnes Scriptores Hebræi, Græci, Latini, Theologi, Philosophi, Oratores, Historici, ac Poetæ, quos ibi ad longum adducit, & nos brevitatis gratia apud ipsum videndos relinquimus, breviterque rationes pro nostra sententia adducimus.

10 Probatur igitur nostra conclusio, quia Regimen Monarchicum perfectissimum Dei Regimen imitatur; sicut enim omnia solius Dei Regimini, & imperio subjacent, sic in Monarchia omnes subditi Principis Monarchici Legibus obtemperant. Tum quia hanc Monarchicam Regiminis formam Deus ipse constituit in populo Judaico, apud quem uti Monarchici Principes imperarunt primo Patriarchæ, ut Abraham, Jacob, Judas, & ceteri alii; Deinde Duces, ut Moyses, Josue, & alii. Tum Judices, ut Samuel, Sampson & alii. Postea Reges, ut Saul, David, Salomon; Postremo iterum Duces, ut Zorobabel, & Machabæi. Abraham enim *Genes.* 14. sine alicujus Senatus, aut Magistratus dependentia bellum gessit adversus quatuor Reges. Judas *Genes.* 38. de se solo nurum suam, quæ stupri fuerat accusata, igni adjudicavit. Moyses *Exodi* 32. ut verus & summus Princeps populi Hebraici una die occidi jussit illa tot millia Hebræorum, qui erexerunt vitulum aureum; Sicque dici potest idem omnino de Judicibus, qui de se sine ulla ab aliis dependentia, & bella gerebant, & reos morti adjudicabant, uti patet *Judic.* 8. de Gedeon, qui post victoriam de Madianitis occidit septuaginta viros Urbis Socoth, & turrim Phanuel subvertit. Tum etiam quia Monarcha respicit bonum Regni, tamquam suum proprium, sicque omnes suas vires, & curas impendit ad illud defendendum, ac recte justeque regendum; In Regimine autem Aristocratico, & Democratico, ubi multi regunt, nascitur ambitiosa contentio inter ipsos, ita ut alii alios impediant, aut saltem alii alios respicientes, in collegas suos onus Regiminis rejiciant, sicque nemo bono communi serio intendat, ac quisque quærat quæ sua sunt, non quæ Reipublicæ, ut non pauca exempla demonstrant, adeoque stat vera nostra conclusio, quod forma regendi Monarchica perfectior, ac præstantior sit forma regendi Aristocratica, & Democratica.

Nec valet objicere, quod Israelitæ *lib.* 1. *Reg. c.* 8. petentes sibi dari Regem, *Constitue nobis Regem*...... *da nobis Regem*, fuerint a Samuele Propheta ex parte Dei acriter reprehensi, adeoque Regimen Monarchicum debeat potius censeri damnandum, quam aliis præferendum. Non valet, inquam, quia non fuerunt reprehensi Israelitæ Regem petentes, quasi Regis Regimen esset culpandum, cum ipsemet Deus Regis Regum nomen sibi vindicet; Sed idcirco reprehensi fuerunt, quia ablegato Dei Regimine per Duces, & Judices, nullo modo a populo sibi subjecto, sed a solo nutu Regis Dei pendentes exercito petebant dari sibi Regem, qualem universæ habent nationes, *ibi num.* 5. *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes*, idest qui populum regat, non ex nutu Dei, sed pro suo beneplacito, & peregrinis aliis institutis, quæ auctore Diabolo barbaræ, & idololatræ habent nationes, atque usurpant; ut clare colligitur ex ipsamet Domini ad Samuelem responsione: *Dixit autem Dominus ad Samuelem; audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Hinc jubet Deus Samueli ut narret cæco populo quale jus usurpaturus sit Rex, (*a*) quem similem Regibus aliarum nationum petebant, *Prædic eis jus Regis &c.* Quod jus in tali loco non est intelligendum de vero, ac justo, sed de usurpatitio, & injusto, ut optime docet Sanctus Thomas *lib.* 3. *de Regimine Principum cap.* 11. (*b*) *&* 1. 2. *q.* 105. *vers.* 1. *&* 2. & teste Tirino in *cit. cap.* 8. Sanctus Gregorius, Cajetanus, Abulensis, & Vatablus, ac alii passim; Jus enim verum, & justum Regum regulandum est juxta leges ab eis observandas præscriptas *Deuteronomii cap.* 17. 11

Forma regendi politica per aliquos quintuplex distinguitur, adjectis videlicet Dispotica, & Mixta. Regimen dispoticum seu forma regendi dispotica est, cum tota regendi potestas nedum apud unum residet, sed insuper ita dominatrix est, ut inter Imperantem & Subditos se habeat velut Dominus ad mancipia, & plane arbitra de substantiis, ac vita subditorum, ceu penes Turcarum Imperatorem. Regimen mixtum seu forma regendi mixta est, cum plures Potentiæ non subordinatæ necesse conveniunt ad efformandas, vel mutandas leges, ut in Germania; seu potius est, cum regendi potestas participare quasi videtur de Monarchico, Aristocratico, & Democratico, ut in Anglia, ubi adest Rex, & duplex Senatus, seu Consilium, superius unum, inferius aliud. Num vero 13

(1) Et Zaccaria T. 1. *Antifebr.* Italici *diss.* 1. *cap.* 3.

(*a*) Seu potius ad Regem pertineret. Vid. Bossuet *admonit.* v. *ad Protest. n.* 38. ubi verum jus Regis hic describi evidenter ostendit.

(*b*) Animadvertend. cum doctiss. Echardo, *Biblioth. Script. Ordin. Præd.* tertium & quartum librum de Regimine Principum, fœtum non esse Sancti Thomæ, Ita ille; *Tom.* 1. *pag.* 336.

vero hæc ad præfata sint satius reducenda, vel specie secernenda, non est multi momenti hic ad trutinam ponere.

14 Regimen Ecclesiæ Catholicæ est Monarchicum sine permixtione Aristocratiæ, & Democratiæ. Ita Octavius Tudertinus Episcopus Assisiensis *Introduc. ad Lectur. Offic. disp.* 2. *art.* 1. Boyvin *Theolog. Scoti tom.* 4. *disp.* 2. *de Summo Pontifice qu.* 2. *&* 3. Matthæuc. in *Opere Dogmatic. Controvers.* 4. *cap.* 3. cum plurimis aliis. Sicque sentire videtur Pius II. Constitut. incip. *In minoribus* §. 10. ubi sic habet: *Inter cetera gubernationum genera communis Philosophorum sententia est præstare Monarchiam.* Et infra: *Liquet igitur unum in Ecclesia caput esse, & unum Principem, quia pax populi ex uno Rectore dependet, & pluralitas Principum discordiam parit; Christus Ecclesiæ suæ in ultimo Testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit. Dedit ergo & Regimen pacis amicum,* idest Monarchicum, *sub B. Petro, & successoribus ejus, administrari cuncta præcipiens clavibus illi commissis, & cura Gregis demandata.* Si igitur inter cetera gubernationum genera ex Pontificio testimonio, & ut nos supra ostendimus, communiter tenetur optimum, perfectissimum & præstantissimum esse Regimen Monarchicum, nemo ificiari potest, Ecclesiæ Regimen debere esse Monarchicum; Cum pro certo tenendum sit, quod Christus Ecclesiæ suæ sponsæ, pro qua mortuus est, melius, perfectius, & præstantius inter tria gubernationum genera, reliquerit, ac tradiderit. Hinc in Sacra Scriptura Ecclesia nuncupatur variis nominibus, quæ Monarchiam redolent, *Cant.* 6. vocatur Exercitus ordinatus; *Matthæi* 13. Regnum, *Joan.* 10. Ovile, 1. *ad Corinth.* 12. Corpus, 1. *ad Timoth.* 3. Domus, 1. *Petri* 3. Navis. Unde sicut Exercitus bene ordinatus ab uno duce regitur, Regnum ab uno Rege, Ovile ab uno Pastore, Corpus ab uno Patre-familias, Navis ab uno Gubernatore: Ita Ecclesia ab uno solo supremo Moderatore regi, & gubernari debet; alias si plures supremi Rectores essent, confusio, & divisio oriretur, juxta illud Divi Augustini *serm.* 15. *de verbis Domini*, ibi: *Da unum, & populus est, tolle unum, & turba est, quid est enim turba, nisi multitudo turbata?*

15 Confirmatur ex Doctoribus Parisiensibus, quorum aliqui licet supremam Ecclesiæ auctoritatem constituant in Concilio, alii tamen ipsam in Summo Pontifice recognoscunt, ut Cardinalis Alliacensis, *qui tractat. de origine Ecclesiasticæ Potestat. conclus.* 2. sic expresse fatetur; *ideo Dominus prævidens schisma, & dissensionem, contulit Petro, & successoribus suis auctoritatem disponendi Ministros Ecclesiæ, & determinandi eorum jurisdictionem dicens, Pasce oves meas, sis Rector, & Prælatus Generalis, ad quem pertineat Regimen Regale ovium, & ovilis.* Gerson Cancellarius Parisiensis *lib. de infallibilit. Papæ considerat.* 8. sic expresse dicit: *Nullam politiam in Ecclesia instituit Christus, præter Monarchicam, & quodammodo Regalem: & oppositum sentientes, quod videlicet fas est dicere plures Papas, aut quilibet Episcopus in sua Diœcesi est Papa, vel Pastor Supremus æqualis Papæ Romano, errat in Fide, & unitate Ecclesiæ contra articulum hunc;* Et Unam Sanctam Ecclesiam; *Et si pertinaces maneant, judicandi sunt Hæretici, sicut Marsilius de Padua, & quidam alii.* Almainus *de Suprema potest. Ecclesiast. c.* 1. sic expresse habet: *Christus fuit Sapientissimus, quia plenus sapientia, & quod instituerit optimam politiam; & quod optima politia debet regi Regimine Regali, ut dicit Aristoteles in polit. itaut unus sit qui in quemque habeat potestatem, & nemo in eum,* ergo dicendum est, quod Christus instituit in Ecclesia formam regendi Monarchicam sine permixtione Aristocratiæ, & Democratiæ, & non temperatam ipsa Aristocratia, ut est in Regno Poloniæ, ubi Rex non habet plenam, & absolutam potestatem circa omnia, sed necesse est ut accedat Optimatum auctoritas; Nec temperatam ipsa Democratia, ut est in Regno Angliæ, ubi Rex de se solo nihil disponere potest nisi dependenter a Parlamentis nobilium, & plebejorum, vulgo nuncupatis *Parlamento alto, e Parlamento basso.*

Dices: Romanus Pontifex pro definiendis rebus Fidei, morum, & disciplinæ, aliisque gravibus dubiis congregat Concilia, tum Generalia, tum Provincialia Episcoporum, (1) ut patet ex innumeris sic congregatis Conciliis: ergo Romanus Pontifex non habet supremam & absolutam independentem auctoritatem, sed solam dependentem ab Episcoporum judicio, & auctoritate, adeoque ejus Ecclesiæ Regimen non est pure Monarchicum, sed Aristocratia temperatum. 16

Respondetur, quod licet a Romanis Pontificibus plura fuerint convocata Concilia tum Generalia, tum Provincialia, id solum fuit de solemnitate, & congruentia, ut nempe definitiones Pontificiæ solemniores essent, facilius executioni mandarentur, & convocatis ex omni, seu majori natione Patribus, & inspectis cujusque nationis consuetudinibus & indigentiis, facilius, & convenientius Leges communes, & municipales cujusque Provinciæ commodius disponi, & approbari possent. Non autem id factum est de necessitate, quasi Papa sine Concilio non possit de sola sua Suprema Monarchica auctoritate infallibiliter definire. An quia Rex verb. grat. Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Sardiniæ, & hujusmodi, ad condendas commode, & provide Leges, suos Magistratus, jurisque peritos in Comitiis Regni convocat, suprema & absoluta auctoritas ferendi Leges, non in solo Rege, sed etiam in subordinatis Magistratibus, ac Ministris reperitur? Nemo sanæ mentis quantumvis minimæ cognitionis, id diceret. Si ergo nemo auderet hanc negari Regi Monarchicam auctoritatem in suo Regno temporali, quis audebit hanc Monarchicam jurisdictionem negare Romano Pontifici Supremo totius Ecclesiæ Principi in S. Petro ab ipso Christo Domino instituto? *Matthæi* 16. ibi: *Tu es Petrus, & super hanc* 17

(1) Confer eumdem Zaccariam T. I. *Antifebr.* Latini *diss. II. cap.* 4.

hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis; Et Joann. ultimo, ibi: *Pasce oves meas*. Vid. tamen sub finem Tomi animadversionem Rom. Theol.

18 Tum quia innumera a Romanis Pontificibus sine Conciliis, & absque ullo interventu Episcoporum fuerunt definita, præcepta, & ordinata, quæ a tota Ecclesia, prout ab eis fuerunt statuta, & recepta, & observata sunt, ac in dies recipiuntur, & observantur. In tribus enim primis sæculis nullum habitum fuit Concilium, & tamen Romani Pontifices sola sua Suprema Monarchica auctoritate plures Hæresiarchas condemnarunt. Sic Cerdon damnatus fuit ab Higinio, Marcion ab Eleuthero, Theodorus Coriarius a Victore, Pelagiani, Valentiniani, Novatiani, & multi alii ab aliis Summis Pontificibus; & horum omnium hæreses tamquam sufficienter damnatas illico tenuit universalis Ecclesia.

19 Item sine Concilio Joan. XXII. Constitut. incip. *Vas Electionis*, plures damnavit propositiones, quæ in ipsa referuntur. Benedictus XII. Constitution. incip. *Benedictus Deus*, definivit animas decedentes in gratia, & non egentes purgatione aliqua, vel ea peracta, si egeant, statim gaudere ante judicium universale Dei visione faciali, & intuitiva, & animas decedentes in peccato mortali statim ad pœnas infernales descendere. Martinus V. Constitut. incip. *Inter cuncta* damnavit 48. articulos Joannis Wicleff, & alios 30. Joannis Huss. Eugenius IV. Constitution. incip. *Lætentur*, & alia incip. *Exultate*, ac alia incip. *Cantate*, varios articulos ad Fidem Catholicam spectantes definivit, & explicavit. Sixtus IV. Constitut. incip. *Licet*, proscripsit varios errores Petri de Osma. Leo X. Constitut. incip. *Pastor* damnavit Pragmaticam Sanctionem adversus facultatem, potestatem, & dignitatem Romani Pontificis, & Constitut. incip. *Exurge* proscripsit 41. errores Lutheri, eumque cum suis sequacibus damnavit, & excommunicavit Constitut. incip. *Decet*. Paulus V. Constitut. incip. *Quorumdam*, declaravit Hæreticos negantes Trinitatem Personarum in Divinis in unitate Divinæ Essentiæ, aut Divinitatem Jesu Christi &c. S. Pius V. Constitut. incip. *Ex omnibus*, damnavit 79. propositiones Michaelis Baii. Sixtus V. Constitut. incip. *Cœli, & terra*, condemnavit Astrologiam Judiciariam. Clemens VIII. Constitut. incip. *Sanctissimus*, damnavit sententiam docentem licere confiteri per litteras Confessario absenti. Urbanus VIII. Constitut. incip. *In eminenti*; prohibuit librum, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis*. Innocentius X. Constitut. incip. *Cum occasione*, ut hæreticas proscripsit quinque propositiones Jansenii. Item per Decretum Congregationis Sancti Officii sub die 29. Januar. 1647. ut hæreticam damnavit propositionem asserentem Paulum non fuisse subjectum Petro, sed in primatu æqualem. Alexander VII. Constitut. incip. *Ad Sanctam*, definivit prædictas quinque Jansenii propositiones reperiri in libro Jansenii, & in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse. Item duobus aliis Decretis die sub 24. Septembr. 1665. & 18. Martii 1666. respective damnavit 45. propositiones ad materiam moralem spectantes. Innocent. XI. sub die 2. Martii 1679. proscripsit 65. propositiones circa eamdem materiam, & Constitut. incip. *Ad abolendam*, damnavit 68. propositiones Michaelis de Molinos. Alexander VIII. die 24. Augusti 1690. duas propositiones proscripsit, & alias 31. sub die 7. Decembris ejusdem anni. Innocent. XII. Constitut. incip. *Cum alias*, damnavit 23. propositiones Archiepiscopi Cameracensis. Clemens XI. Constitut. incip. *Vineam Domini*, declaravit, *Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus (Innocentii X. & Alexandri VII. editis adversus propositiones Iansenii) debetur, obsequioso silentio non satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenii libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ab omnibus Christifidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere.* Item Constitut. incip. *Unigenitus*, damnavit 101. propositiones excerptas in libro gallico idiomate impresso. Quorum omnium Pontificum Decreta, & Statuta licet extra Concilia, fuerunt statim a tota Ecclesia recepta, & fideliter observata, prout in dies prompte recipiuntur, & fideliter observantur.

Unde concludendum est, Romanum Pontificem habere totius Ecclesiæ Regimen pure Monarchicum, nec indigere aliqua Concilii convocatione pro definiendis rebus Fidei, morum, & disciplinæ, aliisque gravibus dubiis, prout expresse pro damnandis etiam Hæresibus necessitas Conciliorum excluditur a S. Augustino *lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 12.* ibi: *An vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla Hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit; cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit?* Et a S. meo Bernardino Senensi *in Mariali p. 3. Sermon. 3.* expresse dicente, quod magis est standum sententiæ Summi Pontificis, quam sententiæ totius mundi, ibi: *Cum Papa sit Christi Vicarius, & gerat vicem Dei in terris: ex quo sequitur quod habeat plenitudinem potestatis; & illud quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei; ideo ipso approbante aliquid, & nos debemus approbare; Immo ipsius sententiæ est magis standum, quam sententiæ totius mundi.* 20

Additiones ex aliena manu.

Monarchia, Aristocratia, & Democratia modi sunt simplices Regiminis. At omnes hi regiminis modi ultro citroque misceri possunt, & quidem tripliciter. Vel enim dividuntur majestatis jura, ut *v. g.* quædam Princeps exercet, quædam Senatus; vel eadem communicantur, quum Rex quædam sine Nobilitatis, vel Populi arbitrio exequi nequit, vel denique summum imperium certis conditionibus adstringitur. 21 22

Exhibet Sparta exemplum primi generis, ubi hoc modo omnes status contemperati fuerunt, potissimum quum Ephori fuerunt instituti. Adeoque auctor est *Justinus*, Lycurgum in fundanda 23

æquo

æquo jure Sparta sic distribuisse vim majestatis, ut Regibus auctoritas esset gerendi belli, Senatui tutela Regum, Magistratibus judicia, & demum electio Magistratuum Populo. Mixtum quoque ad hunc fere modum Germanici Imperii statum nonnulli tenent.

24 Apparet secunda species mixtionis in Regno Poloniæ, ubi sine arbitrio Nobilitatis jura condere, abrogare, aut mutare Regi permissum non est. Idemque fere censendum de cæteris Imperiis, ubi Ordines sunt, quos vulgo *Status* appellamus, præsertim si suo jure convenire valeant.

25 Tertia species constituit Regnum legitimum, non quia & alias Rex non promiscue legibus sit solutus, sed quia nequidem potestas ex usu, & ratione flectendi, mutandique Leges tunc soli Regi sit, sed pariter Ordinibus: Nam & hi fere, ut assertores Privilegiorum, Legumque, sub quibus Rex recipitur, constitui solent. Sic quibusdam in Rebuspublicis in hanc legem adigi novus Rex solet, ne sine consensu Populi bellum, aut fœdus faciat, neve militiæ muniis (nisi pro defensione Patriæ) invitos implicet.

26 Variis quoque sanctionibus hæ Leges solent muniri. Aliquando enim, (sed periculoso exemplo) subditis exuendi obsequium jus datur, si pactis legibusque non stetur; Usitatissimum est religione jurisjurandi eos adstringi, quos illos admoneat Poetæ versus.

Si genus humanum, & mortalia spernitis arma,
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

27 Porro generale juramentum, e Republica, & justitia gubernandi non efficit statum mixtum. Quæ enim, inquit Papinianus, dubitationis tollendæ causa contractibus inferuntur, jus commune non lædunt. Sed tunc demum quum certis capitulis modum finesque summæ potestatis præscribit arctiores, quam jure suo haberet. Hoc juramentum prior Princeps obire debet, antequam nempe Subditi obsequium jurent, quia, quum ad id sub conditione obligati sint, prius conditio impleri debet juramento Principis. At vero diversum est circa commune illud Principis jusjurandum. Ante enim Cives suo juramento obstringere obsequii fidem debent.

REGULARIS PRÆLATUS.

1 PRælati generatim dicuntur illi, qui aliis cum honore, & jurisdictione præferuntur, seu
2 præficiuntur. *Sic in re Communis.* Prælatura enim est gradus honorificus cum jurisdictione in
3 subditos. *Est etiam in re Communis.* Prælati inter Regulares, supremi sunt Generales, medii sunt Provinciales, & infimi sunt Superiores locales, videlicet Priores, Rectores, Guardiani, & hujusmodi, & Vicarii in capite, scilicet non habentes in suis Conventibus Superiorem; Isti enim omnes sunt vere Prælati, cum habeant in suos subditos jurisdictionem quasi Episcopalem ut tradunt communiter Doctores *in Clem. 1. de' rebus Eccles. non alienand. verb. Proprii*, & sumitur *ex c. Abbates 3. de privilegiis in 6.*

Tales Prælati, & Superiores Religiosorum, non 4
solum habent potestatem dominativam, qualem habent Patresfamilias in suos, sed etiam spiritualem jurisdictionem, cum utrumque sit necessarium ad rectam gubernationem, ac œconomiam spiritualem, & temporalem Religiosorum suæ Curæ commissorum, & in ipsis talis jurisdictio est ordinaria, & non delegata, cum ipsis competat virtute Legis, & non virtute commissionis saltem temporalis, ut tradunt communiter Doctores.

Pro eligendis Prælatis Regularibus est attenden- 5
da forma in unaquaque Religione præscripta, & consueta; Et talis forma electionis potest esse triplex, scilicet forma scrutinii, compromissi, & inspirationis. Vide verb. *Elect. art. 1. a num. 20. usque in finem.*

Quoad illos, qui possunt eligere, vel eligi in 6
Prælatos. Vide d. verb. *Electio n. 2. per tot.*

Quoad obligationem, quam habent Electores 7
eligendi digniores in Prælatos, & ipsi Prælati, si indigni sint, renuntiandi. Vide d. verb. *Electio art. 3. & 4.* ubi multa ad rem attente ibi legenda.

Prælati putativi gesta regulariter sunt valida, 8
si talis reputetur communi errore cum titulo colorato. *Communis*, per textum *in l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor. & cap. Infamis 1. caus. 3. quæst. 7.* cum similibus: Quamvis enim quis ratione alicujus positivi occulti impedimenti non sit legitimus Prælatus, seu Superior, adhuc omnia ejus gesta sunt valida, quia error communis cum titulo colorato, seu putativo dat jurisdictionem; Ecclesia enim ob bonum commune ad vitanda gravia incommoda, quæ alias sequerentur, dat ei auctoritatem, & valorem, & supplet in eo defectum veræ Jurisdictionis, tollitque omne impedimentum Juris humani, seu a Jure positivo proveniens; Et hæc conclusio habet locum etiam quoad 9
spiritualia, & pertinentia ad forum conscientiæ. Sic Hostiensis, Innocet. Card. & alii *in cap. Nihil, de electione*, Navarr. *in c. Placuit, de pœn. d. 6. num. 177.* Silvester verb. *Conf. 2. nu. 15.* Fagn. *lib. 5. Decret. in cap. Super eo 2. de crimine falsi*, & alii passim.

Ad validitatem eorum, quæ fiunt a Prælato pu- 10
tativo, requiritur, quod error communis sit facti, non autem juris; Nam *in d. l. Barbarius, ff. de Offic. Prætoris* ille servus credebatur liber, & sic factum servitutis ignorabatur; idem patet *in cap. Infamis vers. Veruntamen 3. qu. 7.* ibi: *Servus cum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit*, Fagn. *l. 5. Decretal. in c. Quod a Prædecessore 1. de Schismaticis, nu. 135.* Federic. de Senis *consil. 137. Viso, & examinato sub num. 2. vers. Hoc salvo*, & alii passim.

Gesta per Prælatum putativum valent, quandiu 11
toleratur. Secus si esset notorium eum esse suspensum; per textum *in c. Veritatis, de dolo, & contumac. cap. Ad probandum, de re judicat. & cap. Verum dist. 32.* cum similibus, Fagnan. *loc. cit. nu. 136.* & alii communiter.

12 Unde

12 Unde Prælato putativo est obediendum, quamdiu est in pacifica possessione, & toleratur; dummodo concurrat titulus putatæ legitimæ electionis, aut auctoritas Superioris; Et subditus ei non obediens graviter peccat. *Sic Communis Doctorum*, ut ex aliis testantur Fagnanus *l. 5. Decr. cit. cap. Super eo 2. de crimine falsi n.* 12. Matthæucci *Officialis Curiæ cap.* 38. *numer.* 31. Sanchez, Peyrin. & alii.

13 Prælati Regulares, sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, non possunt ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum extra Ordines suos existentium, etiam Cardinalium, Ducum, Regum, & Imperatoris, alicui Religioso suæ Religionis aliquod Officium, vel Dignitatem concedere, aut pœnas remittere. Sic expresse pro Minoribus de Observantia Urbanus VIII. Constit. incip. *Admonemur*. Benedictus tamen XIII. Constit. incip. *Universalis Ecclesiæ regimini* id prohibet in virtute S. Obedientiæ, & solum sub pœna privationis Officiorum arbitrio Romani Pontificis Superioribus Generalibus ejusdem Ordinis, Provincialibus vero, & reliquis dicti Ordinis Prælatis arbitrio ipsorum Superiorum Generalium. Item sub pœna Excomm. latæ sententiæ id prohibuit Carmelitarum Prælatis Clemens VIII. Constit. incip. *Quia nemo*. Item in virtute S. Obedientiæ Prælatis Ordinis Prædicatorum id prohibuit Gregorius XIII. Const. incip. *Cum nihil*; quod etiam confirmavit Clemens VIII. Const. incip. *Religiosos viros*. Item id prohibuit Augustinianorum Prælatis Clemens VIII. Constit. incip. *Admonemur*. Et idem pariter est prohibitum fere cunctis Prælatis omnium Religionum; Unde quisque consulat Constitutiones Apostolicas hac de re pro sua respective Religione editas.

14 Prælati Regulares, uti Generales, & Provinciales possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, a quibus possunt Episcopi absolvere suos Diœcesanos. Vide verb. *Absolvere*, *Absolutio*, *num.* 29.

Immo possunt absolvere suos subditos etiam ab omnibus casibus in Bulla Cœnæ contentis, quinque solum exceptis, qui assignantur. Vid. d. verb. *Absolvere num.* 30. 15

Quinimo ex amplissima concessione S. Pii V. possunt suos subditos absolvere ab omnibus casibus, excepto homicidio voluntario injusto, & mutilatione commissa post ingressum in Religionem. Vid. d. *verb. Absolvere num.* 31. 16

Unde majorem, & ampliorem facultatem absolvendi, & dispensandi habent Prælati Regulares in suos subditos, quam Prælati Sæculares in suos Diœcesanos. Vide d. *verb. Absolvere n.* 32. 17

Nec ista tam ampla privilegia Prælatorum Regularium sunt revocata. Vide d. *verb. Absolvere num.* 33. *usque ad* 35. 18

Immo Julius II. expresse declaravit, quod non obstante Bulla Cœnæ, possint Prælati Regulares absolvere suos subditos juxta sua privilegia. Vid. d. *verb. Absolvere num.* 36. 19

Et Sac. Cong. Episc. & Regul. facto verbo cum Clemente VIII. absolute decrevit, quod omnes Bullæ, & Decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad Sæculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares. Vid. d. *verb. Absolvere num.* 37. (*) 20

Nec officit, quod de stylo Curiæ, sæu Sacræ Pœnitentiariæ soleant quandoque Regulares recurrentes ab ipsa absolvi, & dispensari super aliquos ex casibus Papæ reservatis. Vide d. *verb. Absolvere num.* 38. 21

Nec per hoc, quod Sacra Pœnitentiaria absolvat, & dispenset Regulares, si qui ad ipsam recurrant, sequitur, quod non sit in Prælatis Regularibus talis potestas: Vide d. *verb. Absolvere num.* 39. Et supradictas Conclusiones *a num.* 14. *ad hunc num.* 22. tenent, & defendunt Suarez *de Religione tom.* 4. *tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 20. Peyrin. *de privil. Regular. in Constit. Sixti IV. num.* 35. Coriolanus 22

Nota Rom. Theologi.

(*) Privilegia Prælatis Regularibus a P. Lucio asserta, ab aliis quoque Authoribus etiam ex professo hac de re disputantibus, recensentur, atque probantur. Videatur P. Gaudentius a Janua in suo opere *de visitatione tom.* 2. *dubitat.* 19. ubi plura de hujusmodi privilegiis disserit, eorumque originem exponit. Nos vero hic Lectores monemus, pios doctosque Regulares nec uti, nec usuros esse privilegiis, nisi ea certo sint expressa, & ita cognita, ut in Constitutionibus Pontificiis extent, nec sint revocata: Ii enim Regulares numquam absolutionem frustrationis periculo exponent. Caveant ergo Regularium Confessarii, ne obtentu privilegiorum absolvant sæculares a votis, a debiti petitione in conjugibus &c. nisi certo iis constet habere revera hujusmodi privilegia. Videantur hac de re P. Daniel Concina *tom.* 10. *pag.* 345. *num.* 10. &Angelus Franzoja *lib.* 6. *cap.* 3. *de Sacramentis animad.* 31. Quo ad subditos vero illud certum videtur, non habere majorem facultatem Prælatos Regularium, quam Episcopi in suos subditos habent. Episcopos ab hæresi manifesta ac etiam occulta absolvere suos subditos non posse, Bulla, quæ in Cœna Domini legi solet, satis aperte indicat, ut verba ejusdem Bullæ a P. Lucio *num.* 30. relata manifeste demonstrant. Circa enormem quoque Clerici percussionem, irregularitatem, aliasque censuras Romano Pontifici reservatas, non adeo facile absolvere suos subditos debent Regulares, nisi perspecta ex concessione Pontificia privilegia habeant, quæ revocata non sint. Vide etiam P. Matthæucci *Officialis curiæ cap.* 38. *num.* 24. ubi ostendit, Prælatos Regulares subditos suos absolvere non posse a casibus Bullæ Cœnæ, nec ab excommunicatione propter admissionem mulierum intra clausuram conventus, nec ingredientes sine licentia clausuram Monialium, nec Moniales sibi subditas ob violationem clausuræ.

lanus *de casibus reservatis part.* 1. *sect.* II. *art.* 23. *num.* 6. Baunius *in Theologia morali de censuris part.* 2. *dis.* 3. *tract.* 2. *q.* 26. Torranus *a pag.* 22. *ad* 35. Amendolia *tom.* 2. *in edition. de anno* 1698. ubi se retractat a sententia negativa, quam in priori editione tenebat, Habsensis *in Sum. q. Regular. verb. Absolutio quoad Fratres*, uterque Rodriquez, Portell. Villalobos, Bannes, Sousa apud Melphi *in Comment. cap.* 2. *statut.* 4. Insuper statuta nostri Ordinis *cap.* 7. §. 4. *num.* 1. Donatus *tom.* 1. *part.* 1. *tractat.* 13. *quæst.* 17. & *tom.* 2. *part.* 2. *tractat.* 11. *quæst.* 17. & 18. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *a numer.* 3375. *ad num.* 3424. ubi ex supradictis late, & solide plurimis adductis hanc sententiam propugnat, & fundamenta contrariæ opinionis solvit, dicitque quod ex rationibus, & fundamentis adductis a supracitatis sectatoribus hujus sententiæ evidenter concluditur recensitum jus Prælatorum Regularium in suos subditos esse certum; revocationem vero nedum esse dubiam, sed potius clare constare nullam adesse, ac proinde hanc sententiam remanere moraliter certam; Vide ipsum, & sapientissimum P. Donatum *loc. citat.* ubi non solum id docet, & resolvit de aliis casibus Bullæ Cœnæ, & de Hæresi, sed etiam de relapsu in Hæresim, ex privilegio Gregorii XIII. 10. Martii 1584. quo conceditur Generali Societatis Jesu suos subditos absolvere ab Hæresi, & relapsu in Hæresim.

23 Nec obstat Decretum *Sacr. Congr. Episcopor. & Regular. sub die* 17. *Novemb.* 1628. expresse approbatum, & servari mandatum ab Urbano VIII. in quo ab Adversariis prætenditur fuisse declaratum non posse Prælatos Regulares absolvere suos subditos a casibus Bullæ Cœnæ, & præsertim ab Hæresi occulta. Non obstat, inquam, quia tale Decretum, ut illud legenti patet, censuit solum extincta esse privilegia, si quæ Regulares habebant, absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis, & a casibus in Bulla Cœnæ contentis, adeoque Regulares, nec extra Italiam posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ contentis, aut Ordinario loci reservatis. Decretum ipsum referunt Diana *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 50. Donatus *tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 11. *q.* 17. *n.* 6. & ex ipsis Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3414. & est, ut sequitur:

24 *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Conc. Trident. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus Ordinario Loci reservatis. Quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario Loci reservatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus, & Censuris Sedi Apostolicæ reservatis siquidem Regulares habent a Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse iisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis jussu Sanct. Memor. Clementis VIII.*

Quam Sacræ Congregat. sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. *Novembr.* 1628.

F. A. Cardinalis S. Honuphr.

Quod Decretum non est novum, sed confirmativum aliorum similium jussu Clementis VIII. & Pauli V. editorum, quæ referuntur in Decreto responsali ejusdem Sacræ Congregationis de die 7. Decembris 1646. ad Cardinalem Filomarinum, quod refert Donatus *tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 13. *quæst.* 17. *post num.* 26. & est, ut sequitur. 25

„ Ascanio per la Dio misericordia del Titolo S. Maria Aracæli della S. R. Chiesa Prete Cardinale Filomarino, Arcivescovo di Napoli, e Delegato Appostolico. Avendo la Sacra Congregazione sopra i negozj dei Vescovi, e Regolari drizzata a Noi lettera del tenor seguente vid. A foris: all' Eminentissimo, e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo, il Signor Cardinale Filomarino Arcivescovo di Napoli. Locus ✠ Sigilli. Intus vero: Eminentissimo, e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo. Questa Sacra Congregazione ha più volte dichiarato con ordini espressi di Clemente Ottavo di Gennaro, e Novembre 1602. di Paolo Quinto di Gennaro 1617. e di Urbano Ottavo, Santa Memoria, di Novembre 1628. che tutte le facoltà d' assolvere da' Casi riservati, o riservandi da gli Ordinarj, ovvero compresi, o da comprendersi nella Bolla in Cœna Domini implicite, vel explicite, ed altri riservati solamente alla Santa Sede nel medesimo Decreto di Novembre 1602. concessa a' Secolari, o Regolari, Congregazioni, o Confraternità di qualunque prerogativa, o specialità etiam necessario exprimenda, sono state annullate, ed estinte, così dal Sacro Concilio di Trento, come dalle suddette Constituzioni. E che in vigore delle confermazioni, estensioni, o comunicazioni, ottenute dopo, o da ottenersi per l' avvenire sotto qualsivogliano amplissime clausule, non s' intenda mai rinnovata la suddetta facoltà, riservando solo gl' indulti concessi specialmente fuori d' Italia, o dentro Roma, quanto alli casi riservati alla Santa Sede, non compresi nella suddetta Bolla: onde venendo rappresentato alla Santità di Nostro Signore da Vostra Eminenza con sua Lettera de 4. di Agosto precedente, che in cotesta Città, e sua Diocesi alcuni Confessori Secolari, e Regolari, senza giustificare, con quali facoltà assolvano de fatto dalle Censure, e casi suddetti; ed innoltre disseminando opinioni erronee, asseriscono, che per poter assolvere validamente dalli casi riservati al- 26

ti all' Ordinario, basti aver domandato al medesimo la facoltà, ancorchè ricusi di concederla. Questi Eminentissimi miei Signori di commissione espressa di Sua Beatitudine, mi hanno imposto di scriverle, che coll' autorità, che a tal effetto se le comunica, in virtù delle presenti, e sotto le pene, che giudicherà espedienti, faccia intendere a tutti i Confessori di costì, siano quanto si vogliano privilegiati, ed esenti, che onninamente si conformino con i suddetti Decreti, e e non ardiscano di contravenire sotto qualsivoglia pretesto, o caso, etiam di precisa necessità, fuorchè in articulo mortis, con reincidenza, si convaluerint. Dichiari similmente annullati tutti gli Oracoli, e Indulti Appostolici ottenuti in voce da detto tempo in quà, e agli altri, che pretendano averne Breve, o Bolla in forma specifica dopo l' ultima Costituzione d'Urbano, prefigga un termine perentorio di tre mesi ad esibirle a questa Sacra Congregazione: altrimente vuole, e dichiara Nostro Signore, che s' intendano decaduti, e privati di essi eo ipso senza altra intimazione. E finalmente, che dopo aver fatto notificar costì, e come stimerà esser di bisogno, che quelli, che dimandano all'Ordinario la facoltà d'assolvere, e non l'ottengono, non possono valersene; Ella dichiari incorrere nella sospensione dall' udir le Confessioni Sacramentali quelli, che pubblicamente difenderanno la dottrina suddetta, o pure presumeranno temerariamente di assolvere, ancorchè loro sia stata denegata, o non concessa la facoltà dagli Ordinarj; Così V. Eminenza resti servita di fare, che puntualmente si eseguisca, con dar quà distinto avviso dell'operato. Ed io le bacio umilmente le mani. Di Roma 7. Dicembre 1646. Di V. E. umilissimo, e affezionatissimo Servitore. M. Cardinale Ginnetti. G. Arcivescovo di Patrasso, Secretario. Napoli, Sig. Card. Arcivescovo sopra li Confessori. Per l'autorità a Noi concessa a tal effetto in virtù di detta Lettera ordiniamo, e comandiamo a tutti i Confessori Regolari, Secolari, omnibusque in exequutione præsentium nominan. & cognominan. di questa nostra Città, e Diocesi, siano quanto si vogliano privilegiati, ed esenti sotto pena della rivocazione della facoltà d'udir le Confessioni Sacramentali, eo ipso, che contraverranno, carceri formali, ed altre a nostro arbitrio, che onninamente debbano ad unguem osservare il contenuto in detta preinserta Lettera, prefiggendo agli altri, che pretendono averne Breve, o Bolla in forma specifica dopo l' ultima Costituzione della felice memoria d'Urbano Ottavo, per termine perentorio tre mesi dal dì della notificazione della presente, ad esibirle alla medesima Sacra Congregazione, dichiarando incorrere nella sospensione dall' udir le Confessioni Sacramentali, quelli che pubblicamente difenderanno la dottrina suddetta, ovvero presumeranno temerariamente d'assolvere, ancorchè loro sia stata denegata, o non concessa da Noi la facoltà. Ed acciò da nessuno si possi allegare causa d' ignoranza, ordiniamo, che la copia della presente sia personalmente intimata alli Superiori delli Regolari, quali debbano fra due giorni quella notificare in pubblico Capitolo a' detti suoi Regolari; Volendo, che dopo detta notificazione astringa tutti, come se fosse stata a ciascheduno personalmente intimata. Data dal nostro Palazzo Arcivescovale il dì 26. Febbrajo 1647. Ascanio Card. Filomarino Arcivescovo di Napoli, e Delegato Apostolico. D. Bartholomæus de Neapol. Actorum Mag. Sancti Officii.

27 Ex quibus Decretis clare patet, non loqui ibi Pontifices de Prælatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, sed solum de ipsis Confessariis Regularibus, adeoque intelligi debent in ordine ad Sæculares, & non in ordine ad Regulares; Et aperte indicat idem Eminentissimus Cardinalis Filomarinus Archiepiscopus Neapolitanus in ordinatione facta Confessariis Regularibus, & Secularibus dictæ suæ Civitatis, & Diœcesis in virtute dictæ Epistolæ cum præinsertis Decretis sibi transmissæ; ibi: *Per l' autorità a Noi concessa a tal effetto in virtù di detta Lettera ordiniamo, e comandiamo a tutti i Confessori Regolari, Secolari &c.* ubi, ut vides, ipsemet expresse loquitur solum de Confessariis Regularibus in ordine ad Sæculares, & non de Prælatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, qui non indigent facultate Ordinarii ad suos subditos absolvendos. Et revera cum dicta Decreta loquantur indiscriminatim, & unitim de reservatis Ordinario, & de reservatis Papæ in Bulla Cœnæ, & iisdem, quibus prohibent absolutionem a reservatis Ordinariis locorum, prohibeant absolutionem a reservatis Papæ in Bulla Cœnæ, manifeste patet, quod loquantur solum de ipsis Confessariis in ordine ad Sæculares, & minime de Prælatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, quia isti non subjacent casibus reservatis Ordinariis locorum.

28 Tum quia, ut *supra n.* 20. dictum est, ut ex Peregrino, & Naldo refert Peyrinus in *Constitut. 6. Jul. II. n.* 21. & Felix Potestas *loc. c. nu.* 3417. Sac. Cong. Episcop. & Regul. facto verbo cum Clemente VIII. expresse declaravit, quod omnes Bullæ, & Decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad Sæculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares: Et ad hoc multum confert declaratio Alexandri VII. sub die 25. Septemb. 1665. qua damnavit sequentem propositionem 4. in ordine ibi: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa*, ubi, ut vides, Pontifex damnat solum dictam absolutionem in ordine ad sæculares, ibi: *Absolvere quoscumque Sæculares*. 29

30 Ast tamen, si verum esset, quod Sacra Congregatio declaraverit non posse Prælatos Regulares, absolvere ab Hæresi occulta, ut ex Mendo (*) refert

(*) Declaratio ad quam Mendo provocat, est Decretum S. Congregationis num. 24. ab Auctore nostro descriptum, in quo de Regularium Confessariis *in ordine ad Sæculares*, non de Prælatis Regularium *in ordine ad suos subditos* sermo fit.

refert. Viva *ad propos.* 4. *Alexandri VII.* Rosignol. *de Pœnitentia part.* 1. *qu.* 7. *art.* 19. *sect.* 5. *num.* 19. & alii, non esset a tali sententia recedendum; Eo vel maxime, quod sic expresse tenent plurimi Classici Doctores etiam independenter a tali declaratione Sacræ Congreg. innixi præsertim textui ejusdem Bullæ Cœnæ, quæ §. *Ceterum* utitur universali negativa, qua omnes excluduntur, ibi: *Ceterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem... absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus..... Per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii Decreto, verbo, Litteris, aut alia, quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum*; Qui textus revera multum urget; Unde in praxi suadeo hanc opinionem tamquam tutiorem tenendam, uti eam expresse tenent Tamburin. *t.* 2. *de Jure Abbat. disp.* 12. *qu.* 2. Sigismundus a Bononia, Bartholomæus de Vecchis, & alii apud ipsum, Casar. *Compend. privil. Fratrum Minor. verb. Absolutio ord. quoad Fratres n.* 9. Confectius *Summa priv. Mendic. tit.* 17. *c.* 7. Diana *part.* 1. *tr.* 5. *resol.* 6. *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 122. *par.* 6. *tract.* 7. *resol.* 63. *par.* 8. *tract.* 7. *resol.* 70. La Croix *lib.* 7. *par.* 2. *n.* 1622. cum aliis ibi citatis, Matthæucc. *Official. Curiæ c.* 38. *n.* 24. cum pluribus ibi citatis, ubi *usque ad n.* 28. late probat, Mendo *d.* 1. *qu.* 3. dicens sententiam Bonagratiæ, Habsensis, & aliorum ipsam tenentium non amplius esse probabilem.

31 Prælati Regulares (pro quibus in hoc non veniunt Superiores locales Conventuum ex Decreto Visitationis Apostolicæ 13. Maii 1601. relato infra n. 48.) possunt suos subditos, & novitios absolvere ab Excommunicatione contracta, nedum ob percussionem levem, & mediocrem, sed etiam ab Excommunicatione contracta ob percussionem enormem. Vide verb. *Excommunicatio art.* 11. *a n.* 15. *ad* 17. Id tamen possunt etiam Superiores locales, si a Generali, vel Provinciali habeant, ut communiter solent habere, in suos reservatos casus jurisdictionem delegatam. Mathæucc. *Official. Cur. c.* 39. *n.* 21. & alii. Immo Roncaglia *tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 2. citans Paulum, Bordonum, & alios absolute dicit posse Superiores locales, & in eorum absentia eorum Vicarios absolvere suos subditos ab Excommunicatione contracta ob quamcumque percussionem vel alterius Religiosi, vel Clerici etiam sæcularis ex concessione Bonif. VIII. & Clementis VII. Vide verb. *Excommunicatio art.* 12. *a n.* 15. *ad* 17.

32 Prælati Regulares licet a Tridentino non habeant facultatem dispensandi ab Irregularitate concessam Episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum Pontificum. Vide verb. *Irregularitas art.* 3. *num.* 17.

33 Refertur ad id amplissimum privilegium concessum Prælatis Regularibus. Vide d. verb. *Irregul. art.* 3. *num.* 18.

34 Nec hoc privilegium videtur revocatum per Conc. Trid. Vide *ib. num.* 19.

Istæ tamen tam amplæ facultates non sunt de facili deducendæ ad praxim: Immo per varios graves Doctores nequeunt Prælati Regulares dispensare cum suis subditis furiosis, Epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, & aliis, qui enumerantur. Vide *ibidem num.* 20. Vide verb. *Absolutio artic.* 2. *a num.* 29. *ad* 40. 35

36 Prælati Regulares, & de eorum licentia sui Religiosi Confessarii, possunt dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum Matrimonium cum aliqua, vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo, vel secundo gradu. Vide verb. *Matrimonium quoad Debitum Conjugale art.* 2. *numer.* 20.

Quando autem possint dispensare Confessarii Regulares super impedimento petendi debitum conjugale sine speciali commissione seu licentia Prælati Generalis, aut Provincialis? Vide *ib. a num.* 12. *usque in finem*. 37

Prælati Regulares ingredientes extra necessitatem Monasteria Monialium sibi subjectarum ligantur Excommunicatione majori, & privantur omnibus Officiis, & Dignitatibus. Vide verb. *Moniales art.* 3. *num.* 73. 38

Nec possunt Prælati Regulares ordinarie ingredi Monasteria Monialium, *nisi ex causa Visitationis localis, & hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat*. Vide *ibidem num.* 74. 39

Prælatus Regularis, si fuerit Generalis, potest secum introducere duos socios sui Ordinis; si fuerit alius a Generali, potest introducere secum unum tantum socium sui Ordinis. Vide *ib. numer.* 75. 40

Nec ipse Visitator, nec ejus Socii possunt sumere intra clausuram ullam refectionem. Vide *ib. num.* 76. 41

Si ob clausuram, aut aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Prælatum Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ Sæcularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ. Vide *ib. num.* 77. 42

Si Prælatus Regularis supradictis contrafecerit, ipso facto pœnam Excommunicationis & privationem omnium Officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrit; Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus tueri se potest, quominus ab Episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat. Vide *ibid. numer.* 78. 43

Prælatus Regularis quando, & quomodo possit concedere licentiam ingrediendi clausuram Monialium sibi subjectarum. Vide *ib. a numer.* 88. *ad* 93. 44

Prælati Regulares quoad absolutionem ab Excommunicatione violatæ Clausuræ gaudent respectu 45

ctu

ctu suorum subditorum eadem facultate, qua gaudent Episcopi respectu suorum. Vide *ib. numer.* 12.

46 A pœnis privationis Officiorum, & Dignitatum, & inhabilitatis latis a S. Pio V. in violantes clausuram possunt Prælati Regulares absolvere suos subditos pro utroque foro. Vide *ib. num.* 24. & 25.

47 Prælati Regulares, etiamsi sint Generales, nequeunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones Monialium sibi subjectarum. Vide verb. *Moniales art.* 5. *n.* 8.

48 Prælati Regulares Jure nequeunt proprio, & ordinario concedere Indulgentias suis subditis. Vide verb. *Indulgentia n.* 27. *art.* 2.

49 Possunt tamen Jure delegato, & ex speciali concessione. Vide *ib. n.* 28.

50 Monitoria concedere pro suis subditis possunt solum Prælati Generales, eorumque Visitatores, & Provinciales non vero Superiores locales. Vide verb. *Monitorium n.* 10.

51 Posse autem Superiores locales Monitoria edere in suis Conventibus, non quidem ad finem revelandi pro rebus aut scripturis deperditis, vel subtractis, sed pro aliis delictis, tenent multi. Vide *ib. num.* 11.

52 Prælati Regulares in quibus votis, & juramentis possint dispensare, seu ipsa irritare respectu suorum subditorum? Vide verb. *Juramentum art.* 3. *n.* 30. & verb. *Votum*.

53 Prælati Regulares, puta Generales, & Provinciales undecim tantum casus reservare possunt, & non plures sine consensu Capituli Generalis pro tota Religione, vel Capituli Provincialis pro Provincia. Sic expresse decrevit Clemens VIII. decreto tenoris sequentis.

„ Sanctiss. D. N. jam pridem accurate perpendit, & re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem;

Quo circa, ut huic malo Sanctitas Sua opportune provideret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverit.

I. Veneficia, incantationes, sortilegia.

II. Apostasia a Religione, sive Habitu dimisso, sive retento, quando eo provenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.

III. Nocturna, & furtiva e Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

V. Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus.

VIII. Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis opere consummatus.

X. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.

XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videtur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu; „ Superiores in singulis Domibus deputent duos, „ tres, aut plures Confessarios pro subditorum „ numero majori, vel minori &c. qui a non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus „ occurrerit &c.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum 26. Maii 1593.

Præfatum Decretum confirmavit Urb. VIII. per 54
Decr. Sacr. Congr. Conc. die 21. Sept. 1624. addens quod sequitur:

„ Sanctitas Sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere. „

Super dict. Dec. Clem. VIII. dubitatum, ut in- 55
fra, fuit:

An in Dec. Clem. Papæ VIII. de ann. 1593. 26. Maii super qualitate Casuum ab eorumdem Regularium Superioribus reservandorum edito Censuræ etiam comprehenderentur; ita ut iisdem Superioribus absque Capituli Generalis, aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto hujusmodi non contentis, Excommunicationem annectere, ejusdemque absolutionem sibi reservare liceat?

Sacra Congr. Card. negotiis Regularium præposita, Illustrissimo Bandino referente, Censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit. Romæ 7. Jul. 1616.

Soli Prælati auctoritatem quasi Episc. haben- 56
tes, nempe Generales, & Provinciales possunt in Religionibus reservare casus; & nullatenus Superiores locales. *Communis*, & clare patet ex adductis Decretis. Unde in nostra Religione adest statutum Capituli Generalis celebrari Assisii de anno 1526. quo expresse ordinatur, & mandatur auctoritate Apostolica, & totius Capituli Generalis, quod nullus Guardianus possit sibi reservare aliquem casum.

Immo Guardiani, & ceteri Superiores locales 57
quo-

quocumque nomine nuncupati, sine facultate a Generali, vel Provinciali obtenta, seu de consuetudine sibi commissa, & delegata, nequeunt absolvere a dictis casibus in suis respective Religionibus, vel Provinciis reservatis, cum soli Generales, Provinciales, & nullatenus Superiores locales habeant ad id jurisdictionem, & auctoritatem ordinariam, ut expresse decrevit Sacra Congreg. Visitationis Apostolicæ de mandato Sanctissimi die 13. Martii 1601. decreto ut infra:

58 *In Congregatione adm. Illustrium, RR. DD. Prælatorum Visitationis Apostolicæ de mandato Sanctiss. D. N. Papæ die* 13. *Mart.* 1601.; Inter alia; *Al Memoriale del P. Custode de' Reformati di San Francesco la Santità sua dichiara, che il Decreto suo sopra la reservazione de' casi de' Religiosi fatto alli* 26. *di Maggio* 1593. *non dispone, nè determina a chi spetti l'autorità d'assolvere da' detti casi, rimettendosi in questo alle Costituzioni, uso, ed osservanza comune delle Religioni, che il Generale, e Provinciale abbiano quest'autorità ordinaria, e non li Guardiani e Priori Superiori immediati de' Conventi; dovranno però detti Provinciali, e Generali comunicare detta facoltà in ciaschedun Convento a persona discreta, & intelligente per assolvere i Religiosi di quel Convento, che faranno ricorso, ovvero nelli casi particolari, che occorreranno, concedere la facoltà a ciascuno Confessore deputato in detto Convento, quando esso Confessore ne faccia instanza, e giudica espediente, se gli conceda, nel qual caso li Superiori, anco delegati, dovranno prontamente concederla, conforme al detto Decreto Pontificio, perchè, negandosi, la Santità Sua intende, che il Confessore possa assolvere da detto caso. Orb. Seraph. tom.* 4.

59 Hinc Superiores locales, ut Priores, Rectores, Guardiani, & hujusmodi nequeunt in suis Conventibus sibi eligere in Confessarium simplicem Religiosum Sacerdotem sibi subditum non approbatum a Generali, vel Provinciali; Superiores enim locales in suis Conventibus sunt veluti Parochi in suis Parochiis: Parochi autem nequeunt sibi in Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, ut est certissimum post Decretum Alexandri VII. qui *die* 24. *Septembr.* 1665. inter alias merito damnavit sequentem propositionem 16. in ordine, ibi: *Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*; ergo neque Superiores locales possunt sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum a Generali, vel Provinciali; Cum enim nequeant ipsum approbare pro aliis, neque possunt approbare pro se. Matthæucci *Officialis Curiæ cap.* 32. & alii passim.

60 Regularis, qui inscio, vel invito Prælato sui Ordinis approbatur ab Ordinario loci ad audiendas Confessiones in sua Diœcesi, an valide eas excipiat; Vide verb. *Approbatio art.* 1. *num.* 18. & 19.

61 Prælati Regularium possunt suos subditos a se, vel suis Prædecessoribus, vel aliis quibuscumque Superioribus ad audiendas Confessiones approbatos, ab eisdem Confessionibus audiendis suspendere, etiam ex causa occulta, & extrajudicialiter, ut declaravit *Sac. Congr. Episcop. & Reg. in una Theatinorum* 2. *Jul.* 1617. Vide *idem verb. num.*20.

Prælati Regulares, nempe Generales, & Provinciales possunt Religiosos sibi subditos in Notarios creare, & deputare. Sic S. Pius V. Constitut. incip. *Debitum* concessit expresse Prælatis Ordin. Prædicatorum, de quo privilegio participant ceteri Regulares communicantes cum ipsis in privilegiis. Vide verb. *Notarius*. 62

Prælati Regulares, puta Generales, & Provinciales possunt cum Generali, seu Provinciali, seu intermedio Capitulo dispensare cum suis Religiosis illegitimis ad Officia, & Prælatias Ordinis, obtinenda. Quamvis enim Privilegia ad id concessa Religionibus, & relata a Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 13. *art.* 6. & Peyrin. *tom.*1. *privileg. Minim. in Constitut.* 2. *Julii II.* §.29. *n.*93. fuerint abrogata a Sixto V. Constitut. incip. *Cum de omnibus*, & alia incip. *Ad Romanum Pontificem*; tamen ex post Gregorius XIV. Constitut. 3. incip. *Circumspecta Romani Pontificis Providentia* §. 4. moderans prædictas Sixti V. Constitutiones id eis iterum concessit, statuendo *Licere Generali, aut Provinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, juxta tenorem privilegiorum, & Indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodo usu recepta, nec alias sub ullis revocationibus comprehensa sint, ut præfertur, in hac parte revalidamus, cum illegitimis, quos alias dictus Generalis, aut Provincialis cum Generali, Provinciali, seu intermedio Capitulo, & non alias suffragantibus meritis, dignos judicaverint, ad honores, gradus, & Dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes hujusmodi ita factas, & inde sequuta quæcumque, ut antea, valere, ac tenere perinde ac si dictæ Constitutiones non emanassent*. Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæst.*2. *art.*3. Matthæucci *Official. Curiæ cap.* 38. *num.* 39. Lezana *Summa quæst. Regul. tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 60. Peyrin. *tom.* 1. *privilegior. Minimor. in Constitut.* 2. *Julii II.* §. 29. a num. 95. & alii passim. Et idem sub ampliori forma concessit postea ipsemet Pontifex Gregorius XIV. in privilegio dato Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium infirmis Constitut. 17. incip. *Illius* §. 29. his verbis: *An dicto Præfecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, seu Provincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis, ac loca tenentibus, ut cum ejusdem Congregationis personis defectum natalium etiam ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quovis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu provenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, ut defectu hujusmodi non obstante, ad quoscumque Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri, & in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, nec non ad quascumque Administrationes, Personatus, Præeminentias, & Officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & assumi, illaque gerere, & exercere*. 63

Prælati Regulares habentes, ut supra, facultatem dispensandi cum subditis Religiosis illegitimis, 64

mis, quoties scientes esse tales conferunt illis aliquam Prælatiam, vel Officium, censentur saltem in foro conscientiæ cum illis dispensare; Talis enim Prælatiæ, vel Officii collatio est quædam virtualis dispensatio. Rodriquez *tom.* 1. *quæstion. Regular. quæst.* 13. *art.* 16. Navarr. *in Manuali cap.* 24. *num.* 74. Lezana *loc. cit. cap.* 18. *num.*63. & alii.

65 Prælatus Regularis, sicuti & quilibet alius captus a Turcis, vel Saracenis, seu ab aliis hostibus, non est ipso jure privatus sua dignitate, nec privandus per sententiam, sed interim deputandus est Vicarius, qui, durante captivitate, Provinciam, seu Monasterium regat, & ipse ex captivitate reversus pristinam Dignitatem, & Prælatiam recuperat; *c. Si episcopus, de supplend. neglig. Prælat. in 6.* Captivitas enim non est delictum, & ubi delictum non est, ibi non debet esse pœna, *c. Cognoscentes, de Constitutionibus*, & Glossa communiter recepta *in c. Si Beneficia vers. sine culpa, de præbend. in 6.* Tum quia nimia crudelitas esset talem affligere, cui potius est miserendum, *cap. Licet, de Censibus*, & ibi Glossa communiter recepta verb. *Misereri*, & facit textus *in c. Cum percussio 7.q.*1. ibi: *Non debet a Nobis addi flagellatis afflictio, in cap. Ex parte, de Cleric. ægrotant.* ibi; *Nec afflictio afflicto sit addenda, cap. At si Clerici, de Judiciis, §. De adulteriis*, ibi: *Nec duplici debeas ipsum contritione conterere, & in l. Navi onustæ §. Cum autem, ff. Ad Leg. Rhod. de jactu*, ibi: *Quia non debet duplici damno onerari*, cum similibus.

66 Unde P. Joannes Cheron Provincialis Carmelitarum a Barbaris captus, ac postea liberatus, a Sacra Congregatione Episcop. & Regul. jubetur in possessione Provincialatus manuteneri, & ad liberum illius exercitium reintegrari, cassata alterius Provincialis electione. Vide verb. *Postliminium num.* 7. ubi refertur casus.

67 Assignantur quid importent absolutiones Generales, quas Prælati Regulares in fine Visitationis, & in quibusdam anni solemnitatibus dare consueverunt suis subditis Religiosis, quæ Absolutiones cadunt super Excommunicationibus, Suspensionibus, & Irregularitatibus, quas subditi forte ignoranter contraxerunt, vel obliti sunt, ita ut, si postea recordentur, & cognoscant se aliquam Censuram, vel pœnam reservatam incurrisse, non teneantur amplius pro absolutione ab illis Censuris, vel pœnis recurrere ad Superiorem habentem facultatem, sed sufficiat, quod confiteantur communi Confessario peccata, ob quæ illas incurrerunt; nam illa peccata, ut supponitur erant solum reservata ratione Censuræ, qua sublata, cessat reservatio peccati. Illæ tamen Absolutiones non sunt *Sacramentales*, nec per eas quis absolvitur a culpa peccati, cum tunc non fiat Confessio specifica peccatorum, sed sunt quædam sbsolutiones deprecativæ, per quas subditi absolvuntur *ab omnibus Censuris &c. & a pœna debita pro peccatis jam quoad culpam dimissis, adhuc in hac, vel altera vita exsolvenda*. Unde cum in talibus absolutionibus dicitur: *Absolvo vos ab omnibus peccatis vestris*, idem est ac *ab omnibus pœnis debitis pro iisdem*, juxta illud 2. *Machabæorum c.* 12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, ubi peccata sumuntur, ut vides, pro pœnis debitis pro iisdem. Sic Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 29. *artic.* 26. Kerchove *in Statuta Generalia cap.* 6. §. 22. *art.*161. Kazenberger *Supplem. Theol. Sacrament. P. Sporer cap.* 3. *sect.* 2. *quæst.* 3. *num.* 142. *fol.* 260. & alii passim: Vide verb. *Indulgentia art.* 2. *num.* 28. *artic.* 4. *num.* 11. *& artic.* 5. *num.* 65. *ad* 69.

Unde enixe deprecantur, & serio monentur Prælati omnes Regulares ad has generales absolutiones suis subditis impertiendas diebus omnibus, & Festivitatibus, quibus id eis est a Sede Apostolica per specialia privilegia concessum, ne tanto spirituali bono fraudentur. Dies autem, & Festivitates, in quibus est eis concessum, assignantur cum suis respectivis formulis Absolutionum sub verb. *Indulgentia artic.* 4. *num.* 55. *ad* 60. Vide *ibi*. 68

Idem quod de absolutionibus Generalibus, a Prælatis Regularibus dari consuetis, dicendum est de absolutionibus cum Indulgentia in articulo mortis dari solitis infirmis moribundis, quibus dari possunt etiamsi eas non petierint, & jam sint sensibus destituti; nihilque percipiant, aut sciant de tali Indulgentia. *Doctores citati*. 69

Absolutio, quæ datur a Prælato, seu Præside ante electionem Capitularem cadit super Censuras, & Irregularitates, quæ possunt esse impedimentum inhabilitatis ad eligi, & eligere; Et patet expresse ex sequenti formula uti consueta: *Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c. Si tenemini aliquo vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, Interdicti, vel suspensionis, in quantum se extendunt gratiæ, & privilegia Ordini nostro concessa, vos omnes auctoritate Beatorum Petri & Pauli, ac Sanctæ Sedis Apost., mihi in hac parte commissa, & vobis concessa, ad effectum electionis (vel electionum,) canonice, ac rite per vos faciendæ (vel faciendarum) absolvo. Item, eadem auctoritate, & ad eumdem effectum dispenso vobiscum super omni Irregularitate, si quam contraxistis, quatenus opus sit, & indigetis, vos habilito executioni Ordinum, & Officiorum vestrorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* 70

Si quis Religiosus esset ligatus aliqua Censura, a qua Prælatus, seu Præses Capituli non posset absolvere, tunc ipse non esset absolutus, & sic non posset in dicta Capitulari electione eligi, aut eligere; Hoc enim videtur expressum in hac clausula dictæ absolutionis: *In quantum se extendunt privilegia, & gratiæ Ordini nostro concessæ*. Sic Peyrin. *de Prælat. q.* 2. *c.* 5. *num.* 9. cum quo transeunt Doctores, teste Matthæucci *Officialis Curiæ cap.* 38. *num.* 18. 71

Item talis absolutio non prodest absentibus; Quamvis enim absolutio ab Excommunicatione dari possit etiam absentibus per Litteras, ut tradunt communiter Doctores: Hæc tamen solum ad præsentes dirigitur, ut demonstrant aperte illud pronomen demonstrativum *Vos*, quod Electores presentes exigit, ut de Beneficio talis absolutionis participent. Sic expresse Matthæucc. *loc. cit.* 72

73 *cit. num.* 18. Qui *c.* 19. *num.* 58. *& sequent.* ex multis probat contra Sanctorium, quod talis absolutio sit cum reincidentia, cum sit data ad cautelam, ne ex titulo Censurarum possit postea electio, alias valida impugnari: Unde cum non absolute detur, sed restricte *ad effectum electionis faciendæ*, completa electione, Capitulares, qui aliqua Censura erant irretiti, in eamdem reincidunt, & sic, ut electus possit deinde Officium exercere, debet absolutionem petere a Sacra Pœnitentiaria. Nam absolutio, quæ a Præside præstatur, solum operatur, ut possit Canonice eligi, non vero quod valeat exercere; Sed hic opus est puro, & absoluto absolutionis Beneficio. *Hæc ille*. Vide *ibi*.

74 Prælati Regulares possunt concedere specialibus Benefactoribus suæ respectivæ Religionis Filiantias, seu Litteras Filiationis, eis communicando Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia tamquam Filiis propriæ Religionis, ex concessione Urbani V. facta Prælatis totius Ordinis Minorum, pro ut refertur *in compendio Privilegiorum, verb. Indulgentia quoad sæculares c. quarto num. 6.* ibi: *Urbanus V. concessit, ut Generalis, & Provincialis totius Ordinis Minorum possint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia Benefactoribus Ordinis*, per quæ quid intelligatur, & veniat, patet ex ipsis Litteris Filiationis, quæ ipsis Benefactoribus passim dantur, in quibus omnia ad longum clare exprimuntur.

75 Prælati Regulares, an, & quando teneantur applicare Missam pro ovibus suis? Vide verb. *Missa art.* 3. *sub num.* 11. *circa finem*.

76 Prælati inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes, tenentur, statutis temporibus, visitare Limina Apostolorum, & Ecclesiarum statum exponere; Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 7. incip. *Quod Sancta* §. 5. Vide tom. 4. Verb. *Limina Apostolorum*.

77 Prælato inferiori acquiritur jurisdictio intra Episcopi Diœcesim, vel ex privilegio, vel ex consuetudine immemorabili. Idem Constitut. 76. incip.

78 *Apostolicæ servitutis* §. 2. Non vero ex possessione quadragenaria ex titulo colorato. Idem *ibid.* §. 3. Vide tom. 4. ad verb. *Jurisdictio*.

79 Prælatis inferioribus jurisdictionem habentibus in Clerum, & populum, conceditur facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis. Idem tom. 2. Constitut. 34. incipient. *Pia Mater*. Vide *tom.* 5. verb. *Moribundus num.* 38. *&* 39. ubi datur etiam formula eam impertiendi.

Additiones ex aliena manu.

80 De Privilegiis Prælati Regularis, tum de potestate ejusdem in suos subditos, plene agit *Gruber. de Privileg. Religios.* de privilegiis *tract.* 2. *per tot.* & de potestate *tractat.* 3. *per tot.* Consule *& eum locis citatis* de Privilegiis & potestate *Abbatis Commendatarii*.

REGULARIS PROFESSIO.

Professio Regularis, seu Religiosa est promissio libere facta, & legitime accepta, qua quis in debita ætate constitutus post annum probationis expletum se adstringit certæ Religioni ab Ecclesia approbatæ. *Est in re Communis*. 1

Professio Regularis, seu Religiosa est duplex, una expressa, & alia tacita. *Professio expressa* est illa, quæ fit verbo vel scripto, vel utroque simul; vel etiam nutu, aut signis in manibus legitimi Superioris, juxta formam Religionis professæ. *Professio tacita* est illa, quæ fit sine verbo, vel scripto, & mentem suam obligandi se ad tria vota, & certam Religionem signo, vel facto alio externo satis manifestat. Ita *in re Communis*. 2

Ad valorem Professionis requiritur ætas annorum sexdecim completorum. *Communis*, textu expresso in Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. ibi: *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum...... Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut alios quoscumque effectus*. 3

Anni sexdecim ad professionem requisiti debent esse completi de momento ad momentum; Unde si Professio fiat per aliquot tantum horas ante completum annum decimum sextum ætatis, est nulla. Vide verb. *Annus probationis a numer.* 25. *& verb. Moniales artic.* 1. *num.* 88. *&* 90. Ætas autem incipit a die nativitatis, non a die Baptismi. *Sacr. Congregat. Concil. in Cortonen.* 4. *Decembr.* 1627. 4 5

Item ad valorem Professionis prærequiritur annus probationis completus. *Communis*, textu expresso in Concil. Trident. *loc. cit.* ibi: *Nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad Professionem admittatur; Professio autem antea facta sit nulla &c.* Et quidem hic annus debet esse completus de momento in momentum, adeo ut Professio facta nondum completo anno, etiam per modicum tempus, esset nulla. Vide d. verb. *Annus probationis num.* 26. Immo ita debet esse completus, & integer annus Novitiatus, seu probationis, ut Anno bissextili debeat necessario computari lapsus diei, qui tunc de novo additur, cum illi duos die pro uno computentur. Vide *d. verb. Annus probationis num.* 27. *&* 28. Insuper hic annus probationis debet esse continuus, ita ut Novitius annum probationis animo Religionem deserendi interrumpens, licet per duas solas horas, teneatur incipere de novo annum Novitiatus. Vide *d. verb. Annus probationis, a num.* 10. *ad* 24. Et talis annus probationis debet necessario peragi cum Habitu Regulari, & non cum Habitu sæculari. Vide *d. Verb. Annus probationis num.* 3. *&* 4. 6 7 8 9 10

11 Pro-

11 Professio potest in articulo mortis emitti, etiam
anno Novitiatus non completo; Dummodo No-
vitius, seu Novitia habeat legitimam ætatem.
12 Vide verb. *Moniales art. 1. num. 96.* Si tamen hu-
jusmodi Novitius, vel Novitia convaluerit, debet
13 iterum profiteri. Vide *ibidem num. 97.* Talis au-
tem Professio emissa in articulo mortis, anno
Novitiatus nondum completo, non suffragatur,
nisi quoad acquisitionem Indulgentiarum favore
profitentis, non autem quoad acquisitionem Do-
tis favore Monasterii, cum ipsa debeat restitui
ejus consanguineis heredibus. Vide *ibid. num. 98.*
& vide etiam varia Decreta relata ab Ursaya *tom. 2.*
14 *part. 2. discept.* 24. An autem Professio emissa in
articulo mortis, anno probationis jam integre
completo, prosit Monasterio quoad acquisitionem
bonorum. Vide *ibidem num. 99. & 100.*

15 Professio facta post decimum sextum annum,
sed ante decimum octavum requisitum a Statuto
Ordinis Minimorum, non annullante, aut irritan-
te, valida est. *Sac. Congr. Conc. 2. Novembr.* 1582.
apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb.*
16 *Prcfessio Regularis num. 9.* Sic etiam Professiones
emissæ juxta dispositionem Concilii Tridentini,
idest post completum 16. annum, sunt validæ;
quamvis in Constitutionibus Religionis Sanctissi-
mæ Trinitatis Redemptionis captivorum, aucto-
ritate Apostolica confirmatis cautum sit, quod in
ea Religione aliquis non recipiatur antequam an-
num vigesimum videatur complevisse. *Sacra Con-
greg. Conc. 2. Augusti 1631. & 24. Aprilis 1632.*
apud Barbos. *loc. cit. num.* 10. Et sic dicendum est
de Professionibus emissis ante ætatem requisitam
a Constitutionibus aliarum Religionum; Dummo-
do servetur ætas requisita a Concilio Tridenti-
no, & non requiratur major ætas sub clausula
annullante, & irritante confirmata expresse a Se-
de Apostolica.

17 Professio potest per Superiorem prolongari, la-
pso tempore Novitiatus, in his, qui non bene
adhuc didicerunt, & aliquantulum inhabiles repe-
riuntur; Dummodo habeant spem probabilem,
quod efficientur habiles infra sex menses, *Sacra
Congreg. Conc. 8. Novembr. 1596.* apud Barbosam
18 *loc. cit. num. 6.* Si tamen propter aliquam pertina-
cem infirmitatem, vel aliam causam esset protra-
henda Professio ultra sex menses, tunc pro fa-
cultate esset adeunda Sedes Apostolica. Vide verb.
Annus probationis a n. 29. ad 35.

19 Item ad valorem Professionis requiritur, quod
tam Novitiatus, quam ipsa Professio fiat in Con-
ventibus designatis. Fagnan. *lib. 4. Decretal. cap.
Insinuante, Qui Cleric., vel voventes a num.* 42.
Pignatell. *tom. 9. consult.* 173. *num.* 56. *& consult.* 175.
a num. 24. Ursaya *tom.* 8. *part.* 1. *discept.* 33. *num.* 34.
Donatus *tom.* 2. *part.* 2. *tractat.* 8. *qu.* 2. *&* 4.
ubi ad id adducit Decreta Clementis VIII. & De-
cretum Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII.
editum 21. *Septembr.* 1614. & Constitutionem ejus-
dem Urbani VIII. incip. *Religiosos viros*, ubi sic
expresse habet: *Cum itaque, sicut accepimus,
quamplures Ordinum, Congregationum, & Institu-
torum Regularium Professores ad habitum Regula-
rem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu
Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apo-
stolica Sede approbatis minime fecerint; proindeque
juxta Constitutionem fel. recordat. Clement. VIII.
prædecessoris Nostri desuper editam, Professio per
eos subinde emissa invalida existat....* Ubi nota
hæc ultima verba: *Professio per eos subinde emissa
invalida existat*, & ista, quæ infra subjungit:
*Eosdemque postquam Professionem de novo, ut præ-
fertur, emiserint &c.* ex quibus clare, & expres-
se constat, quod ad valorem Professionis requi-
ritur, quod tam Novitiatus, quam Professio fiat
in Conventibus designatis. Et tenent etiam Cor-
rad. *Prax. dispen. lib. 5. num. 6. vers. Nec non De-
cret.* Matthæucc. *Offic. Cur. cap.* 34. *num.* 20. & alii
plures, & consentire videntur Card. Petra *loc. in-
fra cit.* Monacell. *tom.* 3. *tit.* 1. *form.* 34. *num.* 4. Vi-
de verb. *Annus probationis a num. 30. ad 40.*

Viri recepti, & Professi in Conventibus non 20
designatis tenentur nullitatem suæ Professionis de-
ducere coram Sacra Congregat. Conc. quod si non
fecerint, & recedere a Monasteriis præsumpse-
rint, tamquam Apostatæ sunt puniendi. Et Su-
periores, qui in cognitione causæ se ingesserint,
vel Professos ejecerint, Censuras latæ sententiæ
incurrunt, ut habetur ex Decreto Urbani VIII.
quod per extensum referunt Donatus *tom. 2. part. 2.
tract. 8. de Domibus Noviticrum quæst. 9. num.* 8.
Corrad. *prax. dispensat. lib. 5. cap. 13. num.* 11.
Peyrin. *in suo Formular. litt. P. cap.* 20. Bordon.
tom. 1. variar. resolut. qu. 13. num. 7. & alii prout
sequitur.

Sanctissimus D. N. Urbanus Divina Providentia 21
*Papa VIII. ad occurrendum motibus, qui possint in
Religionibus oriri occasione receptionis Novitiorum,
& Professionis per eos emissæ in Conventibus non
designatis, contra formam Decretorum san. mem. Cle-
mentis VIII. de Novitiis ad Habitum Regularem,
& Professionem non admittendis, nisi in Conventi-
bus designatis, audita super hoc sententia Sacræ
Congreg. Conc. declaravit, & decrevit, hujusmodi
Receptos, ac Professos contra formam ipsorum De-
cretorum, allegantes propterea nullitatem Receptio-
nis, & Professionis, non posse super hujusmodi nulli-
tate post lapsum quinquennii quoquo modo audiri.*

*Quod si aliqui contra formam prædictorum De-
cretorum Recepti, & Professi e Religione infra
quinquennium exire, vel Superiores extra respecti-
ve illos ejicere voluerint, eadem Sua Sanctitas de-
claravit, ut tam ipsi Professi, quam Superiores re-
spective teneantur Jura, quæ sibi favere visa fue-
rint, prius deducere coram Sacra Congregatione,
quæ ex speciali etiam Suæ Sanctitatis facultate su-
per hoc concessa, providebit.*

*Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Ar-
chiepiscopis, Abbatibus, ac quibuscumque Judicibus
Ordinariis, & Delegatis, etiam Causarum Palatii
Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus,
etiam de Latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nun-
tiis, ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant
absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione sub
pœna ipso facto incurrenda, quo ad Episcopos, Ar-
chiepiscopos, Patriarchas, & Primates, Interdicti
ab ingressu Ecclesiæ; quoad Abbates, Inferiores,
& alios Judices prædictos, Excommunicationis latæ
sen-*

sententiæ: Quo vero ad Nuntios, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, indignationis Suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio imponendarum.

Si vero iidem Recepti, ut supra, & Professi Juribus suis minime deductis coram Sacra Congregatione, ausi fuerint recedere, ipsi Recepti, & Professi tamquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, nec non contra eosdem juxta formam Decret. de Regular. Apostat. & Ejectis, ejusdem Sanctitatis Suæ jussu ab eadem Congregatione sub die 21. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui ejecerint, pœnas suspensionis a Divinis, nec non privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque activæ & passivæ ipso facto; & absque alia declaratione incurrant.

Datum Romæ die 5. Januar. 1638.

Fr. Card. Verospius.

Concordat cum Originali. Ita est, Antonius de Episcopis Cancellarius Illustriss. & Reverendiss. Domini Nuncii Apostolici Venetiarum. Et sic etiam refert Card. Petra *tom.* 4. Comm. ad Constitut. 9. Sixti IV. *num.* 23.

22 Ratificare volentes Professionem nullam ob loci designati defectum, non tenentur Novitiatum reiterare, nec novum consensum Capituli exquirere, sed sufficit, quod Ratificatio, seu nóva Professio fiat in manibus Prælati, & talis nova Professio eis suffragatur in omnibus, & per omnia, tam in Foro interno, quam externo, ac si ab initio valide professi fuissent: Sic expresse statuit, & declaravit Urbanus VIII. Constitut. incip. *Alias*, quæ hic per extensum ad uberiorem notitiam adducitur.

URBANUS PAPA VIII. &c.

23 *Alias per Nos accepto, quod quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Professores, ad Habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerunt, perindeque juxta Const. fel. record. Clem. Papæ VIII. prædecessoris nostri desuper editam, Professio per eos subinde emissa invalida existebat; Nos motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, bon. mem. Scipioni Episcopo Sabinensi Cardinali Burghesio nuncupato, Majori Pœnitentiario, vel Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ceterisque Ordinariis Locorum, in quibus eorumdem Religiosorum, Monasteria, Domus seu Conventus, aliaque Regularia loca consistebant, sive ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus Generalibus per nostras in simili forma Brevis sub die 11. Aprilis MDCXXXI. expeditas litteras, commisimus, & mandavimus, quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad Habitum Regularem alias canonice recepti, annum probationis in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, minime fecerant; subindeque Professionem denuo, servatis alias servandis emittendam, quæ sic emissa illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori, suffragari deberet, absque novo probationis anno, ex speciali hujus Sanctæ Sedis benignitate, Auctoritate nostra Apostolica reciperent, & admitterent, eosdemque postquam Professionem denuo, ut præfertur, emisissent, ad omnes Gradus, Honores, Dignitates, Præeminentias, atque Habilitates, quas, si ab initio valide professi essent, legitime obtinerent, eadem auctoritate restituerent, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declararent, ita ut haberent eumdem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si priores Professiones validæ fuissent: & nondum promoti ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promoveri, & tam ipsi, quam alii ad eosdem Ordines jam recte promoti in susceptis Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare licite, & libere valerent nec non omnes actus, sive contractus, quos contraxerant, & legitime contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis Viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, aut contracti erant invalide ab iis, qui contra dictam Constitutionem in Domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbatis, professi erant, auctoritate nostra prædicta confirmarent, & approbarent, ac validos omnino declararent, super quibus omnibus & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, & impartiti sumus, & alias, prout in dictis litteris, quarum tenores, præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continentur. Cum autem, sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis Provinciis, novæ oriantur difficultates, quæ conscientias multorum solicitas habent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut super præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur omnem in præmissis ambigendi, seu excitandi materiam e medio tollere, dictorumque Fratrum quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, ac Procuratorem Generalem prædictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Apostolica auctoritate prædicta, tenore præsentium statuimus, atque ordinamus, quod in Ratificationibus, sive novis Professionibus, faciendis in manibus Prælati nova Fratrum vocalium acceptatio nullatenus requiratur; sed statim Professus intelligatur, & Filius ejus Conventus, in quo Professionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seu nova Professione qualecumque requisitum, quod de Jure requireretur, seu de facto occurreret; cum re-*

tentione eorum Graduum, Officiorum, Honorum, Dignitatum, vel Præeminentiarum, quibus ad præsens gaudent: ita tamen, ut qui de sacro Habitum Regularem dimiserint, recipiantur salva Ordinis disciplina. Decernentes, præsentes Litteras validas, firmas, efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, plenissime suffragari; irritumque, & inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis Litteris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 31. *Januarii* 1635. *Pontificatus nostri anno duodecimo.*

24 Item ad valorem Professionis requiritur, quod omnino libere libero consensu Profitentis absque metu gravi, sive cadente in virum constantem ab extrinseco injuste incusso fiat. *Communis*, per text. *in cap.* 1. *de Regularibus*, *c.* 1. *De his, quæ vi metusve causa fiunt*, *c. Præsens* 4. *caus.* 20. *q.* 3. juncto Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. ubi inter causas reclamandi contra Professionem prima ponitur: *Si quis per vim, vel metum inductus est.*

25 Dicitur autem notanter: *absque metu gravi, seu cadente in constantem virum*; quia metus levis non reddit Professionem invalidam, ut docet *Communis Doctorum*, *arg. l. Metus autem* 3. *ff. Ex quibus causis majores &c.* ibi: *Sed non sufficit quolibet terrore abductum timuisse.*

26 Sic etiam notanter dicitur: *ab extrinseco injuste incusso*, quia metus proveniens ab intrinseco, & causis naturalibus non invalidat Professionem, ut patet de ægroto, qui metu imminentis mortis, aut timore inferni, completo anno probationis, emittit Professionem, quam alias non esset emissurus, textu expresso *in capit. Sicut nobis* 17. *de Regularibus*, & concordat *cap. Perlatum est*, *de his, quæ vi, metusve causa fiunt*; Unde Fagnanus *lib.* 3. *Decretal. in cap. Si quis* 2. *de Regularibus*, *nu.* 82. refert, fuisse a Sacra Congregatione Concilii, articulo diligenter discusso, declaratum, quod si quis, ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis, Religionem profiteatur, nisi aliud obstiterit, est valide professus, licet alias professus non fuisset.

27 Hinc tenendum est, quod solus metus mortis violentæ incussus a causa libera extrinseca cadens in constantem virum invalidat Professionem. Vide verb. *Metus num.* 14.

28 Non invalidat autem dictam Professionem metus mortis naturalis, seu ab intrinseco. Vide *ibidem num.* 15. Nec dictam Professionem invalidat metus mortis accidentalis casualis. Vide *ibidem num.* 16.

29 Cur Professionem inficiat timor mortis violentæ incussus a causa libera extrinseca, & non timor mortis naturalis, vel accidentalis casualis? Vide *ibidem num.* 7.

30 Metus mortis violentæ ad hoc, ut invalidet Professionem, debet esse ab homine incussus, & ordinatus ad ipsam Professionem extorquendam. Vide *ibidem num.* 18.

Secus autem non invalidat, Vide *ibidem numer.* 19. 31

Metus reverentialis, si præcesserint minæ, vel verbera, aut Pater sit terribilis, annullat Professionem. Vide *ibidem num.* 20. 32

Professio dicitur metu facta ex precedentibus minis, aut verberibus a Patre illatis, etiam sine expresso præcepto. Vide *ibid. n.* 21. 33

Insuper volunt sufficere solum metum reverentialem absque minis. Vide *ibidem num.* 22. 34

In praxi tamen tenendum est, non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam Professionem. Vide *ibidem numer.* 23. 35

Alia de metu. Vide *ibidem per tot.* & verb. *Matrimonium quoad Impedimenta*, *art.* 1. *a num.* 98. *ad* 107. 36

Quibus adde, quod Professio emissa per vim, & metum, & ante annum 16. a Concilio Trident. præscriptum, nulla declarata est a *Sacra Congregatione Conc. in Veneta, seu Mantuana Nullitatis Professionis* 18. *Augusti* 1697. de qua Ursaya *tom.* 1. *part.* 1. *disceptat.* 3. Item Professio per vim, & metum emissa, & Novitiatu interrupto, nulla declarata est ab *ead. Sacr. Congregat. Concil. in Prænestina Nullitatis professionis* 17. *Julii*, & 12. *Novemb.* 1717. de qua Ursaya *tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 7. Item professio emissa ob metum inversionis status, & denegationis alimentorum fuit nulla declarata ab *eadem Sacra Congregat. Concil. in Romana Nullitatis professionis* 1. *Octobris* 1720. & 11. *Januar.* 1721. de qua Ursaya *tom.* 4. *par.* 1. *disceptat.* 1. 37 38 39

Item ad valorem Professionis requiritur consensus, & acceptatio illius, vel illorum, ad quos spectat aliquem ad Professionem recipere. *Communis*, *arg. cap. Porrectum* 13. *de Regularib.* ibi: *Et recipitur ab Abbate*, *cap. Ad Apostolicam* 16. *eodem*, ibi: *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente.* Et ratio est, quia cum Professio sit contractus ultro citroque obligatorius; Professum quidem obligans ad observantiam Regularem, Religionem vero ad eumdem alendum, & juxta Ordinis Constitutiones tractandum, requiritur necessario ad ipsam consensus utriusque partis, sicut in aliis contractibus reciprocis; *arg. l. In omnibus* 55. *de obligat. & action.* 40

Ad quem autem spectet Novitios ad Professionem recipere? recurrendum est ad consuetudines legitimas, Constitutiones, & Privilegia cujuscumque Ordinis, ut *in cap. Si ad solum* 6. *de Regularibus in* 6. ubi id notat Glossa verb. *Pertineat*, Fagnan. *in cap. porrectum* 13. *de Regularibus num.* 34. cum Archidiacono, Jo: Andr. Ancharan. Geminian. Fran. Abbat. Navarr. ibi citatis. 41

Unde in illis Religionibus, in quibus receptio ad Professionem spectat ad Prælatum cum consensu, & suffragio Religiosorum Conventus, non potest Prælatus solus sine tali consensu, & suffragio aliquem ad Professionem recipere; aliter si non concurrat saltem major pars Capituli, talis 42

Professio erit nulla. *Communis*, per text. *in cap. Ea noscitur*, 7. *De his, quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli*, ibi: *Quod fiant de Collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem*, & concordant *cap. Novit* 4. *& cap. Quanto* 5. *eod.*

43 Ubi autem receptio ad Professionem spectat ad solum Prælatum sine consensu, suffragio, aut consilio Religiosorum Conventus, tunc Professio ab ipso solo, alias legitime recepta, erit valida. Nec Prælato defuncto, aut absente poterit a Conventu aliquis ad Professionem valide admitti. *Communis*, per text. *in cap. Si ad solum 6. de Regularibus in 6.* ibi: *Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto, nequibit novus Monachus a Con-*
44 *ventu creari*. Poterit tamen Conventus valide ad Professionem admittere, Prælato defuncto, ubi receptio ad Professionem spectat insimul ad utrumque, textu expr. *in cit. cap. si ad solum*, ibi: *Alias poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque*.

45 In Ordine nostro Fratrum Minorum de Observantia talis facultas competit Generalibus, & Provincialibus privative quo ad alios, *c.* 4. *Regul. S. Francisci*, relat. & confirmat. ab Honorio III. Constitut. incip. *Solet*, & expressius habetur *in c. Exiit, de verbor. signific. in 6.* §. *Sed quoniam*, ibi: *Concedimus, & præsenti statuto firmamus, licere non solum Generali, sed etiam Provincialibus Ministris personas fugientes a Sæculo in Fratres recipere, quæ Ministrorum Provincialium licentia per ipsum Generalem (sicut expedire viderit) possit arctari. Vicarii vero Provincialium Ministrorum ex Officio Vicariæ licentiam hanc sibi viderint interdictam, nisi per Ministros eosdem (quibus hoc posse committere Vicariis, & aliis licere decernimus) hoc ipsis Vicariis specialiter committatur*. Ubi nota, quod pro Vicariis, quibus Pontifex dicit licentiam hanc admittendi ad Professionem esse interdictam, intelliguntur solum Vicarii illi, seu Commissarii Provinciales, qui in absentia dictorum Provincialium relinquuntur ad Provinciarum gubernium. Non autem illi Vicarii Provinciales, qui secuta morte, vel legitima renunciatione Ministri Provincialis, eliguntur: nam istis competit talis facultas ex Officio, sicuti competit ipsismet Provincialibus, cum in re ab ipsis non differant, ut recte observat Matthæucc. *Official. Curiæ cap.* 41. *Officialis quoad professionem num.* 4.

46 Ut autem valide possit Generalis, vel Provincialis ad Professionem recipere, requiritur consensus, & suffragium majoris partis Religiosorum in Conventu Novitiatus a duobus saltem mensibus ibi actu de familia existentium, ut statuit Innocentius X. Constitut. incip. *Ad propagandam* §. 3. ibi: *Qui postea quarto quoque mense a Communitate Fratrum Conventus ipsius Novitiatus a duobus saltem mensibus ibi actu de familia existentium per secreta majoris partis suffragia habiles inventi fuerint, elapso anno post susceptum Habitum ad Professionem admittat*. Vide ipsam Constitutionem relatam a Lantusca *in Theatr. Regular. verb. Novitius n.* 4. In novissimo Capitulo Generali totius nostri Ordinis celebrato Mediolani 1729. *die* 3. *Junii* in Conventu S. Angeli (cui interfui & ego, dum Ministrum Provincialem, licet immerito, agerem) *in statuto pro Cismontana Familia n.* 48. fuit dispositum ut infra: *In paritate votorum, dum tertia vice feruntur pro Novitiis ad professionem admittendis, statuitur, ut absque ulla ulteriori computatione Novitius expellatur, nisi aliter in Domino censuerit P. Provincialis, qui in hoc votum decisivum habere, vel aliam computationem imponere valeat*.

Prælatus potest aliis committere, ut nomine suo 47
Novitios ad Professionem recipiant. *Communis*, *arg. cap. Ad Apostolicam 16. de Regularibus*, ibi: *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente*. Et ratio est, quia, ut expresse dicitur *in cap. Potest 68. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*.

Ad valorem *professionis expressæ* non requiritur 48
certa verborum forma, sed sufficit quælibet, quibuscumque sit verbis concepta; Dummodo profitens per ea, ad tria vota & certam Regulam se adstringere revera intendat. *Communis*, *arg. cap. porrectum* 13. *de Regularibus*; Et ratio est, quia, ut dicitur *in cap. nihil obstat 7. de verbor. signific. cat. Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur*, & in ejus Summario expresse habetur: *Non vitiat factum vario modo narratum, ubi idem in substantia concluditur*. Valde tamen expedit, 49
& omnino convenit, ut adhibeatur propria, & consueta cujusque Religionis formula. *Communis*.

Professio expressa potest valide fieri, non so- 50
lum expressis verbis, seu scriptis, sed etiam signis, & nutibus, ut si Prælatus dicat: vis ne tu vovere, seu profiteri Religionem nostram? Et Novitius annuat capite, vel alio claro signo, vel nutu indicet se de facto talem Religionem, seu Regulam profiteri. Pirhing *lib.* 3. *Decret. tit.* 32. *n.* 96. *& seq.* Reiffenstuel *ibidem n.* 174. Miranda *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 1. Donatus *tom* 2. *part.* 2. *tract.* 10. *qu.* 4. Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 3. *n.* 21 Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *num.* 1. & alii passim; Nullibi enim in Jure reperitur, quod ad valorem Professionis requiratur, quod fiat verbis, vel scriptis.

Professio expressa potest etiam fieri per Procu- 51
ratorem. Pirhing *loc. cit. n.* 101. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 174. Donat. *loc. cit. q.* 3. Rodriquez *tom.* 3. *q.* 17. *art.* 13. & alii communiter; Sicut enim potest fieri per Procuratorem Matrimonium carnale, ita & Matrimonium spirituale, cum valeat argumentum a Matrimonio carnali ad spirituale, *arg. cap. Inter corporalia 2. de translatione Episcop. & cap. Quoniam frequenter* §. *Porro*, *Ut lite non contestata*.

Professio tacita non est revocata, seu ablata per 52
Concilium Trid. *cit. sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularib.* Sed adhuc in suo pristino valore manet, & fieri valide censetur, si ad ipsam concurrant ea, quæ a Tridentino *loc. cit.* præscribuntur, scilicet quod Novitius annum 16. jam compleverit, & per annum integrum in probatione, seu Novitiatu steterit. *Communis, ac certa*; Sic enim expresse declaravit *Sacra Congreg. Concilii* apud Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. cap. Ad nostram 8. de Regularibus nu.* 8.

Barbos.

Barbos. *in Summa Apostolic. decis.verb. Professio Regular. num.* 13. Novar. *in Lucerna Regular. verb. Professio num.* 14. Donat. *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 10. *quest.* 21.

53 Hinc si quis, expleto anno decimo sexto, annoque probationis finito, exerceat actus, qui ad solos Professos pertinent, uti est deferre patenter eorum habitum, promoveri ad Sacros ordines, eligi, vel eligere in Capitulo, & similia, tacite profiteri censetur; *cap. Vidua* 4. *& cap. Porrectum* 13. *de Regularibus, cap. Nullus, de elect. in* 6. *Clementin. Eos qui* 2. *de Regularibus*, & sæpius declaravit *S. C. C.* apud Fagnan. *l.* 3. *Decretal. in cap. Ad nostram* 8. *de Regularibus n.* 8.

54 Ad hoc autem, ut Professio tacita sit valida, requiruntur quinque potissimum conditiones. Prima, quod Novitius exercens actum ad solos Professos spectantes sciat, quod per talem actum inducitur Professio tacita; Secus si ignoraret, quia ignorans, & errans non consentit; *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur. & facti ignorantia*, ibi: *Cum nullus sit errantis consensus*, *l. Si per errorem* 15. *ff. De Jurisdict.* ibi: *Cum, ut Julianus scribit, non consentiant qui errant. Quid enim tam contrarium consensui, quam error?* Secunda est, quod ad talem Professionem concurrat consensus illius, qui potest ad Professionem recipere; *arg. c. Porrectum* 13. *& c. Ad apostolicam* 16. *de Regul.*, & patet ex dictis *supra n.* 40. Tertia est, quod fiat sponte, & libere, sine vi, & metu; *arg. cap.* 1. *& cap.* 4. *de Regularibus, cap.* 1. *De his, quæ vi, metusve causa fiunt, c. Præsens* 4. *caus.* 20. *qu.* 3. juncto Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. & patet ex dictis *supra numer.* 24. *& seq.* Quarta est, quod Novitius tales actus ad solos Professos spectantes exercens habeat animum tacite profitendi; *arg. cap.* 1. *de Regularibus*; Actus enim agentium non operantur ultra voluntatem eorum; *leg. non omnis* 19. *ff. Si certum petatur.* Quinta, quod sit in legitima ætate constitutus, & completo probationis anno ad præscriptum Concilii Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularibus*, & juxta declarationem Sacræ Congregationis Concilii apud Fagnan. *l.* 3. *Decretal. in cap. Nullus* 1. *de Regular. sub num.* 8. *vers. Et hanc sententiam*, ibi: *Nam cum dubitatum esset, an tacita Professio, quæ non est exclusa Decreto Concilii, inciperet completo decimo sexto anno, & an statim post dictum tempus emissa censeretur? Sacr. Congreg. respondit, tacitam professionem incipere a prima hora post perfectum annum decimum sextum, & finire anno decimo septimo.* Et eamdem Sacræ Congreg. declarationem refert *in cap. Ad nostram* 8. *de Regularibus num.* 30. ubi eam conciliat cum ejusdem Congregationis declaratione, & concludit, quod annus decimus septimus debet esse completus ex eadem Sacr. Congregat. quæ dixit tacitam Professionem induci post annum, & diem, juxta text. *in c. Puellam* 2. *caus.* 20. *qu.* 2. ibi: *At si per annum, & diem*. Vide ipsum *ibi*, quem sequitur Matthæuc. *cap.* 41. *Officialis quoad Professionem n.* 6.

55 Alia ad rem, vide verb. *Annus probationis*, verb. *Habitus*, verb. *Monialis art.* 1. verb. *Novitius*.

An professus ignoranter ante 16. ætatis annum ex errore fidei Baptismalis, si exerceat postea actus solitos a Professis fieri, censendus sit tacite Professus? Variant Doctores. Negativam enim sententiam tenent plures cum Rota *in Mediolanensi Nullitatis Professionis* 3. *Martii* 1690. *coram Emerix*, pro qua 18. Theologos, & 17. Juristas cumulat, ac recenset sæpius fuisse ab eadem Rota resolutum, ut videri potest in ipsa Rotæ decisione, quæ est 14. inter impressas apud Monacell. *tom.* 2. *in Appendic.* Quam opinionem Matthæucci *loc. cit. num.* 7. dicit videri communiorem, & in puncto Juris veriorem, ipsamque sequitur Monacell. *loc. cit.* & revera videtur in praxi sequenda. Affirmativam autem sententiam defendunt Fagnanus *lib.* 3. *Decretal. in cap. Significatum* 11. *de Regular. a num.* 19. *usque in finem*, Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 85. *nu.* 5. *& consult.* 146. *n.* 53. Antonell. *de Tempor. legal. l.* 2. *c.* 63. Ventrigl. *prax. tom.* 1. *Annot.* 47. §. *Unic. num.* 30. Barbos. Panimol. Diana, & alii plures citati a Rota *in dicta Mediolan. num.* 3. referentes sic pluries fuisse resolutum *a Sacra Congreg. Conc. ut in Romana* 28. *Maii* 1578. *in Nullius* 13. *Januarii* 1618. *in Neapolitana* 3. *April.* 1621. *in alia Romana* 28. *Augusti* 1621. *& in Camerinen.* 14. *Dec.* 1724. Quas Sacræ Congregationis resolutiones vivæ vocis Oraculo laudavit, & approbavit san. mem. Urbanus VIII. ut testatur bon. mem. Card. Paulutius, tunc ipsius Sacræ Congr. a secretis, in ejus voto recensito in liberculo particulariter dato. Sic Rota *in dicta Mediolanen. num.* 3. Quæ tamen *ibid. n.* 11. clare demonstrat, prædicta Decreta Congr. Concilii, ut præfertur, Apostolico Oraculo roborata, non esse applicabilia ad præsentem casum. Unde, hoc stante, videtur in praxi esse sequendam dictæ Rotæ sententiam. Vide *ibi*. 56

Hermaphroditus non est admittendus ad Professionem, neque in Monasterio sexus in ipso prævalentis. Vide verb. *Hermaphroditus num.* 18. 57

Hinc Sacra Congregat. Concil. decrevit, quod Hermaphrodita mulier recepta in aliquo Monasterio non est admittenda ad Professionem, etiam si sexus femineus prævaleat. Vide *ibidem numer.* 19. 58

Immo Hermaphrodita, si fiat Monialis, Professio irrita est. Vide *ibidem num.* 20. 59

Religiosus Professus non potest a Religione ejici sub prætextu, quod laboret morbo gallico, lepra, vel alio morbo incurabili reticito tempore Professionis, quia de Jure communi nulla est ægritudo, etiam mortifera, quæ annullet Professionem; Donat. *de Regul. tom.* 4. *part.* 2. *tr.* 3. *de qualitat. recipiend. q.* 25. *n.* 6. *& seq.* Monacell. *t.* 1. *in Append. Adnot. ad Decret. de ejectis n.* 4. & alii; Et quod proinde talis ejectio sit nulla declaravit nuper *Sacra Cong. Conc. in Siracusana Ejectionis* 1. *Septemb. & in Cameracen. Ejectionis* 22. *Dec.* 1691. Nisi tamen adesset speciale Statutum Religionis a Papa ad id confirmatum, quod asserunt habere PP. Capucc. Passerin. *de statib. homin. to.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *insp.* 4. *n.* 155. *& tribus seq.* Monacell. *l. cit. num.* 4. & novissime *Sacr. Congreg. Concil. in Provinciæ Romanæ Capuccinorum* 1. *Jul.* 1724. de Professione 60 61

ne emissa a Religioso, qui tacuit morbum habitualem.

62 Statutum tamen hujusmodi non suffragatur, si morbus incurabilis superveniat post Professionem quia tunc nec Religiosus ita infirmus posset e Claustris egredi, nec Religio illum dimittere, ut respondit *Sacra Congr. Episcopor. & Regular. in una Capucinorum 5. Septembr. 1692.* pro Fratre Secundo a S. Damiano, qui cum diu profugus a Religione vagasset, & declarari, se non teneri ad Religionem redire, neque Religionem illum recipere (ex quo morbo gallico incurabili laboraret) petiisset, sub dicta die prodiit Rescriptum: *Teneri redire, & Superiores teneri recipere.* Sic præcise apud Monacell. *loc. cit. num. 5.*

63 Professus per simulationem in Monasterio Monialium, ex inhonesta causa, licet non sit Monachus, tamen cogitur in alio Monasterio manere in pœnam commissi delicti: Sicut etiam Professa per simulationem in Conventu Virorum ex inhonesta causa, licet non sit Monialis, tamen cogitur in alio Monasterio manere in pœnam commissi delicti; *cap. Quod interrogasti 6. dist. 27.* Fagn. *lib. 4. Decretal. in cap. Consuluit 4. Qui Clerici vel voventes n. 25.* cum pluribus aliis ibi citatis, *arg. c. Si quis Clericus 10. cap. Romanus 11. dist. 81. c. Si qua Monacharum 28. caus. 27. q. 1.*

64 Novitius, qui post annum probationis exit e Monasterio de licentia Superiorum, inde ad triennium reversus potest statim profiteri, nisi Religionis, aut personæ conditio sit immutata. Sic expresse censuit *Sacra Congreg. Concil.* apud Fagn. *lib. 3. Decret. in cap. Ad Apostolicam 16. de Regularibus n. 43.* ibi: *Cum olim dubitatum esset in Sacra Congregatione Concilii, an is, qui, Habitu Regulari suscepto, annum integrum mansit in Religione, eoque elapso, gravi morbo correptus, & propterea Professione nequaquam emissa, permissu Superiorum ad sæculum rediit, posset inde ad triennium morbo liberatus, & ad Monasterium reversus, protinus emittere Professionem, non expectato alio probationis anno, vel potius per alium annum stare in probatione teneretur? Sacra Congregatio censuit posse statim emittere Professionem, non expectato alio probationis anno, nisi Religionis, aut personæ conditio sit immutata.*

65 Quicumque nulliter Professus potest reclamare contra suam nullam Professionem, ex quacumque causa sit nulla, dummodo servet dispositionem Concilii Trid. *Communis*, per text. in ipso Concilio Trident. *sess. 25. de Regularibus cap. 15.* ibi: *Quicumque Regularis prætendat se per vim, vel metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque Habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum Habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si antea Habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur, interim vero nullo Privilegio sui Ordinis juvetur.*

Ad legitimam reclamationem contra nullitatem 66
Professionis tres potissimum conditiones sunt necessariæ, quarum una si negligatur, aut omittatur, reclamans non auditur, sed ad Monasterium redire cogitur, vel nondum egressus ibidem manere compellitur. *Communis.*

Prima igitur conditio est, quod reclamans ante 67
deductionem, & probationem nullitatis suæ Professionis coram legitimo Judice faciendam, Habitum non deponat, nec etiam absque licentia Superioris cum Habitu propria auctoritate a Monasterio discedat; textu expresso in Concil. Trident. per verba adducta *supra n. 65.* Et sæpius respondit *Sacr. Congr. Conc.* & signanter *in Bononien. 4. Jun. 1689. in Claramontan. 29. Novemb. 1692. in Bituntina 23. Mart. 1697. in Mantuana 15. Jun. ejusdem anni 1697. in Giennensi 9. Aprilis 1701.* & alibi frequenter rescribendo contra illos, qui propria auctoritate deposuerunt Habitum, & a Monasterio discesserunt, & petunt audiri: *Reassumat Habitum, redeat ad Claustra, & postea supplicet.* E- 68
tiamsi egressi vellent transire ad aliam Religionem, ut declaravit *Sacr. Congreg. Episcop. in Provincia Bœtica 30. April. 1700.* Immo etsi tamquam 69
incorrigibiles, servata forma Constit. Apostolicarum, fuissent ejecti. *Sacra Cong. Conc. in Papien. Restitut. in integrum 15. Mart. 1690.*

Si tamen aliquis Religiosus, vel Religiosa non 70
temere, sed ex aliqua justa causa, vel sine Habitu a Monasterio aufugeret, & ad Urbem accederet, seu ad majorem Superiorem, vel Ordinarium, seu aliud Monasterium se transferret, quia v. g. non posset a Superiore licentiam adeundi obtinere, vel prohiberetur coram Ordinario causam nullitatis proponere, seu Procuratorem ad reclamandum constituere, & hujusmodi; tunc posset, reassumpto Habitu, etiam extra Claustra audiri, prout plures auditos fuisse tempore suo, testatur Navarrus *Comment. 4. de Regularibus nu. 78.* & tenent Sanchez *l. 7. de Matrimonio disp. 37. nu. 3.* Pirhing *lib. 3. Decret. tit. 31. n. 152.* Reiffenstuel *ibid. n. 196.* Monac. *t. 4. tit. 1. form. 36. n. 2.* & alii communiter.

Secunda conditio est, quod reclamans causam 71
nullitatis Professionis ante egressum coram Superiore suo, & loci Ordinario legitime deducat, & probet. *Communis*, textu expresso in Conc. Trid. *loc. cit.* ibi: *Et tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* Pro *Superiore suo* hic intelligitur Superior 72
localis, seu Conventus, aut Monasterii, v. gr. Prior, Guardianus, Abbas, Rector, & hujusmodi, & non Supremus Ordinis, vel Provinciæ, ut communiter tradunt Doctores, & censuit *S. C. Conc. in Meten. & Romana 7. April. 1629.* apud Barb. *in Summa Apostolic. dec. verb. Professio Regularis n. 12.* & supra Trid. *sess. 27. cit. cap. 19. num. 12.* Nisi aliud habeant Religionum Constitutiones, & legitimæ consuetudines, ut hujusmodi causæ deducantur coram Provinciali, uti docent Bordon. *tract. De Profess. c. 7. num. 29.* Pellizar. *tom. 1. tract. 3. c. 5. n. 35.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 197.* & alii. Et pro *Or-* 73
dinario intelligitur Episcopus Diœcesis illius, in qua existit Conventus, seu Monasterium nulliter Professi, aut Professæ. *Communis*, & censuit *S. Cong.*

Congreg. Conc. 1. *Decembr.* 1593. *&* 12. *Decemb.* 1665.

74 Reclamans pro nullitate suæ Professionis debet causam deducere, & probare coram Superiore Religionis, & Ordinario conjunctim, seu copulative, etiamsi agatur de nullitate ratione morbi, seu alterius defectus naturalis, ut respondit *Sac.Cong. Conc.* 1. *Decembr.* 1593. *&* 12. *Decemb.* 1665. apud Monacell. *tom.* 2. *in Appendic. adnotat. ad decis.* 15. *n.* 1. Et hæc facultas cognoscendi causam nullitatis

75 Professionis conjunctim cum Episcopo competit Superioribus etiam in casu, quo Religio se opponat, & contradicat, ut declaravit *eadem S. Congr. Conc. in Olomucen.* 10. *Jun.* 1684. apud Monacell. *loc. cit. n.* 2.

76 Reclamans autem pro nullitate suæ Professionis, eo quod eam, & Novitiatum emiserit in Conv. non designato, tenetur etiam infra quinquennium causam deducere immediate coram Sacra Congregatione Concilii: Non enim potest nullitatem suæ Professionis provenientem ex hoc capite deducere coram suo Superiore, & loci Ordinario. Et sic resolvit novissime *Sacr. Cong. Conc. die* 24. *Septemb.* 1740. & confirmavit Bened. XIV. 28. *Septemb. ejusdem anni* 1740. ut patet infra in fine hujus *n.* 76. Nec ipsi in hoc se possunt ingerere sub gravissimis poenis, ut patet ex Decreto Urbani VIII. adducto *supra sub num.* 21. An autem hoc Urbani VIII. Decretum de non reclamando etiam infra quinquennium, nisi coram Sacra Congreg. Conc. comprehendat etiam dispositionem Concilii Tridentini, *c.* 19. *sess.* 25. *de Regularibus*, ita ut nullitas Professionis proveniens etiam ex aliis capitibus nequeat hodie, sicut poterat prius, ex dicta Conciliari dispositione cognosci, & declarari per Superiorem Regularem, & loci Ordinarium? Variant Doctores. Plurimi enim communius sustinent negativam sententiam, nempe non obstante dicto Urbani Decreto, posse adhuc hodie ab Ordinario loci, & Superiore Regulari, sicuti prius, cognosci, & declarari nullitatem Professionis provenientem ex vi, metu, vel alio capite, præterquam enumeratis in dicto Urbani decreto, idest Novitiatu, & Professione peractis in Conventu non designato, quia dictum Urbani VIII. Decretum loquitur solum de iis, qui se prætendunt nulliter professos, eo quod Novitiatum peregerint, & Professionem emiserint in Conventu non designato, & contra formam Decreti Clementis VIII. non autem de iis, qui prætendunt suam Professionem nullam, eo quod illam emiserint per vim, aut metum, ante requisitam ætatem, aut Novitiatu non integre completo, & hujusmodi: Unde non obstante dicto Urbani Decreto, manet adhuc in suo robore Conciliaris dispositio, *in c. cap.* 19. *sess.* 25. *de Regularibus*, quo ad nullitatem Professionis ex aliis capitibus provenientem cognoscendam, & declarandam a superiore Regulari, & loci Ordinario. Sic Pellizzarius *tract.* 5. *cap.* 5. *sect.* 2. *num.* 37. *& cap.* 1. *eod. tract. sub n.* 60. ubi ait secum ita sensisse alios viros doctos, Pignat. *t.* 9. *consult.* 176. *n.* 32. Moronus *Res. mor.* 82. *n.* 184. Panim. *d.* 42. *n.* 13. Card. de Luca *de Regularibus disc.* 41. *n.* 8. *disc.* 42. *n.* 8. *& Annot. ad Conc. discurs.* 41. *n.* 2. Ventriglia *tom.* 1. *annot.* 47. *n.* 26. Barbosa *in Conc. Trident. cit. sess.* 25. *de Regularibus c.* 19. *n.* 21. *& de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 164. *num.* 12. Fr. Emmanuel *tom.* 1. *q.* 36. *art.* 3. Ludov. Beja *respons. casuum conscientiæ part.* 4. *casu* 18. Novarius *in Lucerna Regular. verb. Nullitas* 1. *pag.* 177. Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 26. *n.* 3. Bonacina *de Clausura, & pœnis eam violantibus impositis q.* 2. *punct.* 10. *diffic.* 3. *n.* 3. Aloysius Riccius *in praxi aurea resolut.* 20. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *n.* 151. Reiffenst. *ibidem n.* 197. & innumeri alii absolute dicentes, quod reclamans pro nullitate suæ Professionis debeat causam deducere coram Superiore suo, & loci Ordinario, juxta claram, & expressam dispositionem Concilii *loc. c.* ibi: *Et tunc non* aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.

Affirmativam autem sententiam, nempe dictum Urbani VIII. decretum de non reclamando etiam infra quinquennium, nisi in Sacra Congr. Concilii, comprehendere etiam dispositionem Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 19. tuentur varii alii, & signanter doctissimus Donatus *Prax. rerum Regul. tom.* 2. *tractat.* 17. *quæst.* 28. *per tot.* Remigius Scropha *in moral. quæst.* 8. *art.* 10. Pyrrhus Corradus *in praxi dispensat. Apostolic. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 11. Matthæuc. *Official. Curiæ cap.* 41. *num.* 17. expresse dicens, quod *declaratoria nullitatis ex stylo Curiæ est de reservatis Sacræ Congregat. Concil. adeo ut ante ipsam, licet prius causæ nullitatis coram Ordinario, & Superiore fuerint productæ, non dicatur legitime, & authentice de ipsa nullitate constare.* Et id colligunt ex illis verbis Decreti Urbani VIII. ibi: *Ad occurrendum motibus, qui possent in Religionibus oriri*, quæ verba, cum sint generalia, includunt omnes casus, & generaliter sunt intelligenda, *arg. cap. Quia circa* 22. *de privilegiis*, cum similibus. Item ex illis: *Inhibendo &c. ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione.* Quæ dictio, cum sit pariter universalis, continet omnes modos etiam improprios *ex leg. Quidam §.* 1. *ibid. Gloss. ff. de Fideicommiss. liber.* & notat Menoch. *consil. num.* 19. ubi ait, quod includit modos majores expressis, & facit aliqua comprehendere, quæ alias minime comprehenderentur. Sic Donatus *cit. qu.* 28. ubi *num.* 8. expresse subjungit: *Nec Dices Decretum prædictum loqui tantum de prætendentibus reclamare super nullitate Professionis orta ex defectu Novitiatus facti in loco non designato: Secus autem in aliis, quia in dicto Decreto nulla reperitur dictio taxativa. Unde etsi occasio reclamandi fuerit desumpta ex Novitiatu indebite facto, provisio tamen facta est universaliter in favorem Religionis, & ad occurrendum motibus omnibus volentium reclamare super nullitate Professionum undecumque, & quomodocumque prætensa, & hoc pro communi quiete Religiosorum.* Cui consonat Remigius Scropha *citat. qu.* 8. *art.* 10. sic expresse ad rem dicens: *Immo rigorosius procedit contra istos, nam virtute Concilii infra quinquennium poterat nulliter Professus prætendere nullitatem coram Superiore suo, & Ordinario. Modo hoc non sat est, non enim potest coram*

coram Superiore litigare, *sed oportet ire ad Sacram Congregationem*. Et peritissimus practicus de his materiis Pyrrhus Corradus *in cit. praxi dispensation. Apostolic. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 11. *in fine* sic expresse concludit: *Quinimmo licet antea de stylo introductum videretur*, *ut etiam infra quinquennium pro hujusmodi irritanda Professione ad Romanam Curiam*, *ejusque Signaturam recurreretur*, *per quam ejusdem nullitatis declaratio committi consueverat eo item modo*, *quo ab ipso Concilio statutum est*, *nimirum Ordinario loci*, *& Superiori domus cum clausula*, dummodo quinquennium lapsum non sit; *ac indubitanter adhuc etiam potuisse eosdem Superiores absque speciali Rescripto intra dictum tempus super hujusmodi nullitate pronunciare*, *ex quo contrarium colligi non potest ex contextu prædicti Concilii*. *Attamen hodie omnis prorsus difficultas sublata est*, *cum Sacra Congregatio Conc. tam super hoc*, *quam aliis capitibus circa hujusmodi Professionem quid de cetero observandum sit*, *statuerit*, *dum præcipit*, *quod etiam infra quinquennium requiratur specialis Summi Pontificis commissio*. *Cujus quidem Decreti tenorem*, *cum etiam quoad alios casus satis inconcusse servetur*, *hic annectere visum est*: & adducit ipsum Decretum a nobis jam adductum *supra num.* 11. Vide ibi.

Unde si verum sit, quod dicti Decreti tenor etiam quoad alios casus satis inconcusse servetur, & ut dicit Matthæucc. *loc. cit.* declaratoria nullitatis Professionis ex stylo Curiæ sit de reservatis Sacræ Congregationi Concilii, non est ab hac sententia recedendum; Quia stylus Curiæ facit jus, sicut Lex Canonica, aut Constitutio Papalis, text. in *c. Quam gravi 6. de crimine falsi*, & expresse docent Pitonius, *part.* 2. *disceptat.* 47. *num.* 14. Gomez in *Regul. de subrogand. qu.* 15. *num.* 4. *in fine*, *& in Regul. de Triennal. q.* 7. *n.* 3. Ursaya, *tom.* 4. *part.* 2. *discept.* 19. *num.* 133. *& seq.* & alii passim. Stylus enim Curiæ dicitur interpres voluntatis Principis. Card. de Luca *de Iudic. discurs.* 3. *num.* 20. Tum quia dictum Urbani Decretum editum est ad *occurrendum motibus*, *qui possent in Religionibus oriri*, ut in ipso expresse dicitur: Dicti autem motus possunt in Religionibus oriri, non solum in reclamationibus pro nullitate Professionum emissarum in Conventibus non designatis, sed etiam in reclamationibus pro nullitate Professionum proveniente ex aliis capitibus. Unde videtur dictum Decretum observandum esse in omnibus reclamationibus pro nullitate Professionum ex quocumque capite proveniente, cum ubi eadem est ratio, eadem sit Legis dispositio; *l. Ideo* 27. *ff. de Legibus*, *l. Illud* 32. *ff. Ad Legem Aquiliam*, *& c. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi*. Si autem talis non sit tenor, & Stylus Curiæ, tenenda est prima sententia propter nimis claram dispositionem Concilii Tridentini *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 19. expresse statuentis, quod reclamans pro nullitate suæ Professionis debet causam deducere coram Superiore suo, & loci Ordinario nullum aliud Tribunal nominando, & requirendo. Tum quia dicum Urbani Decretum solum disponit recurrendum esse ad Sacram Congregationem Concilii pro nullitate Professionis orta ex defectu Novitiatus, & Professionis emissæ in Conventu non designato. Ne verbum quidem facit de nullitatibus Professionum provenientibus ex aliis capitibus. Unde non est facienda extensio de casu ad casum; quia quod voluit, expressit, & si quid aliud voluisset, expressisset, *arg. c. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi* §. *Sed neque istud*; *cap. Quia circa* 22. *de privilegiis*, *& c. Ad audientiam* 12. *de decimis.* Et de facto pro prima sententia resolvit novissime Sacra Congreg. Concil. 24. Septembr. 1740. & confirmavit Benedict. XIV. 28. Septembr. ejusdem anni 1740. dummodo causa nullitatis professionis proponatur cor. Ordinario, & Superiore Regulari conjunctim, & intra quinquennium a die professionis, quo elapso, recurrendum est omnino ad Sedem Apostolicam. Sic apud Thesaur. Resol. Sac. Congr. Conc. d. ann. 1740.

Tertia conditio est, quod reclamans proponat 77
causam nullitatis intra quinquennium a die Professionis. *Communis*, textu expresso in Concil. Trident. *loc. cit.* ibi: *Non audiatur*, *nisi intra quinquennium tantum a die Professionis* . . . . . *causas*, *quas prætenderit*, *deduxerit*.

Hinc via ordinaria post quinquennium in Fo- 78
ro externo non amplius audiendus est reclamans contra Professionem, etiamsi alleget, quod intra quinquennium ignoraverit nullitatem Professionis suæ, vel alias absque culpa sua a reclamando impeditus fuerit. Sic pluries declarasse *Sacram Congregationem Concil.* refert Fagnan. *lib.* 1. *decretal. in cap. Perlatum est* 1. *De his*, *quæ vi*, *metusve causa fiunt num.* 40. his verbis: *Professi per vim*, *& metum*, *elapso quinquennio a die Professionis*, *non sunt audiendi*, *nisi infra quinquennium reclamaverint*, *etiamsi prætendant vim*, *& metum semper durasse*, *ut olim*, *articulo sæpius discusso*, *respondit Sacra Congr. Conc.*, *cujus sententiam Gregorius XIII. ad se relatam approbavit*, & idem tenet, & refert Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 37. his verbis: *Felicis recordationis Gregorius XIII. ex sententia Cong. Conc. declaravit*, *eos*, *qui per vim*, *vel metum se ad Religionem prætenderent* (fuisse adductos) *nisi intra quinquennium reclamaverint*, *eo elapso*, *non esse audiendos*, *tametsi allegent vim*, *& metum semper durasse*: & sic tenent Donatus *tom.* 1. *tract.* 12. *quæst.* 13. *num.* 4. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 45. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 18. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 202. & alii passim, *arg. Conc. Trident. loc. cit.* ubi expresse dicit, quod quinquennium durat a die Professionis tantum, ibi: *Nisi intra quinquennium tantum a die Professionis*; quæ particula *tantum* est exclusiva affirmans id, quod ponit, & negans omnes alios casus præter expressos; *l. Ob æs alienum* 12. *Cod. de Prædiis*, *& aliis rebus Minorum*, *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris* cum similibus; Tum quia Concilium statuit quinquennium ad reclamandum concessum incipiendum esse a die Professionis, & non a die notitiæ nullitatis Professionis, vel cessantis impedimenti. Et quod quinquennium ad reclamandum incipiat a die Professionis, & non a die sublati impedimenti, vel impo-

potentiæ reclamandi declaravit novissime *Sacra Congregat. Concil. in Melevit. Nullitatis Professionis* 17. *Maii* 1723. teste Ursaya in *Miscellan.* 1. *litt. Q. num.* 19.

79 Unde, qui vult reclamare post quinquennium elapsum, debet obtinere restitutionem in integrum a Papa, cum Ordinarius post elapsum quinquennium a die emissæ Professionis non possit amplius se ingerere, ut disponit Tridentinum *cit. sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularib.* & ad obtinendam dictam restitutionem in integrum debet in simplici libello saltem summarie exprimere causas nullitatis suæ Professionis una cum causa, ob quam non potuit intra quinquennium reclamare; tunc enim solet a Papa, seu a Sacra Congregatione Concilii, vel Episcopor. & Regul. concedi restitutio in integrum, constito de nullitate, & impedimento reclamandi intra quinquennium. Barbos. in Trident. *cit. sess.* 25. *cap.* 19. *num.* 9. cum aliis ibi citatis, Sanchez *loc. cit. num.* 22. Donatus *loc. cit. quæst.* 14. *&* *tom.* 4. *tract.* 12. *de profession. Monialium qu.* 30. *num.* 2. Reiffenstuel *loc. c. n.* 204. Monac. *tom.* 3. *tit.* 1. *formul.* 36. *num.* 3. & alii passim; & sic sæpius respondit *Sacra Congreg. Conc.* & signanter in *Colimbr.* 24. *April.* 1630. *in Mantuana* 16. *Maii* 1697. *in Melevitana restitutionis in integrum* 15. *Decemb.* 1703. *in Neapolitana restitutionis in integrum* 7. *Septemb.* 1718. *in Ceneten. restitutionis in integrum* 16. *Mart.* 1720. & sæpe alibi. Religiosus tamen recurrens intra quinquennium, & post ipsum reassumens instantiam non indiget restitutione in integrum, ut fuit resolutum *a Sacra Congreg. Concil. in Ceneten.* 16. *Martii* 1729.

80 Vir Professus in Monasterio Monialium est illico ejiciendus, non obstante lapsu quinquennii, ut pluribus adductis probat Fagnan. *lib.* 1. *decretal. in cap. Perlatum est* 1. *De his, quæ vi, metusve causa fiunt, num.* 41. Vide *supra num.* 63.

81 Nulliter Professus certo sciens coram Deo, & in conscientia ex aliquo essentiali defectu suam Professionem esse nullam, si nolit eam ratificare, potest tuta conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere; Dummodo tamen sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, aut præjudicio abire possit. Navarr. *lib.* 3. *consil.* 89. *de Regularibus*, Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 37. *n.* 11. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. Donatus *tom.* 2. *tract.* 12. *q.* 21. Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 31. *num.* 184. Reiffenstuel *ibidem num.* 207. & ipso teste *Communis aliorum*.

82 Si autem nulliter Professus absque scandalo, aut alio majori incommodo, vel gravi præjudicio Religionis occulte discedere nequeat, nec in foro externo possit propter aliquod impedimentum probare certam nullitatem suæ Professionis, debet manere in Religione, donec commoda occasio sine scandalo occulte fugiendi se offerat, & interim, absente scandali periculo, non tenetur ad vota, & Regulam Ordinis, cum, sua Professione extante certo nulla, non adsit titulus unde in conscientia obligetur; Debet tamen saltem in publico ad evitandum scandalum Regulam Ordinis observare, & consueta Religioni servitia præstare in compensationem alimentationis, & sustentationis interim a Monasterio receptæ; Sanchez *loc. cit. num.* 38. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 48. *& c.* 3. *n.* 56. Reiffenstuel *loc. c. num.* 208. *& seq.* & alii passim.

Nulliter Professus, si dubitet, an tacite, vel 83
expresse ratificaverit suam Professionem, postquam scivit certo esse nullam, si nondum sit elapsum quinquennium a die Professionis, potest adhuc reclamare; Si autem sit jam elapsum quinquennium, tenetur perseverare in Religione, nec potest per viam restitutionis in integrum reclamare, quia in dubio recurrendum est ad præsumptionem. Præsumptio autem ante quinquennium stat pro Novitio, ut post quinquennium stat pro Religione, *arg. Concil. Trid. cit. sess.* 25. *cap.* 19. Sic expresse Donatus *t.* 2. *tract.* 12. *q.* 9. Faustus *de Relig. statu lib.* 5. *quæst.* 87. *in fine*, Barbos. *ad Tridentin. sess.* 25. *cap.* 19. *num.* 13. Sanctarel. *variar. resolut. part.* 1. *qu.* 48. *num.* 46. Merol. *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *num.* 283. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *de conscientia dubia resolut.* 40. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 212. & alii passim.

Nulliter professus potest Professionem suam ra- 84
tificare sive tacite, sive expresse. *Communis*, *ac certa*, nec indiget probatione. Nisi tamen habeat 85
perpetuum impedimentum, quia talis nunquam potest ratificare Professionem, nec tacite, nec expresse, sed tenetur quocumque tempore decurso reclamare, vel occulte discedere. Nemo enim sanæ mentis dicet, quod vir v. g. in Monasterio Monialium mentito sexu professus, vel mulier mentito sexu professa in Conventu Religiosorum, lapso quinquennio, non possit ex illo exire, sed ibidem teneatur remanere, Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 19. *num.* 19. Navarr. *consil.* 26. *num.* 12. *& ultim. de Regularib.* Donatus *tom.* 2. *tract.* 2. *quæst.* 10. & ipso teste *Communis aliorum*.

Nulliter Professus necessario scire debet, suam 86
professionem fuisse nullam ad hoc, ut eam valide ratificet, & sic de irrita fiat valida. Barbosa *ad Conc. Trid. cit. sess.* 25. *cap.* 19. *num.* 18. Navarr. *lib.* 3. *tit. de Regularib. consil.* 5. *num.* 15. *&* 28. *& consil.* 39. *n.* 4. Pellizzar. *tom.* 3. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 57. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 59. Layman *loc. cit. num.* 9. Pirhing *loc. cit. num.* 149. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 215. & ipso teste *Communis aliorum*.

Nulliter Professus potest valide suam ratificare 87
Professionem absque novo consensu Superioris, seu Capituli Regularis. Barbosa *ad Concil. Trident. citat. sess.* 25. *cap.* 19. *num.* 17. cum aliis ibi citatis, Fagn. *l.* 3. *Decretal. in cap. Significatum est* 11. *de Regularibus num.* 47. Navarr. *consil.* 35. *num.* 3. *& consil.* 46. *num.* 2. *de Regularibus in prima editione*, *& consil.* 27. *num.* 2. *& consil.* 28. *num.* 3. *in secunda editione*. Rodriq. *tom.* 3. *qq. Regul. quæst.* 17. *art.* 3. Pirhing *loc. cit. num.* 140. Reiffenstuel *loc. cit. a num.* 219. Matthæucc. *cap.* 41. *Officialis quoad professionem sub num.* 17. *vers. Nota*, & alii passim, per text. *in cap. Cum virum* 12. *de Regularibus*, ibi: *Præsertim si ratihabitione secuta*; *cap. Is qui monasterium* 1. *de Regularibus in* 6. ibi: *Seu Professionem a se prius factam ratam* ex-

expresse habeat, *cap. Perlatum est* 1. *De his*, *quæ vi metusve causa fiunt*, ibi: *Si legitime probatum fuerit .... ipsam mulierem ..... quod fuit postmodum ratum habuisse*; *ipsam ad Monasterium redire*, *& Habitum depositum reassumere Censura Ecclesiastica compellatis*. Quæ jura satis demonstrant solam ratihabitionem Professi desiderari ad hoc, ut Professio nulliter facta efficiatur valida, nec Prælati, seu Religionis requiri novum consensum, cum hujus consensus jam interfuerit a principio validus, ut supponitur, & perdurare præsumatur; Et quatenus requireretur, tamen Summi Pontifices, tamquam Suprema Ordinum Regularium Capita; *cap. Exit* §. *Ad hæc cum Fratres*, *de verbor. significat. in* 6. ut Religionum paci, & tranquillitati consulerent, voluerunt illam supplere, admittendo Professionem illam de irrita fieri validam per solam ratificationem, seu ratihabitionem Professi. Tum quia hoc indicat clausula Rescriptorum, quæ in Curia dari solent illis, qui post quinquennium ex aliqua justa causa reclamantes contra suam Professionem restituuntur in integrum; In his enim Rescriptis, teste Hyacintho Donato *tom.* 2. *tract.* 12. *quæst.* 14. *num.* 14. ordinarie inseritur clausula: *Dummodo Professionem tacite*, *vel expresse non ratificaverit*, qua Pontifex clare indicat Professionem per solam profitentis ratihabitionem absque nulla nova acceptatione, aut consensu Superiorum valide ratificari posse, cum, uti supponitur, Superiores ignorent Professionem fuisse invalidam, & consequenter in tali casu novum consensum non præstent, cum ignorantis nullus sit sit consensus; *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur. & fact. ignorant. l. Si per errorem* 15. *ff. De Jurisdiction.*

88 Receptus pro Laico, seu Converso, si in Novitiatu de licentia quorum interest, transeat ad statum Clericalem, & subinde, anno probationis integre peracto, profiteatur, valida est ejus professio; Tunc enim, si a Provinciali, & Definitorio examinatus reperiatur instructus sufficienti litteratura, aliisque ad Clericatum requisitis, non videtur eis a Decretis Clementis VIII. prohibitum, quin possint illum ad Clericorum statum transferre, cum pro eo tempore non sit adhuc irrevocabiliter in statu Conversorum. Sanctorus in *Statut. cap.* 2. *statut.* 24. *verb. Alia difficultas*; Matthæuc. *cap.* 41. *Officialis quoad Professionem n.* 21. & alii. Vide tamen ipsa Decreta §. 23. ubi id expresse prohibetur; & sic tenet Donatus *tom.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 14. Vide ibi, & verb. *Transitus num.* 5.

89 Si tamen jam Professionem emiserit in Statu Laicorum, seu conversorum, non potest de sola licentia Prælati Regularis, & Definitorii transire ad statum Clericorum; sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica, quæ ad id solet expedire Brevia cum clausula: *De licentia tamen suorum Superiorum*, quæ debet intelligi copulative de illa Generalis, & Provincialis simul, prout expresse declaravit *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. de mandato Urbani VIII. die* 2. *Augusti* 1630. apud Peyrin. *de Prælat. q.* 3. *c.* 1. §. 5. *num.* 149. nempe clausulam: *De licentia Superiorum in Brevibus prædictis appositam esse intelligendam de Generali Ordinis*, *& Provinciali Oblatorum hujusmodi*, *ita ut pro eorumdem executione requiratur utriusque licentia*, *& consensus*. Vide verb. *Novitius num.* 98. & §. 23. dict. Decretor. Clement. VIII. & Donatum *prax. Regular. tom.* 3. *tract.* 14. *quæst.* 14. & 15. ubi recte ad rem, & verb. *Transitus numer.* 6. & 7.

Professus in una Religione non potest transire 90
ad aliam, etiam strictiorem, sine licentia Sedis
Apostolicæ. *Communis*, ex praxi, & stylo Curiæ. 91
Et transiens de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem Religionem, etiam ejusdem Ordinis, tenetur in secunda Religione novum annum probationis peragere, & ibi Professionem emittere. Sic *Sacra Congreg. Conc.* quæ apud Fagnan. *l.* 3. *Decr. in c. Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus n.* 67. respondit: *Transeuntem de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem Religionem*, *etiam ejusdem Ordinis*, *teneri in secunda Religione novum annum probationis peragere*.

Excommunicantur omnes, qui quandocumque 92
virginem, vel viduam, vel aliam mulierem coegerint invitam ad ingrediendum Monasterium, vel Habitum suscipiendum Religionis, vel ad Professionem emittendam. Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regu-*
lar. c. 18. Item qui consilium, auxilium, favorem 93
dederint, quique scientes eam non sponte facere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Con-
cil. Trident. *ibid.* Non excommunicantur tamen 94
ii, qui per vim inductivam, non coactivam, coegerint virginem Monasterium ingredi. Sic decisum refert Barbos. *de Offic. & potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 104. *num.* 2. & *Conc. Trid. cit. sess.* 25. *c.* 18.
num. 5. Excommunicantur & ii, qui sanctam vir- 95
ginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impedierint. Conc. Trident. *loc. cit.*

Dictam tamen excommunicationem latam a Con- 96
cilio Trident. *cit. sess.* 25. *cap.* 18. contra cogentes ad Religionem, vel ad Professionem emittendam, seu ab ipsa retrahentes mulieres, non incurrunt, sic cogentes, aut retrahentes viros, ut de Communi tradunt Barbos. in *dicta sess.* 25. *c.* 18. *num.* 6. Bonac. *tom.* 1. *de Excomm. disp.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 15. Passerin. *de statib. hom. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 9. *num.* 24. Don. *tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 1. *de recipiend. ad Habitum q.* 12. *num.* 4. Monac. *tom.* 3. *tit.* 1. *form.* 36. *num.* 9. Sanchez *tom.* 1. *decal. l.* 4. *c.* 4. Suar. *tom.* 5. *de Censur. disp.* 25. *sect.* 7. *num.* 8. Rodriquez *tom.* 3. *qq. Regular. q.* 14. *art.* 3. & alii pas-
sim. Attamen sic cogentes, vel retrahentes viros, 97
graviter peccant, & possunt ab Ordinariis puniri juris remediis, idest Censuris, ut pluries respondit *Sacra Cangregat. Concilii*, & signanter in Hispalen. 23. *Septembris* 1690. ibi: *Archiepiscopus procedat ad Censuras contra Patrem*; *si adhuc vivat*; *in Bononien.* 26. *Septembris* 1690. ibi: *Archiepiscopus procedat contra Matrem cogentem prout de Jure*; *in Mediolanen.* 7. *Februar.* 1700. ibi: *Ordinarius procedat juris remediis contra Patrem cogentem*.

Professio Regularis varios habet, & sortitur 98
effe-

effectus respectu Religiosorum eam emittentium. Primo per Religiosam Professionem confertur Professo perfectissima remissio omnium peccatorum, tam quo ad culpam, quam quo ad pœnam; Dummodo tamen profitens sit in statu gratiæ. *Communis*, cum S. Thoma 2. 2. *q*.189. *art*.3. *ad Tertium*, Rodriq. *tom*. 2. *q*. 88. *art*. 1. Layman *lib*. 4. *tr*. 5. *cap*. 11. *num*. 1. Reiffenstuel *loc. c. num*. 187. Miranda *tom*. 1. *q*. 25. *art*. 8. *arg. c. Quis aliquando* 87. §. *His Auctoritatibus d.* 1. *de Pœnitentia*; ubi dicitur, quod ingredientes Religionem nulla amplius pro commissis criminibus pœnitentia sit injungenda, & concordat *Novell.* 5. ubi Justinianus Imperator *in princip.* sic expresse dicit: *Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat*, ubi Glossa verb. *Maculam* explicat, idest *purgat a peccatis*. Unde Sancti Patres, ut S. Hieronymus *Epistol.* 8. *&* 25. S. Bernardus *lib. de præcepto, & dispens. ad finem* Professionem communiter vocare solent *Secundum Baptisma*; Et Paulus V. inter alios Summos Pontifices Constit. incip. *Romanus Pontifex* expresse concessit Indulgentiam plenariam omnibus Regularem Professionem emittentibus. Immo S. Bernardinus Senensis in *Quadragesim. tract.*2. *serm.* 24. *art*. 1. Pellizarius *tom*. 1. *tract*. 3. *c*. 4. *num*. 12. Sa *verb. Religio numer*. 17. Carthus. in *Opuscul. de Profession. Mon.* Paulus Mezeger *tract*. 8. *disp*. 39. *art*. 5. *numer*. 4. & alii contra Sanchez, addunt hanc plenariam omnium peccatorum remissionem obtineri, quoties Religiosus Professionem suam renovat, etiam privatim. Et novissime Clemens XII. die 30. Martii 1735. Constit. incip. *Cum sicut*, expresse concessit Indulgentiam plenariam omnibus Religiosis nostri Franciscani Ordinis, qui confessi, & Sacra communione refecti Professionem suam quomodocumque renovaverint quotannis *die* 16. *Aprilis*, in qua S. P. N. Franciscus una cum sociis suis anno 1209. Professionem emisit in manibus Innocentii III. & dicta Constitutio, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

Indulgentia plenaria perpetua pro omnibus Religiosis, qui die 16. Aprilis Professionem suam renovaverint.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ CUm, sicut dilectus filius Josephus Maria ab Ebora Commissarius Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, Fratres quorumcumque Conventuum dicti Ordinis Professionem Regularem die 16. Mensis Aprilis, qua die S. Franciscus de Assisio ejusdem Ordinis Fundator, una cum suis sociis Professionem hujusmodi in manibus fel. record. Innocentii III. Prædecessoris Nostri, ut fertur, emisit, quomodolibet singulis annis renovare consueverint; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, & ad augendam eorumdem Fratrum devotionem, & animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia caritate intenti, omnibus, & singulis quorumcumque Conventuum Fratribus Ordinis præfati præsentibus, & futuris vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui prædicta die 16. Mensis Aprilis Professionem præfatam quomodolibet renovaverint, ut præfertur, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam-Majorem sub annulo Piscatoris, die 30. Martii 1735. Pontificatus nostri anno 5. „

F. Card. Oliverius.

Secundo, Professio Religiosa extinguit omnia 99
vota prius emissa. *Communis*, textu expresso in *cap. Scriptura* 4. *de voto, & voti redemptione*, ibi: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare*. Et hoc etiamsi quis vo- 100
verit aliam Religionem etiam strictiorem intrare, textu expresso in *cap. Qui post votum* 5. *de Regularibus in* 6. ubi etiam assignatur ratio, ibi: *Qui post votum a se de certa Religione intranda emissum Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, potest (voto non obstante, cui tamquam simplici per votum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem; Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda.*

Tertio, Professio Religiosa aufert Irregularita- 101
tem ex natalium defectu provenientem in ordine ad suscipiendos Sacros Ordines, ita ut etiam Spurii in Religione aliqua professi ad Sacros Ordines, absque alia dispensatione promoveri possint. Non possunt tamen absque Sedis Apostolicæ dispensatione promoveri ad Prælaturas, vel Dignitates Ecclesiasticas. *Communis*, textu expresso in *cap. Ut filiis* 1. *de Filiis Presbyterorum*, ibi: *Ut Filii Presbyterorum, & ceteri in fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoveantur, nisi, aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica Regulari viventes; Prælationem vero nullatenus habeant*. Aliæ autem Irregularitates non 102
auferuntur per Professionem Religiosam, ut cum communiori, & probabiliori docent Rodriquez *tom*. 1. *quæst*. 13. *art*. 3. Layman *loc. cit.* Sanchez *lib*. 5. *mor. cap*. 5. *num*. 9. Pelizzar. *loc. cit. num*. 33. Reiffenst. *l. c. nu*. 189. Rebuffus, Navarrus, Henriquez, Suarez, & alii; Textus enim *in cit. cap. Ut filii Presbyterorum* loquitur de illa sola, &

 nulla

nulla alia, & quidem ad solum effectum suscipiendi Sacros Ordines. Si enim voluisset extendere etiam ad alias Irregularitates, expressisset: quod enim voluit, expressit, *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcop.* §. *sed neque istud*, *cap. Quia circa* 22. *de privileg.* & *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*. Unde cum Jura ad alias non extendant, neque nos cum Jurium correctione extendere debemus; *arg. c. Quæ a Jure* 28. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*.

103 Quarto, Professio Religiosa dirimit non solum Sponsalia, sed etiam Matrimonium jam contractum, & nondum consummatum. *Communis*, textu expresso *in cap. Verum* 2. *cap. Ex publico* 7. & *capit.*
104 *Ex parte* 14. *de conversione Conjugatorum*. Estque definitum a Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Matrimonio*, *Canon.* 6. ibi: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*. Et in hoc Votum solemne Professionis differt a Voto solemni Ordinis Sacri; cum hoc dirimat solum Matrimonium contrahendum, seu sponsalia, & nullatenus Matrimonium jam contractum, licet nondum consummatum. *Communis* ob claram dispositionem Joann. XXII. in Extravagant. *Antiquæ concertationi Unic. de Voto*, & *Voti redemptione*: ibi: *Antiquæ concertationi finem cupientes imponere, ac animarum periculis inde provenientibus salubriter providere, de Fratrum nostrorum consilio præsenti declaramus Edicto, quod licet Votum solemnizatum per Sacri susceptionem Ordinis quantum ad impediendum contrahendum. ac ad dirimendum si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum; ad dissolvendum tamen prius consummatum, cum nec Jure Divino, nec per Sacros Canones reperiatur hoc statutum, invalidum est*
105 *censendum*.

Quinto, Professio Religiosa tollit maculam quo ad actus temporales, ita ut, qui ante Professionem ratione perjurii, furti, & hujusmodi ineptus erat ad ferendum testimonium in Judicio, per Professionem rehabilitetur, & aptus reddatur ad ipsos, & similes actus, ut colligitur ex *Novell.* 5. ubi Justinianus Imperator sic expresse dicit; *Conversationis Monachalis vita sic est honesta ..... ut omnem humanam maculam detergat*. Idque docet Glossa communiter recepta *in cap. Cum deputati* 16. *de Judiciis verb. Nationis in fine*, Abbas *ibidem in fine*, Sanchez *loc. citat. num.* 27. Layman *loc. citat. num.* 4. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 192. & alii passim.

106 Sexto, Professio Religiosa liberat Professum a patria potestate. Glossa communiter recepta *in l. Si ex causa* 9. §. 4. *De Minoribus*, Pirhing *l.* 3. *Decretal. tit.* 31. *num.* 141. Reiffenstuel *ibid. num.*191. Sanchez *lib.* 5. *moral. c.* 5. *num.* 29. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 5. & alii passim. Professus enim a die Professionis transit omnino in potestatem Superiorum Regularium, & consequenter a Patria potestate eximitur; Non tamen in iis, quæ in damnum Religiosi cedere possunt, quia, ut habetur *in c. Quod ob gratiam* 16. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; Unde Professus retinet Jura suitatis, & successionis, & si post Professionem Filio bona obveniant, ad peculium quasi castrense reducuntur. *Authentic. Presbyteros*, *Cod. De Episcop.* & *Cleric.*

Septimo, Professio Religiosa tollit Filii ingra- 107
titudinem erga Parentes, ita ut, si proles post datam exheredationis causam Monasterium ingrediatur, & in ipso profiteatur, ipso Jure exheredatio cesset, quamvis reconciliatio subsecuta non sit, prout docent Covarruvias *de Testament. cap.* 16. *num.* 28. Abbas *volum.* 2. *consil.* 7. Felinus *in cap. Rodulphus*, *de Rescriptis*; Glossa *in l. Deo nobis*, *Cod. de Episc.* & *Cler. arg. c. Non liceat* 10. *caus.*19. *qu.* 3. ibi: *Non liceat Parentibus liberos, vel liberis parentes ab hereditate repellere Monachos factos, quamvis, dum laici fuerint, in causam ingratitudinis inciderint*. *Novel.* 123. *cap.* 41. ibi: *Nullam vero licentiam damus, aut Parentibus Filios, aut Filiis Parentes sæcularem vitam sectantes, & relinquentes velut ingratos a sua excludere hereditate, Monasterium, aut Monasticam vitam subsequutos*.

Regulares non tenentur ratificare suam Profes- 108
sionem coram Episcopo ante susceptionem Sacrorum Ordinum; non obstante quod id fuerit demandatum in pluribus Conciliis Provincialibus, & Synodis diœcesanis; Cum enim in Concil. Rom. sub recolendæ memoriæ Benedicto XIII. anno 1725. celebrato, fuerit quæsitum aliquod medium ad retrahendos Regulares ab impugnatione propriarum Professionum, circa quas in forensibus judiciis sæpissime succumbunt; re mature perpensa a particulari Congregatione, non fuit approbatum temperamentum istud, ut obligarentur Religiosi ante susceptionem Sacrorum Ordinum ad ratificandas eorum Professiones, mediante formula impressa in Appendice ad Synodum Fulginatens. Episcopi Baptistelli fol. 153. vel alia simili forma, ut refertur in Folio Congregationis Concil. in Policastren. 24. Augusti 1726. his verbis: *Qua potissimum de causa in ultima Synodo Romana non fuit determinatum, quod Regulares ante receptionem Sacrorum Ordinum Professionem ratificarent; licet in plerisque Synodis, & signanter Mediolanensibus sub S. Carolo Borromæo id fuerit statutum; & in Contradictorio partium admissum fuerit a Congregatione particulari super examine ultimæ Synodi Fulginatensis*. Sic apud Ursayam *tom.* 6. *part.* 2. *disceptat.* 32. *num.* 114. qui *tom.* 1. *part.* 1. *discept.* 1. *a n.* 55. *ad* 58. & *discept.*4. *num.* 42. plura refert decreta.

Et hoc omni fundamento rationis, & juris; quia 109
cum talis ratificatio Professionis esset præcise facta, ut imperata ad suscipiendos Sacros Ordines, non esset voluntaria, sed necessaria, & strangulatoria, adeoque nullam haberet vim validandi invalidam Professionem, ut in fortioribus terminis Constitutionum diversarum Religionum a Summis Pontificibus approbatarum, & præcipientium annualem ratificationem, seu renovationem Professionis pluries resolvit *Sac. Congreg. Concil.* & signanter, in *Lingonien.* 12. *Aprilis* & 30. *Decemb.* 1698. ubi adducta fuit eadem ratio his verbis: *Perchè essendo detta ratifica necessaria, e di Regola, non può dirsi approvazione volontaria*, prout ad valorem Profes-

fessionis requiritur. Et sic etiam *in Cephaluden.* 4. *Febr.* 1699. *in Mantuana* 9. *Julii* 1701. *in Melevit.* 8. *Augusti* 1701. & *in Viennen.* 26. *Januar.* 1721. & 8. *Febr. ac* 12. *Septemb.* 1721. *apud Thesaurum Resolution. Sac. Cong. Concilii tom.* 2. Unde in supradicto Concilio Romano *tit.* 21. *de Regularibus cap.* 1. fuit solum statutum, quod Regulares ad Subdiaconatum promovendi authenticum Episcopis testimonium de solemni emissa Professione, & Exercitiis spiritualibus factis exhibeant, ibi: Antiqua cum sit Ecclesiæ consuetudine inductum, & Apostolicis Constitutionibus probatum, ut Regulares tantummodo quibus gloriosum est mendicare, non alio quam paupertatis, seu professæ ab his approbatæ Religionis titulo, sacris possint Ordinibus initiari; attendant Episcopi, ne Regularium quempiam ad Subdiaconatus Ordinem promoveant, si initiandus ipse, ut exploratius de requisito valeat Ordinationis titulo constare, expressa de solemni per eum emissa Regulari Professione, proprii non secum attulerit fidem Superioris, deque præviis Exercitiis spiritualibus peractis attestationem non exhibuerit; una postmodum cum Dimissoriis Litteris servanda in Archivio Episcopali.

110 Additur attendenda sequens Resolutio.

Decretum Editum in Sicula Restitutionis in integrum, & Nullitatis Professionum.

Cum plures Religiosi Regularium Ordinum Regni, & Provinciæ Siciliæ a Religione egressi vigore sententiarum super nullitate eorum Professionis minus legitime obtentarum Sacræ huic Congregationi Concilii preces direxerint pro facultate Missam celebrandi, quippe qui suspensionis pœna obstricti remanserunt ex defectu congrui Patrimonii, tria hac occasione in quibusdam Siciliæ Diœcesibus ex ipsis etiam ejusdem Regni Ordinariorum relationibus contra Sacri Concilii Tridentini præscriptum nulliter, & vitiose peragi detectum fuit. Primum est, quod Ordinarii locorum de asserta Professionis nullitate post elapsum quinquennium; præcipue si recurrentes ad reclamandum intra idem quinquennium legitimo impedimento detenti fuerint, non indulta ab Apostolica Sede Restitutione in integrum, quorumdam Doctorum opinionibus, alioquin reprobatis, innixi, præsumunt agnoscere, Sententiam de illa ferentes, & inter eos præsertim Episcopus Cataniensis, asserto quodam privilegio, sive immemorabili illius Curiæ consuetudine suffultus, prætendit sententiam Nullitatis Professionis dicere posse tum intra, tum post elapsum quinquennium ab ejus emissione, & sive Regulares ab illa reclamantes vota emiserint in ejus Diœcesi, sive in aliena, dummodo in aliquo ejusdem Diœcesis loco, & Conventu, dum reclamant, ex Obedientia fuerint constituti. Secundum, quod ab eisdem Ordinariis tam exacto jam quinquennio, quam illo adhuc decurrente, eduntur sententiæ invalidam declarantes Professionem, Superioribus Conventuum, in quibus Professio emissa fuit, non auditis. Et tertium denique, quod ipsi etiam Superiores Regulares super asserta nullitate Professionis, nec habito, nec requisito Ordinarii loci judicio, aliquando sententiam pronunciant. Quæ quidem omnia cum aperte repugnent non solum notissimæ Tridentinorum Patrum dispositioni sub *cap.* 19. *sess.* 25. *de Regular.*, verum etiam iteratis Sacræ hujus Congregationis resolutionibus, idcirco ne deinceps tot consultissima decreta amplius violentur, Eminentiis VV. deliberandum proponitur.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Die 24. Septembris 1740. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit: *Providendum juxta modum a Domino Secretario explicandum, facto verbo cum Sanctissimo.*

Modus autem est, quod scribatur Episcopo Cataniensi, aliisque Præsulibus Provinciæ Siculæ, nullum Episcopum, sive Ordinarium, inaudito Superiore Regulari Conventus in quo fuit emissa Professio, neque ullum Superiorem Regularem independenter ab Episcopo, vel Ordinario posse sub pœna privationis Officii, & vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, Causas Nullitatis Professionis cognoscere, sed eas conjunctim ab iisdem Episcopo vel Ordinario loci, ac Superiore Regulari esse decidendas, sive Professionis invaliditas a Religiosis, sive ab ipsa Religione ex quocumque capite proponatur. Restitutionem vero in integrum adversus lapsum quinquennii, quod a die Professionis decurrit, etiamsi perduraverit causa metus, aut aliquod aliud impedimentum fuerit ad reclamandum interjectum, a S. Sede omnino esse impetrandam juxta Decreta alias edita non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, & quolibet asserto Privilegio. Religiosos autem, de quibus agitur, & quorum Professio contra formam Sacri Concilii declarata fuit invalida, teneri intra terminum unius anni resumere habitum & ad Claustra redire, tam pro obtinenda a S. Sede restitutione in integrum, quatenus illa indigeant, quam pro instituendo judicio servatis servandis super nullitate suæ Professionis, quatenus hanc velint deducere, eoque termino elapso, si non paruerint; habendos esse tamquam Apostatas; & tandem quoad licentias ab ipsis petitas celebrandi, firma pro nunc manente eorum suspensione, seorsim deinceps providebitur, juxta singulorum preces, & circumstantias. Hanc vero resolutionem significandam esse Procuratoribus Generalibus Ordinum, qui Superiores locales de illa moneant, & Sacram Congregationem de executione certiorem reddant: Factaque de præmissis per infrascriptum Secretarium relatione Sanctissimo, Sanctitas sua prædictam Sacræ Congregationis sententiam in omnibus approbavit die 28. Semptembris 1740. Sic expresse habetur ad calcem Tomi 9. Thesauri Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii, quæ exaratæ fuere ab undequaque Dignissimo Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Cavalchino, tunc ejusdem S. Cong. Secretario, qui eruditissime suo more in dicta *Sicula* pag. 35. ad 43. ibidem impressa, plurima ad rem egregia documenta, & Decreta adducit merito ibi videnda.

Alia ad rem. Vide verb. *Habitus*, *Metus*, *Moniales art.* 1., *Novitius*. 112

Pro-

113 Professio in Ordine Regulari strictiore emissa ab eo qui antea in laxiori professus fuerat, pendente judiciali oppositione priorum Superiorum, valida, aut invalida censenda erit, prout sententia pro una, aut altera parte emanaverit. Benedictus XIV. tom. 2. Constitution. 25. incip. *Ex quo*.

114 Pro impugnanda validitate Professionis Regularis attendenda est ejusdem Pontificis novissima Constitutio 47. incip. *Si datam*, in qua varia sta-
115 tuit. Primo quod reclamatio adversus Professionem factam per vim, & metum, aut ante debitam ætatem, fiat intra quinquennium tantum a die professionis coram Superiore suo, & Ordinario juxta Decretum Concilii Tridentini, & hoc sive agatur de professione Regularium, sive Monialium: Quod æque procedit in casu actionis intentatæ ex
116 parte Religionis. Secundo, quod actio serio intentata intra quinquennium, licet deserta, adhuc post elapsum dictum quinquennium, judicanda sit ab Ordinario, & Superiore Regulari; Et Superior Regularis sit Superior localis illius Monasterii, in quo reclamans professionem emisit, & quidem actualis, quo tempore causa super nullitate professionis in judicium deducitur, & quo ad Moniales Superior sit ille, cui concreditum est Monasterii regimen, non autem Confessarius; & pro Monialibus Ordinario subjectis, solus ipse intra quinquennium de professione reclamantium judicet.
117 Tertio quod si Superior Regularis tale judicium assumere nolit, aut non possit, vices suas delegare valeat alteri, vel Regulari, vel etiam Ecclesiastico sæculari juris Canonici perito, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat, nec possit jus suum cedere Ordinario loci, ut solus procedat. Et quod disceptantibus inter se judicibus, causa censeatur ad Sedem Apostolicam devoluta. Quar-
118 to, quod ad eamdem Sedem Apostolicam, seu Sacram Congregationem Concilii privative spectet causa professionis emissæ extra Conventus pro Novi-
119 tiatu assignatos. Quinto, quod nullus Regularis adversus suam professionem reclamare possit, nisi intra Religionis suæ claustra existat, & habitu Regulari reassumpto, si ipsum antea deposuerit. Sex-
120 to, quod sub pœna nullitatis judicium inniti debeat rigorosis probationibus, ac processibus judicialibus, & testes examinandi sint, & super articulis a reclamante exhibitis, & juxta interrogatoria danda ab altera parte, nec non citentur defensores Monasterii, in quo fuit professio emissa, & omnes interesse habentes.

121 Septimo, quod in singulis Diœcesibus deputetur ab Ordinario aliquis probitate, & doctrina commendatus, sive Regularis, sive Ecclesiasticus Sæcularis, juxta disposita pro defensore Matrimonii, cui *Defensoris Professionum* munus imponat; ac ei pro honorario, aut mercede, & pro expensis ad id necessariis assignet, quod Judex prudenter arbitratus fuerit exsolvendum ex bonis a Professo renunciatis in Religionis ingressu, si quæ habuerit, aut in defectu, id suppleat ipsa Religio, si sit bona temporalia possidens; Si autem non adsint bona renunciata, nec ipsa Religio bona possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout statuit de Matrimonii defensore in Constit. incip. *Dei miseratione*. Octavo,
quod lata sententia a Superiore Regulari, & ab 122
Ordinario loci, si ipsa pro validitate professionis fuerit, nec Professus ad Judicium secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit, in omnibus hisce judiciis mandat defensorem professionis ex Officio deputatum semper adesse, & a prima sententia pro nullitate lata semper appellare debere, prout statuit de Defensore Matrimonii. Nono, quod sicuti constituit 123
legitimas pœnas adversus eos, qui post unicam sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere, atque decrevit nemini licere ad altera vota transire, nisi duæ saltem sententiæ conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita si quis Professus post unicam sententiam pro nullitate suæ professionis pronunciata, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione a Religione exire, ac habitum Regularem abjicere præsumpserit, statuit eum subjacere omnibus pœnis, atque censuris a sacris Canonibus, & a Constitutionibus Apostolicis latis, atque sancitis, decernendo numquam posse Professum a Religione discedere, nisi duas saltem sententias conformes pro nullitate suæ professionis obtinuerit.

Decimo, quod, sicuti supra dictum est, Judi- 124
ces primæ instantiæ super validitate professionum intra quinquennium judicialiter impugnatarum esse debeant Superior Regularis, simulque Ordinarius loci: Si vero eædem causæ in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendæ, devolvantur ad quos de jure ab Ordinariorum sententiis appellatur, ita tamen ut hi quoque judices procedere, & judicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate, aut Diœcesi existentis, vel eo non existente, cum Superiore vicinioris Monasterii ejusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui juxta præmissa Superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi causæ in secunda, aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, & a prædicta Congregatione Concilii, sive ab altera Episcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditoribus Rotæ, ut respective assolet, discutiendæ fuerint, nullus sit locus ad judicandum Superiori Regulari, qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, cum, ut supra dictum est, agitur, etiam intra quinquennium de professione emissa in Monasterio pro Novitiatu minime designato. Undecimo, quod præ- 125
missa locum habeant etiam in Curia Eminentissimi Cardinalis Vicarii pro tempore in Urbe, ejusque districtu.

Duodecimo, quod elapso quinquennio remedium 126
restitutionis in integrum ad Sedem Apostolicam privative pertineat, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis hujusmodi instantia proponatur;
Si

Si autem quandoque a Sede Apostolica ejus concessio inferioribus judicibus delegetur, ii non nisi prævio processu, & maturo examine cum assistentia defensoris professionis in utroque ad id procedere debeant, nec una eorum resolutio favorabilis pro restitutione in integrum sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causæ examine, auditoque semper defensore professionis, confirmata fuerit, & reclamans remanere debeat in Religione, donec præviis duabus conformibus resolutionibus pro restitutione in integrum, sententia super nullitate professionis ab ipsis, ut supra delegatis Superiore Regulari, & Ordinario loci legitime lata fuerit. Reprobando interim praxim illorum Superiorum, qui reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, contradictores se se non exhibeant, aut
127 etiam aperte suffragentur. Tertiodecimo, quod Episcopi justis, gravibusque pœnis procedant contra inferentes vim, & metum, & ad id consilium, auxilium, vel favorem dantes; & quod Judices ad exactam justitiæ lancem omnia ad id facientia expendant, ac numerum, & qualitatem testium, aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertant, eis districte præcipiendo, ut in cunctis ad eorum officia pertinentibus, a justitiæ tramite, & a præscriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint omnium, quæcumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines fore reddendam.

Additiones ex aliena manu.

128 De professione ficte emissa, scilicet sine interno consensu Profitentis, non incongruum est hic paucis disserere.

129 Professionem fictam irritam esse, etiamsi nec vis, nec metus gravis intercesserit, communis est sententia, idque, quia obligatio, quam inducit professio, non ex Lege oritur, sed ex privata hominis voluntate, adeoque ubi deest voluntas, deesse debet & hæc obligatio; Confer Rotam *cor. Molin. decis.* 798. *num.* 7. *& seq.*

130 Estque *ficta* hæc Professio irrita non in *Foro* tantum *Poli*, sed & in *Foro Fori*; quum necessarius ad professionem consensus nequeat ab Ecclesia sup-
131 pleri. Nec refragatur textus *in cap. Quod interrogasti dist.* 27. ubi vidua ficte professa redire fuit coacta ad Monasterium, & quidem quamvis matrimonium iniisset. In casu enim illo id ita factum fuit, non quia consensus fuit ab Ecclesia suppletus, sed quia vidua illa nequivit ostendere ex causa justa professionem *ficte* emisisse; imo constitit ex causa *Hypocrisis* emissam ab ipsa fuisse professionem.
132 Eademque de ratione *in c. Si quis, de Regular.* altera Vidua coacta fuit in Monasterio permanere, quia scilicet demonstrare nequivit ex justa causa *ficte* emisisse professionem. Accedit quod in casu hujus *Decretalis* rehabita tacite fuit professio; Consule pariter Rotam *cor. Molin. dict. dec.* 798. *a n.* 9. *ad* 13.

133 Quinimmo nec is, qui professionem *ficte* ex causa minus justa emittit, obligatur ex vi consensus ab Ecclesia suppleti, sed in pœnam admissæ fraudis permanere in Religione tenetur, ut optime inter alios adnotarunt Turrecremat. *in dict. c. Quod interrogasti d. dist.* 27. Fagnanus *in dict. c. Si quis n.* 36. *de Regul.* Rota *cor. Molines d. decis.* 798. *numer.* 15.

Quomodo vero *in Foro Fori fictio* hæc probari 134
queat, necessarium est hic expendere. Videndum utrum allegetur *fictio* sine ulla causa, an cum causa. Priori casu non est audiendus qui *ficte* professionem emisisse ait, idque quia nulla allegari potest simulatio sine causa. Posteriori vero casu, interest scire, utrum causa sit justa, an minus justa. Si causa non sit justa, etiamsi eam allegans probare posset fictionem, in pœnam permanere in Religione tenetur, ut mox dictum est. Si autem causa sit justa, auditur si probare velit *fictionem*; *Rot. cor. Molin. d. dec.* 798. *a num.* 26. *ad plur. seq.* Exemplum causæ justæ po- 135
ni potest in metu, & quidem qualicumque. Si enim metus esset gravis, opus haud esset probare *fictionem*, sed ipse sufficeret ad professionem invalidandam. At metus qualiscumque præbet justam causam *fictionis*, Rota *cor. Molin. d. dec.* 798. *n.* 29. Et tamen probari debet ex actibus antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus professioni contrariis, ut idem supremum Tribunal Rotæ *d. dec.* 789. *n.* 30.

Hic vero silentio non est prætereundum, quod 136
supremum Tribunal Rotæ *coram Molines dec.* 798. examinavit plures actus antecedentes, concomitantes, & subsequentes professioni contrarios, qui in specie illa afferebantur ad probandam fictionem, & eos sufficientes haud reputavit. At sciendum est, quod commissa deinde a S. M. Clemente XI. revisione ejus decisionis Particulari Congregationi quinque S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nimirum Carpinei, Colloredi, Marescotti, Panciatici, & Bichii, fuit ipsa revocata, & irrita declarata professio, ut refert Ursaya *disc. Eccl. t.* 1 *par.* 1. *disc.* 20. *num.* 26. Quocirca qui in mox dicta *decisione* afferuntur actus antecedentes, concomitantes, & subsequentes contrarii professioni, pro sufficientibus haberi queunt *ad fictionem* probandam.

REGULARES.

Articulus I.

Regulares quoad ea, quæ possunt, & debent, vel non.

Regulares possunt sine approbatione Episcopi, & cum sola approbatione sui Prælati Regularis audire Confessiones illorum sæcularium, qui sunt vere de familia in suis Monasteriis, & continui commensales. Vide verb. *Approbatio pro Confessionibus excipiendis art.* 1. *num.* 64. 1

Secus vero illorum, qui tantum ipsis Regularibus deserviunt, & cum sæcularibus exteris extra 2

tra Monasterium habitant, & vivunt. Vide *ibid. n.* 65.

3 Quinam sint vere de familia, & qui non, ad hoc ut possint absolvi, vel non, a dictis Regularibus? Vide *ibid. a num.* 66. *ad* 70.

4 Quoad ea, quæ concernunt approbationem Regularium pro Confessionibus Regularium, & respiciunt dependentiam ab eorum Superioribus. Vide d. verb. *Approbatio art.* 2. *per tot.*

5 Quoad ea, quæ concernunt approbationem Confessariorum Regularium pro Monialibus eis subjectis; Vide d. verb. *Approbatio art.* 3. & verb. *Moniales art.* 5.

6 Prælati Regulares a quibus casibus, & Censuris possint absolvere suos subditos; Vide verb. *Absolutio art.* 2. *a n.* 29. *ad* 40.

7 Quid importent Absolutiones Generales, quas Prælati Regulares in fine Visitationis, & in quibusdam anni solemnitatibus dare consueverunt suis subditis Religiosis? Et quid absolutiones in articulo mortis dari solitæ moribundis? Et quid absolutiones, quæ dantur a Prælatis, seu Præsidibus ante electiones capitulares? Vide verb. *Regularis Prælatus a num.* 67. *ad* 73.

8 Quoad ea, quæ concernunt approbationem, & facultatem Regularium pro audiendis Confessionibus sæcularium; Vide verb. *Approbatio art.* 1. *a n.* 41. *usque in finem*, & verb. *Confessarius art.* 4. *a n.* 6. *ad* 10.

9 Regulares simpliciter approbati in Diœcesi Episcopi approbantis possunt etiam audire Confessiones infirmorum in propriis Domibus absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; At vero tenentur Regulares de tali audita Confessione eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere, & hoc potest illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi Confessiones præcipi; sufficit tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Sic expresse statuit Clemens X. in Constit. incip. *Superna*; & jam antea declaraverat *Sac. Cong. Episcop. & Regul. die* 2. *Jul.* 1606. *& in una Senogallien.* 22. *Jan.* 1616. *& in Anconitana* 6. *Octob.* 1645.

10 Confessarii Regulares a quibus casibus possint absolvere sæculares? Vide verb. *Absolutio art.* 1. *a num.* 41. *ad* 47. & Appendicem ad verb. *Confessarius* art. 11I.

11 Confessarii Regulares quando possint dispensare super impedimento petendi debitum conjugale? Vide verb. *Matrim. quoad Debitum conjugale art.* 1. *a n.* 12. *usq. in finem*.

12 Regulares an, & quando teneantur ad solvendas Decimas? Vide verb. *Decimæ art.* 2. *a n.* 44. *usq. in fin.*

13 Regulares an possint benedicere mulieres post partum, & ad purificationem admittere in propria Ecclesia? Vide verb. *Benedictio art.* 3. *a n.*13. *ad* 16. *& per tot.* ubi multa ad rem.

14 Regulares utriusque sexus nequeunt esse Compatres, seu Commatres, neque per Procuratorem. Vide verb. *Baptismus art.* 6. *n.* 41. *ad* 47. & verb. *Moniales art.* 6. *n.* 70.

Regulares utriusque sexus nequeunt in particulari, neque de licentia, ac dispensatione Superioris habere peculium, seu aliquid proprium; Immo talis licentia, etiamsi obtenta ab eorum Generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret Fratres, aut Moniales a culpa, & pœna a Tridentino imposita. Vide verb. *Legatum a num.* 88. *ad* 95. *& verb. Moniales art.* 2. *a n.* 64. *usque in fin.* 15

Regularis deprehensus in morte habere aliquam proprietatem debet cum ipsa subterrari extra Monasterium in sterquilinio in signum suæ perditionis, & damnationis eternæ, quia in peccato mortali decessit; textu expresso *in c. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachor.* ibi: *Quid si proprietas apud quempiam inventa fuerit in morte? ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod Beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse.* Glossa communiter recepta *ibid. verb. in sterquilinio*. Et ita S. Gregorius narrat se fecisse *lib.* 4. *Dialogorum c.* 53. ut innuitur *in cap. Cum Monasterium*, & S. Hieronymus *Ad Eustochium de virginitate lit.D.* relatus a Joann. Andrea *in cit. cap. Cum ad Monasterium num.* 4. *in verb. Gregorius*, refert de Monacho, qui lina texendo centum lucratus illa reliquit in morte, & habito consilio, quidam dicebant illa esse tribuenda pauperibus, & alii Ecclesiæ, alii parentibus, sed decreverunt Patres illa cum eo subterrari cum verbis: *Pecunia tua sit tecum in perditione*, ex quo magnus per totum Ægyptum cunctos terror invasit. Et concordat *cap. Monachi* 2. *de statu Monach.* ibi: *Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam, quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari.* Quinimmo Regularis Canonicus, qui in articulo mortis non resignavit proprium, quod latenter habuerat, non solum in Cœmeterio sepeliri non debet, sed si ibi sepultus fuerit, inde debet exhumari si sine maximo scandalo fieri poterit, textu expresso *in cap. Super quodam* 4. *de statu Monachor.* ibi: *Super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens licet a Priore suo commonitus proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit extremum, & fuit inter alios Fratres traditus sepulturæ ...... Inquisitioni tuæ respondemus, quod ille Canonicus, non tantum fuit Christiana sepultura privandus, verum etiam si sine maximo scandalo potuit fieri, de ipsa projici dignus est Ecclesia. Hoc autem cum forte contigerit, in similibus est agendum*; Et in ejus Summario expresse dicitur: *Regularis Canonicus, qui non resignavit proprium in morte, non debet in Cœmeterio sepeliri. Et si de facto sepultus fuit, inde debet exhumari, si sine scandalo fieri potest*. 16 17 18 19

Deh! una semel hoc animadvertant, & contremiscant Regulares, si qui sint proprietarii, & præsertim Superiores Ordinum, qui proprietatem Monachorum decedentium sibi appropriant tamquam spolia, contra omnia Jura, tum communia, tum propria cujusque Religionis specialia, seu municipalia 20

cipalia statuentia omne id, quod ex defunctorum Religiosorum expropriatione remanserit, converti debere in utilitatem Ecclesiæ, seu Monasterii. Et id possunt sine Beneplacito Apostolico. Vide verb. *Alienatio art.* 4. *num.* 39. *in fine*.

21 Quoad ea, quæ concernunt Regulares Apostatas, seu fugitivos. Vide verb. *Apostasia*, *Apostata per tot.* & infra *n.* 141. *& seqq.*

22 Quoad ea, quæ concernunt Regulares tamquam incorrigibiles ejiciendos, & ejectos. Vide verb. *Ejicere*, *Ejecti per tot.* & infra a *num.* 146. *ad num.* 155.

23 Religiosus transmissus ad triremes, terminato tempore condemnationis, non est recipiendus inter Religiosos suæ Provinciæ, *ut in una Asculana anni* 1711. late, & pluribus adductis solide probat D. Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 18. *per tot.* Vide ibi, & infra *num.* 156.

24 Quoad ea, quæ possunt, & debent Regulares circa recitationem Divini Officii. Vide verb. *Officium Divinum art.* 3. *a num.* 52.

25 Quoad ea, quæ concernunt promotionem Regularium ad Ordines. Vide verb. *Ordo art.* 3. *a num.* 51.

26 Quoad ea, quæ concernunt locutionem Regularium cum Monialibus. Vide verb. *Moniales art.*4.

27 Quoad ea, quæ concernunt Regularium præcedentiam. Vide verb. *Præcedentia*.

28 Quoad ea, quæ concernunt Regularium prædicationem. Vide verb. *Prædicare*, *Prædicator*.

29 Quoad ea, quæ concernunt Regulares circa Processiones. Vide verb. *Processio*.

30 Quoad ea, quæ concernunt Regularium Novitiatum. Vide verb. *Novitiatus*.

31 Quoad ea, quæ concernunt Regularium Professionem. Vide verb. *Professio*.

32 Quoad ea, quæ concernunt Regularium Privilegia. Vide verb. *Oracula vivæ vocis*, & verb. *Privilegium*.

33 Quoad ea, quæ concernunt Regularium quæstum. Vide verb. *Eleemosyna*, & verb. *Quæstuare*.

34 Quoad ea, quæ possunt, & debent Regulares circa Funera, Quartam, & Sepulturam. Vide verb. *Quarta*, & verb. *Sepultura*.

35 Quoad ea, quæ possunt, & debent Regulares circa Eucharistiam. Vide verb. *Eucharistia*, *& infra art.* 2. *n.* 126.

36 Regulares non possunt ministrare Laicis sæcularibus infirmis hospitantibus in eorum Conventibus Sacramenta Eucharistiæ per modum Viatici, & Extremæ Unctionis absque Episcopi, vel Parochi licentia; Et si id faciant, incurrunt Censuras inflictas *in Clementin. I. de privileg.* & possunt per Ordinarium per Cedulones excommunicati declarari. *Sacra Congregat. Concil. in Nullius* 19. *Septembris* 1637. *in Cremonensi* 27. *Februarii* 1649. *in Ripana* 3. *Februar.* 1652. *confirmata in Gerunden.* 13. *Februarii* 1694. *& in Neapolitana* 5. *Junii* 1700. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 16.

Regulares erigentes Altare portatile, & Sacrum facientes in Domo privatorum, ut ibidem Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Ordinarii, vel Parochi, possunt Censuris coerceri, & ligari, ut declaravit *Sacra Congregat. Concil. in Messanen.* 20. *Septembris* 1689. apud Monacell. *loc. cit. num.* 20. Vide verb. *Oratorium num.* 80. 37

Regulares omnes tenentur in quacumque alienationis specie, tam stabilium, quam mobilium pretiosorum, sive translatione dominii, aut creatione censuum, licentiam petere, & obtinere *a Sacra Congregatione Concilii*; prout Decreto Generali mandavit Urbanus VIII. *die* 7. *Septemb.* 1624. Immo nequeunt nedum censuario nomine, sed neque ad cambium, vel mutuo accipere pecuniam cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione bonorum. Vide verb. *Alienatio art.*4.*num.*30.*&* 33. 38

Et hæc licentia gratis ab eadem Congregatione expediri debet, sicuti in dicto Decreto injunctum fuit, cujus observantia denuo demandata fuit ab *eadem Sacra Congregat. sub die* 1. *Decembr.* 1691. his verbis: *Pro omnimoda observantia, & executione Decreti, & gratis expediantur res Regularium, aliorumque in Decreto comprehensorum de licentia hujus Sacræ Congregationis tantum in scriptis danda juxta formam, & tenorem a san. memor. Urban. VIII. confirmati, si Sanctissimo D. N. placuerit*. 39

Die 4. *Decembris* 1691. *facta relatione per Secretarium, Sanctissimus mandavit servandum esse Decretum san. mem. Urbani VIII. super hac re editum, & de licentia Congregationis Concilii, & gratis juxta ejusdem formam, & tenorem*.

R. Pallavicinus S. C. Conc. Secr.

Sic apud Monacell. *loc. cit. num.* 30. *&* 31.

Regulares non possunt in Sabbato Sancto pulsare Campanas ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice. Leo X. Constitut. incip. *Dum intra* §. 12. & sæpe sæpius declaravit *Sacr. Congregat. Rit.* Vide verb. *Campana a num.* 11. 40

Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato sancto posse conveniri coram Loci Ordinario decrevit *Sacra Congregat. Concilii in Capuana* 23. *Aprilis* 1591. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent, *Ex Sacra Congregat. Episcop. & Regular. in Surrentina* 16. *Julii* 1601. & postea *in Thelesina* 5. *Febr.* 1622. 41 42

Possunt tamen Regulares in quibuscumque aliis diebus, etiam Dominicis, seu Festivis in suis Ecclesiis pulsare Campanas, & Missas celebrare ante celebrationem Missæ, & pulsationem Campanæ in Ecclesia Cathedrali, seu Matrice, vel Parochiali, nec impediri possunt ab Episcopis, & Parochis. Vide verb. *Campana a num.* 16. *ad* 21. 43

Regulares omnes, quamvis sint Canonici Lateranenses, sive Præmonstratenses, (*) aut quicumque alii Canonici Regulares, non possunt sine 44

(*) Præmonstratenses hac lege, quod attinet ad Parochialia beneficia, non tenentur. Vide verb. *Canonici Regulares quoad beneficia curata num.* 10.

ne expressa dispensatione Apostolica obtinere ullum Beneficium Sæculare, sive Curatum, sive simplex, & hujusmodi. Vide verb. *Concursus art.* 1. *a num.* 38. *ad num.* 56. & verb. *Habitus num.* 69.

45 Regulares, sicuti alii Clerici sæculares non possunt aliquos medio voto, vel juramento, aut pacto, seu promissione inducere, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, & hoc sub virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, & sub pœna nullitatis, & obligatione restitutionis, & interdicti Ecclesiastici, nisi restituerint, textu expresso *in cap. Animarum* 1. *de sepulturis in* 6. ibi: *Animarum periculis, & scandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volentes, universis Religiosis, & Sæcularibus Clericis, cujuscumque status, vel conditionis existant, in virtute S. Obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim, si secus actum fuerit, electionem talem decernimus, nullius penitus existere firmitatis. Statuentes &c.* sequuntur aliæ pœnæ.

46 Insuper Regulares, & omnes alii Clerici sæculares inducentes aliquos, ut supra, ad eligendam sepulturam in eorum Ecclesiis, incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam, textu expresso *in Clementin. Cupientes* 3. *de pœnis* §. *Sane*, ibi: *Sane temerarios violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis, & Clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, similem sententiam* (excommunicationis) *pœna in dicta Constitutione contenta, in suo perdurante robore, incurrere volumus ipso facto; ab alio, quam a Sede Apostolica, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvendos, nullis privilegiis, aut statutis cujuscumque tenoris existant, super his valituris.*

47 Regularibus non licet in suis Ecclesiis admittere ad celebrandum Presbyteros sæculares contra prohibitionem Episcopi. *Sacra Congreg. Concilii in Bononien.* 2. *Junii* 1620. *& in Limana* 29. *Januarii* 1633. Vide verb. *Missa artic.* 4. *numer.* 20. *&* 21.

48 Regulares inter Missarum solemnia possunt recipere ea, quæ sibi offeruntur; dummodo a perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus se abstineant. *Sacra Congregatio Concilii in Bononien.* 2. *Junii* 1620.

49 Regularium numerus cuique Monasterio, & Conventui præfigendus est. Paul. V. Constitut. 9. incip. *Sanctissimus.*

50 Plurima alia, quæ concernunt Regulares circa Conventus, seu Monasteria. Vide verb. *Conventus per tot.*

51 Regulares cujuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, quantumvis Sedis Apostolicæ sint Capellani, Superioribus suis subjecti esse debent. Gregorius IX. Constitut. 6. incip. *Per Romani.*

Regularium Superiores non cognoscunt causas suorum subditorum ad Officium Sanctissimæ Inquisitionis spectantes. Paulus V. Constit. 26. incip. *Romanus.* 52

Regulares cujuscumque Ordinis, quantumvis exempti, de Hæresi suspecti, puniuntur ab Inquisitoribus Hæreticæ pravitatis; S. Pius V. Constitut. 51. incip. *Pastoris.* 53

Regulares omnes cujusvis Ordinis, Religionis, & Instituti, quibus pro delictis ad Sanctæ Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ Gradus, & Officia inhabiles censeantur, & deinceps, etiamsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint, ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a S. D. N. vel ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia, alias promotio quælibet nulla sit, & promoventes ipsi privationem suorum Officiorum, ac præterea vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrant, qui restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, non possint. *Sacra Congregatio Generalis S. R. & universalis Inquisitionis die* 1. *Octobris* 1626. 54

Regulares non possunt in Sabbato sancto benedicere Domos, cum non possint hoc munus extra Conventum suum exercere. *Sacra Congr. Conc. die* 23. *Novembris* 1619. *& in Bononien.* 2. *Julii* 1602. 55

Regulares non possunt aggregare suæ Regulæ Personas in articulo mortis constitutas. *Sac. Congreg. Rit. in Spoletana Terræ de Visso* 20. *Junii* 1609. apud Barbos. *in Summa Apostol. decis. verb. Regularis num.* 39. 56

Regulares non possunt constringi ab Ordinariis ad interveniendum Orationi quadraginta horarum in Cathedrali. *Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Salernitana* 18. *Novemb.* 1581. 57

Regulares non debent permittere pauperes mendicare in eorum Ecclesiis, quando Divina celebrantur Officia. S. Pius V. Constitut. incip. *Cum primum.* 58

Regulares Religionis suppressæ non remanent liberati a votis, sed adhuc his obstricti sunt; adeo ut nec Matrimonium, nec Testamentum facere, nec in Fideicommissis, & hereditatibus succedere, nec acquirere possint, ut respondit *Sacra Cong. Conc. in Veneta* 13. *Maii* 1679. *& in Bononien.* 25. *Augusti* 1692. 59

Superiores Regulares non possunt apponere Interdictum in Ecclesiis sibi subjectis. Sic partibus auditis, & informantibus, declaravit *Sacra Congr. Episcop. & Regul. in Neapolitana Censurarum* 21. *Junii* 1697. contra Abbatem S. Petri ad Aram, qui Ecclesiam Monialium Reginæ Cœli sibi subjectam Interdicto subjecerat. 60

Regulares professi non possunt ad aliam Religionem, etiam strictiorem transire sine licentia Sedis Apostolicæ. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 3. *num.* 18. Donat. *Prax. rerum Regular. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 5. *qu.* 22. *num.* 11. & communis aliorum ex pra- 61

praxi, & stylo Curiæ, & quo ad transitum ad alias Religiones edita est novissime a Benedicto XIII. Constitutio incip. *Licet Sacra*, quæ ad uberiorem notitiam hic ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS &c.

§. *Licet Sacra Tridentina Synodus, ut integritati disciplinæ Regularium prospiceret, provido consilio statuerit neminem cujuscumque Ordinis Prælatum, vel Superiorem vigore cujusvis facultatis aliquem ad Habitum, & Professionem admittere posse, nisi, ut in Ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat; & licet Pius Papa Prædecessor noster Constitutionem ediderit, qua omnia Privilegia abrogavit quibuscumque Ordinis Monasteriis, Hospitalibus, & locis piis olim concessa, excipiendi, & retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, aliosque, quamvis in Ordine mitiori Professos, prohibendo, ne illi in posterum ad Habitum, & Professionem Regularem admitterentur, etiamsi perpetuo manere, & vivere deberent in claustro; nihilominus viri pietate, & prudentia conspicui Nobis exposuerunt se longa experientia didicisse, Nosque ipsi, qui, Deo favente hac ipsa die Regulare institutum Ordinis Prædicatorum in adolescentia professi fuimus, & adhuc profitemur, sæpe longo usu cognovimus, prædictas sanctiones, & cautelas pro recta Ordinum Regularium disciplina adversus calliditatem, & malitiam hominum tuenda, parum sufficere; Siquidem compluries contigit, & in dies contingere videmus quospiam, Ordinis Regularis; & Claustralis institutum professos, deinde postquam illud Apostasia deseruerunt, vel etiam aliquando sine Apostasia, peculiares ob causas, ejusmodi transitus facultatem postulare, & impetrare consuevisse a propriis Superioribus, se Privilegium subditis suis Regularibus eumdem transitum ad alias Religiones concedendi habere jactantibus, vel ejusmodi facultatem sibi dari procurare a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Legatis, vel ab ejusdem Ecclesiæ Cardinali Majori Pœnitentiario, & non raro a Nostræ Civitatis Avenionensis Vicelegato, vel ab alterutra ex congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, & Sacri Concilii Tridentini Interpretum. Quæ facultas transeundi ad profitendam Regulam alterius Religionis in qua nulla vigeat Claustralis, & Regularis observantia, vel in aliam Religionem Hospitalariam, aut Militarem, vel Hospitalariam simul, & Militarem, ubi etiam vigeat Claustralis, & Regularis observantia compluribus decretis earumdem Congregationum, & optimo statui Ordinum Regularium maxime opponitur.*

§. 2. *Quare præcipua sollicitudo nostra erga omnes Regularium familias, quas veluti acies castrorum, ad excubias militantis Ecclesiæ ordinatas, magno, & vere paterno amore complectimur, Nos monet, ut præsenti Constitutione in suo pleno robore, & vigore perpetuis temporibus duratura, integriori eorumdem Regularium disciplinæ providentes, prædictam corruptelam evellere studeamus; Itaque omnibus, & singulis Regularibus, in quocumque Regulari, & Claustrali Ordine professis, transitum ad quemcumque alium Ordinem, in quo Claustralis, & Regularis observantia non vigeat, post maturam hac de re habitam deliberationem, motu proprio, & ex certa scientia omnino prohibemus; Transitum etiam ad quemcumque Ordinem Hospitalarium, vel Militarem, vel Hospitalarium simul & Militarem, etiamsi in hujusmodi Ordinibus Claustralis, & Regularis observantia vigeret: ac etiamsi ageretur de Apostata, vel non Apostata, a primævo suo Ordine ad ejusmodi alium transire volente pari modo prohibemus. Insuper quibuscumque Superioribus Regularium, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Legatis, ejusdem Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Majori Pœnitentiario, Nunciis Apostolicæ Sedis, Vicelegato Avenionensi, utrique Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, Sacrique Concilii Tridentini Interpretum, per præsentes tollimus, revocamus, & abrogamus quæcumque privilegia, auctoritates, facultates, & consuetudines, ejusmodi transitum concedendi cuicumqe Regulari, Claustrali, Apostatæ, vel non Apostatæ, quacumque de causa, quamvis etiam consensus, tam Superioris, in cujus Ordine antea professus fuerit, quam alterius Superioris, in cujus Ordine novam Professionem emittere voluerit; Nobis autem, Nostrisque Successoribus Romanis Pontificibus pro tempore exstituris similes concessiones penitus reservamus, ita ut in posterum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Legati, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Major Pœnitentiarius, Nuncii Apostolicæ Sedis, Vicelegatus Avenionensis, prædictæque Congregationes in examine libellorum supplicum, hujusmodi transitus postulantium, hac de re nihil omnino decernere possint, nisi Nostro, vel Romani Pontificis pro tempore exstituri speciali Rescripto, ejusmodi libelli supplices ad illos remissi fuerint: quo rescripto etiam obtento, nihilominus transitus facultatem, etiamsi causæ ejus concedendi summæ viderentur, nullo modo concedere valeant, nisi postquam Nobis & pro tempore exstituro Romano Pontifici, totius rei distincta & accurata relatio facta fuerit, & postquam a Nobis ipsis, vel a Romano Pontifice pro tempore exstituro earumdem causarum pondus approbatum, & transitus facultas concessa fuerit.*

§. 3. *Eisdem vero præsentibus litteris nostris quoscumque transitus, non observato ad unguem harum tenore, imposterum faciendos, nullos & invalidos fore, & esse declaramus; Ordinariis Locorum concedentes, vel ad illos extendentes eamdem facultatem procedendi in eos, qui deinceps, præsenti Constitutione non observata, ad alium Ordinem transire ausi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis concessit in Regulares, extra Monasteria vagantes, & crimina committentes.*

§. 4. *Decernimus quoque &c.*

§. 5. *Quocirca mandamus universis Locorum Ordinariis, ut, quando, ubi, & quoties opus fuerit, easdem præsentes solemniter publicantes, eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, non obstantibus Constitutionibus, &c.*

 §. 6. *Nulli*

§. 6. Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Idibus Februarii. Pontificatus Nostri anno secundo.

P. Card. Prodatarius.
Visa de Curia J.

F. Cardin. Oliverius Archiepiscopus Antyranus.

L. Martinettus.

62 Regulares omnes Professi tam Superiores, quam subditi nequeunt condere Testamentum. *Communis & certa*, per text. *in cap. Quia ingredientibus. 2. de Testamentis, & cap Quia ingredientibus 7. caus. 19. q. 3.* ibi: *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii Juris fiant, aperta Legis definitione decretum est.* Idem habetur *Authent. Ingressi, Cod. de SS. Ecclesiis.* Et ratio clara est, quia ob votum obedientiæ, & paupertatis omni libertate, & proprietate se privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo disponere possint, amplius habeant, *arg. citatis Juribus*, juncto capite *Non dicatis* 11. *caus.* 12. *quæst.* 1.

63 Neque Regulares testari possunt ad pias causas. *Communis*. Juris enim rationes æque in Testamentis ad pias causas, ac in aliis locum habent; Adeoque Jura indistincte sunt intelligenda, cum ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, *cap. Quia circa 22. de Privilegiis, & l. de pretio 8.*
64 *ff. de Publiciana in rem actione*. Immo neque de licentia Prælati, seu Superioris. *Communis*, quia, ut dicitur *in l. Nemo 45. ff. de Regul. Jur. Nemo plus Juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet, & cap. Nemo potest 79. de Regul. Jur. in 6. Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*; Cum nemo possit dare quod non habet; *l. Traditio 20. ff. de acquirendo rerum dominio, c. Dalbertum 1. qu. 7. cap. Quomodo, de consecrat. dist. 4. cap. Quod autem 5. de Jurepatronat.* Et expresse declaravit *Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ sub die 19. Januarii 1696. Decreto 5.* & approbavit Congregatio particularis quinque Cardinalium *die 25. Julii ejusdem anni in causa Religiosorum S. Spiritus in Saxia de Urbe*, ubi quod dicti Religiosi non possunt Testamentum condere, neque de licentia Præceptoris, seu Commendatoris Domus; apud Monacell. *tom. 2. titul. 13. formul. 17. num. 13.*

65 Nec possunt Regulares testari, etiamsi ante Professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi, quia est actus dominii, pro quo explendo defecit prorsus in eis habilitas, cum sit species novæ ultimæ voluntatis. Passerin. *de statibus homin. tom. 1. quæst. 186. art. 7. num. 50.* Monacell. *tom. 1. in Append. Adnotat. ad Constitut. Clement. VIII. de largitione muner. num. 17.* Sanchez, & alii passim, *arg. supra-*
66 *citatis Juribus*. Quinimmo Regularibus Professis neque licet Testamentum a se conditum ante emissam Professionem moderari per viam declarationis. *Sacr. Congregat. Concil. 4. August. 1685. lib. 25. Decret. fol. 237.* apud Monacell. *tom. 4. supplement. ad 2. tom. num. 277.* Vide verb. Testamentum *art. 3. num. 36.*

Quo ad ea, quæ possunt, & debent necessario 67
observare Regulares circa largitionem munerum, datur hic ad litteram

Constitutio Clementis VIII. De largitione munerum una cum ejus Confirmatione facta ab Urbano VIII. sub pœnis privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso Jure incurrendis, Januario quoque mense legenda.

CLEMENS EPISCOPUS, &c.

„ Religiosæ Congregationes ab insigni Sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, & instaurandas Romani Pontifices Prædecessores Nostri, magnam jure optimo diligentiam semper adhibuerint: Nam cum ea sit rerum humanarum conditio & natura, ut etiam quæ optime fundata & constituta sunt, partim hominum imbecillitate; & ad malum proclivitate; partim Dœmonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur; idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum Nos vestigiis pro eodem Officii munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) Divina adjutrice gratia, cupimus imitari.

§. 1. Quare, ne ex muneribus, quæ a pluribus Religiosæ vitæ Professoribus ex Christi patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa sæpe tribuuntur, gravia incommoda, & mala, etiam boni specie, existant, præcavere studentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione universis, & singulis cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, bona immobilia, & redditus certos ex Indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cujusvis Congregationis, Societatis, & Instituti (non tamen Militiæ) Regularibus Personis utriuslibet sexus omnem, & quamcumque largitionem, & missionem munerum penitus interdicimus; Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia & singula Capitula, Conventus, & Congregationes, tam singulorum Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & Locorum, quam Provincialia, aut Generalia cujuslibet Provinciæ, sive universi Ordinis, Societatis, aut Instituti; eorumque, vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscumque Officiales, & singulares personas; ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum hujusmodi Superiores, quascumque Dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine Præfectos, nec non Conventuum, Monaste-

nasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & Locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam majores Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quovis titulo Præsidentes, tam ipsis Regularibus, quam Locorum Ordinariis, seu quibusvis Superioribus subjectos utriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeo ut nemo unquam eorum, vel earum directe, vel indirecte, palam, vel occulte tam communi quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quovis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature discussa, unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu, causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

§. 2. Id autem ita absolute, & generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas sit, quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus, aut obligationibus, sive eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ, seu massæ communis, vel cujusvis fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis etiam, quæ a singulis quovis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt: Nec si per viam voluntariæ contributionis in communi congerantur: Nec si forsan privatim, & nominatim cuilibet Religioso a suis Superioribus, vel a propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel a piis Christifidelibus, etiam eleemosynæ, aut Caritatis, & illius propriæ Personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut loco acquisitæ, eique, ut ad libitum de iis disponat, per Superiores concessæ fuerint, præterquam leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel Religionem pertinentia munuscula communi tantum, numquam vero particulari nomine (ubi Superiori de consensu Conventus videbitur) tradenda.

§. 3. Sed & hujusmodi missiones munerum ipsis Religiosis utriuslibet sexus, non solum per se, verum etiam per alios tam directæ, quam indirecte prohibitas declaramus.

§. 4. Neque vero quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat etiamsi munera miserit cuivis Personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cujuscumque status gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis, non solum mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia majori, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalatus dignitate fulgentibus, etiam proprio loci Ordinario etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis Habitus Regularis, Tonsuræ, aut Professionis Monialium, tam sibi subditarum, quam non subditarum, aut ipsi etiam alia proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Vice-Protectori, Generali, vel Principali, aut cujusvis Monasterii, Prioratus, Domus, aut cujuslibet alterius Loci Regularis Superiori, aut alio quocumque Officio, munere, aut Dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari Religioso; ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne prava ambitiosi impulsus pro consequendis in sua Religione Gradibus, & Dignitatibus alter alterius gratiam per benevolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum, (nisi rerum minimarum de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

§. 5. Insuper prohibemus, ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro prædictis personis, quavis auctoritate, vel Dignitate fulgentibus honorifice, laute, & opipare excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuivis illorum, quacumque occasione, vel causa exhibendis, vel pro comessationibus, aut compotationibus quibusvis personis, tam ejusdem Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis etiam piis intra Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut privatis, sacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res pie gestæ etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis, spectandæ proponuntur, aut alias in prædictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc Caritatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus hujusmodi fiant.

§. 6. Declarantes tamen, per hæc laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes, & peregrinos nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium hujusmodi Locorum, aut ex Testatorum, vel Donantium voluntatibus, sive alias applicati, aut donati sunt, eos omnino (ut decet) integre in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu Locis desertis, & ab Laicorum ædibus longius remotis, ubi tamen pauperum, & vere egenorum ratio in primis habeatur.

§. 7. Si quos vero ditiores occasione transitus, sive alias ex devotionis, aut necessitatis causa eo divertere contigerit, eos sane deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque, & ferculis communibus, nequaquam a ceteris distinctis contentos esse; Verum omnino ipsi Regulares in hospitibus

spitibus hujusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas Religiosa prorsus eluceat.

§. 8. Pari etiam ratione districte inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicis alias, quam, ut superius dictum est, vel Clericus sæcularis, vel Regularis quocumque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Vice-Protector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Provincialis, aut Monasterii, Domus, vel loci cujuslibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri utriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.

§. 9. Quod, si vel ab aliquo particulari Religioso, vel a Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut quocumque Officio fungente, aut a Conventu, Capitulo, vel Congregatione, sive ab universo Ordine, & Religione quicquam receperint, quod acceperint, suum non faciant; Verum, ipso facto, absque aliqua monitione Judicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque Foro teneantur, adeo ut, restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in Foro conscientiæ absolvi possint.

§. 10. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cujus bonis facta est largitio, vel si non de ejus bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans Professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, vel universi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut massæ, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita ut, nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquomodo possit.

§. 11. Quod si quis ex supradictis Regularibus utriuslibet sexus, cujuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus, conjunctim cum ceteris, seu divisim nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, ut omnibus & singulis per eum obtentis Dignitatibus, Gradibus, Muneribus, & Officiis, eo ipso privatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat; Et præterea privationem vocis activæ, & passivæ, absque ullo Superioris Decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat: nec non ultra hujusmodi pœnas, etiam tamquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex Officio procedi, & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat.

§. 12. Pœnis aliis a Jure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cujusvis Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci statuta, vel consuetudines contra Personas aliquid præmissorum committentes, forsan decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§. 13. Quo circa universis, & singulis modernis & pro tempore existentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, & Officialibus, nec non quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monasteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Provincialibus, ceterisque, ad quos spectat, per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilantia, præsentem Constitutionem firmiter, & inviolate observari, & contra inobedientes, vel transgressores condignis pœnis animadverti; eosdem inobedientes, nec non contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna Juris, & Facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 14. Non obstantibus Constitutionibus, &c.

§. 15. Volumus autem, ut præsentes Litteræ in valvis Sancti Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimissis; Quodque earum exempla, seu illarum compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales in vernaculum, & vulgarem cujusque Regionis sermonem versa), & a loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur, & saltem quotannis in Capitulis, sive Congregationibus cujusque earum alta & intelligibili voce legantur; & nihilominus post sexaginta dies a die publicationis (ut præfertur) in Rom. Curia facienda, unumquemque citra montes, ultra montes vero post quatuor menses perinde arctent, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos juratæ fuissent.

§. 16. Quodve earum transumptis, &c.
Nulli ergo omnino &c.

L. Card. Prodat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

Confirmatio & moderatio supradictæ Constitutionis.

URBANUS PAPA VIII. &c.

§. 1. Nuper a Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum coram dilecto Filio Nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato, Majori Pœnitentiario, ac Nostro in Alma Urbe Pro-Vicario in spiritualibus generali, & nostro secundum carnem Fratre Germano a Nobis deputata, emanavit Declaratio tenoris subsequentis, videlicet.

Cum

Cum circa interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub dat. XIII. Kal. Julii Pontificatus sui anno tertio de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ; Congregatio specialiter a S. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrii Majori Pœnitentiario, ac Urbis Pro-Vicario deputata, auctoritate sibi attributa declaravit, & declarat, munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeste tamen ac discrete, & dummodo id non fiat nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de Jure, vel ex Constitutionibus, seu consuetudinibus cujusque Religionis respective, in hujusmodi casibus requiratur; Consensum vero Conventus *in* §. 2. ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda &c. requisitum, intelligi debere de consensu alias de Jure requisito, & ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis *in* §. 4. ejusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam, declarat; Commessationes autem, Compotationes, & Convivia, in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorifice, & laute, de quibus *in* §. 5. *&* 6. ejusdem Constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status Regularis adversentur; Restitutionem vero receptorum Conventibus faciendam, de qua *in* §. 10. ibidem cautum est, intelligi debere de Conventibus, ad quos data, seu missa de Jure pertinent, si id commode fieri potest, alias Conventui ejusdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur; Insuper eadem facultate sibi tributa, omnes, qui hucusque adversus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, a pœnis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis, & incursis posse, & debere a propriis Confessariis absolvi in foro conscientiæ, etiam non facta prius hujusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione; quoad eos vero, qui præter modum prædictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit Majori Pœnitentiario, ut de præteritis usque ad diem datæ præsentium in Foro conscientiæ absolvat, dispenset, & condonet, seu absolvi, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit.

§. 2. Et ne prædictæ Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventus, Domus, ac Collegii Regularis sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso Jure incurrenda, efficere teneantur ut in perpetuum singulis annis mense Januario, non solum prædicta Constitutio (quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas omnino observari jubet, & quatenus opus sit, innovat, quemcumque prætensum non usum, aut prætensum usum, seu prætensam consuetudinem damnando, & irritando) verum etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegatur; Omnibus tam Ecclesiasticis personis, etiam Regularibus, quam Laicis cujuscumque sint Ordinis, Conditionis, Gradus, ac Dignitatis, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandavit expediri Breve datum Romæ die decima quinta Septembris 1640.

§. 3. Quapropter, ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam Juris, quam Facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, observari.

§. 4. Sicque, & non aliter &c.

§. 5. Non obstantibus &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XVI. Octobris MDCXL. Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

M. A. Maraldus.

Recipientes munera a Regularibus contra præ- 69
scriptum dictarum Constitutionum Clementis, & Urbani VIII. quicumque sint, sive Regulares, sive Sæculares, quacumque Dignitate, vel Superioritate præditi, in neutro Foro absolvi possunt ante factam restitutionem, ut patet in d. Constitutione Clementis VIII. §. 9. Et si munus excedat summam scutorum decem, neque possunt absolvi a Summo Pœnitentiario, prout patet ex novissima Const. Innocentii XII. declaratoria facultatis Cardinalis Pœnitentiarii, emanata tertio Nonas Septembr. 1692. incip. *Romanus Pontifex*, in qua §. 17. sic expresse habetur: *Munera a Regularibus contra recolend. mem. Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri anno Incarnationis præfatæ* 1594. *tertio decimo Kalendas Julii editam Constitutionem ultra valorem decem scutorum monetæ recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi. Infra vero prædictum valorem, nonnisi facta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de Jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi*. Vide infra *n.* 128.

Regulares non possunt uti Livellis, nisi servata 70
forma dictæ Constitutionis Clementis VIII.; sic decla-

claravit *Sac. Congregat. Episcop. in Florentina* 21. *Julii* 1690. *ad relationem claræ mem. Cardinalis Petrucci*, apud Monacell. *loc. cit. n.* 7.

71 Quoad ea, quæ concernunt Regulares assumptos ad Episcopatum. Vide verb. *Episcopus art.* 7.

72 Assignatur tempus, quo a Regularibus legendæ sunt variæ Constitutiones Apostolicæ, & Decreta Sacrarum Congregationum sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto a Superioribus incurrenda, ut notat Lantusca, *in Theatr. Reg. verb. Decreta n.* 2.

Mense igitur Januario.

Legi debent Constitutiones Clementis VIII. incip. *Religiosæ Congregationis*, & Urb. VIII. incip. *Nuper a Congregatione* de largitione munerum. Sic statuitur in Constitut. Urb. VIII. incip. *Nuper* §. 2.

Kalendis Martii.

Legi debet Decretum spectans ad Sanct. Officium Alexandri VII. jussu editum incip. *Licet alias*. Sic statuitur in ipsa Constitutione §. 5. ubi mandatur, quod legatur una cum aliis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad S. Officium Inquisitionis adversus Hæreticam pravitatem pertinentibus quotannis legi solitis juxta Decretum Urbani VIII. incip. *Sanctissimus Dominus*.

Feria sexta post Octavam Corporis Christi, & Feria secunda post primam Dominicam Adventus; Vel infra terminum unius mensis immediate subsequentis, juxta Decret. Sacræ Congregationis Regular. ad instantiam Procuratoris Generalis Congregationis Lateranensis editum *die* 16. *April.* 1630. Vel infra terminum decem dierum immediate subsequentium, juxta Decretum ejusdem Sacræ Congregat. Regular. ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini editum *die* 21. *Maii* 1638.

Legi debent Decreta Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Missarum incip. *Nuper a Congregatione*.

Feria sexta post octavam Assumptionis B. M. V. vel per totum residuum Mensis Augusti, juxta Decretum Sacræ Congregationis S. Inquisitionis ad instantiam Procuratoris Generalis Congregationis Lateranensis editum *die* 11. *Febr.* 1638.

Legi debet sub pœnis privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, atque aliis suæ Sanctitatis arbitrio infligendis &c. Decretum Sacræ Congregationis Sancti Officii jussu Urbani VIII. editum de observantia Constitutionum Apostolicarum ad Sanctum Officium pertinentium incip. *Sanctissimus Dominus*,

Diebus a Superiore assignandis bis quotannis,

Legi debent sub pœnis privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regularium incip. *Nullus omnino*; Et Decreta Sacræ Congregationis Concil. Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis, & Ejectis incip. *Sacra Congregatio*, una cum Decreto ejusdem Sacræ Congregationis Innocentii XII. jussu editum, moderatorio, & incorrigibilium respective innovatorio incip. *Instantibus Procuratoribus*,

Item bis quotannis diebus a Superiore assignandis,

Legi debent Decreta Clementis VIII. super receptione, educatione, & Professione Novitiorum, quorum primum incip. *Regularis disciplinæ*, Secundum incip. *Sanctissimus in Christo*, Tertium item incip. *Sanctissimus in Christo Pater*, Quartum item incip. *Sanctissimus in Christo Pater*, Quintum incip. *Cum ad Regularem disciplinam*.

Item in quolibet Generali, vel Provinciali Capitulo, Congregatione, Capitulari Congressu, Dieta &c. sub pœnis privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrendis,

Legi debet Decretum Sacræ Congregationis S. Officii Urbani VIII. jussu editum de observantia Constitutionum Apostolicarum, & decretorum ad Sanctum Officium pertinentium incip. *Sanctissimus Dominus*. Item sub iisdem pœnis legi debet saltem semel singulis annis Kalendis Martii in publica Mensa, vel alias in Capitulo ad hoc specialiter convocato una cum aliis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad S. Officium Inquisitionis adversus Hæreticam pravitatem pertinentibus quotannis legi solitis, juxta dictum Decretum Urbani VIII. incip. *Sanctissimus Dominus*.

Item sexto quoque mense in Conventibus Recollectionis, & Novitiatus pro Nostratibus, legi debet Decretum Innocentii XI. incip. *Pro meliori Novitiorum*.

Item pro Nostratibus bis saltem in singulis annis sub pœna destitutionis Superiorum Localium ipso facto incurrenda,

Legi debet Constitutio pro restituendo, ac conservando Candore Regularis disciplinæ edita ab Urbano VIII. *die* 1. *Junii* 1640. & incip. *Militantis Ecclesiæ*.

Regulares utriusque sexus tenentur ad observantiam Regulæ secundum primævam institutionem; 73 textu expresso in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de Regularibus c.* 1. *cap. Cum causam* 27. *de election. cap. Ad nostram* 4. *de appellat. cap. Super eo* 9. *& cap. Ex part.* 29. *de Regularibus, cap. Recolentes* 3. *Et cap. Ea quæ* 8. *de statu Monachor.* Quamvis enim controvertant Doctores, an si reducatur religio, seu Monasterium, ad primum regulæ rigorem, pristinamque severitatem, teneantur Regulares inibi professi ad illam reformationem, possintque ad illam servandam compelli? Et Oltrad. *consil.* 96. & aliqui alii tenuerint non posse præcise compelli; Tamen contraria opinio est *Communis* per *Jura citata*, & eam tenent Innocentius *in cit. cap. Super eo* 9. *de Regularibus*, & ibi Ioannes Andreas, Buttius, Cardinal. & Abbas, & idem Abbas plene *in cap. Ad nostram* 3. *de appellationibus num.* 4. & ibi late Felinus *num.* 4. *&* 5. Decius *num.* 5. *&* 6. Præpositus *n.* 9. Butrius *in cap. Cum causam* 27. *de elect. n.* 14. *&* 15. ubi sic expresse dicit: *Non excusantur intrantes Religionem collapsam, si ipsam profitentur, licet tempore, quo profitentur, non sit ibi observantia, si Regulam ad unguem non servant, & sic videtur, quod omnes Monachi vadant ad Domum Diaboli.* Et ibidem Joann. de Anania *n.* 4. dicens: *Nota textum (& servent regulam), qui probat, quod non excusatur ille, qui intrat Religionem collapsam, in qua Re-* gu-

gula non servatur ad unguem, si illam profitetur, & sic videtur secundum Dominum Antonium, quod hodie omnes Monachi vadant ad Domum Diaboli. Et sequitur Fagnan. *ibid. n.* 33. *& in c. Ne innitaris* 5. *De Constitutionibus n.* 326. *& in c. Recolentes* 3. *de statu Monachorum a n.* 4. *ad* 7. Donatus *prax. rerum Regularium tom.* 4. *tract.* 15. *q.* 5. *per tot.* & alii passim, quam sententiam uti veram, & communem amplexa est Rota *decis.* 216. *part.* 2. *divers. per tot. & præsertim n.* 7. *& seq.* & probavit *Sac. Congreg. Concilii* apud Fagnan. *in cit. cap. Recolentes* 3. *de statu Monachor. num.* 7. ubi censuit, posse Superiores Regularium inducere reformationem juxta ipsorum Instituta, si eorum Monasteria sint relaxata, & regula collapsa, & ad illam omnes obligare, ut colligitur *ex cit. cap.* 1. *sess.* 25. *de Regularibus*.

74 Et ratio est, quia Religiosi per Professionem renunciarunt propriæ voluntati, cum non amplius habeant velle, nec nolle, textu expresso *in cap. Si Religiosus* 27. *de election. in* 6. *cap. Religiosus* 2. *de Testament. etiam in* 6. *cap. Religiosi* 5. *de sepulturis, item in* 6. *cap. Non dicatis* 11. *caus.* 11. *q.* 1. & ut recte dicunt Summa Asten. *tit.* 47. *de Regularib. art.* 3. *in* 7. *quæst.* Fagnan. *loc. cit. num.* 6. & alii.

75 Profitentes profitentur Regulam, non consuetudinem, & relaxationem, immo ad id expressam faciunt protestationem, adeoque ad regulæ observantiam compelli possunt a Superioribus, non obstante contraria consuetudine, & inducta relaxatione.

76 Et tanto magis hoc potest fieri a Summo Pontifice. Regularibus enim nefas esset reluctari Papæ reformationem inducenti; Unde miratur, & recte conqueritur Fagnanus *in cit. c. Ne innitaris* 5. *de Constitutionibus n.* 326. quod quidam Regulares, audita opinione, quam nonnulli Auctores probabilem dicunt, quod Summus Pontifex non possit Regularibus ad præscriptum Regulæ reformationem indicere præter consuetudinem, quæ in Religione vigebat tempore professionis emissæ, ausi sint debitam mandatis Apostolicis obedientiam denegare, cum talis opinio sit manifeste falsa, & contra *C. Cum causam* 27. *de elect. c. Ad nostram* 3. *de appell. cap. Super eo* 9. *& cap. Ex part.* 29. *de Regularibus, c. Recolentes* 3. *& cap. Ea, quæ* 8. *de statu Monachor.* & expresse contra Conc. Trid. *cit. cap.* 1. *sess.* 25. *de Regularibus*, & contra communem Doctorum.

77 Immo Papa potest indicere Religiosis etiam strictiorem vitam, quam Regula exigat, ut per Doctores *in cit. cap. Super eo* 9. *de Regularibus, & c. Ad nostram* 3. *de appellat.* & Fagnan. expresse *in cit. cap. Recolentes* 3. *de statu Monachor. num.* 7. sicut de facto Bonifacius VIII. indixit universis Monialibus clausuram perpetuam, ut *in cap. Periculoso unic. de statu Regularium in* 6. innovato a Concilio Trid. *in cap.* 5. *sess.* 24. *de Regularibus*: Et S. Pius V. in Constitut. incip. *Decori*, ad eam clausuræ legem adstrinxit etiam Sanctimoniales illas, quæ ex Fundatione Religionis, seu Monasterii ad eam non tenebantur; Et Clemens VIII. in Decret. de reform. Regular. incip. *Nullus omnino* in pluribus Regulares restrinxit ultra præscriptum Regulæ; Quod factum est etiam in Decretis Sacræ Congregationis Concilii jussu Urbani VIII. editis de Regularibus Apostatis, & Ejectis incip. *Sacra Congregatio*, & in Decreto ejusdem Sacræ Congregationis moderatorio, & Incorrigibilium respective innovatorio jussu Innocentii XII. edito, & incip. *Instantibus Procuratoribus*; Neque in his possunt Religiosi resistere, quia, ut expresse dicitur *in c. Si Religiosus* 27. *de electione in* 6. Religiosorum arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeant, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuerunt, & cujus imperio se subjecerunt, voluntate dependet, ibi: *Si Religiosus, cujus arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet &c.* Et concordat *cap. Religiosus* 2. *de Testament. in* 6. *& cap. Religiosi* 5. *de sepultur. eod. in* 6. *cap. Non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. cum similibus.

Unde Regularibus renuentibus reformationem 78
indictam recipere, & integre observare, solet Sedes Apostolica interdicere, & denegare licentiam recipiendi, & admittendi aliquos ad Habitum, & Professionem, ut patet ex Decretis Clementis VIII. citatis *supra n.* 72. §. *Item bis quotannis*, & Constitut. Innocentii X. incip. *Inter cetera*, & pluribus aliis Decretis Sacrarum Congregationum.

Et quod etiam Monasteriis renuentibus refor- 79
mationem acceptare non concedatur licentia reciciendi Puellas ad Habitum, statuit *Sacra Congr. Episcop. & Regul. in Neapolitana* 26. *Maii* 1602.
Item nec admittendi ad Professionem eas, quæ 80
se ad illam nolunt obligare. *Ead. Sacra Congreg. Episcop. in Neapolitana* 8. *Aprilis* 1605. Item in iis 81
Monasteriis, quæ partim illam reformationem recipiunt, & partim non, recipi non debent nisi illæ, quæ se volunt reformationi subjicere; *Ead. Sacr. Congreg. Episcopor.* 17. *Aprilis* 1702. Nec re- 82
formatio est credenda statim, sed probanda diu, antequam detur licentia vestiendi. *Ead. Sac. Congreg. Episcop. in Capuana* 17. *Novembr.* 1602. *&* 4. *Maii* 1604. & consimiliter sæpe sæpius alibi. Quæ 83
tamen Professionem emiserunt, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, sed non cogi. *Ead. Sacra Cong. Episcopor. & Regular. in Neapolitana* 5. *Martii* 1602. apud Nicol. in Floscul. verb. *Reformatio num.* 10.

Unde Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 45. *n.* 25. sic ex- 84
presse habet: *In Mediolanensi. Licet Regulares Regulam, quam professi sunt, observare teneantur, & cogendi sint; Nihilominus Moniales, quæ non ita exacte eam observant, veluti in jejuniis, in comedendo carnes, gestando indusium lineum, recitandis Horis Matutinis certa hora noctis, sunt tolerandæ, ut in Monialibus S. Benedicti juxta me tem Gregorii XIII.* Et sequitur D. Cajetanus de Alexandris *in Confessario Monialium cap.* 1. §. 1. *q.* 4. ubi dicit, quod si Moniales tempore Professionis limitatam habuerunt intentionem non se amplius obligandi, quam ad illam Regulam sic relaxatam, tunc non tenentur reformatam ex post servare, quia actus non obligantur ultra intentionem agen-

tium; *l. Non omnis 19. ff. Si certum petatur*, Ita multi apud Sanch. *in decal. l. 6. c. 2. num. 39.* Si vero absque ulla expressa limitatione professæ sunt, tenentur Regulam sic reformatam amplecti, & observare, quia sponte sua in Religione profitentes se ita Regulæ, & vitæ Religiosæ subjiciunt, ut paratæ esse debeant, quantum ex se est, ad conservationem ipsius procurandam. Quare si Regularis observantia collapsa, & relaxata sit, tenentur Moniales pati, ut restauretur, seu reformetur, & per consequens tenentur etiam Regulam sic instauratam, seu reformatam observare; Sanchez *loc. cit.* aliique plurimi ibi relati; Et Monacell. *tom. 2. tit. 13. formul. 5. n. 7.* dicit expresse, quod Monialis, quæ vult vivere secundum corruptelas, & abusus Monasterii, est in periculo damnationis.

85 Afferuntur Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regularium tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, & Instituti, quæ ut dictum est supra *sub n. 72. §. Diebus a Superiore assignandis* bis quotannis legi debent sub pœna privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

CLEMENS PAPA VIII.

„ §. 1. Nullus omnino, prætextu cujuscumque Privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus a servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii Officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, Superiores, iis tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint; idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis; In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animadvertant, ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.

§. 2. Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum Conscientiæ bis in hebdomada, præscriptis diebus, in singulis Monasteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione, circa explicatam Doctrinam sese utiliter exerceant.

§. 3. Quo Trid. Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur; atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

§. 4. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

§. 5. Eorum vero, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

§. 6. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum a Concilio Trid. præscriptas, sed alias quoque multo graviores Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

§. 7. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia, Fratres excusare possit, quominus culpæ, & pœnæ ab iisdem Concilii Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent, hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

§. 8. Fratrum vestitus, & supellex Cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat, itaut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium, alicui denegetur.

§. 9. Quæcumque fratrum vestes, sive laneæ; sive lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur; ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

§. 10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem vino, eodemque obsonio, sive eadem (ut ajunt) pitantia in communi mensa, prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit; Si quis ea in re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

§. 11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares ratione Officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter annotari curent, neque in alios usus, quam ratione Officii sui necessarios, quicquam expendant; Cum vero contigerit, ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & iis, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ & Constitutionum, suppeditetur.

§. 12. Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditùum sui Conventus, etiam nomine Conventus, per se ipsum habere, sive exercere possit, sed universum id onus tribus fratribus ejusdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tamquam depositarius pecunias, ac cetera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet; alius de pecuniis, & rebus a depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui univer-

so

so de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta Caritatis Regulam, veluti bonus dispensator, provideat, Officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.

§. 13. Ceterum hi tres, tam impensi, quam accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejusdem Conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore & peritis prædictis, Generali, vel Visitatoribus, cum advenerint; Denique ipse Generalis, vel Visitatores in quolibet proximo Capitulo Generali, saltem coram tribus Judicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universæque suæ administrationis, tam publicæ, quam privatæ rationem reddere teneantur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc ut ad omne mandatum Nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

§. 14. In unoquoque Conventu Fratrum is tantum deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus in commune, ut præfertur, conferendis, commode possit sustentari; redditus vero, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asserventur.

§. 15. Superioribus autem, ne Concilii Trid. aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni Gradu, Officioque privatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat.

§. 16. Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui Gradus Privilegio gaudeat.

§. 17. Si alicui ex necessaria causa, Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is, nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, &, si commode fieri potest, sit Laicus conversus.

§. 18. Ut omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conventus clausura perpetuo ac diligenter servetur, ac propterea a Superiore janitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maxime commendetur, is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

§. 19. Nullus a Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, aut benedictione accepta a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem sæpius: Licentiæ vero generales exeundi nulli omnino concedantur.

§. 20. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eamdem etiam janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

§. 21. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

§. 22. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius a Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.

§. 23. Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce activa, & passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias, arbitratu Superiorum, infligendas pœnas. Quæ item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine ulla exceptione, locum habeant.

§. 24. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper a Superiore possit aperiri.

§. 25. In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

§. 26. Nullus, etiam Superior cellas, sive in claustro, sive alibi separatas a communi Dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum ceteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto & mensa humilibus, uniformique supellectili, ut præfertur, quemadmodum Religiosos decet, contentus sit. Possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, si eorum muneris, & Officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

§. 27. Cellæ, sive ædiculæ, quæ extra Dormitorium separatim sunt, ad Officinas, aut alias ad communem usum, & commoditatem Conventus redigantur.

§. 28. Singillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

§. 29. In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur; Cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

§. 30. Conventus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas Laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

§. 31. Valetudinarium in singulis Conventibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur; qui vero infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac caritate, operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§. 32. Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cetero, nisi ex gravissima causa, a Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

 §. 33. Nul-

§. 33. Nulli in posterum ad Habitum, aut Professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

§. 34. Curent Superiores, ut Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

§. 35. Ut omnis Officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes a directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in ceteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi; Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & Censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis Officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur: super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a Nobis, vel successoribus Nostris, & pro qualitate culparum, gravius etiam plectantur; Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes, extendimus.

§. 36. In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta a Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentque Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ, probiores, ac magis idoneos se electuros; Ac propterea, priusquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum; Ad Officia, Gradus & Prælaturas illi præcipue eligantur, qui possint, & consueverint Regulas Ordinis, & Constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

§. 37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas Confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad hujusmodi ministerium admittantur; Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores promovendos ad quoscumque Ordines, in quo servetur Decretum Congregationis Interpretum Sacr. Concil. Trid. hac de causa nuper editum & promulgatum.

§. 38. Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut, quæ eorumdem Ordinum Regulis, & Constitutionibus, de Oratione mentali, silentio, jejuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac pie sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur, intelligantque super his, veluti fundamentis, omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis, habeatur sermo de Religiosa disciplina, Regularique observantia.

§. 39. Quo vero omnia ordinate peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distincte annotetur, quid singulis horis cujusque diei; quilibet Frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, majori animi præparatione suo muneri satisfacere possit; Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolate custodiendæ erunt.

§. 40. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur; Ut autem hæc Decreta, donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur, ac ab omnibus observari possint, districte præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinum Constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & adversus eas umquam dispensandi; alioquin sciant, se in pœnam Generalatus, & Officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine ulla exceptione respective incidisse.

§. 41. Ne vero, prætextu dilatæ publicationis eorum observatio quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus ut post illorum publicationem, in Conventu, vel Monasterio cujuslibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, ceterosque quoscumque Fratres præsentes, statim, reliquos vero absentes citra montes, unius mensis, ultra montes, trium mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

§. 42. Insuper mandamus, quod Generales in singulis Conventibus, citra montes, unius mensis; ultra vero montes, trium mensium cursu, decreta supradicta publicari faciant, sub pœna privationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis.

Datum Romæ apud S. Petrum die 25. Mensis Junii 1599.

§. 43. Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut ipsis ex causa communi totius Provinciæ dumtaxat facultatem hujusmodi facere valeat, declaravitque, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ contrafacientibus inflictam, Sanctitati Suæ reservatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. Martii 1601.,,

Regulares tot solum stare debent in Monasteriis, 86
quot ali commode possunt per redditus, & eleemosynam eorum. Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 3. Clemens VIII. Constitut. 60. incip. *Nullus*, Paul. V. Const. 9. incip. *Sanctissimus*, Urban. VIII. Constit. 43. incip. *Cum sæpe*, Innocent. X. Constit. incip. *Inter cetera*, Innocent. XII. Constitut. incip. *Nuper*

Nuper a Congregatione. Vide verb. *Moniales artic.* 2. *a num.* 12. *ad* 62. verb. *Novitius a num.* 56. *ad* 65. verb. *Simonia art.* 7. *a num.* 20. *ad* 23.

87 Unde Regularium numerus pro unoquoque Conventu præfinitus, & a Sacra Congregatione approbatus, prout necessario debet esse præfinitus & approbatus, uti statuerunt varii Summi Pontifices, & signanter Urbanus VIII. Innocentius X. & Innocentius XII. in citatis suis Constitutionibus, non potest a Superioribus augeri, etiam sub prætextu augmenti redditium absque ipsius Sacræ Congregationis Concilii licentia, sub pœna privationis Officiorum, vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis perpetuæ. Urbanus VIII. Constitut. incip. *Cum sæpe contingat*; Innocent. X. Const. incip. *Inter cetera*; Innoc. XII. Constit. incip. *Nuper a Congregatione*.

88 Regularis non potest habere locum in duobus Monasteriis, textu expresso *in c. Ne nimia* 9. *de Religiosis Domibus*, ibi: *Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi habere præsumat, nec unus Abbas pluribus Monasteriis præsidere*.

89 Regulares sunt exempti ab oneribus, & collectis; *S. Cong. Immun. in Cremonen.* 11. *Jan.* 1695. *lib.* 1. *Decr. Val. pag.* 166. *&* 11. *Jun. d. A. & lib. pag.* 194. *in Aquen.* 5. *Febr. d. Anni & lib. pag.* 170. *& alibi*. Exempti quoque sunt ab hospitio, seu hospitatione militum, etiam pro bello adversus Turcas. Sic Sanctus Pius V. in Constitution. incip. *Cum sicut*.

90 Regulares non tenentur ad onera, impositiones, & collectas pro bonis acquisitis, nisi juxta decisionem in Brundusina coram Penia, & Decretum editum sub Clemente VIII. Anno 1600. *Sacr. Congreg. Immun. in unâ status Ecclesiastici* 9. *Novemb.* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 144. *& in Montis Alti* 29. *Maii* 1629. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 139.

91 Regulares Carmelitani non tenentur ad solutionem gabellæ Datiariis carnis ex forma Constitut. Clementis VIII. & Pauli V. non solum pro animalibus natis in eorumdem prædiis, sed nec etiam pro emptis pro usu proprio, cum iste casus non sit expressus in dictis Const. & de Jure sint exempti. *S. Cong. Immun. in Ferrarien.* 15. *Septemb.* 1637. *lib.* 3. *Decr. Paul. p.* 43.

92 Regulares gaudere debent exemptione pro vino, quod minutatim vendunt. *Sacr. Congr. Immun. in Fav.* 19. *Decembris* 1634. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 212.

93 Canonici Regulares Lateranenses in vim motus proprii Urbani VIII. F. R. tenentur ad solutionem Gabellæ carnis, etiam pro animalibus, quæ in propriis Domibus & Monasteriis mactantur. *S. Congr. Immun. in Ravennat.* 27. *Febr.* 1646. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 273.

94 Fratres Minores S. Francisci de Observantia gaudent, prout ceteri Ecclesiastici, tam Sæculares, quam Regulares, exemptionibus pro rebus emptis ab eorum Syndico pro victu, & vestitu eorumdem. *S. Cong. Imm. in Valentina* 17. *Mart.* 1658. *lib. Decr. Rocci p.* 172.

95 PP. Dominicani sunt exempti a Collectis impositis a Communitate, tam de Jure communi, quam ex Privilegiis Pontificiis. *S. C. Imm. in Firmana* 6. *Maii* 1631. *l.* 2. *Decr. Paul. pag.* 76.

Regulares sunt exempti a Gabella portæ Civitatis pro introductione frumenti. *Sacr. Congr. Immun. in Maceraten.* 31. *Aug.* 1646. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 290. 96

Regulares circa libertatem emendi carnes remittuntur ad Sacram Cong. Boni Regiminis. *S. Cong. Immun. in Anconitana* 5. *Mart.* 1675. *lib.* 1. *Decret. Altoviti p.* 1078. 97

PP. Societatis Jesu tenentur pro bonis acquisitis, ad onera, quæ sint certa, realia, & invariabilia; pro aliis vero bonis tenentur ad Collectas auctoritate Apostolica impositas cum specifica expressione Ecclesiasticorum, dummodo in locis bonorum non adsit consuetudo contraria. *Sac. Congr. Immun. in Firmana* 9. *Octobris* 1692. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 8. 98

An FF. Minimi contra formam Privilegiorum possint conveniri ab Ordinario, aut Vicario Apostolico pro reddenda ratione bonorum temporalium ab eis possessorum? Sac. C. respondit hujusmodi Fratres uti jure suo. *Sac. Congr. Immun. in Bisinian.* 14. *Januar.* 1653. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.* 5. 99

Licet Regularibus in eorum Conventu sito in loco, ubi Dominus Loci exigit unum pro quindecim ab Ecclesiasticis pro coctura panis in Furnis sibi competentibus, habere Furnum pro eorum usu, & venientium sumptibus Conventus. *Sacr. Congr. Immun. in Maceraten.* 22. *Septemb.* 1624. *lib.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 87. 100

Regulares sunt Testes idonei ad probandam extractionem, & violationem Immunitatis Eccles. secutam in eorum Ecclesia. *Sacr. Congr. Immun. in Regien* 1. *Julii* 1642. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 177. 101

Minor observans S. Francisci potest de licentia Em. Vicarii Urbis in causa Civili deponere. *Sac. Congr. Immun. in Romana* 4. *Septembris* 1640. *ibi pag.* 129. 102

Datur facultas Episcopo, non solum examinandi, sed etiam cogendi Regulares ad se subjiciendum examini in causa violatæ Immunitatis. *Sac. Congreg. Immun. in Aprutina* 20. *Novembr.* 1640. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 135. *in Neapolitana* 6. *Octobris* 1643. *ibi pag.* 211. 103

Datur facultas Episcopo examinandi etiam Regulares, dummodo actu, & habitu aliunde veritas haberi non possit, ac citra incursum Irregularitatis. *Sacr. Congr. Immunit. in Novarien.* 27. *Julii* 1635. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 229. 104

Similis facultas conceditur aliquando etiam Vicario. *Sacr. Congreg. Immun. in Tropien.* 5. *Augusti* 1639. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 99. 105

Regulares dare debent Eminentissimo Legato uti Delegato Apostolico notam animalium, quæ per eosdem Regulares introducuntur ad effectum mactandi pro servitio Religiosorum. *Sacr. Congreg. Immun. in Tropien.* 9. *Augusti* 1639. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 89. 106

Scribitur Archiepiscopo, ut provideat, & ordinet pro suo arbitrio, quod Regulares quomodolibet privilegiati non locent appartamenta ordinata 107

ta ad habitationem Religiosorum Sæcularibus, ad effectum vitandi abusus, & controversias Immunitatis Eccles. *Sac. Congr. Imm. in Neapolitana* 10. *Novembris* 1676. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 1302.

108 Qui carceraverant, & modico tempore detinuerant Regularem, absolvuntur in forma Ecclesiæ arbitrio Episcopi. *Sac. Cong. Immun. in Litteren.* 4. *Decemb.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 159.

109 Alia ad rem; Vide verb. *Alienatio*, verb. *Baptismus art.* 7. verb. *Benedictio*, verb. *Conventus*, verb. *Ecclesia*, verb. *Fenestræ*, verb. *Habitus*, verb. *Missa*, verb. *Oratorium*, verb. *Oracula vivæ vocis*, verb. *Privilegium*, verb. *Quarta*, verb. *Sepultura*, verb. *Testis*, verb. *Vicarius*.

110 Regularis nequit simul esse Parochus, & Superior sui Conventus. *Sacr. Congr. Disciplinæ Regul.* 28. *Maii* 1715. *Decreto* 6. *in Bullario Clementis XI.* Vide in Tomo 6. verb. *Parochus*, *Art. II. numer.* 85.

111 Regulares, sicuti dictum est in verb. *Jejunium art.* 1. *num.* 12. uti possunt ovis, & lacticiniis in suis jejuniis, extra tamen tempora ab Ecclesia universaliter prohibita, ut fuit determinatum in Capitulo Generali PP. Capuccinorum 1596. ac fuit approbatum a *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular. in Cosentina* 15. *Jul.* 1606. apud Nicol. *in Flosculis verb. Capuccini num.* 9. & apud Piton. *Constitut. & dec. Pontific. ad Regulares tom.* 4. *num.* 1672. Quod tamen intelligendum est ex vi propriæ Regulæ; quia alias etiam ipsi in jejuniis uti debent cibis secundum legitimam aliorum consuetudinem, & maxime Religiosorum regionis, & loci, ubi morantur, cum consuetudo sit optima Legum interpres, textu expresso *in c. Dilectus* 8. *de consuetudin. L. si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*; Immo ipsa sit altera Lex, & pro Lege servari debeat; *capit. Dilecti* 4. *de arbitris*, *L. de quibus* 32. *ff. de Legibus*, *L. Scævola* 26. *ff. de aqua & aqua pluvia arcenda*; *L. Et ab antiquis* 31. *Cod. de testamentis* cum similibus. Unde Marchant. in *expositione Regulæ Fratrum Minorum cap.* 3. *q.* 2. sic expresse concludit: *Jejunia Regulæ servari debent juxta morem patriæ, & jejunantium communem formam*, adducens ad id sententiam 4. Magistrorum, qui expresse dicunt, *Jejunent ergo &c. debet intelligi cibo jejunantium secundum consuetudinem hominum, & maxime Religiosorum terræ, in qua morantur*. Et opinionem Hugonis de Dina sic habentis: *Ubi a lacticiniis abstineant jejunantes, scandalum est, si nos morem patriæ &c. violamus. Juxta Sanct. Canonem, mos Ecclesiæ, sive Diœcesis, in qua sumus, est servandus*; & infra; *Debemus ergo in jejuniis secundum morem jejunantium uti*. Hinc Diana *in Summa verb. Jejunium num.* 56. adductus a Patre Viva *in propo sit.* 32. *ex damnatis ab Alexandro VIII. num.* 10. *in fin.* dicit consuetudinem abstinendi a Lacticiniis in vigiliis & quatuor Temporibus in Sicilia videri gravem, & sub mortali receptam, etiam apud Regulares; qualis procul dubio est apud Nostrates consuetudo jejunandi in cibis quadragesimalibus diebus Adventus, juxta Constitutiones Capituli Generalis celebrati anno 1500. Interamniæ de mandato Alexandr. VI. *cap.* 3. *art.* 2. apud Orbem Seraphic. *tom.* 3. *de jejunio*, ubi sic expresse habetur: *Ad hanc autem Quadragesimam jejunandum Fratres sunt obligati modo, quo ceteri Christiani ad illam communem obligantur, ut lacticinia in ea comedere nequeant*.

At vero in Feriis sextis, aliisque jejunii diebus 112 infra annum extra Quadragesimam, & Adventum teste communi praxi jejunatur, & jejunandum esse dicimus juxta diversarum Provinciarum, & Regionum probatam consuetudinem per supra adducta jura, & dicta etiam sub verb. *Jejunium loc. cit. num.* 11. & juxta S. Thomam 2. 2. *quæst.* 166. *art.* 8. *ad* 3. sic expresse dicentem: *In jejunio Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia, circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur*. Et sic de jejuniis præscriptis in Regula Fratrum Minorum ultra supracitatos sustinent moderni Expositores Regulæ, Corduba, Politius, Longus, quos refert, & sequitur Melphi *in Comm. cap.* 3. *tract.* 13. *quæst.* 1. & 2. Matthæuc. *Cautela Confess. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 36. ubi ad id allegat Marchant. 4. Magistros, Hugonem de Dina, Sanctorum, & Amenum, ac dicit non subsistere opinionem Felicis Potestatis *tom.* 1. *part.* 3. *a num.* 2853. asserentis, Fratres Minores non teneri in jejuniis Regulæ extra Quadragesimam, hoc est Adventus, & feriæ sextæ abstinere ab ovis, & lacticiniis, qui tamen Felix *loc. cit. num.* 2856. dicit, circa id nolle suum proferre judicium, ibi: *Si autem quid ego sentiam, cupis, judicium ferre nolo*; & infra *sub num.* 2899. ad consimilem petitionem dicit: *Huic petitioni nolo ego respondere*, quamvis ex rationibus & fundamentis, ibi *a numer.* 2856. *ad n.* 2875. adductis videatur in dictam sententiam propendere. Concludendum igitur est, quod quamvis cit. statuta & Constitutiones Ordinis nostri, non obligarent sub culpa mortali, per Constitutionem Sixti IV. incip. *Circumspecta* adductam ab ipso Felice Potestate *loc. citat. num.* 2831. & allegatam, ut intellectum suum, discurrendi gratia, aperiat *loc. cit. n.* 2856. 2866. 2870. & 2875. per supra adducta jura, & allegatos Doctores, adhuc tenentur Nostrates sub gravi ad observanda jejunia Ecclesiæ, & Regulæ in cibis juxta dictam legitimam aliorum consuetudinem, & maxime Religiosorum regionis, & loci, ubi morantur; Nimis enim mirum esset quod Religiosi majori perfectioni, & mortificationi addicti, atque obstricti, in suis Regulæ jejuniis adinstar illorum Ecclesiæ universalis institutis, ad minorem abstinentiam, & mortificationem tenerentur, quam sæculares. Quod & dicendum venit de aliis Religiosis pro jejuniis sub præcepto eis impositis a suis respective Regulis, & Constitutionibus; Cum de omnibus, ceteris paribus, militet eadem ratio, & ubi militat eadem ratio, eadem etiam militare debeat juris dispositio, *L. Ideo* 27. *ff. de Legibus*, *L. Illud* 32. *ff. ad Legem Aquil. & cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* cum similibus.

Regulares utriusque sexus nequeunt licite esse 113 Patrini, non solum in Sacramento Baptismi, per jura allegata, & dicta in verb. *Baptismus artic.* 7. *num.*

num. 41. *& sequent.* sed neque in Sacramento Confirmationis, propter eamdem rationem ibi a Sacris Canonibus, & Conciliis adductam. Ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse Legis dispositio; *L. Ideo* 27. *ff. de leg. L. Illud* 32. *ff. ad leg. Aquil. cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episcop.* Cum ratio Legis sit anima Legis; *L. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnator.* Et tanto magis urget talis prohibitio quoad illos Regulares, qui nedum jure communi, sed & Jure speciali propriæ Regulæ ad id vetantur, ut in specie Fratres Minores, ex *cap. XI. suæ Regulæ* sic expresse prohibentis: *Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur*, pro qua prohibita compaternitate ex vi Regulæ venit compaternitas quorumcumque in Baptismo, & Confirmatione, ut recte citatis aliis Regulæ Expositoribus, docet Corduba *in cit. cap. XI. Regulæ qu.* 4. Lex enim generaliter loquens, generaliter est intelligenda, *cap. Si Evangelica* 13. *dist.* 55. *cap. Quia circa* 22. *de privileg. L. Præter* 20. *§. Ait Prætor, ff. de novi operis nunciat.*, cum similibus; Et ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *L. Non distinguemus* 32. *ff. de recept. arbit. L. De pretio* 8. *ff. de Publiciana in rem action. l. Præses* 3. *ff. de officio Præsid.*

114 Compaternitas prohibita Fratribus Minoribus ex vi Regulæ, est solum illa, quæ contrahitur in tenendo suscipientem Sacramentum, præsertim Baptismi, & non ipsum ministrando. Et ratio est, quia hæc solum scandalum generare potest, ut in præcepto Regulæ continetur; ubi autem, ut in ministrando Sacramentum, cessat causa, & finis Legis, nempe occasio scandali, cessat ex vi Regulæ ipsa Lex, *c. Cum cessante* 60. *de appellat. L. Cum ancillam* 6. *Cod. de condit. ob causam.* Tum quia generaliter, & proprie tales compatres dicuntur solum tenentes suscipientem Sacramentum, non autem ipsum ministrantes. Et sic expresse declaravit Capitulum Generale Meclinien. *an*[illegible]99. & habetur in Tabul. Vic. gen. ibi: *Et cu*[illegible]*Regula prohibeatur, ne Fratres fiant compatres virorum, vel mulierum &c. intelligendum est quo ad elevationem de Fonte Baptismatis, non quo ad Baptizationem*; Sic refert, & tenet Corduba *loc. cit.* ubi recte cum aliis ibi allegatis Regulæ Expositoribus, docet, quod ad tenendum, seu levandum de Fonte Baptismatis prohibetur Fratribus Minoribus, nedum jure communi, sed etiam ex vi Regulæ. Quoad ministrandum vero Baptismum prohibetur ipsis, sicuti & omnibus aliis Regularibus solum jure Ecclesiastico communi, *capit. Placuit* 8. *caus.* 16. *quæst.* 1. ibi: *Neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare*; Et ex vi Regulæ prohiberi Fratribus Minoribus solam compaternitatem ex susceptione prolis de Sacro Baptismatis Fonte, tenet expresse Marchant. *in cit. cap. XI. Regulæ quæst. & conclus. unica*, & alii Expositores.

115 Nec valet dicere, quod inter casus, ratione quorum Fratres Minores a loco recedere possunt, referunt antiqui Expositores, esse, si in ipso loco obligentur Fratres ad baptizandos pueros, adeoque eis prohibetur ex vi Regulæ etiam Baptismum ministrare. Non valet, inquam, quia iste casus, ut explicat Marchant. *l. c.* referendus est ad locum, ubi sine Apostolica dispensatione adest Cura animarum, & obligatio baptizandi ex officio, non autem ex caritate, aut ex vi compaternitatis; Ex Lege enim Caritatis in casu necessitatis articuli mortis probabiliter imminentis puero, si nullus alius esset qui legitime posset, & vellet ipsum baptizare, nedum alii Regulares, sed & ipsi Fratres Minores, non solum licite possent, sed immo tenerentur ipsum baptizare, quia lex caritatis jubet in tali casu providere de remedio ad salutem æternam omnino necessario, quale est Baptisma; & contra hoc nullum jus præcipere potest, cum necessitas non habeat, nec recognoscat Legem, *capit. Quoniam* 13. *caus.* 1. *quæst.* 7. *capit. Sicut* 11. *de consecrat. dist.* 1. *cap. Omnes* 1. *de fer. cap. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar. cap. Concilium* 2. *de observat. jejun. cap. Quod non est licitum* 4. *de Regul. jur.* Et tenent expresse Cordub. *loc. cit.* cum Hugone, & Pisano ibi allegatis, & alii passim; Prohibitio enim de non baptizando intelligi debet extra casum similis necessitatis.

Fratres Minores electi ad Curam animarum, alii- 116
que ad id subdelegati in Conventibus, ubi ex dispensatione Apostolica adest Parochia, possunt licite, sicuti & alii Regulares similiter electi seu subdelegati baptizare; quia Summus Pontifex, qui est super jus positivum Ecclesiasticum, *cap. Proposuit* 4. *de concessione præbendæ*, concedendo Parochiam, concedere intelligitur omne id, quod ad Officium Parochiale spectat; Concesso enim fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur; *cap. Præterea* 5. *c. Prudentiam* 21. *& cap. Suspicionis* 39. *de Officio delegat. l. Cui jurisdictio* 2. *ff. de jurisdict.* cum similibus, & ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, *cap. Ex parte* 27. *de decimis*; & cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, *cap. Cui licet* 53. *de Reg. jur. in* 6. *L. Non debet* 21. *ff. de Reg. jur.*

Non possunt tamen nec ibi, nec alibi levare de 117
Sacro Fonte infantes, seu fieri compatres, in tenendo suscipientem Sacramentum, etiamsi non oriatur aliquando scandalum, & de hoc constet, quia licet causa propter quam fit prohibitio, cesset in casu particulari, & quo ad aliquem pro tunc, manet tamen in generali, & simpliciter quo ad alios, & quo ad se, quia Leges adaptantur ad ea, quæ ut plurimum contingunt, non autem ad illa, quæ raro accidunt, & ab accidentalibus casibus dependent, ad text. *in Authent. Ut sine prohibitione matres, in L. Ex his* 4. *& in L. Num ad ea, ff. de Legibus*, cum similibus. Et ideo simpliciter manet & ipsum præceptum obligans etiam pro tunc, ut est communis regula Doctorum in omnibus similibus præceptis; Atque sic debet intelligi caput, quod cessante causa cessat effectus præcepti, *cap. Cum cessante* 60. *de appellation.* quando scilicet causa cessat omnino secundum quid, & simpliciter, ac generaliter, ut explicant Richard. *in* 4. *dist.* 4. Silvester. verb. *Furtum quæst.* 15. Corduba *loc. citat.* & alii, & sic servat praxis, & communis consuetudo, quæ est optima Legum interpres, *cap. Dilectus* 8. *de consuetud. & L. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus.*

118 Sub

118 Sub dicta prohibitione non comprehenditur Regularis quicumque factus Episcopus. Sic expresse Glossa communiter recepta *in cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *quæst.* 1. *verb. Absolvit*, ibi: *Item potest sibi facere commatres, quod prius non licuit, exemplo Gregorii, qui prius Monachus factus est, & postea cum esset Diaconus Cardinalis compater Mauritii Imperatoris factus est*. Henno *tom.* 2. *tract. de Baptismo disp.* 5. *q.* 2. *concl.* 2. *resol.* 4. & alii passim. Et ratio est quia Episcopus Regularis a die suæ confirmationis, & assumptionis ad Episcopatum, exceptis votis essentialibus, liberatur ab aliis obligationibus suæ Regulæ, ut habetur ex *citat. cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *q.* 1. & tenent communiter Doctores, ut dictum fuit sub verb. *Episcopus art.* 7. *num.* 1. & 2.

119 Regularibus licet invitare populum ad facienda Officia pro animabus Purgatorii in eorum Ecclesia. *Sacr. Cong. Concil. in Volaterrana* 16. *Mart.* 1726. *ad IX. dub.*

120 Regulares possunt impediri quominus in Ecclesia intra limites Parœciæ erecta Missas canant, licet vocati a Prioribus, & Officialibus Laicis dictæ Ecclesiæ. *Sac. Cong. Concil. in Valven. seu Sulmonen.* 10. *Mart.* 1727. *ad* 11I. *dub.*

121 Regulares ad Ordines promovendi præter Litteras Obedientiales sui Superioris non tenentur exhibere Ordinario fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima ætate, dummodo in Litteris obedientialibus exprimatur ætas, *Sacra Congregatio Concil. in Brixien.* 12. *Decembris* 1733. *ad* 2. *dub.*

122 Additur attendenda ad rem Constitutio Benedicti XIII. incip. *Postulat*, edita 7. Martii 1725. in qua interdicitur Regularibus omnibus ad Dignitates Ecclesiasticas promotis, ne aliquid, seu ulla bona extra Cœnobia secum asportare audeant; & insuper adimitur Superioribus Ordinum facultas concedendi promotis eisdem ad tempus usum librorum, aliorumque, sub pœna Suspensionis a Divinis eo ipso incurrenda, reservata Papæ privative quoad omnes alios; revocanturque Prædecessorum Pontificum facultates cuicumque Ordini ad id concessæ.

123 Regulares Parochi, aut Vicarii Curati Missam Parochialem applicare debent pro populo diebus Festis, Bened. XIV. Constit. 103. incip. *Cum sem-*
124 *per* §. 4. Regulares Parochi tenentur recipere in propriis Ecclesiis, & domibus Missionarios ab Episcopo missos ante Visitationem pastoralem. Idem Constitut. 109. incip. *Firmandis*.

125 Regulares Superiores Parochum Regularem corrigere possunt, *ibid.* §. 10. Atque etiam ab animarum cura removere absque consensu Episcopi; *ibid.* §. 11. Nullam vero jurisdictionem habent in subditos Parochiæ sæculares; *ibid.* §. 12.

126 Regularis S. Officii Consultor nequit a Superioribus Regularibus sine causa, & inconsulta Congregatione Sacræ Inquisitionis a loco removeri. Bened. XIV. Const. incip. *Ad supremum* §. 33.

127 Regularibus Missionariis in Angliam ablegatis unus Superior est præficiendus, qui eos visitet, & corrigat. Idem Constitut. incip. *Apostolicum Ministerium*, §. 19. Elapso sexennio debent iidem ad regiones Catholicas & proprii Instituti claustra redire; tres menses in eisdem manere, ac quindecim dies spiritualibus exercitiis vacare. *Ibid.* §. 20. Reservantur iisdem Fundationes, quas hactenus possederunt. *Ibid.* §. 22. Indulgentias suis Ordinibus peculiariter concessas publicare prohibentur; dignis enim de causis in Anglia Indulgentiæ Regularibus ad communicandum sive publicandum concessæ suspenduntur, & Vicariis Apostolicis delegatur largitio Indulgentiæ quater in anno. *Ibid.*

Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, 128
ultra valorem decem scutorum monetæ nequeunt absolvi a Summo Pœnitentiario, nisi prius facta restitutione, vel si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eamdem quam primum poterunt faciendi. Qui vero infra prædictum valo- 129
rem ejusmodi munera acceperint, eos injuncta arbitrio ipsius majoris Pœnitentiarii, seu Confessarii per eum eligendi eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit. Idem Constitut. 115. incip. *Pastor Bonus* §. 26.

Regulares, quibus a Sancta Sede concessa est 130
facultas impertiendi benedictionem super populum cum Indulgentia plenaria, quo ritu id facere debeant? Vide tom. 1. ad verb. *Benedictio*. Regulares 131
Superiores quid præstare debeant in deputandis Confessariis extraordinariis pro Monialibus sibi subjectis. Vide tom. 2. verb. *Confessarius*.

Regulares quoad Ordines recipiendos, vide tom. 132
6. verb. *Ordinare*, *Ordo*, *Art.* 3. Regulares quoad reclamandum contra validitatem Professionis, vide supra ad verb. *Regularis Professio*.

Regularibus non conceditur translatio, nisi ad 133
Ordines, in quibus viget claustralis, & Regularis observantia. Idem tom. 2. Constitut. 7. incip. *Pontificia*. Regularibus ab ordine laxiore ad stri- 134
ctiorem transferri cupientibus, an, & quomodo convenire necesse sit inter utriusque Ordinis Su- 135
periores, in jure cautum non reperitur; sed hodierna praxis est, per quam omnes hujus generis controversiæ, & morarum prolixitates devitantur, ut Religiosis viris, qui a laxiori ad strictiorem Ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suæ causas coram competentibus Apostolicæ Sedis Tribunalibus exposuerint, atque probaverint, haud ægre a Romano Pontifice indulgeantur opportunæ facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis laxioris includitur. Idem Constitut. 25. incip. *Ex quo*.

Regulares quicumque, ne per modicum quidem 136
tempus, nec ulla occasione possunt ad alloquendas Moniales sine Episcopi licentia accedere sine gravi culpa. Idem *De Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 7. ex variis Pontificiis Constitutionibus, & Sacrarum Congregationum Decretis, quæ congesta habentur apud Diœcesanam Synodum Pisanam 1708. & in appendic. ad Synodum Diœcesanam Lucanam habitam ab Episcopo Colloredo 1736. & a me jam relata *tom.* 5. *verb. Moniales art.* 2. *a num.* 12. *ad* 21. Vide *ibi*.

137 Præ-

137 Prælati Regulares privilegium post Concilium Tridentinum habentes, possunt suos subditos ab Interstitiorum lege ad Ordines suscipiendos dispensare. Idem *ibid. lib. 7. cap. 42. num. 6.* ubi refert, quod, cum Episcopus Mindensis in sua Synodali Constitutione 8. expresse denuntiasset, se nulli, sive sæcularium, sive Regularium Ordines collaturum, qui non servasset temporum Interstitia a Concilio Tridentino præscripta, a quibus, an quempiam absolvendum Ecclesiæ necessitas, aut utilitas, exposceret, id non a Prælato Regulari, sed a se fore dijudicandum, delata causa ad Sacram Congregationem Concilii, ipsa sub die 24. Augusti 1686. rescripsit, dictam Constitutionem Synodalem Mindensem *esse reformandam quo ad eos regulares, qui habent privilegium concessum post*
138 *Tridentinum*. An, quando, & quomodo possint, vel non, Prælati Regulares suos subditos in una Diœcesi morantes, dimittere ordinandos in aliam? Vide *tom. 5. verb. Ordo artic. 3. numer. 74. & seqq.*

139 Quid præstare debeant Regularium Superiores ad tollendam ignorantiam Laicorum in Religionibus professorum, ex præscripto Sacr. C. Episcop. & Regul. Vide tom. 3. verb. *Doctrina Christiana n. 15. 16.*

140 * Si Regularis ante Professionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium suum denunciet, nisi post Professionem, expelli non potest, nisi aliter declaretur in constitutionibus ejusdem Ordinis, uti reipsa declaratum est in Constitutionibus PP. Capuccinorum, in quibus Religio *ad retinendam* ejusmodi Professum *minime velle se esse obligatam exprimit*. An tunc vero Professus non dimissus a Religione possit sponte abire, etiam illa repugnante, quæstio est adhuc a Sacr. Congregatione non definita. *De Synodo Diœces. lib. 13. cap. 11. §. 4. nov. edit.*

141 Regulares pro Apostatis habentur si sese nulliter professos contendentes Regularem habitum exuunt, & e claustris discedunt, nec unquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierint ad Monasterium. Ita ex Trident. *sess. 25. cap. 19. de Regular.* Ibidem §. 13.

142 Insuper non licet illis, ex inaniter præsumpta necessitate recurrendi ad Superiores Ordinis, exire extra claustra sine Superioris litteris, alioquin apostatarum pœnis per Ordinarium loci puniantur. Ex Trident. *loco citat.* Ibid. §. 13. Hæc tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera, urgens, & gravioris momenti, *ibid.* §. 14.

143 Vetitum est Superioribus Regularibus, ne subditis suis facultatem faciant transeundi ad aliam Religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis, alterius Religionis Superiorem paratum esse ad eum recipiendum; atque ita res constitutæ sint, ut transitus iste recta fiat ab una ad aliam Religionem. Ita ex decreto Sac. Congregat. Concilii ab Urbano VIII. approbato; *Ibid.* §. 14.

144 Transitus iste, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad Religionem, in qua Regularis observantia non viget; quin nec licet, si Religio illa sit militaris, aut hospitalaris, excepto Ordine Sancti Johannis de Deo. Ita edixit Benedict. XIII. in Constitut. incip. *Licet Sacra*; *ibid.* §. 14.

Regularis in Claustris non degens, si ab illis 145
abscessit non præobtenta Superioris venia, vagaturque, etsi gestet Religiosa indumenta, & animum redeundi retineat, debet ab Episcopo loci, ubi moratur, in carcerem conjici, & Superioribus Regularibus consignari, secundum Regulam puniendus, ut ex Decreto Sac. Congregationis Conc. ab Urbano VIII. confirmato. *Ibid.* Hæc tamen vera sunt, nisi aliunde constet, Regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate Superioris localis, ut recurrat ad alium Superiorem majorem. *Ibid.*

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab Or- 146
dine, quidquid vetera Sacr. Congregationis decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis Decretis ejusdem Congregationis Concilii firmatur *ibid.* §. 16.

Incorrigibilis vero censetur, qui omnibus inu- 147
stus est improbitatis characteribus in Iure Canonico ad id designatis. Debet præterea antecedere carceratio sex mensium in pœnitentia & jejunio, ac tandem sententia Provincialis ejusdem Provinciæ, consultis tamen sex aliis ex eadem Provincia Religiosis designandis in Congregatione Provinciali, confirmandisque a Superiore Generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eamdem causam, & priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis decretis Sacræ Congregationis Concilii, *ibidem* §. 19.

In conficiendis incorrigibilitatis processibus va- 148
lent illi, qui ad normam regularum & consuetudinum ejusdem Ordinis formantur. *Ibid.*

Lata contra ejectos sententia notificanda est Epi- 149
scopo Ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni inde subest ejectus, ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex Decretis Sacr. Congreg. *ibid.*

Ita ejecti non possunt induere habitum Religio- 150
nis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum in Religione susceptorum, nec potest ab Ordinariis ea pœna relaxari, vel moderari. Ita ex Decretis Sac. Congreg. *ibid.*

Si vero ex litteris Testimonialibus Ordinarii con- 151
stiterit, spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad Ordinem recipiendi sunt. *Ibidem*.

Demum ita ejectus voto castitatis omnimode ob- 152
strictus remanet, paupertatis vero, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia propria Superiori Regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in Professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso, Ita ex DD. *Ibidem*.

Ejectus si provocare vult ab injustitia sententiæ 153
in se latæ, debet se constituere in carceribus formalibus Religionis, ut ex Decreto Sac. Congregat. Concil. lato *die 15. Novembris 1698.* constat. *Ibid.* §. 31.

Religiosi tamen Societatis Jesu post tria vota 154
simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab Ordine dimissi non comprehenduntur in Decretis de apostatis & ejectis, ut ex responso Sacr. Congreg. Concil. *Ibid.* §. 21. Votum castitatis ab illis

illis emissum, dum permanent in Ordine, dirimit Matrimonium. Isti ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent patrimonio, vel Beneficio. *Ibid.* §. 23. Sunt tamen habiles ad Beneficia & ministeria Ecclesiastica obtinenda: *Ibid.* §. 16. Valent tamen hæc omnia in dimissis ante Professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur ac alii Regulares in ordine ad ejectos. *Ibid.*

155 Vota castitatis &c. a Religiosis Laicis Cisterciensibus emissa solemnia sunt, non simplicia, ut ex Decreto peculiaris Congregationis habitæ coram Benedicto XIV. *die* 27. *Martii* 1747. lato constat, *ibidem* §. 28. Vide verb. *Votum art.* 3. *num.* 166.

156 Si Religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ea absoluta pœna recipiendus sit iterum a Religione, nondum definitum est a Sac. Congregatione, quamvis consulta desuper fuerit. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes etiamsi nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat, adeoque irregulares. *Ibid.* §. 30.

Additiones ex aliena manu.

157 Tametsi plura hoc in Articulo *ab Auctore* cumulata sint; nihilo tamen minus, & plura addi possent, vel illustrando tradita ab ipso Auctore, vel omissa ab eo supplendo. Angusti vero limites additionum cogunt, ut vix pauca innuamus.

158 De Laico post patratum delictum effecto Regulari, quatuor quæri solent. Primum an valide sit professus? Secundum an debeat puniri a Superiore Regulari? Tertium an sit standum processui confecto a Judice laico? Quartum demum an puniri debeat juxta præsentem statum?

159 Vide autem de his omnibus *controvers.* 95. & 97. *Samminiati*, ubi sustinetur valide fuisse professum, & quod ei consectarium est, debere puniri a Superiore Regulari, stando tamen processui confecto a Judice Laico, & quidem secundum præsentem statum. Et quod caput est, affertur in casu illo consentanea resolutio Sac. Congreg. Immunitatis *edita* 19. *Januarii* 1677.

160 De Regulari, quando ex necessitate Patri, Matri &c. superveniente exire e Religione possit, & eis subvenire, non inutilis hic quoque esset inquisitio. At brevitatis gratia consule qui de ea late agit Rosignol. *de Patr. Potest. discept.* 3. *c.* 4. *num.* 31. & *sequent.*

161 Pariter brevitatis gratia de Regulari an possit esse Testis in Testamento, adi Scopp. *ad Merlin. Pignatell. Scol.* 88. *num.* 28. *tom.* 2. Sanchez *in præcept. Decalog. lib.* 6. *cap.* 13. *fer. per tot.*

162 An possit esse Procurator in judicio pro sæculari, de Alexio *observ.* 108. *ad Capyc. Latr. consult. tom.* 2. Novar. *in Lucerna Regular. verb. Procurator n.* 4. & 5. Roger. *de Testament. Canon. l.* 1. *disp.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Graff. *decis. aur. part.* 3. *t.* 26. *num.* 15.

163 An possit esse exequutor testamentarius sine Superioris licentia, Capon. *controvers. fer.* 54. *n.* 29. & *sequent.* ubi etiam de Jesuitis, & rursus late *discept.* 32. *fere per tot.* Oliv. *de For. Eccles. part.* 3. *quæst.* 35. *num.* 8. & *seq.* Themud. *decis. Ulysippon.* 62. *num.* 5. ubi quod Fratres Minores nec cum licentia Superioris possunt esse exequutores Testamentarii.

An possit esse arbiter, Sanchez *in præcept. Decalog. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 52. & *seq.* & *num.* 64. *de Fratribus Minoribus*, Scopp. *ad Gratian. decis.* 64. *per tot.* Et quid si electus fuerit ante Religionis ingressum? Sanchez *ubi supra*. 164 165

An possit esse Tutor, Laurea *Alleg. fiscal.* 86. *num.* 3. *lib.* 2. Sanchez *in præcept. Decal. lib.* 6. *c.* 14. *n.* 21. & *seq.* 166

An possit munus Tabellionis exercere, *Iidem Auctores ibidem*. 167

An possit esse depositarius, Sanch. *eodem loco n.* 17. & *seq.* 168

Quid recuperet ubi exeat e Religione, Capon. *discept.* 201. *cap.* 1. *num.* 4. Schettin. *de pact. success. part.* 3. *sect.* 9. *num.* 59. & *seq.* Rot. *in Anconitan. donationis* 23. *Julii* 1773. *cor. bon. mem. Peralt.* 169

Et quid suppressa Religione, Torr. *de pact. futur. success. lib.* 2. *c.* 25. *n.* 95. Rot. *in Anconit. seu Senogallien. successionis* 22. *Mart.* 1726. *cor. bon. mem. Nunez*. 170

Et quid si transeat ad Religionem capacem, Capon. *discept.* 64. & 280. Staiban. *Jur. resolut.* 125. & 126. *lib.* 2. Schettin. *de pact. success. part.* 3. *sect.* 9. *num.* 64. Gobb. *consult. decisiv.* 12. & 13. Rovit. *decis.* 10. *ibique* Altimar. *in addit.* 171

Et quid si promoveatur ad Episcopatum, Marant. *part.* 3. *respons.* 55. Capon. *controvers.* 22. *n.* 20. *ubi de* bonis donatis Monasterio, de Marin. *resolut. quotid. c.* 185. *tom.* 2. Lucarin. *de Episcop. Regular. part.* 3. *c.* 2. Argentrè *ad Consuet. Britann. art.* 510. *gloss.* 2. *num.* 5. Rovit. *decis.* 10. & 11. *ibique Altimar. in addit.* 172

Responsio Auctoris.

De iis omnibus, quæ circa Regulares in hisce *Additionibus* proponuntur, jam satis fuit traditum a me in suis propriis respective locis nempe in verb. *Filius*, in verb. *Testis*, in verb. *Procurator*, in verb. *Testamentum*, in verb. *Arbiter*, in verb. *Tutor*, in verb. *Depositarius*, in verb. *Clericus*, in verb. *Episcopus*, in verb. *Novitius*, in verb. *Regulares*, in verb. *Moniales*, in verb. *Translatio*, & sæpe incidenter alibi. 173

AR-

Articulus II.

Quoad ea, quæ concernunt Regularium exemptionem ab Jurisdictione, vel non, Ordinariorum; seu quoad ea, in quibus Regulares subduntur, vel non, Jurisdictioni Ordinariorum.

1 Exemptio est Privilegium, quo persona, aut locus ab jurisdictione Episcoporum, seu Ordinariorum liberantur, & subtrahuntur, ac Summo Pontifici immediate subjiciuntur. *Est in re communis, arg. cap. Si Papa 20. de Privileg. in 6.*

2 Episcopi, seu Ordinarii in pluribus casibus Jurisdictionem habent in Regulares, sive Ordinariam, sive Delegatam. *Communis*, & clare patebit
3 ex infra dicendis. Jurisdictionem Ordinariam in ipsos habent in iis, in quibus Jure Ordinario, seu ex suo ordinario Officio, ex Lege, Canone, vel consuetudine sibi competente possunt contra eos procedere; *Com-*
4 *munis*. Jurisdictionem vero delegatam in ipsos habent in iis, in quibus, non Jure proprio, & ordinario suo Officio, sed ex sola demandata sibi auctoritate a Sede Apostolica possunt contra eos procedere, uti cum Canones, & Jura disponunt, ut contra eos auctoritate Apostolica, vel tamquam Sedis Apostolicæ Delegati procedant; *Communis*.

5 Affertur Constitutio 18. Gregorii XV. de Exemptorum Privilegiis & subjectione, multa ad rem continens scitu digna.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Inscrutabili &c.

§. 1. Sane Tridentinæ Synodi Decretis provide cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

§. 2. Nec non, ut in Monasteriis, seu Domibus Virorum, seu Mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu Locorum familia, personæ tam Regulares, quam sæculares ejusmodi Curam exercentes subsint immediate, in his, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent; Inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes.

§. 3. Atque ut regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes se coram Episcopis præsentare, & ab eis Benedictionem petere teneantur; In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possunt sine Episcopi licentia; contradicente autem Episcopo nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant.

§. 4. Verum quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationem postulare, ut Decretis ejusmodi aliquid adjungatur; matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valitura Constitutione, decernimus, statuimus, declaramus, ut deinceps tam Regulares, quam sæculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu Domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis, sive Secularibus incumbentem, exerceant; sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia, & approbatione; sive quoquomodo in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant: in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ Jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, plene in omnibus subjiciantur; Ad hæc tam Regulares, quam Sæculares hujusmodi nullis Privilegiis, aut Exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa Clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

§. 5. Confessores vero, seu Sæculares quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quam extraordinarii ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant; Sed & Administrantes bona ac ejusmodi Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive Regulares extiterint, sive Sæculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant; Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, Administratores amovendi toties quoties, & quando opus esse judicaverit; Ac similiter possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per

alium interesse, ac præsidere absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§. 6. Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictæ Sedis Delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque Exemptos, tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita illius Benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint; Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis Delegati procedere, omnemque Jurisdictionem exercere libere, & licite valeant.

§. 7. (*Et sequitur clausula præservativa una cum aliis derogatoriis.*)

Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Februarii 1622. Pontificatus Anno secundo; Bullar. tom. 4. pag. 98.

6 Afferuntur responsa Sacræ Congreg. Conc. ad varia dubia super dicta Constitutione Gregorii XV. exorta.

Posita Constitutione fel. rec. Gregorii XV. de exemptorum Privilegiis &c. Dubitatur;

1. *An liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus Cura Animarum personarum Sæcularium non incumbit, aut loca, ubi in eisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum Sæcularium?*

2. *An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?*

3. *An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in Exemptos, tam Sæculares, quam Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius diœcesis?*

4. *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium Territorium, ac Jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?*

5. *An per eamdem Constitutionem in illis verbis*: Possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, *Jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?*

6. *An Confessores Monialium ante dictam Constitutionem deputati debeant ab Episcopo examinari, & approbari?*

7. *An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus Sanctimonialium sibi subjectarum audiendis?*

8. *An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, nec ne?*

9. *An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum Sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum?*

10. *An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit?*

11. *An Confessores Regulares Extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, possint virtute dictæ approbationis pluries tamquam Confessores Extraordinarii earumdem Confessiones audire absque nova Episcopi licentia?*

12. *Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium: iisque Superioribus, id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit: An ejusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur?*

13. *An eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi Jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa Clausuram, vel bonorum Administrationem eorumdem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis, & cum scandalo populi?*

Sacr. Congregatio Cardinalium Conc. Trident. Interpretum censuit, Constit. san. mem. Gregorii XV. de Exemptorum Privilegiis nequaquam subjicere Regulares Exemptos, quibus Cura Animarum personarum Sæcularium non incumbit, Episcoporum Jurisdictioni in his, quæ Sacramentorum Administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis Sæcularibus administrandis iidem Regulares delinquunt; ac propterea.

Ad 1. Dubium respondit, Episcopis, non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit Animarum Cura personarum sæcularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum sæcularium audiuntur.

Ad 2. Hac in parte Constitutionem nihil novi Juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse, ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum Privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad 3. Censuit, ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personam nullius Diœcesis.

Ad 4. Non competere.

Ad 5. Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad

Ad 6. Confessores quidem Extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbentur; Ordinarios vero Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos, posse, durante triennio ab eorum deputatione incboando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas a Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad 7. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum Officio pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantum, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis petierint; At vero eos, qui post Constitutionem eligentur, qui quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum Officiis, seu Dignitatibus, expleto jam tempore a Constitutionibus cujuscumque Ordinis, vel alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius a Diœcesano Episcopo idonei judicati, & approbati fuerint.

Ad 8. Confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad 9. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum Sæcularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad 10. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

Ad 11. Confessores Extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum Confessiones audire; sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad 12. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum Conscientiam Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi in hac parte attributa quoquomodo abutantur, ejus rei in stricto Dei judicio rationem reddituri.

Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

Quæ Sacræ Congregationis responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV. & S. D. N. Urban. VIII. in omnibus approbarunt, *Bullar. tom. 4. pag. 101. & 102.*

A. Card. Cajetanus.

Prosper Fagnanus Sacræ Congregationis Secretarius.

Afferuntur alia dubia ab eadem Sacra Cong. declarata, & a SS. D. N. approbata. 7

1. *An Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subjectarum ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, a Diœcesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri possit?*

Sacra Congregatio Cardinalium Concili Trident. Interpretum censuit posse. Quam Congr. sententiam Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

2. *An liceat Episcopo in vim Constitutionis san. memor. Gregor. XV. de Exemptor. Privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata?*

Sacra Congregatio respondit: Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaravit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus, per se, vel per alium interesse, ac præsidere; Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt; Bullar. dict. tom. 4. d. pag. 102.

Cos. Card. de Torres,

Prosper Fagnanus Secretar.

Afferuntur variæ resolutiones Sacræ Congregationis specialiter deputatæ *in causa Angelopolitana Jurisdictionis* vertente inter Episcopum, & Patres Jesuitas, confirmatæ ab Innocentio X. Const. 29. incip. *Cum sicut accepimus*, ubi referuntur ordine sequenti. 8

I. *An in casu, quo Episcopus præcipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, & executioni demandari, Regulares quicumque etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepto infringant sua Privilegia, possint eligere Conservatores? Congregatio respondit: Si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Societatis Jesu, in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur Jurisdictioni, & Correctioni Episcopi minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere.*

II. *An quando Ordinarius procedit Juris ordine servato, adversus Regulares exemptos in casibus, in quibus per Concil. Trid. vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? Respondit ut ad proximum, non posse.*

III. *An Regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere Privilegia quominus obediant Episcopo in executione Decretorum Juris communis, Conc. Trid. & Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi Privilegiorum? Respondit, Ordinarios*

non

non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali Privilegiorum exhibitione.

IV. *An in casu, quo Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua Privilegia, & Ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, ac debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis, ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere Judices Conservatores? Respondit, si verba Privilegiorum sunt obscura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.*

V. *Utrum Constitut. felic. record. Gregorii XV. circa Conservatores Regularium publicata anno* 1621. *cum Declarationibus Eminentissimorum Sacr. Congr. Concil. Interpretum desuper editis, æque afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac reliquos Regulares, ita ut omnia alia præfatæ Societatis Privilegia fuerint redacta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic in posterum debeant ab iis eligi Conservatores juxta formam & tenorem præscriptæ Constitutionis; Respondit, hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut præfertur, editis æque afficere Religiosos Societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quæ omia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis.*

VI. *An Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel Testamentorum Executores possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? Respondit, Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constit. san. mem. Gregor. XV. Conservatores non elegerint, & ipsum electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint.*

VII. *An dicti Regulares, Conservatores, sive ad Jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competente de Judicio sisti, & judicatum solvendo, casu, quo in lite, sive causa succubuerint? Respondit, non teneri.*

VIII. *An quando Episcopi Jura, vel Decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos dote sua spoliantes Ecclesias coram Judice competente tuentur, librosque, memorialia, & allegationes producunt, Jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones; Respondit, si Episcopi pro tuendis Juribus Cathedralium Ecclesiarum coram Judice competenti hujusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter, & modeste referant, non licere ob eam causam ad Conservatores recurrere.*

IX. *Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ Sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani etiamsi in alia Diœcesi ab Episcopo approbatus sit; Respondit, Regulares etiam Societatis Jesu in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum Sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani.*

X. *An Episcopus contra dictos Regulares, audientes in sua Diœcesi Confessiones Sæcularium absque approbatione, vel concionantes absque licentia Episcopi intra & extra proprias Ecclesias possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive præceptis, & aliis Juris remediis coercendo? Respondit, eisdem Regularibus, qui confessiones personarum Sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque illius licentia, vel in Ecclesiis, etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constit. felic. record. Gregorii XV. quæ incipit :* Inscrutabili Dei Providentia *tamquam Sedis Apostolicæ Delegatum, administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque Juris remediis coercere, ac punire.*

XI. *An quando Episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, possit ipse præcipere, ut, donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant? & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Diœcesi, vel longissime existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum Superiores ejusdem Diœcesis, in qua prædicta exercentur? Respondit: Posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes.*

XII. *An si contingat, ut aliquis prædictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria diœcesi, maledicto, scripto, vel dicto, populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri, & qua animadversione? Et quid, si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam Diœcesim, hoc casu servandum sit, & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in una Diœcesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Diœcesis? Respondit : Si Regularis intra Claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressis, ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem Regularem, intra tempus ab eo præfigendum, severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere; alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentin. cap.* 14. *sess.* 25. *de Regul. Quod si delinquens ad aliam Diœcesim migraverit, servandum esse, quod præcipitur in Const. san. mem. Clement. VIII. incip.* Suscepti muneris ratio.

XIII. *An Conservatores nominati, & electi a Regularibus præscriptis ante exercitium suæ jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit: Utique teneri.*

XIV. *An Privilegia, quæ sunt contra Jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere præ-*

prætendunt Regulares præfati, debeant Episcopis notificari, seu insinuari? Respondit: Regulares teneri hujusmodi Privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint.

XV. *An prædia, metallorum fodinæ, sacchari opificinæ a Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliæ Domus sæculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant Privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit, Non gaudere.*

XVI. *Utrum Regulares præscripti apothecas quarumcumque mercium, macella, & similia præsertim prope Collegia, seu Conventus exercentes possint ab Ordinario sub Censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit; Non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis: sed si in præmissis ita notorie delinquant extra Claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum.*

XVII. *Utrum Regulares etiam Jesuitæ in suis prædiis, Officinis, aliisque suis Domibus sæcularibus sitis intra limites Parochialium ad se non spectantium, possint administrare Sacramentum Baptismatis solemnis, Matrimonii, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ in Festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus sæcularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia? Respondit; Non posse.*

XVIII. *Utrum Patres Societatis in Civitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare Vasa Sacra, Altaria, & similia in quibus Unctio requiritur? Respondit: Itidem non posse.*

Pro parte vero Religiosorum Societatis Jesu proposita fuerunt infrascripta dubia.

I. *An Episcopi in partibus Indiarum, possint ex integro totum unum Monasterium, vel Collegium ab audiendis Confessionibus suspendere? Respondit; Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii Confessariis adimere facultatem audiendi Confessiones personarum Sæcularium, etiam inconsulta Sacr. Congreg. Episcopor. & Regularium negotiis præposita, cum Decretum ab ea editum sub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad regiones illas, tam longe dissitas. Verum ab hac generali Suspensione, quæ vix sine scandalo, & animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa super quo Sac. Congreg. illorum conscientias graviter voluit oneratas.*

II. *An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis: Respondit: Regulares, alias libere ab Episcopo prævio examine approbatos ad audiendas Confessiones personarum Sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente.*

III. *An Bulla Pii V. 34. in ordine tom. 2. Bullar. concessa, instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Respondit; Agendum cum Sanctissimo an velit declarare, Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis ubi est defectus Parochorum.*

IV. *An Episcopus possit cum Censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei, & hoc vigore Concilii Trid. vel per quem Canonem? Respondit. Posse procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim Constitut. Gregorii XV. quæ incipit*: Inscrutabili Dei Providentia.

V. *An licentia audiendi Confessiones, & prædicandi, ab Episcopo per litteras missivas, an solum per litteras patentes Cancellariæ concedi possit: Respondit: Posse concedi etiam per litteras missivas, si ita Episcopo videbitur.*

VI. *An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit; Respondit; Ut ad proximum.*

VII. *An facultas eligendi Conservatores concessa Societati a Gregorio XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Judices Synodales; Respondit: Privilegium Gregorii XIII. suffragari, ut Societas non teneatur ex illis eligere Conservatores. Dummodo tamen in reliquis servetur forma Constit. Gregorii XV. hac de re edita.*

VIII. *An Conservatores Societatis, Vicarios Generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ Gregorii XIII. incip.* Æquum reputamus *datæ ultima Februarii 1573. Respondit: Posse a manifestis injuriis & violentiis eos compescere etiam Censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648. Quapropter, ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, nobis pro parte Joannis Episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa, auctoritate Apostolica, confirmare dignaremur. Nos igitur &c. Decernentes &c. Sic non aliter &c. Irritum, & inane &c. Non obstantibus &c. Romæ 14. Maii 1648.*

Regulares subduntur Episcopis quo ad causas Fidei. Concil. Trid. *sess. 5. de reform. cap. 2.* Paulus V. Constit. incip. *Romanus Pontifex*, Gregorius XV. Constit. incip. *Universi Dominici*, ubi subduntur ipsis Episcopis, & Inquisitoribus. 9

Item subduntur Episcopis quo ad prædicationem Verbi Dei. Concil. Trid. *cit. sess. 5. de reformat. cap. 2. & sess. 24. de Reform. cap. 4.* Gregor. XV. Constit. incip. *Inscrutabili*, & Clemens X. Constitut. incip. *Superna*. Vide verb. *Prædicare, Prædicator.* 10

Item subduntur Episcopis quantum ad susceptionem Ordinum. Concil. Trid. *sess. 23. de reform. cap. 8. 11. 12. & 14.* Vide verb. *Ordo.* 11

Item subduntur Episcopis quantum ad audiendas Confessiones Sacramentales Sæcularium. Conc. Trid. *sess. 23. de reform. c. 15.* Gregor. XV. cit. Constit. incip. *Inscrutabili*, Clemens X. citat. Constit. incip. *Superna*. Vide verb. *Approbatio*, verb. *Confessarius*, & verb. *Reservatio Casuum.* 12

Item subduntur Episcopis, & ab ipsis possunt excommunicati declarari, si ministrent Laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum Conventibus, Viaticum, & Extremam Unctionem absque Episcopi, vel Parochi licentia, *Clementin. 1. de privileg.* 13

leg. & sæpius declaravit *Sacr. Congreg. Concilii*, & signanter *in Nullius* 19. *Septemb.* 1637. *in Cremon.* 27. *Februarii* 1649. *in Ripana* 3. *Februar.* 1652. *in Gerunden.* 13. *Februarii* 1694. *& in Neapolitana* 5. *Junii* 1790.

14 Item subduntur Episcopis quantum ad audiendas Confessiones Monialium, etiam sibi subjectarum. Gregorius XV. cit. Constit. incip. *Inscrutabili*, Clemens X. cit. Constit. incip. *Superna*. Vide verb. *Moniales art.* 5. & verb. *Jubilæum*.

15 Item subduntur Episcopis, & ab ipsis possunt puniri, si violent sigillum Sacramentale Confessionis, cum isti censeantur delinquere circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Gregor. XV. cit. Const. incip. *Inscrutabili*.

16 Item subduntur Episcopis, si sollicitent Pœnitentes in Confessione, vel doceant, Pœnitentes non teneri ad denunciandos Confessarios sollicitantes. Gregorius XV. Constit. incip. *Universi*.

17 Item subduntur Episcopis quantum ad observanda, & evitanda in celebratione Missarum. Concil. Trid. *sess.* 22. *de Sacrific. Missæ in Decret. de evitand. in celebration. Miss. & Sacr. Cong. Concil. in Vercellen. ad dubium. An liceret Episcopo punire Regulares prohibita, vel indecentia in Ecclesiis sucrum Ordinum commitentes circa Missæ Sacrificium? Die* 21. *Martii* 1642. *respondit, licere Episcopo punire Regulares committentes proibita, vel indecentia in Ecclesiis etiam suorum Ordinum circa Missæ Sacrificium*, apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 45.

18 Item subduntur Episcopis, & possunt ab ipsis coerceri, si erigant Altare portatile in Domo privatorum, ut ibi celebrent, & Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Episcopi, vel Parochi. *Sac. Cong. Conc. in Messanen.* 2. *Septemb.* 1698. Vide verb. *Oratorium n.* 80.

19 Item subduntur Episcopis, & ab ipsis puniri possunt, si celebrent Missas in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica Missa in Apostolico Indulto concessa. *Sac. Congreg. Concil. in Neapolitana* 30. *Maii* 1699. & expresse Clemens XI. *die* 25. *Decembris* 1703. in Decreto de celebratione in Oratoriis privatis incip. *Quoniam Sancta*. Vide verb. *Oratorium n.* 5.

20 Item subduntur Episcopis quo ad admissionem ad Habitum, & ad Professionem Monialium in Monasteriis sibi subjectis, & possunt ab illis puniri, si non fuerint prius certiorati. *S. C. Conc. in Limana* 19. *Novemb.* 1625. *in Burgen.* 4. *Decemb.* 1627. *in Dertonen.* 16. *Decembr.* 1646. Vide verb. *Moniales art.* 1. *a num.* 68.

21 Item subduntur Episcopis quo ad Electionem Abbatissarum Monasteriorum sui Ordinis, cui per se, vel per alium potest Episcopus interesse, si vult. Gregorius XV. in cit. Constitut. incipient. *Inscrutabili*, Vide verb. *Abbatissa*.

22 Item subduntur Episcopis, si Confessarii Monialium Monasteriorum, intra Mœnia Civitatis permaneant, & pernoctent in mansione per parietes, & per tecta non penitus disjuncta, & separata a Monasterio. Alexander VII. Constitut. incip. *Felici*.

Item subduntur Episcopis, & ab ipsis puniri possunt, si Superiores extra necessitatem ingrediantur Monasteria Monialium sibi subjectarum. Gregorius XIII. Const. incip. *Dubiis*, Alexander VII. cit. Constit. incip. *Felici*. Item si Superiores plusquam semel in anno ex causa Visitationis dicta Monasteria ingrediantur. Alexander VII. cit. Const. *Felici*. Item si Superior Generalis introducat secum in dicta Monasteria plusquam duos socios sui Ordinis, & Superior alius a Generali plusquam unum. Alexander VII. cit. Const. *Felici*. Item, si ipse Superior Visitator, aut ejus socii sumpserint intra Clausuram aliquam refectionem. Alexander VII. in cit. Constit. *Felici*. Item, si urgente causa eodem anno pluries ingrediendi septa Monasterii, Superior fuerit ingressus absque præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ ab ipso ad hoc specialiter delegatæ. Alexander VII. cit. Constitut. *Felici*. Vide verb. *Moniales art.* 3. *a num.* 73. *ad* 78. 23 24 25 26 27

28 Item subduntur Episcopis Regulares quo ad locutionem cum Monialibus, etiam sibi subjectis, & si sine legitima licentia cum illis loquantur, possunt ab ipsis puniri. *Sacr. Congr. Conc. approbante Sanctissimo* in duobus resolutis dubiis allatis *supra num.* 7. Vide verb. *Moniales art.* 4. ubi plura alia afferuntur ad id Decreta.

29 Item Regulares subduntur, Episcopis in iis, quæ concernunt Clausuram Monialium, etiam sibi subjectarum, & si quo ad hanc reperiantur delinquentes possunt ab ipsis puniri. Vide verb. *Moniales art.* 3. ubi plura afferuntur Decreta ad rem.

30 Item subduntur Episcopis, si Immunitatem Ecclesiasticam violaverint, vel læserint; *Sacr. Congr. Immun. in Panormitana* 3. *Februar.* 1537. Gregor. XIV. Constit. incip. *Ex quo*, ubi cognitio Immunitatis demandatur Episcopis privative quoad omnes & novissime *in Papien.* 28. *Jul.* 1536. Vide verb. *Immunitas art.* 2. *per tot.* & signanter *a num.* 134. *ad* 136.

31 Item subduntur Episcopis, si offendant Ministros, & Officiales Curiæ Episcopalis, & tunc possunt ab eis puniri, & carcerari, ut declaravit, & laudavit *Sac. Cong. Episcop. & Regular. in Theatina* 26. *Martii* 1692. *referente Card. Caraffa*.

32 Item subduntur Episcopis, si Interdicta per Episcopos promulgata non servent. *Clementin.* 1. *de sentent. excom.* Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 11. *& Sacra Congreg. Conc. in Cæsaraugustana Interdicti* 11. *Jun.* 1695. in qua declaratum fuit, Milites Hierosolymitanos, sicut ceteros Regulares, & exemptos teneri, & obligatos esse ad observantiam Interdicti per Archiepiscopum promulgati, non obstante allegata in contrarium consuetudine immemorabili.

33 Item subduntur Episcopis, si in eorum personas delinquant, vel Prælatorum jurisdictionem competentem impediant, ne munus suum exequantur; Tunc enim possunt ab Ordinariis puniri, & legitime coerceri, ut declaravit *Sac. Cong. Concilii*, & approbavit Gregorius XIII. apud Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Grave gerimus* 19. *de Offic. Ordinarii num.* 76. per text. *in cap.* 1. *de Offic. Delegat.* ibi: *Si eos manifeste cognoveris Justitiam impedire, & cap.*

& cap. 1. *de pœnis in* 6. ibi: *Si hac occasione sua impediatur Jurisdictio*.

34 Item subduntur Episcopis, si Censuram Canonis *Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. *vel* aliam a Jure latam ob notorium delictum incurrerint; Tunc enim possunt ab Episcopis publice denunciari excommunicati, ut ab aliis vitentur, ut declarasse Sacram Cong. Concilii refert Fagnan. *loc. cit. n.* 75. & declaravit *Eadem Sacr. Congr. novissime in Neapolitana* 18. *April.* 1693.

35 Item subduntur Episcopis, si degant & delinquant extra Claustra, textu expresso in Concilio Trid. *sess.* 6. *de reform. cap.* 3. ibi: *Nemo Regularis extra Claustra degens, etiam sui Ordinis Privilegii prætextu, tutus censeatur quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat*.

36 Et hoc procedit etiam in Regulari existente extra Claustra ad erectionem Monasterii de sui Superioris licentia; Cum licentia operetur solum, ut recte cum aliis notat Sperellus *decis.* 38. *n.* 19. ne committatur Apostasia, non vero quin ab Ordinario pro excessibus puniri possit, & sic resolvit Sacra Cong. Concilii cum limitatione ut infra: *Regularis manens extra Claustrum de licentia Superioris, etiam in Domo destinata ad erectionem Monasterii, nisi in dicta Domo sit Regularis Observantia, ut saltem vivat sub Superiore conventualiter, potest puniri ab Ordinario*. Ita testantur Genuens. *in prax. cap.* 59. *num.* 2. Sperell. *l. cit. num.* 21. Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Grave gerimus* 19. *de Offic. Ordinarii n.* 36. Barbos. *ad d. sess.* 6. *c.* 3. *n.* 1. & alii plures ibi citati.

37 Regulares degentes in Parochialibus Monasterio unitis non possunt puniri ab Ordinariis, nisi delinquant circa Curam Animarum, & Sacramentorum administrationem. Sic in causa Canonici Regularis Lateranensis respondit *Sac. Congr. Concilii*, ut testatur Fagnan. *loc. cit. num.* 35. & sic resolutum fuisse *die* 8. *Februarii* 1601. refert Barbosa *loc.*
38 *cit. num.* 4. & alii. Et ratio est, quia ipsi censentur degere intra Claustra. Regulares tamen de licentia suorum Superiorum manentes in aliquo membro, seu Grangia sui Monasterii pro Religionis servitio, si ibi delinquant, possunt ab Ordinario puniri. Sic respondit *Sac. Cong. Episc. & Regul. die* 27. *Junii* 1655. *ad* 6. *dubium*, in quo quærebatur: *An ipsæ Grangiæ, & Conversi in eis degentes subsint Visitationi Episcopi?* Et respondit, *Ad* 6. *Subesse*.

39 Regularis degens intra Claustra, & extra cum scandalo populi delinquens, puniri debet a suo Superiore, certiorato de punitione Episcopo instante, alias puniri poterit ab ipso Episcopo, textu expresso in Concil. Tridentino *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. ibi: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus, ab Episcopo præfigendum, severe puniatur: ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus a suo Superiore Officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit*. Vide intra *num.* 77.

40 Superior Regularis ab Episcopo admonitus non puniens, ut supra, talem Regularem delinquentem, incurrit ipso facto privationem Dignitatis, & Officii per eum obtenti; Et si illum impunitum ad alium Conventum extra Diœcesim transmiserit, tenetur eum revocare intra terminum ab Episcopo præfigendum, sub pœnis privationis Dignitatis, & inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac ulterius privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, ad quas a solo Romano Pontifice restitui potest. Sic expresse statuit Clemens VIII. Constitut. incip. *Suscepti muneris*, in qua prope medium sic habet: *Motu &c. Omnibus, & singulis cujuscumque Ordinis, & Instituti Regularium Mendicantium Superioribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis Nostræ, ac privationis Dignitatum, & Officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum Decretum quilibet ipsorum Regularium &c.* ubi tenorem Decreti allegat, & infra subjungit: *Ceterum si Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus, & simili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior, instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis Nostræ, ac privationis Dignitatum, & Officiorum obtentorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ, & passivæ vocis, ad quas a nemine, præterquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, revocare, & in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur*.

Et insuper addit Pontifex, quod si Superior Re- 41
gularis ipsum delinquentem revocare, ut supra, prætermiserit, Ordinarius loci, ad quem transmissus fuerit, ab Ordinario loci commissi delicti requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, Decretum Concilii exequi, & eum punire possit, ac debeat, ibi: *Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, ut Ordinarius Loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel de illius delicto informatus, ut præfertur, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem severe animadvertere possit, & debeat &c. non obstantibus &c.*

Regularis delinquens intra Claustra, seu in Eccle- 42
sia, vel Monasterio sui Ordinis cum populi scandalo, censetur, & reputatur delinquere extra Claustra; Sic decrevisse *Sacram Congreg. Concilii* refert Fagnan. *loco cit. n.* 69. & Sperellus *decis.* 38. *num.* 15. ubi ad litteram refert Decretum dictæ Sacræ Congregationis Concilii, quæ ad dubium: *An Regularis delinquens notorie in Ecclesia, seu Monasterio sui Ordinis, in quo degit, ita ut populo scandalo sit, dicatur delinquere extra Claustra, ut locus sit dispositioni Concil. capit.* 14. *de Regularibus*; *Censuit delinquere extra Claustra, si in Ecclesia Monasterii delinquit, nisi clausis portis Ecclesiæ, & solis Regu-*

 lari-

laribus in ea existentibus, fuerit commissum delictum Si vero intra Claustra Monasterii, vel Ecclesiæ interioris delictum sit commissum, ex verbis Concilii non videtur procedere dict. cap. 14. *quod expresse dicit extra Claustra; tamen si scandalum sit notorium populo, ex idoneitate rationis idem videtur.*

43 Episcopus potest procedere ad summariam informationem de delicto a dicto Regulari extra Claustra commisso; Sic censuit *Sac. Congregat. Concil.* apud Donatum *prax. rerum Regular. tom.*1. *part.* 2. *tract.* 1. *q.* 54. *num.* 11. quæ ad dubium: *An Episcopus statim habita notitia delictorum possit capere informationem, & illam ad Superiorem delinquentis remittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam præsumere?* Respondit, *Posse*.

44 Quando Regularis extra Claustra delinquit, cum dubitatum fuerit: *An detinendus sit in Carceribus ab Episcopo, donec Processus in Curia Episcopali conficiatur, eoque compilato, instante Superiore, remittendus sit una cum processu puniendus, vel potius non expectata compilatione processus, statim remittendus sit ad Superiorem una cum iis probationibus, quæ habentur?* Sacra Congregat. respondit: *Statim remittendum esse, etiam posito, quod Superior nullam instantiam faceret.* Sic refert Donatus *loc. cit. num.* 7. Fagnan. *loc. cit. num.* 69. & alii plures.

45 Regularis deprehensus in delicto, ubi timetur de fuga, potest juxta Tridentin. *sess.* 25. *de reform. cap.* 6. ab Episcopo capi per suos Ministros, & recta duci ad suum Superiorem cum instantia, ut intra certum tempus eum puniat, & de punitione ipsum certiorem faciat, juxta Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. Matthæucci *Officialis Curiæ cap. ult. sub num.* 22. *in fine*, & de quolibet in casibus a Jure permissis firmant Antonell. *de Regimin. Eccles. lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 3. Sperell. *decis.* 38. *n.* 13. Piasecius *Prax. Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 7. *sub num.* 23. Panimoll. *decis.* 84. *adnotat.* 4. *n.* 4. & alii passim.

46 Regulares autem Superiores, qui ad præscriptum Concilii tenentur facere certiores Episcopos de punitione Regularium extra Claustra delinquentium, non satisfaciunt faciendo verbo, hujusmodi certiorationem, sed scriptis facere debent. *Sacra Congregat. Concil. in Lucana* 14. *Decemb.* 1630. quam referunt Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 11. *numer.* 64. Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Regularis delinquens numer.* 5. & alii.

47 Regularis, qui sine Obedientialibus sui Superioris a suo Conventu recesserit, & repertus fuerit, potest ab Ordinariis locorum puniri, textu expresso in Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 4. ibi: *Nec licet Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur.* Vide tamen dicta sub verb. *Apostata*.

48 Regulares incedentes per Civitatem, & loca sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, & sine debita modestia Religiosa, possunt per Episcopum in carceribus mancipari tamquam delinquentes extra Claustra; servata tamen forma Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform. Regular.* Sic *Sac. Congreg. Episcop. in Andrien.* 15. *Decemb.* 1584. & *in Ravennaten.* 12. *Sept.* 1594. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 13.

Regulares deferentes publice arma, de mandato Episcopi possunt carcerari. *Sacr. Congreg. Concil. in Turritana* 3. *Februar.* 1635. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 8. *num.* 43. ubi affert Decretum per extensum. 49

Regulares subduntur Episcopis quo ad Expositionem solemnem SS. Sacramenti; Cum non possint illud solemniter exponere sine licentia Ordinarii, & nisi ex causa publica, ut sæpius declaraverunt Sacræ Congregationes Episcopor. Concil. & Rituum. Vide verb. *Eucharistia num.* 57. ubi afferuntur Decreta. 50

Regulares subduntur Episcopis quantum ad accedendum ad Processiones publicas. Vide verb. *Processiones a n.* 13. 51

Item subduntur Episcopis quantum ad componendas controversias super præcedentia in Processionibus. Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 13. Vide verb. *Præcedentia*. 52

Item subduntur Episcopis quantum ad Sacras Imagines, & Reliquias ponendas, & exponendas in suis Regularibus Ecclesiis, cum id debeat fieri prævia approbatione Episcopi, Concil. Trid. *sess.* 25. *in Decreto de Invocatione, & Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*. 53

Item subduntur Episcopis quantum ad publicationem Indulgentiarum. Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 9. *de reform. & Sacr. Congreg. Concil. super d. cap.* 9. *sess.* 21. *de reform.* apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 6. *num.* 8. ubi refert, quod ita etiam declaravit *Sacr. Congreg. Immun. in Firmana* 13. *Junii* 1703. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 494. 54

Item subduntur Episcopis quantum ad erectionem Confraternitatum; Ipsas enim nequeunt ulli Regulares erigere, & instituere, nisi de consensu Ordinarii. Clemens VIII. Constitut. 125. incip. *Quæcumque*. Vide verb. *Confraternitas*. 55

Item subduntur Episcopis quantum ad susceptam administrationem Confraternitatum, vel Hospitalium; cum possit Episcopus eos cogere ad reddendam rationem administrationis, & culpabiles repertos ad Juris præscriptum punire, juxta Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 8. & 9. ut expresse declaravit *Sacr. Congregat. Concilii* apud Fagnan. *loc. c. num.* 47. 56

Item subduntur Episcopis quoad Confraternitates Laicorum in suis Regularibus Ecclesiis existentes, cum possit Episcopus eas visitare, & ab ipsarum Administratoribus rationem Administrationis exigere ad præscriptum *cit. cap.* 8. & 9. *ejusdem sess.* 22. Non potest tamen earum Capellas, Icones, aut Altaria visitare, nisi quatenus Confratrum administrationem concernunt. *Sacr. Congreg. Concil.* apud Fagnan. *loc. cit. num.* 48. Vide verb. *Confraternitas*, & verb. *Visitatio*. 57

Item subduntur Episcopis Regulares Parochi, seu Curati quoad ea, quæ concernunt curam Animarum; Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 11. Gre- 58

59 Gregorius XV. Constitut. incip. *Inscrutabili*. Dummodo Ecclesia Parochialis non sit illius Conventus, in quo Generalis Ordinis habet residentiam ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a Jurisdictione Ordinarii; Concil. Trid. *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 11. *& Sac. Cong. Conc. in Lauden. Iurisdictionis* 1. *Decemb.* 1691. in qua plene articulo discusso, & partibus informantibus fuit resolutum, citatam Bullam Greg. XV. incip. *Inscrutabili*, non derogasse Privilegio *cap.* 11. *sess.* 25. *de Regular.* favore Generalium Ordinum concesso, apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 14.

60 Item subduntur Episcopis Regulares Parochi quo ad accessum ad Synodum, & conferentias casuum, si enim ipsi renuant accedere ad Synodum, & Congregationem casuum conscientiæ, possunt ab Episcopo compelli Juris remediis. *Sacr. Congreg. Concilii in dicta Lauden. in responsione ad octavum, & nonum*, confirmata 20. *Septemb.* 1692. *juxta resoluta in Justinopolitana* 24. *Septembr.* 1639. *in Comen.* 16. *Decemb.* 1645. *& in Forosempronien.* 23. *Septemb.* 1650.

61 Non possunt tamen Episcopi compellere Regulares ad accedendum ad conferentias casuum conscientiæ, neque in Conventibus suppressis, & postea restitutis, in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi. Sic expresse respondit *Sacra Congreg. Episcop. & Regular.* ut infra: *Cum Conventus suppressi, & postea restituti in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti* Ut in parvis *Innocent. X. subjecti Visitationi, Correctioni, & Ordinariæ jurisdictioni Ordinariorum locorum, contigit dubitari: An Religiosi Confessores, & non Parochi in hujusmodi Conventibus degentes compelli possint ab eisdem Ordinariis, ut accedant ad conferentias casuum conscientiæ?*

(+) Hoc tamen locum in illis tantum Cœnobiis habet, in quibus lectio de morum doctrina, & Conferentiæ casuum fiunt. Vide Epistolam Encyclicam S. Congreg. Disciplinæ num. 123. (+)

Proposito hoc dubio in Sacr. Congr. super statu Regularium habita in Palatio Vaticano die 15. *Januar.* 1682. *Em. PP. censuerunt, Ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere Religiosos Confessores non Parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ.*

62 Item Regulares subduntur Episcopis quoad renunciationes, & obligationes Novitiorum, quæ nullæ decernuntur, nisi fiant cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii infra duos menses ante Professionem. Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 16.

63 Item subjiciuntur Episcopis quoad restituendas Novitiis abeuntibus ante Professionem res omnes, quæ ipsorum erant; Et possunt ii, ad quos spectat, ab Episcopis per censuras ad id compelli. Concil. Trident. *cit. sess.* 25. *de Regular. cap.* 16.

64 Item subjiciuntur Episcopis quoad observandos dies Festos in Diœcesibus legitime præfixos. Concil. Trident. *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 12. Vide verb. *Festa*.

65 Item subjiciuntur Episcopis quo ad eis præstanda debita obsequia, & Baldachinum erigendum in eorum accessu ad Ecclesias Regulares pro ibi celebrandis Pontificalibus, & hujusmodi. Si enim Regulares id renuant, potest Episcopus statim absque alia monitione Interdictum Ecclesiæ indicere, & denunciare. *Sacr. Congreg. Conc. in Venefrana Interdicti* 26. *Januarii* 1697. Vide verb. *Baldachinum num.* 6. ubi ad id affertur Decretum jussu Clementis VIII. editum.

Moniales tamen Regularibus subjectæ non tenentur erigere Baldachinum Episcopo clausuram visitare volenti, sed sufficit Stratum præparare. *Sac. Cong. Conc.* 19. *Januar.* 1686. Vide verb. *Baldachinum n.* 7. 66

Regulares subjiciuntur Episcopis quo ad delicta commissa circa personas intra septa, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum. Gregor. XV. Constitut. incip. *Inscrutabili.* Vide *supra n.* 5. *&* 6. 67

Item subjiciuntur Episcopis, si ab ipsis moniti, sepulturas sub Altaribus, & pradellis in eorum Ecclesiis constructas nolint, aut differant expurgare, & illas muro obstrui facere, & replere. Vide verb. *Altare a num.* 48. ubi ad id dantur Decreta. 68

Item subjiciuntur Episcopis, & Censuris Ecclesiasticis possunt coerceri, si Ecclesiastica, & Sacra paramenta benedicant pro usu aliarum Ecclesiarum, non suarum; Sic expresse *Sacra Congr. Rit. Decreto* 18. *ex Decretis generalibus emanatis* 27. *Septembr.* 1659. *&* 20. *Jul.* 1660. *quo ad hoc confirmatis, & approbatis ab Alexandro VII.* 69

Item subjiciuntur Episcopis quoad exequendam Testatoris voluntatem, & reddendam rationem, si illis fuerit commissa executio, seu distributio redituum, aliorumque bonorum Hæreditatis. *Clementina Religiosis, de Testament.* Fagnan. *in cap. Tua nobis, de Testament. num.* 19. *&* 49. Passerin. *de stat. homin. tom.* 2. *qu.* 186. *art.* 2. *num.* 121. Capon. *discept.* 64. *num.* 7. ubi dicit conclusionem esse veram, etiamsi Testator rationem exigi prohibuisset; Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. *num.* 23. Ventrig. *in prax. part.* 1. *adnot.* 48. §. *Unico n.* 116. Monacell. *tom.* 1. *adnot. in Appendic. ad Constitut. Gregorii XV. de exemptor. privileg. num.* 3. Vide verb. *Administratio, Administrator*. 70

Item subjiciuntur Episcopis quo ad tenendam lampadem accensam ante Altare, in quo est Tabernaculum SS. Sacramenti: Transgressores enim puniri possunt ab Episcopis auctoritate sibi delegata a Concilio Tridentino *in Decreto de evitand. in celebrat. Miss. sess.* 22. Nec sufficit tenere lampadem accensam in Choro, sed tenenda est ante, & prope Altare Tabernaculi SS. Sacramenti, prout *Sacr. Congreg. Rit. die* 22. *Augusti* 1699. respondit Generali Capuccinorum, qui dubium proposuerat. Monacell. *loc. cit. num.* 1. *&* 2. Matthæucci *Official. Curiæ cap.* 19. *num.* 68. 71

Item potestatem, & jurisdictionem habent Episcopi supra Regulares in spectantibus ad venerationem eorum, qui cum Sanctitatis opinione, vel fama Martyrii ex hac vita migrarunt. Urbanus VIII. Constitut. incip. *Cœlestis Hierusalem*. 72

Item procedere possunt Episcopi, etiam contra Re- 73

Regulares asserentes Beatam Virginem conceptam esse cum peccato Originali. Gregorius XV. Constitut. incip. *Sanctissimus*.

74 Item procedere possunt Episcopi etiam contra Regulares Missas celebrantes, & Confessiones Sacramentales excipientes, antequam fuerint promoti ad Sacrum Presbyteratus Ordinem. Clemens VIII. Constitut. incip. *Etsi alias*, Urbanus VIII. Constitut. incip. *Apostolatus*.

75 Regulares subjiciuntur Episcopis quo ad judices conservatores; Si enim conservatores non elegerint, aut electis uti ausi fuerint aliter, quam juxta formam præscriptam a Gregorio XV. Constitut. incip. *Sanctissimus*, ad annum Conservatore carere debent, & interea eorum causæ coram locorum Ordinariis cognosci, & definiri debent. Vide verb. *Conservatores art.* 2. *num.* 35.

76 Regulares autem intra claustra degentes, & habentes suos Conservatores legitime electos in causis civilibus conveniri solum possunt coram dictis Conservatoribus, vel coram suis Superioribus, non autem coram Ordinariis, seu Episcopis; Sic pluries decrevit *Sacr. Congreg. Concil.* & expresse statuit, & confirmavit Paulus V. Constitut. 34. incip. *Religiosorum*. Vide verb. *Conservatores* per tot. ubi abunde ad rem.

77 Regulares subjiciuntur Episcopis, si in numero a Constitutionibus Apostolicis præscripto in Conventu non commorentur, & Regularem disciplinam non servent. Urban. VIII. Constitut. incip. *Cum sæpe contingat*, Innocent. X. Constitut. incip. *Instaurandæ*, & Decret. incip. *Ut in parvis*, Innocent. XII. Constitut. incip. *Nuper*. Vide verb. *Conventus art.* 2. ubi afferuntur multa ad rem.

78 Regulares, quamvis ordinarie nequeant ab Episcopis Censuris coerceri propter amplissima eorum Privilegia, quibus est eis concessum, ne sine Sedis Apostolicæ auctoritate possint a quopiam excommunicari, suspendi, & interdici; Tamen in casibus particularibus, in quibus vigore Concilii Tridentini, vel Constitutionum Apostolicarum datur Episcopis facultas coercendi, corrigendi, & puniendi Regulares, ab ipsis possunt Censuris coerceri, nisi habeant ad id Privilegia sibi concessa, vel confirmata post Concilium Tridentinum. Sic Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 46. *a num.* 11. *& seqq. ad* 38. ubi plura refert Decreta Sacræ Congregationis, & signanter *sub num.* 12. ubi refert, *Sacram Congregat. Concil. die* 17. *Julii* 1627. negotio mature discusso, respondisse, posse Episcopos pœnis sibi benevisis, etiam Censurarum compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, & quomodolibet exemptos, ad Processiones publicas, & consuetas accedere, atque illis interesse: *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis, Consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus minime sublatis, & sub num.* 17. refert, *Sacr. Congreg. Rit. in Tarentina die* 3. *Maii* 1642. ad dubium: Utrum teneantur Fratres Minores Reformati S. Francisci accedere ad Processiones Rogationum, & S. Cataldi Patroni, & an Censuris compelli possint; respondisse, observari debere Decreta antiqua Sacræ Congreg. Concil., scilicet Regulares pœnis arbitrariis cogi posse ab Episcopo ad interveniendum prædictis Processionibus: *Nisi docuerint de Apostolicis Privilegiis contrarium disponentibus, quæ sint Concilio Tridentino posteriora*.

Et quod Episcopi possint contra Regulares Censuras relaxare in casibus, quibus eos impedirent, ne suæ Dignitatis insignia, & præeminentias haberent, ipsisque debita obsequia in accessu ad suas Ecclesias denegarent, statuit *Sac. Congreg. Concil. in Venefrana Interdicti* 26. *Januar.* 1679. *Et Sacr. Rit. Congreg. in Camerinen.* 21. *Februar.* 1699. & sæpe alibi in consimilibus casibus. 79

Et quod in dictis particularibus casibus possint Episcopi contra Regulares Censuras relaxare, non tamquam Judices, sed tamquam Juris Executores, ut dicunt Lauret. de Franch. *part.* 2. *quæst.* 30. *num.* 1. & Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.* 2. *num.* 365. tenent Ricc. *in prax. rer. for. Ecclesiast. part.* 2. *resolut.* 210. *num.* 1. *limit.* 2. *& Collect.* 4050. Leo *Thesaur. for. Eccles. p.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 143. Pax Jord. *elucubrat. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *num.* 59. Ventrigl. *in prax. part.* 1. *annotat.* 48. §. *Unic. num.* 106. Gallemart. *Collect. in Concil. Trid. sess.* 15. *cap.* 13. *remiss. verb. nota ex Farinacio*, Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 10. *cap.* 1. *num.* 10. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 8. *formul.* 20. *num.* 26. *& tom.* 4. *tit.* 3. *formul.* 6. *num.* 13. Card. de Luca *de Jurisdict. discurs.* 29. *num.* 7. *& discurs.* 104. *n.* 2. *& in Miscellan. disc.* 15. *num.* 8. ubi dicit, quod iste punctus post emanatam Constitutionem Gregor. XV. incip. *Inscrutabili*, non mercatur amplius discursum. Passerinus præclarissimæ Religionis Prædicatorum doctissimus Filius *de statu homin. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *insp.* 10. *num.* 768. sic expresse dicit: *Sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, & puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi, & sic v. gr. dum sess.* 25. *cap.* 13. *datur Episcopis facultas compellendi eos ad Processiones, datur etiam facultas eos compellendi per Censuras*. Barbosa *in Concil. Trident. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. *num.* 19. *& de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 78. *num.* 25. cum pluribus ibi citatis dicens in finem non semel sic censuisse *Sacram Congreg. Rit. ut in Ferrarien.* 27. *Jul.* 1609. *in Chilensi in Indiis* 27. *Februarii*, *&* 15. *Maii* 1610. *& in Toletana* 4. *Jun.* 1615. 80

Non posse autem Regulares ab Episcopis Censuris distringi, resolvunt multi, quos refert, & sequitur Sanchez *de Matrimon. lib.* 5. *disp.* 35. *n.* 28. Donatus *prax. Rerum Regul. tom.* 1. *tract.* 13. *qu.* 24. Idem tenent Henriquez *in Summa lib.* 7. *cap.* 25. §. 7. P. Emmanuel *in Summa tom.* 1. *cap.* 74. *n.* 4. Villalobos *in Summa tom.* 2. *tract.* 35. *difficult.* 5. *num.* 17. Portell. *in addition. ad dub. Regular. verb. Episcopus num.* 7. & verb. *Processiones num.* 1. Hieronymus Roderic. in *Compend. qq. Regular. resolut.* 118. *num.* 1. Scort. *in Bullis select. Bulla* 393. *vers. Si autem*, Laurent. de Peyrinis *tom.* 1. *in Constitut. sui Ordin. Minor. Constitut.* 2. *Sixti IV. num.* 60. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 19. *q.* 7. *num.* 7. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 76. & dicit decisum, Quaranta verb. *Præcedentia in fine*; 81

Et

Et sic tenent plurimi alii acriter defendentes, quod Episcopi non possint Censuris adversus Regulares exemptos procedere, ex quo nulla adsit Religio, quæ sive per specialem concessionem, sive per communicationem tale Privilegium habere non prætendat.

82 Unde pendente lite super exhibitione Privilegii, non potest Episcopus Regulares turbare in sua possessione exemptionis, neque in eos poterit suam Jurisdictionem exercere, & in dubio an Jurisdictio pertineat ad Episcopum? non potest Episcopus in causa cognoscere, ne sit Iudex in propria causa, sed examen, & decisio sunt de reservatis Sedi Apostolicæ, juxta Constitutionem Clementis X. incip. *Superna*, & interim abstinendum esset a Censuris, admonitis Superioribus, & certiorata Sacra Congregatione de excessu Regularium, ut accidit *in una Forolivien. die 6. Mart.* 1692. ubi cum Patres Camaldulenses occasione accessus Episcopi ad eorum Ecclesiam tempore expositionis Venerabilis Sacramenti, illum nec in ingressu, nec in egressu associare, neque naviculam incensus, ut moris erat (licet a Ministro Cœremoniarum moniti), ut thurificare posset Sanctissimum, porrigere voluissent; Et Episcopus de his Sacram Congregationem reddidisse instructam, hæc ad relationem Cardin. Petrucci *die 6. Mart.* 1692. rescripsit: *PP. Camaldulenses teneri præstare Episcopo accedenti ad eorum Ecclesiam omnes actus reverentiales, & ad mentem*. Mens est, *quod P. Abbas accedat ad Episcopum, & exprimat obsequia, tam suo, quam Religiosorum suorum nomine*; Sic refert Monacell. *tom.*4. *supplement. ad tom.* 2. *num.* 356.-

83 Ceterum quamvis Regulares exempti sint a Jurisdictione Ordinariorum, & sic non teneantur comparere, dum ab eis citantur; tamen id non procedit, cum in citatione exprimitur causa, quæ fundat super Regulares Jurisdictionem, si non ordinariam, saltem delegatam, in aliquibus particularibus casibus, ut si citentur ad comparendum, & reddendam rationem, quare ad Processionem non accesserint; tunc enim tenentur comparere, cum ad id assistat Episcopis dispositio Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 13. eisdem tribuens Jus compellendi Regulares ad Processiones; alias poterunt Episcopi contra ipsos contumaces Censuras relaxare, declarando ad removendum omne dubium validitatis Censurarum, quod id faciunt tamqam Sedis Apostolicæ Delegati, ut sic declarandum esse censuit pluries in similibus *Sacr. Congregat. Concilii* apud Fagnan. *in cap. Quoniam num.* 35. *de Officio Delegati*, & *in cap. Nullus num.* 32. *de Paroch.* & recenter ita faciendum esse respondit *Eadem Sacr. Congreg. Concil. in Meliten.* 17. *Novembr.* 1703. *ad tertium* apud Monacell. *tom.* 2. *titul.* 3. *formul.* 6. *num.* 5. Vide Ursayam *tom.* 2. *par.* 1. *disceptat.* 15. *& tom.* 6. *disceptat.* 36. *per tot.* ubi multa adducit ad rem, Donat. *prax. rer. Regul. tom.* 1. *tract.* 13. *quæst.* 17. Panimoll. *decis.* 84. *num.* 8.

84 Concludendum igitur est, quod licet Regulares exempti sint a Jurisdictione Episcoporum, non sunt tamen exempti a stricto debito exhibendi eis omne obsequium, & reverentiam, quia Jus reverentiale eis per exemptionem non fuit ablatum, ut recte dicunt Card. de Luca *de Regularibus discurs.* 1. *num.* 31. *& discurs.* 64. *num.* 15. Passerin. *de statib. homin. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 19. *insp.* 10. *num.* 798. Monacell. *tom.* 3. *tit.* 3. *formul.* 6. *num.* 20. & alii passim, & declaravit *Sacra Congreg. Episcop. in Forliv.* 6. *Martii* 1692. & habetur ex Constitut. 26. Leonis X. incip. *Dum intra*, in qua §. 24. Pontifex ipse sic Regulares alloquitur: *Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus (hoc est præcipimus) ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita, & nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & convenienti observantia venerentur.*

Et Episcopos sic monet: *Ipsos quoque Episcopos hortamur, & per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, caritative tractent, ac benigne foveant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque Jura omni cum caritate custodiant, atque defendant.* Et Glement. Unica *Frequens & assidua, de excessibus Prælatorum* enunciatis triginta gravaminibus illatis per Prælatos §. *Verum*, Episcopos non hortatur, sed eis præcipit, *ut Viros Religiosos exemptos, privilegiatos, & non exemptos, Mendicantes, & non Mendicantes caritative tractent, & foveant, & sua Jura, & Privilegia inviolabiliter eis servent.* 85

Et ibidem §. *Verum* sive Episcopis, sive Regularibus exemptis, & non exemptis in mutuæ debitæ dilectionis argumentum, sensus, & voluntas Concilii Generalis Viennensis per infrascripta præcisa verba exhibetur, ibi: *Verum, quia una est Regularium, & Sæcularium Prælatorum, & subditorum, exemptorum, & non exemptorum Universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, & unum Baptisma, decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, & sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti: decet igitur, ut & Prælati, & alii tam exempti, quam non exempti suis Iuribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non prosiliat, seu jacturam.* Hæc in dicta *Clementin. Unica, Frequens, & assidua; De excessibus Prælatorum*. 86

Ad dicta *supra num.* 39. addenda sunt quæ tradit P. Gaudentius de Janua in suo Opere ann. 1748. Romæ impresso, *de Visitatione cap.* 4. *Dubit.* 10. *num.* 46. ibi: Nihilominus pro Regularibus omnibus absque distinctione inter mendicantes, & non mendicantes, si intra claustra vivant, quamvis extra claustra quomodolibet delinquant; quod subsint jurisdictioni, & punitioni propriorum Superiorum privative, nisi, quatenus negligentibus Superioribus sontes punire scandalosos, jurisdictio ad Episcopos devolvatur in terminis Concil. Tridentini, adest apertus Motus proprius Benedicti San. memor. XIII. editus quidem ad dirimendas lites quoad hoc inter Neapolitanum Nuncium, & Abbatem Generalem pro tempore Mon- 87

tis

tis Virginis; Sed pro omnibus Regularibus, & Episcopis, ex altera parte, vigorem eumdem præseferentes, ut evidens erit legenti; sic infra:

BENEDICTUS XIII.

88 MOtu proprio &c. Exponi nuper Nobis fecerunt Don Gallus Galluccio Abbas Generalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis, quod licet Monachi omnes ejusdem Ordinis degentes in Monasteriis, sub Obedientia Abbatis cum aliis requisitis, per Concilium Tridentinum statutis, etiamsi deliquerint extra Claustra, juxta privilegia ipsis concessa per felic. record. Urbanum IV. prædecessorem nostrum in litteris Apostolicis expeditis *sub datum Idibus Januarii* 1264. & dispositionem ejusdem Concilii *capit.* 14. *sess.* 25. de Regularibus, sint prorsus immunes, et exempti a jurisdictione nostri in Regno Neapolitano Reverendissimi Nuncii, & subjecti privative tantummodo eorum Superioribus Regularibus, prout ita declaravit Cameræ Nostræ Generalis Auditor per sententiam definitivam in contradictorio judicio, promulgatam contra Curiam Nunciaturæ *die* 27. *Novembris* 1671. novas nihilominus modernus Nuncius excitavit prætensiones procedendi contra eosdem Regulares, sic exemptos, vigore facultatum sibi concessarum per fel. record. Clementem PP. VIII. nostrum pariter prædecessorem in Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis diebus 19. *Junii* 1592. *&* 22. *Aug.* 1601. sub inani etiam supposito, quod hujusmodi facultas ipsi delegata quoque appareat per idem Concilium Tridentinum in supra relato *cap.* 14. ac ex observantia, approbata per felic. record. Clementem Undecimum nostrum similiter prædecessorem, non attenta remissione hujusmodi controversiæ præcedenter facta ad nostram ejusdem Concilii Tridentini Congregationem, & alteram particularem specialiter delegatam; Subortis proinde variis casibus, & remissa illorum eidem Nuncio causa, propterea in eadem Congregatione Concilii, nec in altera particulari priori loco, ut supra delegata, discussa, neque proposita extiterit. Agnoscentes modo ipsi Oratores, non leve sibi inferri præjudicium per continuationem jurisdictionis prædicti Reverendissimi Nuntii in detrimentum eorum exemptionis prædictæ, preces Nobis humiliter porrexerunt, ut pro majori eorum tranquillitate controversiam hujusmodi ad nos avocare, & privilegia prædicta juxta sensum ejusdem Concilii Tridentini, & Litterarum Apostolicarum interpretari, ac declarare, & sic ab ulterioribus vexationibus, desuper usque modo passis eximere, liberare, & alias opportune prout juris fuerit, Apostolica Auctoritate providere dignaremur. Nosque ut dissensiones, & jurgia inter Ecclesiasticos, omni celeritate dirimantur, & ad hoc, ut privilegia per Romanos Pontifices concessa, contrario sensu non explicentur, auditis prius per Reverendissimum Episcopum Himeriensem nostrum modernum Auditorem, de speciali nostro mandato, partibus prædictis, earumque Procuratoribus, & defensoribus, tam in voce, quam in scriptis, visisque, & consideratis omnibus, de jure videndis, & considerandis, juxta illius sensum Nobis relatum, & cum illius voto, privilegia prædicta, & exemptionem respective declarare, litesque hujusmodi terminare, prout infra decrevimus. Litteras itaque Apostolicas Urbani Papæ IV. favore dictæ Congregationis Montis Virginis, & respective Clementis VIII. favore prædicti Reverendissimi Nuncii, privilegia, & facultates in eis, aliisque posterioribus litteris etiam Clementis XI. concessas, & expressas, dispositionem quoque prædicti Concilii Tridentini, in enunciato *cap.* 14. & alia quæcumque Decreta in præmissis citata, & quomodolibet edita, & acta desuper gesta, totumque, & integrum statum, & merita causæ in eadem Congregatione Concilii, altera particulari Congregatione, & alio quocumque Judice particulari pendentis; Rationes itidem utrique Parti competentes singulariter præsentibus pro expressis de verbo ad verbum habentes, causam, & litem prædictam in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperitur cum omnibus, & singulis illius emergentibus, dependentibus, adnexis, & connexis, & cum clausula *quam*, *& quas &c.* ad Nos avocantes, illam penitus extinguimus, & abolemus, ac partibus prædictis perpetuum silentium imponimus. Et Auctoritate nostra Apostolica declaramus, & decernimus, Privilegia concessa dicto Reverendissimo Nuncio in Regno Neapolitano per eumdem Clementem VIII. non aliter intelligi posse, & debere, quam de facultate procedendi contra *cujuscumque Ordinis Regulares exemptos, qui tamen sint devii & errantes, & extra Claustra in delicto deprehendantur*, nullam propterea ipsi competiisse, neque competere facultatem procedendi privative, neque cumulative contra *Monachos, & Regulares degentes in Conventibus, & Monasteriis sub obedientia Abbatum, aliorumque Superiorum*, & cum aliis requisitis per Concilium Tridentinum præscriptis; respectu enim istorum, *totam jurisdictionem privative spectare ad Superiores Regulares, etiamsi Monachi, sive Regulares extra Claustra ita notorie deliquerint, ut Populo scandalum publice oriatur*, juxta dispositionem Concilii Tridentini in supra relato Capitulo, & in casu negligentiæ Superiorum Regularium esse locum præfixioni termini, sicut ab Episcopo, ita etiam a Reverendissimo Nuncio, ut eo transacto, jurisdictio ad ipsum devolvatur, juxta censuram Concilii prædicti. Verba autem illa in primo dicto Privilegio Clementis VIII. *Ut iidem Regulares sciant præter eorum Superiorum correctionem nostram etiam animadversionem incursuros*: intelligi semper debere de Regularibus deviis, & errantibus & extra Claustra vitam degentibus, non obstante quacumque asserta contraria observantia. Litteras Apostolicas proinde ejusdem Urbani IV. & exemptiones ibidem concessas eidem Congregationi Montis Virginis, ac sententiam per eumdem Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem in criminalibus latam prædicta *die* 22. *Novembris* 1671. in qua pronunciatum extitit, Reverendissimo Nuncio nullum jus competiisse, & competere cognoscendi causas civiles, criminales, & mixtas, prædicto-

dictorum Monachorum Congregationis Montis Virginis intra Claustra cum requisitis Concilii degentium, etiam extra ea delinquentium, & in delicto deprehensorum, esséque privative subjectos eorum Superioribus Regularibus, juxta exemptionem ipsorum favore concessam in præcitatis Litteris Urbani IV. & Concilio Tridentino prædicto in omnibus, & per omnia confirmamus, approbamus, convalidamus, & renovamus, suumque debitum sortiri effectum, ac omnimode executioni perpetuis futuris temporibus demandari Apostolica Auctoritate statuimus. Decernentes præsentibus nostris Litteris, licet non admissis, neque in Camera nostra registratis, nullo umquam tempore opponi de subreptione, obreptione, vel alio quovis vitio, aut defectu voluntatis, vel intentionis nostræ, etiam ex eo, quod modernus Nuncius in Regno Neapolitano, ejusque Promotor Fiscalis, & alii quicumque in præmissis forsitan interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, ad hoc vocati, citati, vel auditi non fuerint, vel ex alia quavis causa quantumvis valida, legitima, urgenti, & juridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, ac in jus, & controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium impetrari posse; sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, Commissarios, Delegatos, Tribunalia, Collegia, etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationem particularem, ut supra deputatam, a latere Legatos, Nuncios Apostolicos, causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quavis Auctoritate fulgentes, semper judicari, & definiri debere; Sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate; ac ex nunc irritum, & inane, nulliusque roboris, & efficaciæ declarantes quidquid secus super iis, & circa ea quavis Auctoritate, etiam a Nobis, vel Successoribus nostris pro tempore existentibus contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, nec non dictis Constitutionibus Clementis VIII. ut supra editis, & quacumque asserta contraria observantia; altera Constitutione fel. rec. Pii IV. pariter prædecessoris nostri de registrandis, Regula Cancellariæ nostræ Apostolicæ de jure quæsito non tollendo, Conciliaribus etiam universalibus, & Provincialibus, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, per Nos, & Romanos Pontifices prædecessores, sub quibusvis tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac insolitis Clausulis irritantibus, & aliis Decretis in genere, & in specie, etiam iteratis vicibus, & motu simili concessis, approbatis, aut innovatis legibus, statutis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, reformationibus, consuetudinibus, cæterisque aliis in contrarium quomodolibet disponentibus: quibus omnibus, & singulis, ac omnibus aliis hic non expressis, de quibus specialis, specifica, expressa &c. ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia specificatio habenda, vel aliqua alia forma ad hæc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum serie, motu, & scientia similibus specialiter, & expresse derogamus, ac plene, & sufficienter derogatum esse decernimus, & declaramus.

Datum Romæ ex nostro Palatio Apostolico Vaticano hac die 16. Martii 1729.

Sed an in Constitutione Clementis XII. incip. *Romanus Pontifex 7. Kal. April.* 1732. (quam ad litteram retulimus supra ad verb. *Privilegium art. 3. num. 64.*) cum aliis recensitis ibi Bullis fuerit hic Motus proprius Benedicti XIII. revocatus, ut Concil. Trident. non omnino conformis, dubitari potest. 89

Insuper facultas puniendi Regularem vere degentem, & prævaricantem scandalose extra Claustra, competit sane Episcopo, ut præmissum est *num. 43. verb. Insuper*, sed cumulative cum Superiore ejusdem delinquentis, non privative, quia privativam non exprimit Tridentinum, nec aliud Sedis Apostolicæ Decretum, ut advertit Lauretus de Franchis *prima part. Controvers. in addition. nu.* 117. allegans plurimos; ita quod Regularis ipse Superior posset causam utique prævenire, & contra captum, sive habitum reum procedere, juxta Constitutiones Ordinis puniendum. Anacletus Reiffenstuel *cit. n.* 115. *de Offic. Jud. Ord.* sequens Lauretum. *Hæc ille expressis verbis*. 90

Regulares Curam subditorum Sæcularium assumere nequeunt absque consensu, & approbatione Episcopi. Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 102. incip. *Firmandis* §. 11. Regulares Curam Animarum exercentes, vel Sacramenta quovis titulo administrantes, subsunt in his jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcoporum. Idem *ibid.* §. 2. & 3. Quod intelligitur de jurisdictione Ordinaria, non vero delegata. Idem *ibid.* §. 12. 91 92 93

Regularis Parochus exemptus est a visitatione, & correctione Episcopi in his, quæ pertinent ad observantiam disciplinæ Regularis. Idem *ibid.* §. 7. Non autem in his, quæ spectant ad mores, & exemplarem vivendi rationem. Idem *ibid.* §. 8. Multoque minus in his, quæ pertinent ad ipsius Officium Parochiale. Idem *ibid.* §. 9. Regularis Parochi correctio competit tam Episcopo, quam Superiori Regulari, cum præponderantia favore Episcopi. Idem *ibid.* §. 10. Ipsius remotio decerni potest tam ab Episcopo, quam a Superiore Regulari, absque alterius consensu. Idem *ibid.* §. 11. 94 95 96 97 98

Exempti tamen sunt ab Episcopi visitatione, & correctione Parochi Regulares, qui curam exercent in Ecclesiis eorum Monasteriorum, sive locorum, in quibus Abbates, aut alii Superiores Regulares jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos, & Parochianos habent. Idem *ibid.* §. 12. Nisi Episcopus probet ampliorem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam esse. Idem *ibid.* Exempti sunt etiam animarum curam gerentes in Ecclesiis eorum Monasteriorum in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent. Idem *ibid.* §. 13. Quod non extenditur ad residentias aliorum 99

rum Præsulum Regularium non Generalium. Idem *ibid.* §. 13.

100 Illa autem dicenda est Superioris Generalis residentia ad effectum hujusmodi exemptionis, quæ a Constitutionibus, vel a consuetudine Ordinis præfinitur. Idque tantummodo Monasterium, non vero aliud, in quo quacumque de causa Superior Generalis commoratus fuerit pro ordinaria Sede haberi præcipit, licet ipse Generalis ibi actu non resideat. Idem *ibid.* §. 17. Vel si a Constitutionibus, vel consuetudine alicujus Ordinis residentia non sit præfinita, illa erit pro residentia ordinaria habenda, quam Superior Generalis, seu Caput Ordinis, initio Generalatus elegerit. Verum si facta semel hujusmodi electione, eamdem postmodum variare præsumpserit, declarat, neque Monasterium initio electum, neque alterum, etiam si cum sua Curia eo se transtulerit, privilegia ordinariæ & princi-
101 palis Generalitiæ Sedis habiturum. Idem *ibid.* §. 18. Hac exemptione non gaudent aliæ Parochiæ hujusmodi Monasteriis unitæ. Idem *ibid.* §. 15.

102 Episcopus pro dictorum exemptorum Parochorum remotione potest instare apud Superiorem Generalem si cognoverit, Parochiam non recte administrari, & aliquando etiam debet pro sui Officii munere, implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicæ Sedis Auctoritate, si nempe Generalem prædictum, aut reluctantem, aut Parocho plus æquo
103 faventem invenerit. Idem *ibid.* §. 16. Et in his etiam præservatur majus jus, quod Episcopo alias acquisitum fuisse probetur. Idem *ibidem* §. 19.

104 In Regularium Ecclesiis Parochialibus Episcopus visitare potest illud dumtaxat Altare, in quo SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, & consequenter Sacrum ipsum Tabernaculum, Fontem Baptisterii, si adsit, Confessionale Parochi, Pulpitum Ecclesiæ a quo Parochus jus habet Verbi Dei annunciandi, Sacrarium pariter Ecclesiæ ad inspiciendum locum in quo asservatur Sacra supellex pro Sacramentis administrandis, Sepulcrum, & Cœmeterium Parochiale; Turrim Campanariam, dummodo in ea sint campanæ ad Parochiam proprie spectantes; ac demum præter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quæ pro ingredientium aspersione ad Ecclesiæ fores poni consuevit. Idem *ibid.* §. 7.

105 In regularibus Ecclesiis, sive Parochialibus, sive non, potest Episcopus Confirmationis Sacramentum arbitrio suo ministrare. Idem *ibid.* §. 6.

106 Regularis Superioris approbatio ad Confessiones non suffragatur, ut quis absolvere possit a peccatis, & Censuris reservatis in vim indulti Aposto-
107 lici requirentis approbationem Ordinarii. Idem Constit 100. incip. *Apostolica indulta* §. 6. Regularibus non suffragatur Indultum Cruciatæ quoad electionem Confessarii pro absolutione a Censuris, & peccatis reservatis. Idem *ibid.* §. 7.

108 Regulares Superiores an expectare debeant consensum Episcopi, ut Clericum Sæcularem ad habitum suæ Religionis admittere possint? In jure pariter cautum non reperitur, quamvis hujusmodi consultatio inter Episcopum, & Superiorem Regularem, ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior Regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate Clerici, numquam interdicta fuerit, nec ipse Pontifex eam vetare intendat, quin potius illius utilitatem, atque opportunitatem agnoscat, resolvens opus non esse ad id nova Constitutione. Idem *ibid.*

Non licet Episcopis in Synodis derogare privi- 109
legiis a Sede Apostolica concessis Regularium Ordinibus. Benedict. XIV. *De Synodo Diœcesana lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 1. adductis ad id pluribus juribus.
Regulares enim sæpe conquesti sunt Episcopos in 110
Synodis præcepta, & statuta emisisse de Regulari observantia, cum verbo *præcipimus*; Qua propter Sacra Congregatio Concilii justam agnoscens Regularium querelam, verbum illud *præcipimus*, seu *statuimus* nedum a Diœcesanæ, verum etiam a Provincialis Synodi Constitutionibus jussit expungi, & Decretum in hunc modum reformari. Intelligant Regulares se teneri ad Regulæ, quam professi sunt, normam, vitam instituere. Idem *ib. c.* 43. *n.* 1. ex Fagnano *in c. Quod super his num.* 25. *de majorit. & obedient.*

Possunt tamen Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati plura sancire quoad Regulares. Idem 111
ibid. num. 3. Et præcipue ea, in quibus subduntur ipsis, juxta allata in hoc *art.* Et signanter Regu- 112
lares obstringuntur Constitutionibus Synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum, administrationem Sacramentorum, & jurisdictionem Episcopi delegatam. Idem *ibid. l.* 8. *cap.* 4. *num.* 5. Ex concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regularibus & cap.* 1. *de Privileg. in* 6. Et ad evitandum 113
scandalum, tenentur etiam aliis Constitutionibus, licet non semper sub gravi. Idem *cit. n.* 5. Te- 114
nentur servare Festum indictum, & Interdictum promulgatum ab Episcopo, non tamen jejunium, in Synodo, vel extra denunciatum; Nisi alia esset antiqua consuetudo, aut scandalum urgeret. Idem 115
ibid. n. 6. & 7.

Præmonstratensis Ordinis Canonici, & Moniales 116
sunt a jurisdictione cujuscumque Ordinarii exempti, & S. Sedi immediate subjecti. Benedict. XIV. Constit. incip. *Super eminenti* §. 1. & *seq.* Eodem privilegio gaudent Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, præ- 117
dia, & res quæcumque ad eumdem Ordinem pertinentes. Idem *ibid.* §. 5. & 7. Hac tamen exemptione uti non possunt Canonici Curæ animarum addicti 118
in iis quæ ipsam Curam respiciunt. Idem *ibid.* §. 8.

Regulares sunt ab Ordinariorum jurisdictione 119
exempti. Benedict. XIV. Constitut. incip. *Apostolicum Ministerium* §. 3. Tamen extra Diœcesim, 120
ubi promoti sunt, Ordinem in alienis Ecclesiis exercere non possunt, nisi Ordinario, ejusve Officialibus Testimoniales suorum Superiorum exhibeant. Idem *ibid.* §. 6. Multoque minus licet ipsis sæcularium Confessiones audire, nisi approbati fuerint a loci Ordinario. Idem *ibid.* §. 7. Nihil obstantibus amplissimis quibuscumque privilegiis, ac etiam consuetudine. Idem *ibid.* §. 7. Et approbare potest Ordinarius Regulares ad excipiendas sæcularium Confessiones indefinite, & cum præfinitione temporis; Approbatus autem indefinite sine causa suspendi non potest. Idem *ibid.* §. 9.

Re-

121 Regulares in iis, quæ curam animarum, & administrationem Sacramentorum respiciunt, subsunt jurisdictioni, & visitationi Episcopi; Nihilque hac in re ipsorum privilegiis juvantur. Idem *ibid.* §. 12. *&* 13. Idque obtinet, sive Regularis Parochus sit, sive plura, vel unum Sacramentum sæcularibus ministret, sive inscio, sive annuente Episcopo. Idem *ibid.* §. 14. Non tamen subjiciuntur in iis, quæ Regularem observantiam respiciunt; nisi maneant extra claustra, vel publice delinquentes, a Superioribus post interpellationem Episcopi, non corrigantur. Idem *ibid.*§.15. Superior autem Regularis potest sibi subditum, non solum in iis, quæ sunt Regularis observantiæ, sed etiam curæ animarum, & administrationis sacramentorum, punire. Idem *ibid.* §. 17.

122 Regulares, ob mutatam rerum faciem, in Indiis Occidentalibus, non fruuntur amplius privativo jure obtinendi Parochias, aliaque Officia Curata. Benedict. XIV. Const. incip. *Cum alias* §.2. *& sequent.* Immo qui iis præpositi sunt, tamquam ad nutum amovibiles, possunt, nulla expressa causa, ab Ordinario, æque ac a Superiore Regulari amoveri. Idem *ibid.* Alia vide tom. 5. verb. *Missionarii*.

123 Regulares non Parochi sæcularium Confessiones excipientes, an Conferentiis casuum pro Clero sæculari statutis interesse debeant? Ad id juvat adducere quæ tradit Benedictus XIV. in Appendice ad tomum quartum sui Bullarii, *pag.* 25. *& sequent.* ut sequitur.

Lettera circolare della Sagra Congregazione della Disciplina, diretta a' Superiori Regolari d'Italia, e dell' Isole adjacenti, sopra il dubbio se li Confessori Regolari, non Curati, siano obbligati ad intervenire alla Conferenza dei Casi morali, ordinata dalli Vescovi nelle loro Diocesi.

§. 1. Altre volte è stata esaminata nelle sagre Congregazioni l' istanza d' alcuni Vescovi di potere astringere li Confessori Regolari non Curati, a dovere intervenire nella Conferenza de'Casi morali, da detti Vescovi in certi giorni della Settimana destinati, e varie furono le risoluzioni secondo la diversità de i Casi, i quali nelle medesime furoro proposti. Essendosi poi conosciuto il pregiudizio, che recava all' Osservanza della disciplina Regolare il dovere assistere alla detta Conferenza in quel tempo in cui dovevano i Regolari adempire i di loro Officii Claustrali, e l'abuso, che si era introdotto tra i Confessori suddetti i quali col protesto di dovere assistere alla detta Conferenza, non volevano indi venire all' altra stabilita dalla S. M. di Clemente VIII. e dalle loro Costituzioni dentro i Chiostri; per potersi in tanto dare l' opportuno rimedio a questi inconvenienti, molti Procuratori Generali, specialmente quello dei Minori Conventuali, hanno stimato cosa necessaria il dover far ricorso in questa S. C. della Disciplina, per poterne sentire la finale risoluzione colla quale si potessero in avvenire togliere tutti i contrasti. Riferitasi perciò questa causa in essa S. Cong. dall'Eminentiss. Sig. Card. Guadagni Prefetto della medesima sotto il seguente dubbio.

Se li Confessori Regolari, non Curati, siano, o nò, obbligati ad intervenire alle Conferenze de i Casi di Coscienza da i Vescovi nelle di loro Chiese secolari stabilite?

§. 2. Ed essendosi, prima di dare la risposta al dubbio suddetto, considerato, che questa materia era stata già magistralmente esaminata, e risoluta a favore delli Regolari nella S. C. del Concilio nel tempo, in cui la Santità di Nostro Signore Papa Benedetto XIV. era Segretario della medesima, in una causa d' Acquapendente = *Visitationis Sacrorum Liminum* 12. *Martii* 1718. inserita nella Notificazione 15. = al §. de i Confessori Regolari, nel Tomo 5. delle notificazioni, ed Editti della Santità sua, quando era Arcivescovo di Bologna fù di comun consenso risposto al dubbio suddetto nel dì 19. Maggio del corrente Anno 1752.

Negative & dentur Decreta alias in re hac emanata. Scilicet a S. C. Concilii in una Aquipendii Visitationis sanctorum Liminum 12. Mart. 1718., & in Forosempron. 11. Maii 1685. Riferita nel Foglio della citata Causa d' Acquapendente. Et ex Sac. Congregat. super statu Regularium, in una Maceraten. 15. Januarii 1582. Quali tutte si danno per extensum nel fine della presente lettera.

§. 3. Passò poi essa S. C. nel dare l' opportuno provvedimento sopra l'abuso introdotto in alcuni Conventi, ne i quali, o per negligenza, o per ignoranza dei Decreti suddetti non vi si tiene la lezione della Morale, nè vi si fanno le conferenze de i casi giusta il Decreto di Clemente VIII., e delle di loro Costituzioni Regolari, con ordinare, siccome colla presente ordina a tutti i Superiori Regolari d' Italia, e delle Isole adiacenti, l' esatta, e puntuale osservanza del citato Decreto di Clemente VIII., e delle di loro Costituzioni circa la lezione della Morale, e la conferenza dei casi di coscienza, da farsi impreteribilmente in tutti i Conventi del di loro Codice, tanto in quelli, nelli quali vi è la sufficiente Famiglia de' Religiosi, quanto nei piccioli Conventi, dove però vi sono Confessori Regolari approvati dai Vescovi per ascoltare le Confessioni dei Secolari. E coll' espressa condizione, che qual'ora dentro i Chiostri non venissero eseguiti ad unguem i Decreti di Clemente VIII. e le Costituzioni del di loro Ordine, le quali prescrivono la Lezione della Morale, e la conferenza dei casi di coscienza, da farsi dentro i loro Conventi o Monasterj, in detto caso siano tenuti, & obbligati i Confessori suddetti Regolari ad assistere, ed intervenire alla conferenza dei casi stabilita dai Vescovi. Si incarica intanto a' detti Superiori Regolari, di fare eseguire quanto nella presente Lettera si contiene, acciò con effetto adempiti i Decreti di Clemente VIII. e le Costituzioni dei loro rispettivi Ordini, le quali hanno prescritta, e stabilita la detta Lezione di Morale, e conferenza di casi, come un punto principale della Regolare disciplina dentro i Chiostri; e di dover trasmettere la presente lettera in tutti i loro Conventi, e Monasterj, con farla ivi leggere due volte

te l'Anno; tenerla affissa nel luogo solito, e reregistrarla nelle loro Segretarie, acciò non si possa allegare causa d'ignoranza in contrario. Per esser così, e non altrimente l'intenzione di Nostro Signore, a cui essendo stata fatta da Monsignor Segretario la relazione di tutto il contenuto nella presente Lettera; si è benignamente degnato di approvarlo, e di confermarlo.

Dato dalla nostra solita Residenza questo dì 8. Novembre 1752.

F. G. A. Card. Guadagni Prefetto.

F. Solazzi Arcivesc. di Tebe Segr.

Decretum Sacr. Congr. Concilii in una Aquipendii Visitationis Sacrorum Liminum editum 12. Martii 1718.

In Relatione status Ecclesiæ de more ab Episcopo Aquipendii ad hanc Sacram Congregationem transmissa, legitur ab eodem institutas fuisse in sua Diœcesi conferentias, sive Congregationes pro discutiendis casibus conscientiæ, quæ singulo quoque Mense coguntur, quibus diligentissime interveniunt omnes Parochi, & Sacerdotes quibus Fidelium Sacramentales Confessiones commissæ sunt, & reliquus Ecclesiasticorum Cœtus.

In eadem relatione habetur, quatuor esse Conventus Regularium in Civitate Aquipendii, Augustinianorum videlicet, Minorum Conventualium, Capuccinorum, & PP. Minorum Observantiæ, & Religiosos in iisdem degentes sæpe sæpius non esse in numero a Sanctionibus Apostolicis præscripto.

Rursus in citata legitur Relatione, alios quinque esse Religiosorum Conventus in Diœcesi, duos PP. Minorum Observantiæ, alterum in Terra Farnesii, ubi pariter existit Conventus Capuccinorum; quartus Conventus est ille Servorum Beatæ Mariæ Virginis, qui est in Terra Ischiæ; & postremus est Conventus Carmelitarum in Oppido Cellularum, qui est Episcopali Visitationi subjectus.

Tandem in Relatione, aliis prætermissis dubiis, quæ specialem non merentur discussionem, proponit Episcopus, An Regularibus, qui suorum subditorum Confessiones audire cupiunt, liberum sibi sit, & licitum, conditionem in concedendis facultatibus injungere, interessendi videlicet menstruis Disceptationibus, & Congregationibus casuum conscientiæ.

Pro parte affirmativa ponderari posse videtur, id non esse novum: Clar. etenim mem. Card. de Luca in adnotationibus ad Concilium Tridentinum discurs. 2. num. 12. dicit, id futurum esse maximopere proficuum, tum, ut Episcopus perspectas habeat opiniones omnium suorum Confessariorum, tum, ut quantum possibile est, uniformis sit Confessariorum doctrina in materia morum, & si gnanter contractuum, in qua sæpe sæpius Theologi dissident a Theologis, & a Canonistis, quibus addi posset, collationem hanc omnium Confessariorum, tam sæcularium, quam Regularium futuram esse non inutilem pro animorum unione, juxta ea, quæ habentur in actis Ecclesiæ Mediolanensis Tomo 1. p. 4. in Instruct. Confess. p. 647. Ideo Regularium Superiores Confessarios suos sæpius moneant, & ad hanc animorum unionem in Fidelium ædificationem adhortentur, curentque in primis, ut dum in casuum resolutione diversa inter eos, & Parochos sententia fuerit, prudenter in eos se gerant, & ad Laicorum notitiam id non veniat, sed ad Nos pro decisione recurrant.

Negativæ e contra favent opinioni ea, quæ sequuntur. Primo, quod Episcopus Confessariorum Regularium doctrinam perspectam habere potest in examine, quod illorum approbationem præcedit ad terminos Sacri Concilii Trid. *Sess. 23. cap. 15. de Reformat.* Secundo, quod in Decretis pro Reformatione Regularium editis a Clemente Octavo præscribitur, quod in singulis Monasteriis, & Conventibus bis in hebdomada habeatur lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ, ad quam Fratres omnes convenire tenentur. Tertio, quod hic in Urbe, in decem, & septem Conventibus fiunt Congregationes casuum conscientiæ, illisque interveniunt Parochi tantummodo, & Confessarii ex Clero Sæculari, non vero Regulares, in quorum Conventibus prædictæ casuum lectiones habentur. Quarto tandem, quod ab hac Sacra Congregatione die 12. Maii 1685. uti habetur *Lib. Decretorum 35. fol.* 438. prodiit hæc resolutio in quadam causa Forosempronien. *Accessus ad Congregationem casuum conscientiæ.*

Episcopus exponit, in Civitate Forosempron. duo adesse Regularium Cœnobia, unum scilicet Minorum Conventualium S. Francisci, alterum vero Barnabitarum, quæ propter exiguum Religiosorum numerum inibi degentium, subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex Decreto San. mem. Innocentii X. incipiente: *Ut in parvis*, & licet dicti Religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis Sæcularium Confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem casuum conscientiæ, quæ singulis Mensibus habetur, cuique Confessarii omnes intersunt, accedere renuunt; quocirca petit declarari, an prædictos Confessarios Regulares cogere possit ad interessendum præfatæ Congregationi casuum conscientiæ? Sacr. Congr. &c. Respondit, *Negative*. His positis onus erit EE.VV. decernere.

An in casu, de quo agitur, permissum esse valeat Episcopo, concedenti Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi Confessiones Sæcularium, injungere, ut intersint Congregationibus casuum conscientiæ?

Negative, & detur Decretum in Forosempron. 12. Maii 1685.

12 Decretum Sacr. Congregation. super statu Regularium in una Macerat. 15. Januarii 1682. editum.

Cum Conventus suppressi, & postea restituti, in quibus non degunt de Familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti *Ut in parvis*, fel. rec. Innoc. X. subjecti visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinariorum Locorum, contigit

tigit dubitari, an Religiosi Confessores, & non Parochi, in hujusmodi Conventibus degentes, compelli possint ab iisdem Ordinariis, ut accedant ad conferentiam casuum conscientiæ?

Proposito hoc dubio, in S. Congreg. super statu Regularium habita in Palatio Vaticano die 15. Jan. 1682. Eminentiss. PP. censuerunt, Ordinarios Locorum posse quidem hortari, non autem compellere prædictos Religiosos Confessores, non Parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ.

125 * Regulares quicumque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, Curam Animarum exercentes, subsunt prævio examini Ordinariorum, & approbationi, nec non visitationi, correctioni & jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam Curam pertinent. Bened. XIV. tom. 2. Bull. Const. 1. incip. *Quamvis ad confirmandum*.

126 Regulares etiam exempti nequeunt exponere Sacramentum Eucharistiæ sine velamine in suis Ecclesiis, nisi ex causa publica ab Ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata Sacramentum velatum exponere in tabernaculo aperto, dummodo tamen ab illo non extrahatur; ut ex Decreto Sacr. Cong. *de Synodo Diœcesan. lib.* 7. *cap.* 41. §. 4.

127 Generatim vero jus est Episcopis cogere Regulares parere sibi circa ea, quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis Mysterii, & celebrationis Missæ præcipienda censuerint. Quod ex Decret. Trident. sess. 22. *de observand. & evitand. in celebrat. Missæ* eruitur; *ibid.* §. 5.

128 Regulares tenentur parere Episcopo præcipienti, ne in eorum Ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, & inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex Decret. Sacr. Congregat. *die* 5. *Jul.* 1700. Ibid. §. eod.

129 Regulares puniri possunt ab Episcopo tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, si quid deliquerint in iis, quæ respiciunt clausuram monialium etiam exemptarum, & earum, quæ intra Monasterii septa degunt. *Ibid.* §. 6.

130 Regulares non possunt sæcularium confessiones excipere *sine licentia, gratia & beneplacito Episcopi*, quæ verba sunt Extrav. Bonifacii VIII. in cap. *Super cathedram de Sepulturis*, quod & confirmavit Trident. *sess.* 23. *c.* 15. *de Reform.* Sed & fas est Episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quin & ex parte revocare; contrariamque opinionem Alexander VII. die 20. Januarii 1659. damnavit. *Ibid. lib.* 7. *cap.* 42. §. 7.

131 Possunt tamen Regulares ab Episcopo approbati acciri ad domus sæcularium ægrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a Parochis ægrotantium licentia, sed de audita ægrotantium illorum confessione debent relinquere syngrapham, qua Parochus certioretur. *Ibid.* §. 8.

132 Regularibus Prælatis non licet Monasteria Monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat, ut sæpius ingrediantur, non possunt nisi cum præsentia Episcopi Diœcesani, aut alterius Ecclesiastici, ab ipso deputati. Ita ex Const. Alexandri VII. incip. *Felici*. Ibid. *lib.* 7. *cap.* 41.

Regulares subduntur coercitioni Episcopi, si excipiant confessiones sæcularium sine prævia Episcopi approbatione, ut ex Constit. 10. Clementis X. Item non possunt inconsulto, & non approbante Episcopo audire confessiones Monialium sui Ordinis etiam exemptarum ex vi Bullæ 18. Gregorii XV. *Ibid.* 133

Regulares nova Monasteria, seu domus ne erigant, vetantur, absque Sedis Apostolicæ, & Episcopi facultate, quamvis Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* solius Episcopi facultatem exprimat. *Ibid. lib.* 9. *cap.* 1. §. 9. *nov. edit.* 134

Est tamen pro Monialibus in ditione Hispanici Regis Breve Urbani VIII. suspensivus ejusdem Constitutionis, sed non valet extra Hispaniam. Ibid. *lib.* 9. *cap.* 15. 135

Ad statum Regularem transire possunt Presbyteri Ecclesiæ, vel diœcesis servitio addicti, invito etiam Episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. Ita in Epistola ad Card. Quirinum incip. *Ex quo* Bull. *tom.* 2. *n.* 25. 136

Regulares extra monasterium degentes, & Clericos Regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, nisi habeant Judicem certum a S. Apostolica in partibus deputatum, coram Ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia, decernit laudatus Pontifex in Bulla incip. *Ad militantis* tom. 1. Bull. *num.* 48. §. 41. 137

Additiones ex aliena manu.

Agitur in hoc articulo de exemptione, quam vocant *primæ speciei*. At de ea, tum de exemptione *secundæ tertiæque speciei*, jam disseruimus *in additione ad verb. Abbas*. 138

Non incongrue vero hic inquiritur, an hæc *primæ speciei* exemptio acquiri a Regularibus possit *communicatione Privilegiorum*? Non conveniunt Doctores. At prævaluit *affirmativa* opinio, quam inter alios tenent Navar. *oper. tom.* 2. *commentar.* 2. *de Regular. n.* 63. Barbus. *de Offic. & Potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 105. *n.* 3. Card. de Luca *de jurisd. discurs.* 28. *n.* 4. Chokier *de Jurisd. in Exempt. part.* 1. *quæst.* 17. *n.* 9. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 15. *quæst.* 2. *num.* 3. Roderic. *Quæst. Regular. quæst.* 36. *art.* 3. Cassaing. *de Privileg. Regular. tract.* 1. *cap.* 3. *proposit.* 5. *Clement. Concord. Pastoral. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 58. 139

De casibus, quibus Regulares tametsi exempti subjiciuntur delegatæ Episcopi jurisdictioni, tractat hic *Auctor*. At consule etiam de iis, ubi res postulat, Fagnan. *in cap. Grave a num.* 37. *ad fin. de Offic. Ordinar.* Chokier. *de Jurisd. ordinar. in Exempt. part.* 2. *q.* 45. Natalem Alexandr. *in Append.* 1. *ad tom.* 1. *Theolog. Dogmat. Moral.* S. M. Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 9. *c.* 15. *n.* 4. *& plur. seq.* tum & maxime Rousseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Canonica, verb. Exemptio sect.* 5. *per tot.* qui *& sect.* 6. agit de casibus, quibus Capitula exempta subjiciuntur delegatæ pariter Episcopi jurisdictioni. 140

Non sunt inter se concordes Doctores, an Regulares exempti teneantur Episcopo præstare reverentiam. Distinguunt nonnulli inter exemptos il- 141

 los,

los, quibus ipsi Episcopi, juxta facultates quas olim habebant, exemptionem a sua jurisdictione concesserunt, & exemptos ex privilegiis S. Sedis ab eadem Episcoporum jurisdictione. Quoad exemptos primi generis, nemine dissentiente, admittunt teneri eos præstare reverentiam Episcopis, perinde ac Liberti præstare reverentiam tenentur Patronis, a quibus manumissi sunt. At quoad exemptos secundi generis, sunt qui negant teneri ipsos præstare reverentiam Episcopis; Felin. *in cap. Quum inter. n. 3. & 4. de re judicat. & in c. Conquerente fere per tot. de Offic. Ordin.* Tondunt. *Quæst. Benefic. cap. 60. n. final.* Roderic. *Quæst. Regular. tom. q. 63. art. 9.* Fusc. *de Visit. Eccles. lib. 2. c. 10. n. 11.* Paris. *de Resignat. Benef. lib. 3. c. 11. fere per tot.* Barbos. *de Offic. & Potest. Episcop. part. 3. alleg. 105. n. 65.* Cirin. *in Nex. Rer. Jurisd. c. 6. n. 293. Rot. cor. Puteo dec. 114. per tot. cor. Seraphin. dec. 125. num. 19.*

142 Cæterum non recedendum ab opinione, quam Doctores *ab Auctore num.* 84. allegati præsidio Constitutionis Leonis X. incipientis: *Intra*, tenent, scilicet teneri quoscumque exemptos reverentiam Episcopo præstare. Et jure meritoque, quum nil convenientius sit, quam quod & exempti a jurisdictione Episcopi, eidem Episcopo reverentiam præstent ratione dignitatis. Confer Tamburin. *de Jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 45.* Borell. *in Addit. ad Bellug. in Specul. Princip. Rubric. II. §. Videndum litt. F.* Campanil. *in divers. Jur. part. 2. q. 12. n. 13. Rot. in recent. dec. 111. num. 16. p. 5. tom. 1.*

143 Posita vero hac opinione, non incongrua est quæstio illa: An Regulares exempti transeundo ante thronum Episcopi teneantur eidem genuflectere, seu potius, caput, & humeros inclinare?

144 Non improbabile videtur, quod teneantur non ad genuflexionem, sed potius ad inclinationem capitis & humerorum; idque quia obligati ad reverentiam teneri nequeunt ad genuflexionem, utpote quæ adorationis species potius est, quam reverentiæ, ut post *D. Ambrosium lib. 6. Hexaemer. cap. 9.* tradunt Alcuin. *c. De Parascev.* Honor. *in Gemma lib. 1. c. 117.* Raban. *ibid. de Instit. Clerical. c. 41.* optime Gavant. *in Thesaur. Sacror. Rituum part. 1. tit. 17.* Pasqualig. *de Sacrific. Miss. quæst. 225. num. 5.*

145 Quo fit, ut quoties in *Rubricis Missalis, ac Cæremonialis* mentio occurrit reverentiæ, non genuflexio, sed capitis, & humerorum inclinatio intelligatur, ut post *Petrum de Ruiz*, & alios firmat Piscar. *in Prax. Cærem. lib. 1. sect. 7. c. 4. n. 2. & lib. 2. sect. 1. c. 4. per tot.* optime *c. 5. n. 7.*

146 Nec obstat *Cæremoniale Episcoporum lib. 2. c. 18.* in quo habetur: *Beneficiati autem, & cæteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante Altare, quam ante Episcopum*. Impugnari enim nequit, quod ubi Cæremoniale expressim præscribit genuflexionem, ea omitti nequeat. At negatur, quod loco citato sub verbis illis: *Et cæteri de Clero* intellexerit de Regularibus. Quidquid enim sit, an in hac materia præjudiciali nomine *Cleri* veniant *Regulares* ex duabus solidis animadversionibus patet mox dictis verbis: *Et cæteri de Clero*, non venire Regulares.

Prior inde scatet, quod *Cæremoniale* tunc, quum comprehendere intendit Regulares, haud utitur verbo generali *Clericorum*, sed semper expresse meminit de ipsis Regularibus. Vide *lib. 1. c. 2. lib. 2. cap. 33. & cap. 38.* Si igitur *Cæremoniale* in loco, de quo disseritur, expresse haud meminit de Regularibus, tutissime affirmari potest, minime eos comprehendisse, argumento ducto a *discretiva*, quæ æque in legibus, ac in aliis dispositionibus interpretandis locum sibi vindicat. 147

Altera animadversio promanat ex ipsa materia, de qua eo loci tractat *Cæremoniale*, comprehensioni Regularium aperte resistente. Tractat enim inibi *Cæromoniale* de divinis officiis, in quibus Canonici, Beneficiarii, aliique de Clero sæculari, non item Regulares interveniunt. Qua de re certissima res videtur, quod *Cæremoniale* minime comprehendere intellexerit Regulares sub verbis illis: *Et cæteri de Clero*, quum nulla melior detur interpretatio verborum, vel obscurorum, vel ambiguorum Legis, quam ea, quæ desumitur ex *subjecta materia*. 148

Non ignoro tamen, in contrariam ivisse sententiam Sacram Congregationem Particularem in *Cajacen.* Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium negotiis præpositam in *Suessana*, tum recentius Sacram Rituum Congregationem *in Monopolitana*. At in causis *Cajacensi, & Suessana* observantia militabat contra Regulares. Et in causa *Monopolitan.* Regulares sua jura non deduxerunt. Accedit, quod obtinuerunt novam audientiam: Causa vero nondum fuit proposita. 149

REGULARIS DELINQUENS, & QUOAD IMMUNITATEM.

Quoad Regulares delinquentes extra, vel intra Claustra. Vide *art. anteced. a numer. 35. ad 39.* 1

Quoad bona Regularium decedentium extra Claustra. Vide verb. *Ejicere, Ejecti a Religione a n. 70. ad 73.* 2

Sacerdos Regularis professus potest retineri in carceribus Religionis ad simplicem tantum correctionem, dummodo Extractio ab Ecclesia sit facta auctoritate, & licentia expressa Archiepiscopi. *Sacr. Congregat. Immunitat. in Mediolanen. 6. April. 1644. lib. 3. Decretor. Paul. pag. 224.* 3

Ob extractionem Regularis rei Epistolæ infamatoriæ ab Ecclesia Conventus, in quo moratur, factam de ordine Provincialis ad correctionem, & ob id ad Domum disciplinæ, non ad carceres formales translati, Provincialis, & Fratres Executores non incurrunt Excommunicationem *Sacr. Congr. Immun. in Æsina 19. April. 1701. lib. 3. Decret. Vallem. p. 347.* Vide tamen verb. *Immunitas art. 2. num. 136.* 4

Regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in Bulla Gregorii XIV. gaudere debet Immunitate Eccles. *Sac. Congr. Immun. in Fulginaten. 9. Mart. 1631. lib. 1. Decret. Paul. pag. 116.* 5

Mandate Sanctissimo datur facultas Superioribus Reli- 6

Religionis Theatinorum conficiendi processum contra suum Religiosum carceratum in loco immuni usque ad sententiam exclusive. *Sac. Congreg. Immun. die* 21. *Aug.* 1706. *lib. Marefuschi*.

7 Regularis Sacerdos de ordine Prioris Conventus, & Commissarii causæ criminalis extractus ab Ecclesia Conventus, ad quam confugerat e carceribus ipsius Conventus, restituendus est, & injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui. *Sacr. Congr. Immun. in Neapolitana* 11. *Octobr.* 1662. *lib. Decret. Grimaldi pag.* 209.

8 Ex gratia Sanctissimi, Regularis ad Triremes juxta condemnationem transmittitur, attenta atrocitate delictorum, & instantia Religionis. *Sacra Congreg. Immun. in Neapolitana* 7. *Aug.* 1640. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 126.

9 Regularis committens homicidium de nocte in personam sui Superioris una cum tribus Laicis, & aliis circumstantiis enormibus tradendus est Curiæ Sæculari, si non est in Sacris Ordinibus constitutus; secus vero si sit in Sacris constitutus. *Sac. Congreg. Immun. in una Siciliæ* 27. *Apr.* 1632. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 125.

10 Regularis propinans venenum suo Guardiano condemnatur ad pœnam Triremium. *Sacr. Congreg. Imm. in una N.* 26. *Sept.* 1631. *lib.* 4. *Decr. Paul. pag.* 161.

11 Regularis conversus, qui in actu Apostasiæ furatus fuit Scuta mille ab Ærario Conventus, & minatur suo Superiori, ac ceteris Religiosis, nec non scandalose cohabitat cum concubina, de Ordine Sanctissimi extrahitur, & consignatur suo Superiori ad hoc, ut eum retineat in carceribus ad correctionem usque ad novos ordines Sac. Congreg. *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Ariminen.* 2. *Jul.* 1636. *lib.* 1. *Decr. Altoviti pag.* 1262.

12 Ex gratia speciali Sanctissimi permittitur, ut Regularis prætensus reus criminis læsæ Majestatis carceratus a Regiis, retineatur in carceribus Laicis, & non restituatur, sicuti oportet; Et ad preces Proregis, S. Cong. particularis desuper congregata injungit D. Nuncio, ut prævia absolutione carcerantium, deputet Ecclesiasticum ad procedendum in hac causa usque ad sententiam exclusive, cum facultate utendi opera, & assistentia Laicorum in confectione processus, qui tamen non se intromittant in actibus Judicialibus. *Sac. Cong. Imm. in Neapolitana* 29. *Apr.* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.* 1381.

13 Similis gratia conceditur pro eodem delicto contra alium Regularem. *Sacr. Cong. Immun. in Mediolan.* 26. *Apr.* 1679. *ibi pag.* 1752. & 17. *Jul.* 1677. *ibi pag.* 1419.

14 Regularis excommunicatus, & irregularis scandalose quotidie celebrans Sacrum, extrahitur ad formam Bullæ, & consignatur suo Superiori ad correctionem tantum. *Sacr. Congregat. Immun. in Urbinaten.* 10. *Aug.* 1680. *lib.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 2020.

15 Sacra Congregatio censuit, Clericos Minores Provinciæ Hispaniarum, qui occasione Capituli Provincialis celebrati in Oppido Matriti (in quo Nuncius præsidebat) recursum habuerunt ad Tribunal sæculare, incidisse in Excommunicationem contentam in can. 13. Bullæ Cœnæ, & indigere absolutione, & quatenus postea celebraverint, etiam dispensatione ab Irregularitate; Nihilominus Sacra Congregatio, prævia eorum suspensione a voce activa, & passiva censuit posse (quatenus humiliter petatur) ex Clementia Sanctissimi per litteras in forma Brevis concedi Eminentiss. Urbis Vicario facultatem absolvendi, & respective dispensandi accessos ad Urbem, & similem facultatem per litteras Sacr. Congreg. concedi Nuncio Hispaniarum cum facultate subdelegandi. *Sacra Congregat. Immun. in Toletana* 16. *Jan.* 1681. *ibi p.* 2136.

PP. Clerici Minores, qui accesserunt ad Urbem 16
ob recursum præfatum, reintegrantur in voce activa, & passiva. *S. Congreg. Immun. in Toletana* 28. *Maii* 1681. *lib.* 1. *Decr. Altov. p.* 2177.

Provincialis Ordinis S. Augustini, qui in exe- 17
cutionem ordinis Potestatis Laicæ privavit quemdam Priorem Prioratu sui Conventus, ac relegavit extra Regnum, eo quia dictus Prior habuit recursum ad Curiam Ecclesiasticam contra Laicos Debitores Canonum, de mandato Sanctissimi præcipitur Generali Ordinis, ut statim debeat privari Officio Provincialatus, voce activa, & passiva, inhabilitari in perpetuum ad Officia, & Dignitates, & sub rigorosis pœnis fiat præceptum, ut accedat ad Urbem: Ordo præfatus d. Provincialis deleatur de Libro Ordinum Superiorum, ac si non esset factus, & ne unquam præjudicet dicto Priori, & Pater Generalis injungat omnibus Superioribus Provinciæ, ut amplius non agnoscant Provincialem. *Sacr. Congreg. Immun. in Romana* 10. *Februar.* 1696. *lib.* 4. *Litterarum Vallem. p.* 31.

Et cum præfatus Provincialis accessisset ad Ur- 18
bem, data fuit facultas Vicesgerenti eum absolvendi a censuris in aula interiori Conventus S. Aug. in præsentia suorum Religiosorum tantum. *Sacr. Cong. Immun. in Romana* 14. *Mart.* 1686. *lib.* 3. *Litterarum Vallem. pag.* 38.

Regulares Theologi, qui consilium dederunt 19
Proregi posse cognoscere causam Regularis; Unde de ordine ejusdem Proregis postea jugulatus fuit, inciderunt in Excommunicationem, & Irregularitatem; Attamen, annuente Sanctissimo conceditur Nuncio Hispaniarum, ut eos absolvat, si petierint, prævia privatione vocis activæ, & passivæ. *Sacr. Congreg. Immun. in Valent.* 17. *Jul.* 1671. *lib.* 2. *Decret. Altov. n.* 2229.

Superior Regularis una cum suis Fratribus re- 20
currens ad Tribunalia Laica contra resolutum in S. Congreg. vocatur ad Urbem. *S. Congreg. Immun. in Cotronen.* 19. *Dec.* 1673. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 878.

Regulares adeuntes Tribunalia Laica acriter pu- 21
niuntur, & prævia renunciatione desistant a prosecutione causæ cor. Laicis. *Sac. Congreg. Immunit. in Nuscana* 26. *Apr.* 1634. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 189.

Superior Regularis qui ex licentia sui Provin- 22
cialis permisit fieri recognitionem corporis delicti in Conventu per Notarium Laicum, incidit in Excommunicationem, & contra ipsum Episcopus bene processit. *Sacra Congregat. Immun. in Feretra-*

trana 22. *Septembr.* 1671. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 662.

23 Contra præfatum Superiorem denegantem Episcopo recognitionem corporis delicti, & ipsam concedentem Judici Laico Episcopus conficiat processum. *Sac. Congreg. Immun. in Feretrana* 7. *Julii* 1671. *ibi pag.* 571.

24 Contra Superiorem Chartusianum, & alios, qui extraxerunt ab Ecclesia Matrice Fratrem Conversum, Vicarius Apostolicus procedat prout de Jure. *Sacr. Congregat. Immun. in Capren.* 9. *Septembris* 1679. *Decret. Altov. pag.* 473. Iidem tamen absolvuntur ad cautelam, reintegrata Ecclesia, & privatim. *In eadem* 3. *Febr.* 1671. *ibi pag.* 618.

25 Regularis extrahens dolose reum criminis nefandi, & bestialitatis, & dicendo: veni, & noli timere, & deinde consignans Curiæ Laicæ incidit in Excommunicationem. *Sacr. Congreg. Immun. in Nullius Orbetelli* 26. *Jan.* 1689. *lib. Decret. Martelli pag.* 412.

26 Superior Regularis, & ejus Religiosi, qui stipulaverunt transactionem, & alios contractus de solvendis oneribus Laicis pro bonis acquisitis ab eorum Conventu, accedant ad Urbem. *Sac. Congreg. Immun. in Taurinen.* 14. *Januar.* 1698. *libr.* 2. *Decretor. Valleman. pag.* 133.

27 Episcopus potest præcipere, & procedere contra Regulares ex delegatione particulari habita vi Litterarum electionis a Sacr. Congr. *Sac. Congreg. Immun. in Ortonen.* 25. *Apr.* 1633. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 189.

28 Aliquando datur Episcopo facultas procedendi contra Regulares in causa violatæ Immunitatis Eccles. *Sacr. Congreg. Immun. in Senen.* 4. *Aug.* 1639. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 81.

29 Superior Regularis recusans extractum remitti in Ecclesia, de ordine S. Congr. graviter corripitur a Procuratore Generali Ordinis. *Sacr. Congr. Immun. in Aquen.* 3. *Mart.* 1654. *lib.* 5. *Decret. Paul. p.* 33.

30 Regulares, qui restiterunt ad recipiendas personas discolas in eorum conventu, non debent ex hoc capite molestari. *Sac. Congreg. Immun. in Florentina* 31. *Aug.* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 1446.

31 Injungitur Episcopo, ut procedat contra Regulares, qui restiterunt, & impedierunt perquisitionem faciendam ex facultate Sacræ Congreg. in eorum Conventu, & procedat etiam quoad contrabandum receptum in Conventu. *Sacr. Congreg. Immun. in Eugubina* 17. *Sept.* 1680. *pag.* 2049.

32 Archiepiscopus procedat contra Regularem, qui dolosis verbis exire fecit confugitum a loco immuni, ut incideret in manus Curiæ. *Sacr. Congregat. Immun. in Bononien.* 23. *Jan.* 1680. *ibi pag.* 1913.

33 Datur facultas, annuente Sanctissimo, Eminent. Legato procedendi, etiam per alium (modo sit Clericus) contra Regularem indicatum ut mandantem homicidium. *Sac. Congreg. Immun. in Ravenn.* 20. *Febr.* 1680. *ibi pag.* 1915.

34 Regularis extractus a Conventu per Cancellarium Episcopi ob rixam secutam inter ipsos, Episcopus restituat. *Sac. Congreg. Immun. in Fanen.* 30. *Maii* 1679. *ibi pag.* 1767.

Regularis in rixa, & ad propriam defensam occidens Regularem ejusdem Ordinis, extractus ab Ecclesia aliorum Regularium gaudet Immunitate. *Sacra Congregat. Immun. in Melphien.* 19. *Februar.* 1669. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 319. 35

Datur facultas extrahendi Regularem a quocumque loco immuni, & consignandi suis Superioribus, præstita per ipsos obligatione de non puniendo ob inobedientias, & delicta commissa, seu prævia obligatione de non irroganda ulla pœna. *Sacr. Congregat. Immun. in Neapolitana* 19. *Februarii* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 559. *in Tiburtina* 30. *Jul.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Valleman. pag.* 34. 36

Suspenditur ab Officio, & exercitio Ordinum Provincialis, qui, invocato auxilio brachii sæcularis, exequitur Regis mandatum relegationis contra aliquos suos Religiosos, & declaratur incurrisse in Can. 10. Bullæ Cœnæ Domini, eo quod egit quodammodo partem executoris mandati Regii, & causa non cognita, se gessit, ut privatus, non ut Judex, *Sac. Cong. Immun. in Ulyssiponen.* 31. *Jul. seu* 1. *Aug.* 1691. *lib. Decretor. Martelli pag.* 752. 37

Prior Conventus S. Aug. eo quia permiserat Judici, & Cancellario Curiæ Laicæ facere examen in d. Conventu, Censuras incurrit, a quibus datur facultas Vicario Generali absolvendi in forma Ecclesiæ consueta, & interim suspenditur ab Officio ad arbitrium Sacr. Congreg. *Sac. Congreg. Immun. in Pisauren.* 26. *Mart.* 1658. *lib. Decr. Rocci p.* 80. 38

Provincialis Fratrum S. Joannis Dei, qui extrahi fecerat a Domo Ecclesiæ Parochialis Religiosum Sacerdotem sui Ordinis, attenta reintegratione Ecclesiæ, & prævia obligatione de se abstinendo a similibus, absolvitur privatim ab Episcopo. *Sacra Congregat. Immun. in Mediolanen.* 16. *Maii* 1693. *lib.* 3. *Decret. Vallemani pag.* 491. 39

Regulares prævia restitutione, vel Deposito Ducatorum trigintasex pecuniæ expensæ a Canonico in refectione muri ab ipsis destructi, & obligatione de stando Iuri, & parendo mandatis Ecclesiæ quoad alias prætensiones d. Canonici, absolvuntur ab Episcopo. *Sacra Congregat. Immun. in Baren.* 4. *Jul.* 1696. *lib. Decret. Vallemani pag.* 197. 40

Religiosus excommunicatus ab Archiepiscopo Baren. cum personaliter ad Urbem accessisset, absolvitur private cum reincidentia a D. Vicesgerente ex commissione Sacr. Congreg. *Sacra Congregat. Immun. in eadem* 30. *Mart. d. Anni*, *& lib. pag.* 18. 41

Quoad Religiosum extractum a Vicario Capituli, eo quod consilium, & auxilium præstitisset Mulieri secum adulteræ venenum propinandi Marito, Sacra Congregatio decrevit, quod prævia cassatione, & circumscriptione omnium actorum Judicialium, Episcopus Mantuanus procedat nomine Sac. Congregat. contra quos de Jure pro actibus læsivis Immunitatis, & Jurisdictionis Eccles. 42

clès. in reliquis ad Sacram Congregationem Episcoporum. *Sacr. Congregat. Immunit. in Brixien. seu Mantuana* 31. *Augusti* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 310.

43 In causa Palatini Vilnen. Regulares ab Episcopo innodantur Interdicto, & censuris non solum ob contumaciam erga d. Episcopum, sed etiam erga mandata Sanctissimi. *S. Congreg. Immun. in Vilnens.* 16. *Novembr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Valleman. pag.* 158. *& in Regesto Litterarum sub. die* 27. *d. Mensis*.

44 Insuper auctoritate Apostolica Superiores Regulares Vilnenses contumaces per D. Nuncium, vel Generales Ordinum, privantur Officiis, declarantur inhabiles ad alia imposterum obtinenda, & privantur voce activa, & passiva, nisi intra brevem terminum paruerint. *Sacra Cong. Immun. ibid.*

45 Datur facultas Episcopo absolvendi Regulares pro suo arbitrio, eo quod adimpleverunt imposita pro emendatione transcursuum, imposita pœnitentia publica; Dicti Regulares declarati fuere excommunicati a Curia Episcopali ob contumaciam erga Ordines ejusdem Curiæ, concernentes defensionem Immunitatis, & Libertatis Eccles. *Sacra Congr. Immunit. in Vilnen.* 25. *Mart.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 211.

46 Regulares vocati ad Urbem ex causa violatæ Immunitatis suspendantur per Superiores Ordinis ab omnibus Officiis, & priventur voce activa, & passiva, donec pareant. *Sacra Congregat. Immun. in Taur.* 8. *Jul.* 1698. *ibi pag.* 192.

47 Super homicidio Patris N. commisso Tarenti injungitur D. Nuncio, ut transmittat processum, & omnes alios actus contra Patrem N. confectos, & construat alium contra eumdem super mala qualitate, & pariter transmittat. *Sacra Congregat. Immunit. in Neapolitana* 9. *Februar.* 1700. *d. lib. pag.* 271.

48 Et cum indicia præfati homicidii P. N. essent contra d. P. N. tum ob commaculatas sanguine vestes, tum ob fugam e Monasterio ad Ecclesiam Jesuitarum, tum denique ob assuetudinem ad delicta, annuente Sanctissimo, asportatur ad ergastulum loco custodiæ. *Sac. Congr. Immun. in eadem* 8. *Jun. d. Anni, & lib. pag.* 293.

49 Sanctissimus, intercedente Em. Protectore Congregationis Cassinensis, benigne annuit, ut tribus Monachis suspensis ab exercitio Ordinum, & privatis eorum Officiis, & Dignitatibus ob inobservantiam Interdicti appositi civitati Mediolanen. pro qua justificarunt, non intercessisse dolum, ex nunc removeatur suspensio a Divinis, & tempore celebrationis proximi Capituli, iidem rehabilitentur ad vocem activam, & passivam, & ad alia Officia, & Dignitates Congregationis; ita tamen ut D. Julius in d. Capitulo eligi non possit Generalis, neque per quinquennium Abbas in Monasteriis Civit. Mediolanen. & D. Benedictus pariter per quinquennium nequeat obtinere munia, & Officia publica in dict. Monasteriis. *Sacr. Congreg. Immun. in Mediolanen.* 7. *Januarii* 1633. *in Ponentiis Archivii Vaticani*.

50 Episcopus debet tueri Regulares contra Violatores Immunitatis, & Libertatis Ecclesiasticæ. *Sacr. Congr. Immun. in Aquen.* 5. *Febr.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. p.* 170. *in Cremonen.* 11. *Jan. pag.* 166. *Item* 11. *Junii* 1695. *pag.* 194. *&* 20. *Aug. p.* 210. *in Casalen.* 25. *Sept.* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vall. pag.* 315. *in Nullius Guastallæ* 17. *Febr.* 1693. *in Regien.* 17. *Martii* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vallem. p.* 142.

Insuper Episcopus Cremonen. ex commissione Sacræ Congreg. procedit etiam ad Interdictum Locale contra Communitatem Laicalem prætendentem exigere collectas a Regularibus. *Sac. Congreg. Immun. in Cremonen.* 19. *Julii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 202. 51

Episcopus non potest concedere facultatem examinandi Regulares. *Sacra Congregat. Immunit. in Hyeracen.* 3. *Aprilis* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 121. 52

Nec cogere F. F. Capuccinos ad faciendam recognitionem personæ delinquentis. *Sacr. Congr. Immunit. in Neritonen.* 13. *Augusti* 1629. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 1. 53

Verum ex commissione Sacræ Congreg. potest examinare Regulares. *Sac. Congr. Immun. in Feretrana* 12. *Julii* 1689. *lib. Decret. Martelli pag.* 492. *in Fanen.* 30. *Jul. seu* 1. *Augusti* 1691. *d. lib. pag.* 747. 54

Jussu Sanctissimi præcipitur, ut Regularis, qui ab Episcopo juxta facultates Sacræ Cungreg. extractus fuerat a loco immuni ob vitam dissolutam cum meretricibus, & ob alia scandala, consignetur libere Superioribus Religionis cum facultate illum retinendi in carceribus eorum arbitrio per tres menses ad correctionem. *Sacra Congreg. Immun. in Nolana* 5. *Aprilis* 1661. *lib. Decret. Rocci pag.* 329. 55

Immo Archiepiscopus Mediolanen. etiam auctoritate Sacræ Congreg. procedit contra Abbatem, & Religiosos, & alios ob recursus ad Forum Laicale contra Collegiales Collegii Borromæi. *Sacra Congreg. Immun. in Papien.* 7. *Septembris* 1668. *lib. Decr. Martelli pag.* 344. 56

Injungitur Episcopo, ut reintegret Guardianum ad Confessiones, & ad alia, in quibus illum suspendit ob gesta contra Episcopum in defensam Immunitatis, & Libertatis Ecclesiasticæ. *Sacra Cong. Immun. in Collen.* 13. *Julii* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 83. 57

Episcopus non incurrit in Excommunicationem per hoc, quod fecerit carcerare Regularem prætensum Reum copulæ carnalis in proprio Conventu subjecto Jurisdictioni ejusdem Episcopi, uti comprehenso in Decreto *Ut in parvis* S. M. Innocentii X. & ducere ad carceres Episcopales. *Sacra Congregat. Immun. in una Montis Alti* 19. *Aprilis* 1701. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 347. 58

Religiosus Apostata sola Episcopi auctoritate extractus e Conventu restituatur eidem conventui, deinde extrahatur ad formam Bullæ, & retineatur in suis carceribus ad correctionem nomine Sacræ Congreg. *Sacr. Congreg. Immun. in Brundusina* 24. *Augusti* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 141. 59

Idem gaudet immunitate, sed retineatur ad dispositionem Sacræ Congreg. Episcop. & Regul. apud quam fiat recursus. *Sacr. Congr. Immun. in eadem* 1. *Martii* 1695. *d. l. pag.* 174. 60

In

61 In causa Fratris N. Ordinis Prædicatorum injungitur Episcopo, ut illum consignet suis Superioribus, quibus injungat, ut caritative tractent ad correctionem tantum, & non ad punitionem, & invigilet, ut ita exequantur. *Sacra Congregat. Immun. in Regien.* 12. *Julii* 1689. *lib. Decr. Martelli pag.* 494.

62 In causa homicidii, de quo indicia sunt contra Religiosum, qui etiam in Conventum transtulit diversas res occisi ereptas, Sanctissimus tribuit Episcopo Narnien. facultatem procedendi ad carcerationem d. Religiosi etiam in quocumque loco immuni, cum facultate perquirendi res ablatas in locis immunibus. *Sacra Congregatio Immunit. in Narnien.* 2. *Decembr.* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 91.

63 Deinde Sanctissimus præcepit eidem Episcopo, ut consignet Curiæ Laicali Reos, & acta, resque extractas a locis immunibus, atque præfatum Religiosum carceratum. *Sacra Congregat. Immunitat. in eadem* 6. *&* 9. *Decembris d. Anni*, *& lib. pag.* 92.

64 In causa Palatini Vilnen. Episcopus subdit Interdicto, & Censuris quosdam Regulares ob contumaciam, non solum erga Episcopum, sed etiam erga mandata Sanctissimi. *Sacr. Congreg. Immun. in Vilnen.* 16. *Nov.* 1694. *d. lib. pag.* 158. *At in Regesto Litter.* legitur *die* 27. *Nov. in eodem* 2. *Julii* 1695. *d. lib. p.* 199.

65 In causa homicidii P. Guardiani N. datur Episcopo facultas extrahendi e locis immunibus Reos ejusdem delicti ad requisitionem Commissarii Laicalis, cum debita tamen decentia, & interventu personæ Eccles. *Sacra Congregat. Immunit. in Savonen.* 8. *Januarii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Valleman. pag.* 165.

66 Religiosus invite directus a suis Superioribus ad alium Conventum, ob idque confugiens ad Ecclesiam, jussu Sacræ Congreg. extrahitur per Episcopum, servata forma, & consignatur suis Superioribus, cum cautione, ne illum puniant ob dictum confugium. *Sacr. Congreg. Immun. in Aversana* 26. *Januar.* 1695. *d. lib. pag.* 169.

67 Deinde habita informatione Episcopi super extractione Religiosi ab Ecclesia, qui subinde consignatus suis Superioribus, ab iis conjectus fuit in carcerem, injungitur Episcopo, ut faciat illum restitui Ecclesiæ. *Sacra Congreg. Immun. in Neapolitana* 19. *Aprilis d. Anni*, *& lib. p.* 184.

68 Episcopus mandet restitui belluam executam a Ministro Laicali, quæ inserviebat Monachis N. prævia obligatione ab iisdem facienda de stando Juri, & judicatum solvendo. *Sacr. Congreg. Immun. in Narnien.* 30. *Mart. d. Anni*, *& lib. pag.* 180.

69 Prævia restitutione, vel deposito summæ impensæ in reædificatione muri, & obligatione de stando Juri, & parendo Mandatis Sacræ Congregationis super aliis prætensionibus Canonicis, Episcopus absolvit nonnullos Religiosos. *Sacr. Congreg. Immun. in Baren.* 2. *Jul. d. Anni pag.* 197.

70 Nuncio Apostolico injungitur, ut assistat Abbati Generali Montis Virginis, ejusque consanguineis, ne vexentur a Ministris Regiis. *Sacra Congregat. Immunit. in Nullius Montis Virginis* 9. *Novembris* 1603. *lib.* 1. *Decret. Vallemani pag.* 85.

Item, ut tueatur Priorem, & Monachos Camaldulenses. *Sacra Congreg. Immun. in Beneventana* 6. *Mart.* 1694. *d. lib. pag.* 507. 71

In causa ejusdem Regularis extracti a loco immuni de mandato S. Congr. & conjecti in carceres Nunciaturæ Sac. Cong. Episcop. & Regul. mense Aug. 1683. dedit Nuncio facultatem procedendi usque ad sententiam exclusive, frustra prætendentibus Regularibus procedere contra supradictum in vim Privilegiorum suæ Religionis; postea Sacra Cong. Immunitatis decernit, ut retento in carceribus Reo procedat Tribunal Nunciaturæ ad impinguationem processuum, quatenus opus sit, deinde iis legitimatis, assignet defensiones, & transmittat. *Sacra Congreg. Immun. in Capuana seu Neapolitana* 12. *Jul.* 1689. *lib. Decret. Martelli pag.* 491. 72

Præterea quatenus idem Regularis pertinaciter respondere nolit sub prætextu, quod fuerit extractus ab Ecclesia, datur Nuncio facultas illum torquendi solum pro habenda responsione, non vero pro habenda Confessione delictorum. *Sacra Congreg. Immun. ibid.* 73

Deinde Sac. Congreg. sic decrevit cum Eminent. Protectore, ut detrudatur in carcerem formalem alicujus Monasterii suæ Religionis ad correctionem per triennium, & ultra, arbitrio ejusdem Eminent. *Sacra Congreg. Immun. in eadem* 16. *Jan.* 1691. *lib.* 1. *Decret. Martelli pag.* 717. 74

Et cum supplicaret sibi commutari carcerem Religionis in aliqua alia Religione, vel in carceribus quibuscumque Ecclesiasticis sub prætextu timoris contra propriam vitam, *Sacra Congreg. respondit*, *In decisis*, *& amplius non proponatur*. *In eadem* 31. *Jul. d. Anni & lib. pag.* 747. 75

Tandem ad preces ejus Matris decrepitæ, ejusdem ope indigentis, & habita attestatione Correligiosorum super illius emendatione, *Sacr. Congr. rescripsit*; *Pro gratia Eminent. Protectori*. *In ead.* 23. *Sept.* 1692. *lib. Decret. Grimald. pag.* 197. 76

Sacra Congr. præcipit Nuncio, ut quatenus non adsit alia causa, mandet excarcerari quosdam Religiosos detentos in carceribus Nunciaturæ ob recursum ad Judices Laicos contra N. Canonicum, & ob destructionem muri ad eumdem pertinentis. *Sacr. Congr. Immun. in Baren.* 9. *Febr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. pag.* 104. *& seq.* 77

Item, ut procedat contra Superiores Congregationis, non obstante illorum appellatione ad Sanctissimum pro liberatione N. Canonici Suæ Congregationis jussu suorum Superiorum carcerati per manus Laicorum in Cœmeterio Cathedralis. *S. Cong. Imm. in Vilnen.* 11. *Jan.* 1695. *d. lib. pag.* 167. 78

A Sanctissimo ex voto S. Congregationis denuo conceditur D. Nuncio facultas prorogandi Jurisdictionem usque ad sententiam inclusive Judicis Eccles. ab eodem Nuncio pro fabricando processu jam deputati ex speciali Sanctissimi facultate contra Regularem prætensum Reum criminis læsæ Majestatis, & veneficii, & cum Reus gauderet Immunitate, Sanctissimus pro hac vice derogavit Bullæ Greg. XIV. attentis circumstantiis facti, *S. Congr.* 79

Cong. Immun. in Neapolitana 7. *Sept.* 1734. *lib.* 2. *Decret. Pauluc. pag.* 199.

80 Nuncius de ordine Sacræ Congr. declarat Provincialem N. incurrisse in Excommunicationem Bullæ Cœnæ ob delictum contra Libertatem Ecclesiasticam. *S. Cong. Imm. in Ulissiponen.* 31. *Jul. seu* 1. *Aug.* 1691. *lib. Decret. Martelli pag.* 752.

81 Item Superiores Vilnen. contumaces privat Officiis, & declarat inhabiles ad alia in posterum obtinenda, & privat etiam voce activa, & passiva, nisi intra brevem terminum paruerint circa Censuras, & Interdicta. *S. Congr. Imm. in Vilnen.* 16. *Nov.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vall. pag.* 158.

82 Nuncio injungitur, ut mandet caritative tractari Religiosum ferris, & compedibus detentum in carceribus Nunciaturæ extractum ab Ecclesia ob homicidium commissum. *S. Congr. Imm. in Neapolit.* 22. *Nov.* 1704. *lib.* 3. *Decr. Vallem. pag.* 629.

83 Datur Nuncio facultas absolvendi Regulares a Censuris juxta Decretum in Toletana 16. Januarii 1681. *Sacr. Congr. Immun. in Ulyssiponen.* 16. *Nov.* 1688. *lib. Decr. Martelli pag.* 373. *& seq.*

84 Item datur facultas eosdem dispensandi ab Irregularitate, prævia tamen eorum supplicatione eidem Nuncio, & renunciatione recursibus habitis ad Tribunal Laicum facienda per actum publicum registrandum in actis Nunciaturæ. *Sac. Cong. Imm. ibid.*

85 Nuntio Hispano datur facultas absolvendi Abbatissam, aliasque personas excommunicatas ob complicitatem carcerationis Ministrorum Nunciaturæ. *Sacr. Congr. Immun. in Toletana* 19. *Februar.* 1704. *lib.* 3. *Decr. Vallem. p.* 599.

86 Eidem datur facultas absolvendi Clericos Regulares Ministros infirmorum Provinciæ Hispaniarum, ob recursum ad Potestatem Laicam, etiam privatim cum facultate subdelegandi, prævia tamen obligatione de se abstinendo a similibus. *Sac. Cong. Imm. in Toletana* 17. *Mart.* 1704. *d. lib. pag.* 565.

87 Alia ad rem; Vide verb. *Immunitas art.* 1. *a n.* 133. *ad* 137. & verb. *Regulares, art.* 1. *a nu.* 89. *ad* 110.

REGULÆ CANCELLARIÆ. Vide verb. *Beneficia art.* 9. *&* 10. *per tot.*

REGULÆ JURIS CANONICI.

In 5. Decretalium.

Capitulum primum.

Non potest brevius summari. Joann. Chrysostomus.

1. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

Capitulum secundum.

Dubia in meliorem partem interpretari debent. Beda in Homiliis.

2. Estote misericordes &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi æstimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; quod enim scriptum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos; De manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia, de quibus nobis permittitur judicare.

Capitulum tertium.

Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda. Idem.

3. Qui scandalizaverit &c. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

Capitulum quartum.

Propter necessitatem illicitum efficitur licitum. Idem.

4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in Sabbato pugnant, & sic hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

Capitulum quintum.

Illicite factum obligationem non inducit. Gregorius VII.

5. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

Capitulum sextum.

Tormenta, indiciis non præcedentibus, inferenda non sunt. Idem Variensi Episcopo.

6. Cum in contemplatione, *& infra*. In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum.

Capitulum septimum.

Sacrilegus est offendens rem, vel personam Ecclesiasticam. Stephanus Papa.

7. Quæ multoties; *& infra*: Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injuste agitur, pro Sacrilegio reputatur, quia Sacra sunt, & a quoquam violari non debent.

Capitulum octavum.

Qui facit aliter quam debet, facere non dicitur. Augustinus.

8. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debeat, facit, & ideo non facit.

Capitulum nonum.

Committens unum peccatum reus est omnium quoad vitam æternam. Idem lib. de pœnitent.

9. Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.

Capitulum decimum.

Ignorantia non excusat Prælatum in peccatis subditorum h. D. quoad mysticum, & moralem intellectum. Gregorius in Regesto.

10. Quamvis causæ: & infra: Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.

Capitulum undecimum.

Pro spiritualibus homagium non præstatur. Lucius III.

11. Indignum est, & a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

REGULÆ JURIS CANONICI

in 6. Decretalium.

Bonifacius Octavus.

1. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri. *Idem*.

2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. *Idem*.

3. Sine possessione præscriptio non procedit. *Idem*.

4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. *Idem*.

5. Peccati venia non datur nisi correcto, *Idem*.

6. Nemo potest ad impossibile obligari. *Idem*.

7. Privilegium personam sequitur: extinguitur cum persona. *Idem*.

8. Semel malus semper præsumitur malus. *Idem*.

9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *Idem*.

10. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. *Idem*.

11. Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius quam Actori. *Idem*.

12. In Judiciis non est acceptio personarum habenda. *Idem*.

13. Ignorantia facti, non juris excusat. *Idem*.

14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere. *Idem*.

15. Odia restringi, favores convenit ampliari. *Idem*.

16. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum. *Idem*.

17. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. *Idem*.

18. Non confirmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. *Idem*.

19. Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet. *Idem*.

20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. *Idem*.

21. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. *Idem*.

22. Non debet aliquis alterius odio prægravari. *Idem*.

23. Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. *Idem*.

24. Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. *Idem*.

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea, quæ fiunt a Judice, si ad ejus non spectant Officium, viribus non subsistunt, *Idem*.

27. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus. *Idem*.

28. Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *Idem*.

29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *Idem*.

30. In obscuris minimum est sequendum. *Idem*.

31. Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. *Idem*.

32. Non licet Actori, quod Reo licitum non existit. *Idem*.

33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *Idem*.

34. Generi per speciem derogatur. *Idem*.

35. Plus semper in se continet, quod est minus. *Idem*.

36. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere. *Idem*.

37. Utile non debet per inutile vitiari. *Idem*.

38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. *Idem*.

39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. *Idem*.

40. Pluralis locutio duorum numero est contenta. *Idem*.

41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum. *Idem*.

42. Accessorium naturam sequi congruit principalis. *Idem*.

43. Qui tacet, consentire videtur. *Idem*.

44. Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur. *Idem*.

45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. *Idem*.

46. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit. *Idem*.

47. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. *Idem*.

48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. *Idem*.

49. In pœnis benignior est interpretatio facienda. *Idem*.

50. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. *Idem*.

51. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. *Idem*.

52. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *Idem*.

53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. *Idem*.

54. Qui prior est tempore, prior est jure. *Idem*.

55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra. *Idem*.

56. In re communi potior est conditio possidentis. *Idem*.

57. Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda. *Idem*.

58. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. *Idem*.

59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem. *Idem*.

60. Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri. *Idem*.

61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, *Idem*.

62. Nul-

62. Nullus ex consilio (dummodo fraudulentum non fuerit) obligatur. *Idem*.

63. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri. *Idem*.

64. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Idem*.

65. In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. *Idem*.

66. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset. *Idem*.

67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. *Idem*.

68. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. *Idem*.

69. In malis promissis fidem non expedit observari. *Idem*.

70. In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri. *Idem*.

71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum magis admittendus. *Idem*.

72. Qui facit per alium, est perinde, ac faciat per se ipsum. *Idem*.

73. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, quo non potuit inchoari. *Idem*.

74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum. *Idem*.

75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. *Idem*.

76. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *Idem*.

77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. *Idem*.

78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. *Idem*.

79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. *Idem*.

80. In toto partem non est dubium contineri. *Idem*.

81. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. *Idem*.

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. *Idem*.

83. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur. *Idem*.

84. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *Idem*.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. *Idem*.

86. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare. *Idem*.

87. Infamibus portæ non pateant Dignitatum. *Idem*.

88. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem. *Idem*.

Data Romæ apud S. Petrum quinto nonas Martii Pontificatus nostri anno quarto.

Alia, vide in additionibus ad hunc art.

REGULÆ JURIS CIVILIS.

---

1. Paulus lib. 16. ad Plautium.

Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat ✠ Non ut ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est, regula fiat. ✠ Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est, quæ simul cum in aliquo vitiata est, perdit Officium suum.

2. Ulpianus lib. 1. ad Sabinum.

Feminæ ab omnibus Officiis Civilibus, vel publicis remotæ sunt, & ideo nec Judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere.

3. Idem lib. 3. ad Sabinum.

Ejus est non nolle, qui potest velle.

4. Idem lib. 6. ad Sabinum.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.

5. Paulus lib. 2. ad Sabinum.

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia, tutore auctore, agere potest.

6. Ulpianus lib. 7. ad Sabinum.

Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

7. Pomponius lib. 3. ad Sabinum.

Jus nostrum non patitur eumdem in paganis, & testato, & intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugna est (testatus, & intestatus).

8. Idem lib. 4. ad Sabinum.

Jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt.

9. Ulpianus lib. 15. ad Sabinum.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

10. Paulus lib. 3. ad Sabinum.

Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.

11. Pomponius lib. 5. ad Sabinum.

Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

12. Paulus lib. 3. ad Sabinum.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

13. Ulpianus lib. 10. ad Sabinum.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem (a petitione) removetur.

14. Pomponius lib. 5. ad Sabinum.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

15. Paulus lib. 4. ad Sabinum.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

16. Ulpianus lib. 21. ad Sabinum.

Imaginaria venditio non est pretio accedente.

17. Idem lib. 23. ad Sabinum.

Cum tempus in testamento adjicitur, credendum est pro herede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris; sicuti in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur.

18. Pomponius lib. 6. ad Sabinum.

Quæ legata, mortuis nobis, ad heredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus: aliter atque quod stipulati sumus: nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiamsi liberatis nobis potestate domini conditio existat.

Paulus.

Si filius familias sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in stipulationibus id tempus spectatur quo contrahimus.

19. Ulpianus lib. 24. ad Sabinum.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus, heredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatariis contrahit. §. 1. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

20. Pomponius lib. 7. ad Sabinum.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

21. Ulpianus lib. 27. ad Sabinum.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

22. Idem lib. 28. ad Sabinum.

In personam servilem nulla cadit obligatio. §. 1. Generaliter probandum est, ubicumque in bonæ fidei Judiciis confertur in arbitrium Domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

23. Idem lib. 29. ad Sabinum.

Contractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt, quidam & dolum, & culpam: dolum tantum, depositum, precarium: dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum: item Dotis datio, tutelæ, negotia gesta (in his quidem & diligentia requiritur): societas, & rerum communio, & dolum, & culpam recipit; sed hæc ita, nisi id quid nominatim convenit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit, excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est, & ita utimur. Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præstantur.

24. Paulus lib. 5. ad Sabinum.

Quatenus cujusque intersit, in facto, non in jure consistit.

25. Pomponius lib. 11. ad Sabinum.

Plus cautionis in re est, quam in persona.

26. Ulpianus lib. 20. ad Sabinum.

Qui potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus, & absentibus potest.

27. Pomponius lib. 16. ad Sabinum.

Neque ex Prætorio, nec ex solemni jure, privatorum conventione quicquam immutandum est; quamvis obligationum causæ pactione possint immutari & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

28. Ulpianus lib. 36. ad Sabinum.

Divus Pius rescripsit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

29. Paulus lib. 8. ad Sabinum.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

30. Ulpianus lib. 36. ad Sabinum.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

31. Idem lib. 42. ad Sabinum.

Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

32. Idem lib. 43. ad Sabinum.

Quod attinet ad jus Civile, servi pro nullis habentur; non tamen & jure naturali, quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.

33. Pomponius lib. 22. ad Sabinum.

In eo, quod vel is, qui petit, vel is, a quo petitur, lucri facturus est, durior causa est petitoris.

34. Ulpianus lib. 45. ad Sabinum.

Semper in stipulationibus, & in ceteris contractibus id sequimur, quod actum est: aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id quod minimum est, redigenda summa est.

35. Idem lib. 48. ad Sabinum.

Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est; ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

36. Pomponius lib. 27. ad Sabinum.

Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

37. Ulpianus lib. 51. ad Sabinum.

Nemo qui condemnare potest, absolvere non potest.

38. Pomponius lib. 29. ad Sabinum.

Sicuti pœna ex delicto defuncti heres teneri non debet: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset.

39. Idem lib. 32. ad Sabinum.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est, quominus fiat.

40. Idem lib. 34. ad Sabinum.

Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

41. Ulpianus lib. 26. ad Edictum.

Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur §. 1. In re obscura melius est fave-

favere repetitioni, quam adventitio lucro.

42. Cajus lib. 9. ad Edictum provinc.

Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque non minus, quam heredes, justam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de herede dicta sunt, si cum eo agatur: non etiam, si agat: nam plane qui agit certus esse debet, cum sit in potestate ejus, quando velit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

43. Ulpianus lib. 20. ad Edictum.

Nemo ex iis, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi Lex impediat. §.1. Quotiens concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum quis experiri debet.

44. Idem lib. 29. ad Edictum.

Totiens in heredem damus actionem de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur: non quotiens ex suo.

45. Idem lib. 30. ad Edictum.

Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest. §. 1. Privatorum conventio juri publico non derogat.

46. Cajus lib. 10. ad Edictum provinc.

Quod a quoquam pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

47. Ulpianus lib. 30. ad Edictum.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: ceterum si dolus, & calliditas intercessit, de dolo actio competit. §. 1. Socii mei Socius, meus socius non est.

48. Paulus lib. 35. ad Edictum.

Quidquid (in) calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse: ideoque brevi reversa uxor nec divertisse videtur.

49. Ulpianus lib. 35. ad Edictum.

Alterius circumventio alii non præbet actionem.

50. Paulus lib. 39. ad Edictum.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

51. Cajus lib. 15. ad Edictum provinc.

Non videtur quisquam id capere, quod ei necesse est aliis restituere.

52. Ulpianus lib. 44. ad Edictum.

Non defendere videtur, non tantum qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem.

53. Paulus lib. 42. ad Edictum.

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.

54. Ulpianus lib. 46. ad Edictum.

Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet.

55. Cajus lib. 2. de Testamentis ad Edictum Urbicum.

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

56. Idem lib. 3. de Legatis ad Edictum Urbicum.

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

57. Idem lib. 18. ad Edictum Provinciale.

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

58. Ulpianus lib. 2. Disputationum.

Ex pœnalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari.

59. Idem lib. 3. Disputationum.

Heredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.

60. Idem lib. 10. Disputationum.

Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur ✠ Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.

61. Idem lib. 3. Opinion.

Domum suam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

62. Julianus lib. 6. Digestorum.

Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

63. Idem lib. 17. Digestorum.

Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

64. Idem lib. 29. Digestorum.

Ea, quæ raro accidunt, non temere (in) agendis negotiis computantur.

65. Idem lib. 54. Digestorum.

Ea est natura cavillationis, quam Græci σόφισμα appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur.

66. Idem lib. 60. Digestorum.

Marcellus ait: desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

67. Idem lib. 87. Digestorum.

Quotiens idem sermo duas sententias exprimit: ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.

68. Paulus lib. sing. de Dotis repet.

In omnibus causis id observatur, ut, ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat; ubi vero genus actionis id desiderat, ibi ad quemvis persecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

69. Idem lib. sing. de adsign. libert.

Invito beneficium non datur.

70. Ulpianus lib. 1. de Officio Procons.

Nemo potest gladii potestatem sibi datam, vel cujusvis alterius coercitionis, ad alium transferre.

71. Idem lib. 2. de Officio Procons.

Omnia, quæcumque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

72. Javolenus lib. 3. ex poster. Lab.

Fructus rei est vel pignori dare licere.

73. Quintus Mucius Scævola lib. singul.

ὅρων

Quo tutela redit, eo hereditas pervenit, nisi cum feminæ heredes intercedunt. §. 1. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset. §. 2. Vi factum id videtur esse, quod quis, cum prohiberetur, fecit: clam, quod quisque, cum controversiam haberet, habiturumve

ve se putaret, fecit. §. 3. Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. §. 4. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

74. Papinianus lib. 1. Quæst.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

75. Idem lib. 3. Quæstionum.

Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

76. Idem lib. 24. Quæstionum.

In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, nonnisi vera, & certa scientia perfici possunt.

77. Idem lib. 28. Quæstionum.

Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem: nonnumquam tamen actus suprascripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehensa vitium adferunt: nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit: quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

78. Idem lib. 31. Quæstionum.

Generaliter cum de fraude disputatur, non quid habeat Actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est.

79. Idem lib. 32. Quæstionum.

Fraudis interpretatio semper in jure Civili, non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

80. Idem lib. 33. Quæstionum.

In toto jure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

81. Idem lib. 3. Responsorum.

Quæ dubitationis tollendæ causæ contractibus inseruntur, jus commune non lædunt.

82. Idem lib. 9. Responsorum.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

83. Idem lib. 2. Definitionum.

Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

84. Paulus lib. 3. Quæstionum.

Cum amplius solutum est, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione. §. 1. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus.

85. Idem lib. 6. Quæstionum.

In ambiguis pro Dotibus respondere melius est. §. 1. Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. §. 2. Quotiens æquitatem desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est.

86. Idem lib. 7. Quæstionum.

Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quam si non essent: sed plerumque melior.

87. Idem lib. 13. Quæstionum.

Nemo enim in persequendo, deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam heredi quoque prospicitur, & heres tenetur ex omnibus causis.

88. Scævola lib. 5. Quæstionum.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

89. Paulus lib. 10. Quæstionum.

Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus heres non admittitur.

90. Idem lib. 15. Quæstionum.

In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est.

91. Idem lib. 17. Quæstionum.

Quotiens duplici jure defertur alicui successio: repudiato novo jure, quod ante defertur, supererit vetus.

92. Scævola lib. 5. Responsorum.

Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset, nihil nocere, quominus & reus, & fidejussor teneantur.

93. Mæcianus lib. 1. Fideicommissorum.

Filius familias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

94. Ulpianus lib. 2. Fideicommiss.

Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas.

95. Idem lib. 6. Fideicommiss.

Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

96. Mæcianus lib. 12. Fideicommiss.

In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda (est) ejus, qui eas protulisset.

97. Hermogenianus lib. 3. juris Epitomarum.

Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt.

98. Idem lib. 4. juris Epitomarum.

Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucro causa tempore præcedit.

99. Venulejus lib. 12. Stipulationum.

Non potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

100. Cajus lib. 1. Regularum.

Omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

101. Paulus lib. sing. de Cognit.

Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo, & primo die venerit, audiendus est; ita enim Imperator Antoninus cum Divo Patre suo rescripsit.

102. Ulpianus lib. 1. ad Edictum.

Qui vetante Prætore fecit, hic adversum Edictum fecisse proprie dicitur. §. 1. Ejus est actionem denegare, qui possit & dare.

103. Paulus lib. 1. ad Edictum.

Nemo de Domo sua extrahi debet.

104. Ulpianus lib. 2. ad Edictum.

Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparantur famosa judicia, & si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt.

105. Pau-

105. Paulus lib. 1. ad Edictum.
Ubicumque causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur.

106. Idem lib. 2. ad edictum.
Libertas inæstimabilis res est.

107. Cajus lib. 1. ad Edictum provinc.
Cum servo nulla actio est.

108. Paulus lib. 4. ad Edictum.
Fere in omnibus pœnalibus Judiciis, & ætati, & imprudentiæ succurritur.

109. Idem lib. 5. ad Edictum.
Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere (non potest.)

110. Idem lib. 6. ad Edictum.
In eo quod plus sit, semper inest & minus. §. 1. Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione. §. 2. Pupillus pati posse non intelligitur. §. 3. Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. §. 4. Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur.

111. Cajus lib. 2. ad Edictum provinc.
Pupillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse, & furandi, & injuriæ faciendæ. §. 1. In heredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio, veluti furti, damni, injuræ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112. Paulus lib. 8. ad Edictum.
Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113. Cajus lib. 3. ad Edictum provinc.
In toto & pars continetur.

114. Paulus lib. 9. ad Edictum.
In obscuris inspici solet, quod visimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

115. Idem lib. 10. ad Edictum.
Si quis obligatione liberatus sit, potest videri accepisse. §. 1. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoveri.

116. Ulpianus lib. 11. ad Edictum.
Nihil consensui tam contrarium est, qui & bonæ fidei Judicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores est. §. 1. Non capitur, qui jus publicum sequitur. §. 2. Non videntur, qui errant, consentire.

117. Paulus lib. 12. ad Edictum.
Prætor bonorum possessorem heredis loco in omni causa habet.

118. Ulpianus lib. 12. ad Edictum.
Qui in servitute est, usucapere non potest: nam, cum possideatur, possidere non videtur.

119. Idem lib. 13. ad Edictum.
Non alienat, qui dumtaxat omittit possessionem.

120. Paulus lib. 12. ad Edictum.
Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit.

121. Paulus lib. 13. ad Edictum.
Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

122. Cajus lib. 5. ad Edictum provinc.
Libertas omnibus rebus favorabilior est.

123. Ulpianus lib. 14. ad Edictum.
Nemo alieno nomine Lege agere potest. §. 1. Temporaria permutatio jus provinciæ non innovat.

124. Paulus lib. 16. ad Edictum.
Ubi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem (&) respondere potest. §. 1. Furiosus absentis loco est: & ita Pomponius lib. 1. Epistolarum scribit.

125. Cajus lib. 5. ad Edictum provinc.
Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.

126. Ulpianus lib. 15. ad Edictum.
Nemo prædo est, qui pretium numeravit. §. 1. Locupletior non est factus, qui libertum adquisierit. §. 2. Cum de lucro duorum quæratur, melior est causa possidentis.

127. Paulus lib. 20. ad Edictum.
Cum Prætor in Heredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit, sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo Defuncti.

128. Idem lib. 19. ad Edictum.
In pari causa possessor potior haberi debet. §. 1. Hi, qui in universum jus succedunt, heredis loco habentur.

129. Idem lib. 21. ad Edictum.
Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. §. 1. Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

130. Ulpianus lib. 18. ad Edictum.
Nunquam actiones præsertim pœnales de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

131. Paulus lib. 22. ad Edictum.
Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132. Cajus lib. 7. ad Edictum provinc.
Imperitia culpæ adnumeratur.

133. Idem lib. 8. ad Edictum provinc.
Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.

134. Ulpianus lib. 21. ad Edictum.
Non fraudantur Creditores, cum quid non adquiritur a debitore; sed cum quid de bonis deminuitur. §. 1. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135. Idem lib. 23. ad Edictum.
Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

136. Paulus lib. 18. ad Edictum.
Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quotiens Lex impedimento non est.

137. Ulpianus lib. 25. ad Edictum.
Qui Auctore Judice comparavit, bonæ fidei possessor est.

138. Paulus lib. 27. ad Edictum.
Omnis hæreditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. §. 1. Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio.

139. Cajus lib. ad Edictum Præt. Urb.
Omnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ Judicio salvæ permanent. §. 1. Non videtur perfecte cujusque id esse, quod ex casu auferri potest.

140. Ulpianus lib. 60. ad Edictum.
Absentia ejus, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

Pau-

141. Paulus lib. 54. ad Edictum.

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia. §. 1. Uni duo pro solido heredes esse non possunt.

142. Idem lib. 56. ad Edictum.

Qui tacet, non utique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare.

143. Ulpianus lib. 62. ad Edictum.

Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat: & successoribus eorum obstabit.

144. Paulus lib. 62. ad Edictum.

Non omne quod licet, honestum est. §. 1. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145. Ulpianus lib. 66. ad Edictum.

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, ac consentiunt.

146. Paulus lib. 62. ad Edictum.

Quod quis, dum servus est, egit, proficere libero facto non potest.

147. Cajus lib. 24. ad edictum provinc.

Semper specialia Generalibus insunt.

148. Paulus lib. 16. brevis Edicti.

Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent.

149. Ulpianus lib. 37. ad Edictum.

Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.

150. Idem lib. 68. ad Edictum.

Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

151. Paulus lib. 64. ad Edictum.

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152. Ulpianus lib. 59. ad Edictum.

Hoc jure utimur, ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut (in vis) privatæ crimen incidat. §. 1. Deficit, & qui mandat. §. 2. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. §. 3. In contractibus, quibus doli præstatio, vel bona fides inest, heres in solidum tenetur.

153. Paulus lib. 65. ad Edictum.

Fere quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittamus. Ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo, & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum sit.

154. Ulpianus lib. 70. ad Edictum.

Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessori causa, sicuti fit, cum de dolo excipitur petitoris, neque enim datur talis replicatio petitoris: *Aut si rei quoque in ea re dolo actum sit.* §. 1. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

155. Paulus lib. 65. ad Edictum.

Factum cuique suum, non adversario nocere debet. §. 1. Non videtur vim facere, qui suo jure utitur, & Ordinaria actione experitur. §. 2. In pœnalibus causis benignius interpretandum est.

156. Ulpianus lib. 70. ad Edictum.

Invitus nemo (rem) cogitur defendere. §. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit. §. 2. Cum quis in alicujus locum successerit, non est æquum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit. §. 3. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum, ac defendendum quæ fuit actoris §. 4. Quod cuique (pro eo) præstatur, invito non tribuitur.

157. Idem lib. 71. ad Edictum.

Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, in his ignoscitur servis, si vel Dominis, vel his, qui vice Dominorum sunt (veluti tutoribus, & Curatoribus) obtemperaverint. §. 1. Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. §. 2. In contractibus successores ex dolo eorum (quibus) successerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua hæres est.

158. Cajus lib. 26. ad Edict. Prov.

Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit.

159. Paulus lib. 7. ad Edictum.

Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem potest & nostrum esse.

160. Ulpianus lib. 76. ad Edictum.

Aliud est vendere, aliud vendenti consentire. §. 1. Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem §. 2. Absurdum est, plus juris habere (eum) cui legatus sit fundus, quam hæredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

161. Idem lib. 77. ad Edictum.

In Jure Civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & ad hæredum institutiones producitur, quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

162. Paulus lib. 70. ad Edictum.

Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163. Ulpianus lib. 55. ad Edictum.

Cuijus est donandi, eidem & vendendi, & concedendi jus est.

164. Paulus lib. 5. ad Edictum.

Pœnalia Judicia semel accepta in heredes transmitti possunt.

165. Ulpianus lib. 53. ad Edictum.

Cum quis possit alienare, poterit, & consentire alienationi ✠. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntantem habendam.

166. Paulus lib. 48. ad Edictum.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167. Idem lib. 49. ad Edictum.

Non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt §. 1. Qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

168. Idem lib. 1. ad Plautium.

Rapienda occasio est, quæ præbet benignius respon-

sponsum. §. 1. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

169. Idem lib. 2. ad Plautium.

Is damnum dat, qui jubet dare; ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. §. 1. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

170. Idem lib. 3. ad Plautium.

Factum a Judice, quod ad Officium ejus non pertinet, ratum non est.

171. Idem lib. 4. ad Plautium.

Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod præstiterit.

172. Idem lib. 5. ad Plautium.

In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. §. 1. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit.

173. Idem lib. 6. ad Plautium.

In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. §. 1. Cum verbum *restituas* in lege invenitur, & si non specialiter de Fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. §. 2. Unicuique sua mora nocet: quod & in duobus reis promittendi observatur. §. 3. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174. Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. §. 1. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

175. Idem lib. 11. ad Plautium.

In his, quæ Officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest. §. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.

176. Idem lib. 13. ad Plautium.

Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. §. Infinita æstimatio est libertatis, & necessitudinis.

177. Idem lib. 14. ad Plautium.

Qui in jus dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet. §. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178. Idem lib. 15. ad Plautium.

Cum principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

179. Idem lib. 16. ad Plautium.

In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.

180. Idem lib. 17. ad Plautium.

Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181. Idem lib. 1. ad Vitellium.

Si nemo subiit hereditatem, omnis vis testamenti solvitur.

182. Idem lib. 3. ad Vitellium.

Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

183. Marcellus lib. 3. Digestorum.

Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

184. Celsus lib. 7. Digestorum.

Vani timoris juxta excusatio non est.

185. Idem lib. 8. Digestorum.

Impossibilium nulla obligatio est.

186. Idem lib. 12. Digestorum.

Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.

187. Idem lib. 16. Digestorum.

Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188. Idem lib. 17. Digestorum.

Ubi pugnantia inter se in Testamento inveniuntur, neutrum ratum esse. §. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

189. Idem lib. 13. Digestorum.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi apposita tutoris auctoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.

190. Idem lib. 24. Digestorum.

Quod evincitur, in bonis non est.

191. Idem lib. 33. Digestorum.

Neratius consultus, an, quod beneficium dare se quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur: Respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse.

192. Marcellus lib. 29. Digestorum.

Ea, quæ in partes dividi non possunt, solida a singulis heredibus debentur. §. 1. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius.

193. Celsus lib. 38. Digestorum.

Omnia fere jura heredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis heredes extitissent.

194. Modestinus lib. 6. Differentiarum.

Qui per successionem, quamvis longissimam, Defuncto heredes extiterunt, non minus heredes intelliguntur, quam qui principaliter heredes existunt.

195. Idem lib. 7. Differentiarum.

Expressa nocent, non expressa non nocent.

196. Idem lib. 8. Regularum.

Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad heredem transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ personæ sunt, ad heredem non transeunt.

197. Idem lib. sing. de ritu nuptiarum.

Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit.

198. Javolenus lib. 13. ex Cassio.

Neque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum Tutoris, sive solvendo est, sive solvendo non est.

199. Idem lib. 6. Epistolarum.

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

200. Idem lib. 7. Epistolarum.

Quotiens nihil sine captione investigari potest, eli-

eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201. Idem lib. 10. Epistolarum.

Omnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio cœperint.

202. Idem lib. 11. Epistolarum.

Omnis definitio, jure Civili, periculosa est: parum est enim, ut non subverti possit.

203. Pomponius lib. 8. ad Quint. Muc.

Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

204. Idem lib. 28. ad Quint. Muc.

Minus est actionem habere, quam rem.

205. Idem lib. 39. ad Quint. Muc.

Plerumque fit, ut etiam ea, quæ a nobis abire possint, perinde in eodem statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: & ideo quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem (in) prædio imponere possumus.

206. Idem lib. 9. ex variis Lectionibus.

Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.

207. Ulpianus lib. 1. ad Leg. Jul. & Pap.

Res Judicata pro veritate accipitur.

208. Paulus lib. 3. ad Leg. Jul. & Pap.

Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.

209. Ulpianus lib. 4. ad Leg. Jul. & Pap.

Servitutem mortalitati fere comparamus.

210. Lucius Rufinus lib. 2. Reg.

Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.

211. Paulus lib. 59. ad Edictum.

Servus Reipublicæ causa abesse non potest.

Additiones ex aliena manu.

1 Hoc articulo satis est eos indicare, qui interpretati sunt, tum Regulas Juris Canonici, tum Regulas Juris civilis. Exposuerunt Regulas Juris Canonici inter alios *Canisius*, *Peckius*, *Nidus*, *Reiffenstuel*, *Scorremberg*. Optimæ vero sunt prælectiones *Joannis Brunemanni* in hasce Juris Canonici Regulas.

2 Regulas Juris Civilis, ut antiquiores prætereamus, commentariis illustrarunt *Calvinus*, *Revardus*, *Petrus Faber*, *Bronchorst*, *Giphanius*, *Hoenius*, *Ludvvellus*, *Wisembachius*, *Gunzelius*, *Mullerus*, & qui cæteris est præferendus *Jacobus Gothofredus*.

3 Ad rectum vero usum Regularum Juris ob oculos semper habenda sunt verba illa *Pauli in L. 1. ff. de Regul. Jur. Non ex Regula jus sumatur, sed ex jure quod est, Regula fiat*; Tametsi enim maxime justæ Regulæ sint, tamen eo usque sui valere momento debent, ut illico quarumlibet cau-
4 sarum, casuumque promiscue decisio exinde peti possit. Sed ea juris pars, materia, articulus, species, subjectum, sic ut dicam, genus tandem proprium liquido teneri debet, sic & ad suam juris
5 speciem Regula restringatur. Et si quando aptanda ea videatur ad propositam aliquam juris quæstionem, seu controversiam, illud attendatur, num omnes circumstantiæ qualitates in casu proposito concurrant, ad quem, & cujus causa Regula semel confecta fuit. Et hoc est: *Non esse jus sumendum ex Regula, sed ex jure quod est, Regulam* fieri.

Facilius vero est recte ad præcedens monitum uti 6
Regulis Juris Civilis. Ea enim licet seorsim collocatæ sint in ultimo titulo libri ultimi Pandectarum; tamen desumptæ sunt ex variis Jurisconsultorum libris. Ope propterea conjunctionis *Inscriptionum* facile est invenire loca, unde sunt desumptæ, & sic nosse genus proprium cujusque Regulæ, sine quo rectus ejus usus fieri nequit. Et hoc modo *Jacobus Gothofredus* in interpretatione harum Regularum cæteros superavit. At Regulæ Juris Canonici non sunt desumptæ ex Decretalibus Summorum Pontificum. Quocirca teneri nequit genus proprium ipsarum, quod tanti est momenti in recta applicatione Regularum juris.

RELIGIO NATURALIS ET REVELATA.

Novus Articulus ex aliena manu.

IN articulo de Pantheismo alterum de Religione naturali & revelata promisimus, in quo Atheorum, ac Deistarum errores fusius exponerentur, ac expositi confutarentur. Ut autem Lectori satisfaciamus, & apta methodo procedamus, hunc Articulum quatuor in capita distribuemus: In primo de utilitate, necessitate, ac divinæ Religionis origine agemus: in altero Naturalem Religionem existere adversus Atheos, & Deistas nonnullos demonstrabimus; in tertio de possibilitate, convenientia, necessitate, atque existentia divinæ Revelationis contra alios Deistas tractabimus; & quoniam nulla unquam gens fuit, quæ Religionem, quam haberet, Deo non referret acceptam: in quarto capite certos atque perspicuos characteres exponemus, & demonstrabimus, quibus vera religio a falsa secernatur; atque hos in sola Christi Religione reperiri, ostendemus.

Caput Primum.

De utilitate, necessitate, & origine Religionis.

Religio Ciceroni a *relegendo*, Lactantio, & Au- 2
gustino a *religando*, aliis vero a *re*, & *eligendo* dicta est. Expensis omnibus religiones muneribus, omnes has originationes probat Angelicus Doctor; quia actus, quos religio præscribit, frequenter in corde repetendi, ac veluti relegendi sunt; quia per religionem, quodam pietatis vinculo Deo adstringimur, & religamur; & quia religionis usu quod negligenter amisimus, iterum eligimus. Religio revelata dicitur ea, quam Deus hominibus per externam revelationem demonstravit. Naturalem vero religionem vocamus illam, quam Natura per usum rationis suggerit, atque inculcat. Atque hæc ita definiri potest. *Virtus, qua homo ex hu-*

manæ

manæ, & divinæ naturæ consideratione obligatum, ac propensum se sentiat ad debitum Deo honorem, cultumque exhibendum per officia a divina Providentia rectæ rationis usu præscripta, spe præmiorum metuque alterius vitæ suppliciorum. Definitio hæc apta, ac satis perspicua videtur, sed clarior fiet, dum in secundo capite singulas ipsius partes demonstrabimus.

Primum caput in duas dividimus partes; In prima parte confutabimus Epicuræos, Cardanum, Hobbesium, atque Bailium, qui religionem privatis hominibus, ac humano generi noxiam, & inimicam esse asseruerunt; atque inter hos Bailius eo devenit, ut eam, ne quidem Societati civili, atque Reipublicæ utilem esse existimaverit. In altera vero parte de religionis origine agemus contra duplex Atheorum genus; eorum scilicet, qui cum Sysipho apud Critiam, ut refert Sextus Empiricus *lib. 6. contra Physicos*, religionem a callidis legum latoribus excogitatam asserunt, ut efferatos homines metu Numinis in officio continerent; & eorum, qui ajunt, homines ignorantia ductos supremam invisibilem omnium rerum causam primum finxisse, metu deinde perterritos ex insolitis phænomenis terrorem excitantibus, adorare eam, & colere cœpisse; atque callidos demum legum latores, præmia, pœnasque alterius vitæ confinxisse.

Pars prima.

De utilitate, ac necessitate Religionis.

3 Ut melius intelligatur, quæ commoda ac bona sint, quæ religio hominibus affert, notandum duximus, hominem in triplici statu considerari posse; nam vel solus concipitur, vel cum hominibus pari auctoritate pollentibus, vel ut Principi, sive Magistratibus subest. Primus dicitur status solitarius, in quo homo propriæ conservationis, ac solius corporis, animique sui curam gerit; Alter est status Societatis naturalis, in quo homo natura ipsa duce societatem cum aliis ineat hominibus, in qua sola naturæ dictata sequatur; Tertius vero status est societatis civilis, quam homines per conventiones, & pacta illa inierunt, quibus se obligarunt ad leges eorum exequendas, qui civitati, vel reipublicæ præsunt, ac leges ferunt, aliaque constituunt, & jubent, quæ ad commune bonum expedire videantur. Si unus præsit, reipublicæ status monarchicus dicitur; Si soli Optimates, Aristocraticus; Si omnes Patresfamilias, Democraticus; Mixtus denique, si cura reipublicæ, vel penes Principem simul sit, & Optimates, vel penes hos, & Populi Electos simul, quemadmodum in Anglia, ac in Romana olim republica sub Regibus fuit. His præmissis, sit

Propositio prima.

Religio singulis hominibus & naturali eorumdem Societati maxime utilis est.

4 Dem. prima pars. Utile homini est quidquid eum perficit, atque ad beatam vitam agendam ducit. Nam homo, ut res quælibet, ad perfectionem tendit, & felicitatem maxime expetit; Religio vero ad perficiendum hominem, ut beatam vitam agat, plurimum confert: Nam Religione monemur Deum parentem optimum, beneficentissimum, potentissimum, ac infinite sapientem, vitæ, corporisque nostri Dominum esse, qui præcipit, ut vitam servemus, eaque adhibeamus, quibus perfici corpus, animusque possit, aut virtutum, morumque præcepta præscribit, quæ ad ea servanda, tum fiducia ipsius in dubiis & adversis præsidii, tum jucunda bonorum alterius vitæ expectatione, allicit, atque æternorum suppliciorum metu quodammodo impellit. Quæ cum ita se habeant, quis non videt, Religionem per optimi parentis amorem, quem excitat, & per præcepta, quibus nostri conservationem, ac virtutem procurare jubet, in perfectionem nos inclinare, per supremum censorem, quem repræsentat, ad eumdem nos incitare, per spem, quam affert supremi illius præsidii in adversis, & æternorum bonorum, allicere; ac demum per suppliciorum metum fortius ad perfectionem, & virtutem impellere?

Si Religio valida hæc ad virtutem incitamenta præbet; ergo ad beatam vitam agendam maxime utilis est. Nam præter quam quod, Epicuro quoque fatente, sine virtute felices esse non possumus, explorata res est, sola nos virtute affectus regere, & moderari, ac eorum cohibere impetus quibus turbamur, ac miserrimi sumus: solam virtutem securitatem conscientiæ parere, quæ remorsus, atque internos conscientiæ laniatus excludat, quæque jucundam delectationem afferat, atque hanc solam esse, quæ de omnium hominum approbatione, quam enixe cupimus, securos nos reddit.

Dem. altera pars. Bonum maximum, quod homines in naturali societate exoptant, est pax ac tranquillitas illa, quæ ex securitate oritur qua quisque persuasus sit ab aliis hominibus amari, atque ex iis neminem ipsi futurum molestum, sed omnes ad benefaciendum esse paratos. Hæc felicitas est, quam in societate sperare homines possint. Quis vero non videt, ex sola Religione bona hæc sperare homines posse? Sola enim hæc est, qua homines sese obligari credunt ad mutuum amorem, & ad aliis non facienda, quæ sibi fieri nolint; Idque ex præcepto supremi potentissimi Numinis, quod omnia videt, quodque infallibili auctoritate sua præcepta servantibus immensa bona spondet, violantibus vero æterna demonstrat supplicia. Hæc vero plurimum possunt ad securitatem conciliandam, qua felicitas constat. Tolle Religionem in statu naturali, nulla homines se obstringi lege putarent ad alios amandos, pacta servanda &c. sed quisque sola utilitate ac voluptate moveretur. Ubi tum securitas esset? Quis non metueret, ne homines datam fidem infringerent, ne bona propria subriperent, ac vitæ etiam insidiarentur, dum voluptati, aut utili optato bono impedimento esset? Tunc enim homo homini inimicus ac lupus esset, ut naturalem ipsius statum sublata Religione descripsit Hobbesius. Ergo sine Religione homo in statu naturali quacumque bellua miserior esset, ut est manifestum. Est ergo. 5

Opponunt duo sophismata. Primum ajunt, Religionem homini inimicam, & noxiam esse, quia summam ei felicitatem adimit in eo positam ut voluptate liberrime fruatur; Deinde anxiam alterius vitæ sollicitudinem secum ferre, ac metum superni 7

ni Censoris omnia videntis, & æterna minitantis supplicia; Qui metus cum perpetuo homines cruciet, miserrimos facit. Addit Bailius, hanc ex corrupto ac malo humanæ naturæ fomite prodire, ideoque nonnisi malam esse posse.

8 Hæc sunt superborum hominum præcipua adversus totius humani generis persuasionem argumenta, sibilis potius, quam responsione digna. Nam, ut incipiam a primo, Religio non solum timorem inculcat, sed etiam amorem superni, beneficentissimi Numinis, & summe boni, ac talem amorem, quo solum felices in hac quoque vita esse possumus, ut nos alibi demonstravimus, ac præterea spem affert præsidii in dubiis, adversis, ac jucundam bonorum alterius vitæ expectationem. Metus vero ille, quo timemus, ne supremo displiceamus Numini, neve ipsius iram subeamus, atque alterius vitæ supplicia, ad illa omnia nos impellit, quæ ad beatam vitam agendam sint necessaria, & ad ea cavenda, quæ noxia sint, quæque privatæ, & publicæ felicitati obsint. Itaque si Atheis omnibus societas utilis est, quia per leges, metumque pœnarum in officio homines continentur; Cur utilis religio non erit, quæ tanta ad felicem in societate vitam incitamenta præbet? Nec turbulentus est metus ex religione ortus, sed cum suavi atque jucunda spe conjunctus, cum ex Deo sit summe sapiente, bono, justo, misericorde, qui infinita sapientia ad benefaciendum utitur, quantum incommutabilis divinæ sapientiæ atque justitiæ ordo patiatur.

9 Sollicitudo autem illa, quæ anxios nos facit de vita futura, a vitiis hominem retrahit, sibi, ac societati noxiis, & ad virtutem incitat, quæ humanæ felicitatis præcipuum instrumentum est. Metus vero, qui hinc oritur, placidus est in probis justisque viris, atque jucunda bonorum expectatione temperatus; Et in solis improbis turbulentus est, atque excrucians, cum ii laniatus conscientiæ exuere nunquam possint. Sed id pœna peccati est, ac per intimum sensum natura ipsa nos monet, esse quoddam divini supremi opificis instrumentum, quo de malo facto monemur, & ad vitia declinanda, ac virtutes sectandas incitamur.

Corollarium.

10 Atque hinc patet, officia, quæ Religio præscribit, instrumenta quædam esse, quorum usu homo perficitur, atque ad tranquillam vitam agendam ducitur. Quamobrem Athei respuendo religionem utuntur intellectu, ac voluntate sua, contra id, quod eorum naturæ utile est, ac bonum, & contra constitutum in natura ordinem faciunt, *cum res quælibet homine inferior utatur iis, quæ sunt ad suum bonum & perfectionem*, inquit Raymundus de Sabaude, *Athei vero intellectu & voluntate ad suum damnum, & destructionem utantur*. Ex quo apparet, quam inepte profanus Bailius asserat, probabilius esse Religionem esse malam & falsam, quia natura malorum utrorumque fons est. Nam si Religio bonum, ac verum bonum, cujusmodi virtus est, homini procurat, ergo religionis usu homo in perfectionem tendit; Homo ergo dum natura duce religionem servat ac sequitur, res omnes alias, quæ in mundo sunt, imitatur. Quis vero corruptas depravatasque res dicat, quæ certis legibus in debitam perfectionem feruntur?

Scholium.

Facile ex dictis intelligere est, Atheorum vitam omnium miserrimam; Nam sine religione, qua ad virtutem incitentur, vitiis laxant habenas, quæ pernicies sunt hominum: Omnium in se hominum odium atque iram conciliant, tum ob contemptam religionem, quæ omnibus quidpiam divinum habetur, tum quod ab omnibus veluti manifesti inimici jure meritoque reputantur, utpote qui nulla se obstringi lege, ac sola voluptate, & utilitate regi opinantur, ac denique nulla bonorum spe, sed sola effræni vitiorum licentia ducti, tot religionis bonis privantur, ac certo damnationis æternæ periculo sese exponunt. Hinc stulti in Scripturis, & a Patribus appellantur, qui hypothesim amplectuntur, quæ si vera statueretur, nihil aliud afferre ipsis posset, nisi privationem bonorum, quæ commemoravimus, & desperationem; si vero sit falsa, ut revera est, ad æterna illos supplicia trahit. *Doctrina hæc*, ajebat Auct. Homiliar. quæ Clementi Romano tribuuntur, *quamvis fabula esset, cum pia sit, vitæ non esset inutilis. Singuli enim dum expectant futurum erga se Dei cuncta intuentis judicium, ad temperate vivendum majorem impetum capiunt. Quod si vera est doctrina, æterno supplicio liberat eum, qui vitam moderatam traduxit, simulque pro beneficio largitur futura a Deo bona æterna, & ineffabilia.* 11

Propositio Secunda.

Religio Societati civili utilis est, eaque sublata, illius vinculum, ac fundamentum evertitur.

Dem. Civilis Societatis vinculum in mutua obligatione situm est inter Supremum imperantem, & populum, qua hic sese adstrictum credat ad obsequendum Legibus, Magistratibus, ac iis, quæ Princeps pro bono Reipublicæ jubeat, & qua Princeps obligatum se credat ad protegendos Cives, eorumque securitatem, ac bonum commune procurandum. Religio vero ad hujusmodi fovendam obligationem plurimum confert; Nam ii per religionem jurejurando obstringuntur, hoc est, vocando in susceptæ obligationis testem Deum, qui omnia videat, qui officia inde orta adimplere jubeat, quique per præmia, ac æterna supplicia ad omnia præstanda impellat. Hinc optime Cicero: *Quis non videat*, inquit, *quam multa firmentur jurejurando, quantæ salutis sint fœderum religiones? Quam multos divini supplicii timor a scelere revocet? Quam sancta sit Civium inter ipsos societas, Deo immortali interposito, tum judice, tum teste?* 12

Rursus perfecta respublica esse nequit, nisi boni præmiis invitentur, mali autem pœnis coerceantur, ut Solon apud Ciceronem *Epist.* 15. ad Brutum, Lycurgus, Pythagoras, Anacharsis, ac reliqui sapientes Legumlatores tradidere. Religione posita, præsto sunt bonis Civibus præmia a potentissimo ac supremo bonorum Domino promissa, ac malis parata supplicia; Hac vero sublata, ubi bona sunt, quæ Cives omnes, tum palam, tum privatim ad officia præstanda invitent? Ubi supplicia pro delictis, de quibus Magistratibus nec constet, nec

nec constare possit? Accedit etiam in recta præmiorum pœnarumque distributione non tam opus, quam operantis animum attendi oportere; Voluntas vero hominis soli Deo, quam religio præmiorum largitorem, malorumque vindicem demonstrat, explorata est. Desunt denique in republica præmia, quæ Civibus singulis tribuantur, ut est manifestum. Ergo necessaria religio est, quæ hujusmodi defectus suppleat, quæ optimi censoris omnia intuentis, amore, ac præmiorum spe, singulos alliciat, quæque coerceat singulos, parati supplicii metu.

13 Atque hinc altera quoque pars facile patet; Nam spes præmii, metusque supplicii affectus sunt, per quos Cives ad officia obligantur, ideoque pars saltem vinculi civilis societatis; sublata vero religione, hujusmodi affectus plerumque desunt, ut ex dictis patet. Immo deest etiam persuasio illa, qua summi imperantes & Cives sese obligati credant ad promissa servanda, & officia præstanda. Quis enim ad quidpiam sese adstringi credat, sine superiore, qui jubeat, qui vetet, quique præmia atque supplicia ostendat, ac dare possit? Qua ratione, sublato Deo, summi imperantes, ac Cives mutuo sese obligatos crederent, in iis positi circumstantiis, in quibus sibimetipsis tantum reddendam rationem putarent?

14 Scio, Bailium confugere ad honestatis, & virtutis ideam, quam ex finis Societatis consideratione, sibi homines fingant, & qua ad promissa servanda, ac reliqua præstanda Societatis officia obstringi se credant. At hæc vera obligatio non est: Nam hac ratione homo a se ipso obligaretur per propriam cogitationem, nec quemquam agnosceret, cui reddendam rationem esse, & a quo reprehendi ac puniri posse, putaret. Vera autem obligationis notio duas necessario personas exhibet, quarum altera præcepto, promissis, minisque alteram liget. Accedit etiam, quod eadem ratione, qua homo seipsum ligare, solvere quoque semetipsum posset. Quis vero non videat, hanc non obligationem, sed obligationis figmentum esse, nullius Societati utilitatis?

15 Deinde falsum est, Religione sublata, homines justi, honestique rationem servare. Liquet id ex impiis Epicuri, Hobbesii, Spinosæque hypothesibus, quibus, Religione sublata, sola voluptas, & utilitas, æqui justique mater constituitur, ut nos in altera parte exponemus. Hinc omnes fere Ethnicorum sapientes cum Cicerone *lib. 2. de Nat. Deor.* prædicant; *Sublata religione, fidem etiam & societatem humani generis, & unam excellentissimam virtutem Justitiam tolli necesse est.* Et quidem jure meritoque; Nam fingere sibi nequeunt homines honestatis virtutisque notionem, nisi distinguant inter privatam, & publicam utilitatem, inter bonum Civitatis & Reipublicæ, ac bonum proprium, ut etiam ipse Bailius fateri cogitur. Ubi vero in multitudine hæc distinctio occurrit? Nam major hominum pars ex proprio commodo ac voluptate, non ex publico bono, utilitatem metitur, ut experientia constat. Fac ergo, homines ex utilitate virtutem, ac justitiam existimare, ut Bailius opinatur: Quis impediret, ne homines occulte privatæ utilitatis, ac voluptatis causa aliis nocerent? Quis in principibus viris passionis impetum cohiberet? Ubi debita Legibus ac Magistratibus obedientia esset? Nam subditi, dum testes deessent, nulla obligatione adstringi se crederent; ac testes si essent, ii ad verum dicendum se obligatos neutiquam putarent, nec quidquam metuerent ex falsa depositione, atque perjurio. Mitto alia, quæ in societate orirentur incommoda, sublata religione, quæ divitiarum, imperii ac voluptate fruendi appetitus compescat; cum hactenus dicta satis superque ostendant præcipuum vinculum esse, ac civilis societatis fundamentum; Quod ex eo quoque comprobare possemus, quia omnes Legumlatores, quorum ex historiis memoria superest, ex religione suis præsidium quæsiere legibus, ut agendo de convenientia & necessitate revelationis ostendemus.

Opponit Bailius, homines ad pacta servanda & ad reliqua Civilis Societatis officia sine religione obligatos haberi posse; Nam ex consideratione finis humanæ societatis, atque ex ipsa rerum convenientia, non secus ac alii homines possunt cognoscere honestum, & turpe, justum, & injustum, bonum, & malum; ad id enim cognoscendum nihil requiritur, nisi attentio ad rerum convenientiam, & fines, ex quibus honesti, & turpis, justi, & injusti cognitio pendet; Si id cognoscere possunt, ergo censere quoque possunt se obligatos esse ad ea præstanda, quæ honesti, justique notiones suggerunt, adeoque sine religione vinculum humanæ Societatis in illa obligatione positum conservaretur.

Respondeo primum, paucos esse homines, qui ex rerum convenientia, atque fine, justi honestique notionem atque obligationem ad obeunda societatis officia, intelligere possint, sublato religionis subsidio. Nam affectus & cupiditates nec lege ulla superioris regulatæ, nec metu supremi Censoris & Vindicis refrænatæ, rationis lumen in majori hominum parte extinguerent, aut ita saltem præfocarent, ut præter passionum impetum, nullam aliam legem sentirent; sed cum Aristippo, aliisque Atheis uno ore clamarent: *Nil esse natura turpe, si vulgaris*, hoc est, ex religione, quæ vulgi magistra est, orta, *solvatur opinio*. Deinde actionum humanarum moralitas sine libertate, atque vera obligatione existere nequit; Atheorum vero plerique libertatem homini adimunt & obligationem omnes; Cum hæc nonnisi ex Superiore jubente, atque vetante haberi possit. Dictata ergo rationis, religione sublata, pro consiliis haberi ad summum possent; At ex consilio obligatio illa non oritur, quæ necessarium est humanæ societatis vinculum, cujus scilicet in fractione homines se peccare, ac pœnæ certo sequendæ obnoxios fieri omnino credant.

Sed regerit Bailius, naturam sine religionis præsidio incitamenta præbere apta ad Societatis vinculum fovendum, atque servandum: honesti enim amorem suggerit, atque laudis magnam cupidinem. Hæc vero tantæ virtutis sunt, ut sine religione ad homines obligandos sufficiant, ut datam fidem, ac reliqua servent officia.

Respon-

19 Responsio vero præsto est. Primum, quia vinculum societatis omnes, ac præsertim multitudinem adstringere debet; pauci vero homines sunt, quos amor honesti, laudisque cupido liget. Deinde laudis gloriæque amori fere semper conjunctus est honoris, divitiarum, ac magnæ potentiæ appetitus, cum hæ res magnam apud plebem gloriam, sive existimationem obtineant; Hujusmodi vero appetitus honesti amorem facile extingueret, vel præpediret, dum occasio esset comparandi divitias, & auctoritatem, etiam cum magno reipublicæ dispendio. Denique ex illis hypocrisis, non vera virtus oriri posset, quæ a publicis avocat hominem sceleribus, sed privatis laxat habenas. Dum vero post Lucretium fingit amorem gloriæ cohibere hominem posse a privato quoque scelere, quod timeat, ne id in somnis, aut in phrænesi palam ab ipso fiat; purum putumque figmentum, ac desperatæ causæ argumentum est.

20 At, inquit, quos honesti, gloriæque amor non compescat, nec persuasionem ex religione ortam cohibere posse; ideoque hanc supervacaneam esse. Nam experientia constat, homines in vita instituenda non sequi, sed contemnere passim philosophiæ, ac religionis principia. Stoici enim, aliique Fatalistæ passim usurpabant exhortationes ad virtutem & bonum libertatis usum, etsi libertatem ipsi negarent. Et christianorum plerique perverse vivunt, licet Religioni firmissime adhæreant.

21 Resp. atque principio ajo, non omnes Stoicos homini libertatem ademisse, ac Fatalistas, negata quoque libertate, utiles habuisse hortationes, quibus majus virtuti pondus adderetur, quo in virtutem potius, quam in vitia homines traherentur. Deinde principia illa intimo naturæ sensui adversabantur, quo libertatem in nobis experimur: quamobrem mirum esse non potest, quod aliquando non philosophiæ principia, sed intimum sensum sequerentur. Quod spectat ad persuasionem, quæ ex fide Christiana est, atque illius principia, hæc semper cupiditatibus obsistunt, ac vim exerunt suam. Dum liber sit rationis usus, ostendendo bonum, quod ex virtute est, ac malum, quod ex vitio imminet, cohibent illas & vincunt: Dum vero vehementi ac turbida commotione obscuratur rationis vis, & præpeditur, cupiditates quidem in transversum homines abripiunt sed tunc per internam conscientiam, & remorsus inde sequentes, ratio hominem reprehendit; Ex quo apparet, religionis principium perpetuam in homine contra passiones luctam ponere. Contra vero Atheismus, cum non aliud bonum sequendum, ac malum vitandum offerat homini, quam quod per sensus offertur, principia illa usurpat, & probat, quæ cupiditates, & libidines fovent. At principia hæc honestatis amorem destruunt, & laudis, gloriæque desiderium ad vitia humanæ societatis quam maxime inimica impellunt. Si ergo in iis, quos religio internis conscientiæ stimulis, & metu pœnarum compescit, tantum potest passionum impetus, ut videant plerumque bona, meliora probent, ac deteriora sequantur, quis credat in Atheis vim appetitus principiorum auctoritate roboratam & auctam, non ita passionibus vitiisque indulgere, ut societatis civilis vinculum omnino disrumpat?

Ait vero, Atheismum in depravatam vitam homines non ducere; quia Athei, quos historia recenset, virtutibus ornati exhibentur, ut Diagoras, & Theodorus ex Græcis, ex Romanis Cassius, & Atticus, atque ex recentioribus Vanninus, atque Spinosa. Addit præterea, Gentes fuisse, ac etiam nunc reperiri, quæ in privatis familiis sine religione vivant; Has vero facilius posse in societate civili sine Religione conservari, ubi præter naturæ dictata, atque honestatis amorem, Civiles leges haberent. 22

Resp. Atque nego, Atheismum in depravatam vitam, quæ Societati Civili obsit, homines non inducere. Ii autem, quos ipse affert, paucissimi sunt, ac talis fortasse indolis, quos amor virtutis afficere, & movere potuerit, & quos studium declinandi apud multitudinem invidiam, & conciliandi propriæ sectæ existimationem, retrahere a vitiis potuit. Ego vero plura in iis vitia fuisse contendo, quæ religio sustulisset, & quæ data occasione societati quoque noxia fuissent; quis enim a superbia, ab ambitu, & a vitiis inde profluentibus illos absolvat? 23

Quod secundo loco opponitur, falsum omnino est, ut infra ostendemus. Si vero id quoque daremus, non inde sequeretur posse sine religione civilem societatem consistere. A sociali enim in una familia vita, ad vitam civilem nulla consequutio est: Ibi enim unius familiæ homines nondum fortasse divisis bonis vivunt, in Civili societate innumeri sunt homines gradu, divitiis, studiisque divisi, atque ad commoda innumera inhiantes, de quibus privatæ familiæ ne cogitant quidem; Hos vero affectus, si religio desit, nemo ita compescet, ut societas diu saltem consistere valeat. 24

Corollarium.

Si religio tantæ privatis hominibus, ac civili societati utilitatis est, ac ad felicem vitam necessaria; Ergo non ut res commentitia, sed ut bonum quoddam rationali creaturæ concessum exhibetur, quo optatam felicitatem persequatur. Id sane ex dictis præsumi jure merito posset, sed ut omnia Atheorum fundamenta detegamus, ac funditus omnino evertamus, expendamus Religionis originem. 25

Pars altera.

De Religionis Origine.

Hactenus de utilitate, & necessitate; Dicendum ergo est de ejusdem origine, quam Divinam esse, paucis demonstrabimus. Itaque sit 26

Propositio Prima.

Nulla Gens est ex antiqua historia cognita, quæ Religione caruerit.

Demonstratur, ac principio veluti res ipsis Atheis explorata statuitur, omnes civiles Gentes, quas antiquissimæ recensent historiæ, in civili societate positas, Religionem aliquam habuisse, scilicet, Hebræos, Chaldæos, Ægyptios, Phænices, Indos, Persas, Arabes, Getas, Gallos, Germanos, Græcos, Romanos, aliosque Populos, quorum memoria superest. Id enim adeo persuasum omnibus fuit, ut Plutarchus adversus Colotem Epi- 27

Epicureum confidenter scripserit, *facilius Urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata Civitatem coire aut constare*; Et ut Athei finxerint, cum Societate civili ortam Religionem esse, ac solum apud Gentes immanitate efferatas, & extra Leges positas Homines sine Religione ulla reperiri posse, speraverint.

28 Sed ne has quidem Gentes invenire unquam potuerunt. Nam Academicus Cotta apud Ciceronem *lib.* 1. *de Natura Deorum* provocavit quidem ad hujusmodi Gentes veluti ad eas, apud quas nulla suspicio Deorum esset, sed nominare ac designare nullam potuit; & Cicero ipse tum *lib.* 1. *Tusculanarum quæstionum cap.* 13. tum *lib.* 1. *de Legibus cap.* 8. affirmat, adeo alte insidere omnium cordibus sensum Divinitatis, ut falsum multi Deum colere maluerint, quam nullum. Nec solum Cicero, sed quotquot fuere Gentium Sapientes palam testati sunt nullam fuisse unquam Gentem, quæ Religione careret: ita Plato *de Legibus lib.* 1. *cap.* 10. ita Aristoteles *ad Nicomach. lib.* 10. *c.* 11. ita Seneca *c.* 117. ita Artemidorus *lib.* 1. *cap.* 9. ita Ælianus *var. hist. lib.* 2. *cap.* 13. ita Maximus Tyrius *diss.* 1. ita Sextus Empiricus *lib.* 1. *contra Physicos cap.* 61. ita Dion Chrysostomus nuncupatus, ita denique Julianus *epist. ad Heracl.* ubi hæc habet: *Omnes ante doctrinam Numen esse aliquod persuasi sumus, eo respiciendum, ad eum properandum; credoque animos nostros sic se habere ad Deum, ut visu prædita ad lucem*. Iis vero addi quoque potest, Lucretium hanc Epicuro suo laudem tribuere, ut omnium mortalium primus adversus Religionem ausus sit aperte pugnare. Itaque antiquis omnibus Gentium Sapientibus, atque Philosophis persuasum omnino fuit, nullam tunc detectam fuisse Gentem Religionis expertem. Ea autem, quæ Bailius contra opponit, præterquamquod ex iis, quæ diximus *in art. de Pantheismo*, facile dissolvuntur, adversus tantam omnium Sapientium consensionem, nullius momenti reputanda sunt; tum quod ad impios Gentium, quas atheas, & sine Religione vocant, mores, Atheismi nota referri commode possit; tum quod ita appellari a nonnullis consueverint Gentes, quæ externo Religionis apparatu carerent, qui apud cultos Populos vigeret; tum demum quia omnes fere illæ narrationes dubiæ sunt; qui enim ea referunt, vel *fertur*, vel *putatur*, aut *fama est*, scribere solent. Quæ quidem expressiones suspicionem, non vero animi persuasionem designant. Ita Mela de Atlantibus, & Strabo de Æthiopibus, qui ad torridam habitant, ita & alii de Callaicis, seu Lusitanis scribunt; quos tamen Religionem habuisse ex aliis monumentis constat.

Propositio Secunda.

Gentes omnes hac nostra quoque ætate cognitæ aliquam Religionem habent.

29 Demonstratur. Omnes fatentur, politas omnes nationes, atque in Civili Societate viventes Gentes in Europa, in Asia, in Africa, & in America, Religionem habere; ac satis obviæ sunt descriptiones ex accuratis virorum relationibus, qui regiones illas perlustraverunt, in quibus harum Gentium mores, Religiones, sectæ, dogmata, errores, superstitionesque exponuntur. De solis quibusdam barbaris controversia movetur, quos Petrus Bailius ex suspectis quibusdam relationibus veluti Atheos traducit, ut inde conficiat, generalem non esse totius humani generis circa Religionem consensionem, ac posse sine Religione civilem societatem consistere. At a plurimis gravissimis viris ex omni Europæ parte, accuratissimarum relationum ope Bailii impostura detecta & confutata fuit. Præcipua autem momenta, quæ cujusque cognitæ, etiam silvestris Gentis, Religionem probant, collegere, atque referunt duo illustres ex Dominicana Familia Scriptores, scilicet, Thomas Vincentius Monilia in præfatione ad opus contra Fatalistas, & Jo. Vin. Patuzzi in opere de futuro impiorum statu cap. 9. Nos vero pauca ex iis recensebimus, quæ tamen satis visa sunt ad rem conficiendam. Primum itaque ex Thevenotii relatione Bailius *Cafros*, & Hottentotos Africæ populos in regionibus Capiti Bonæ spei finitimis habitantes Atheismi accusaverat. At plures fuere accurati viri qui post Thevenotium regiones illas adiere, & vitæ genus, moresque illorum hominum explorarunt, qui uno ore testantur, præter paucos, qui Mahumedanam Religionem sequuntur, reliquos unum Summum ac Supremum Deum agnoscere, eumque magnum Ducem vocare, ac Lunam, Solemque adorare, & plerasque ceremonias habere. Horum testimonia satis obvia sunt in Collectionibus quæ prodiere itinerariorum. Ex iis autem unum laudare sat erit Petrum Kolben Batavum, qui decem annis in illis regionibus commoratus est, quique illorum Hominum lingua comparata, summa cura eorum mores, Religionemque scrutatus est: is in descriptione Capitis Bonæ spei Germanice primum edita, ac deinceps Gallice, illorum Hominum Religionem fusim exponit. Ab Africa ad Americam, sive ad Gentes in novo Orbe recenter detectas, gradum facimus; In iis regionibus occurrunt 1. Canarienses, quos Columbus Religionis expertes exhibuerat, at ex historia, quam habemus, hujusmodi insularum subactionis, constat, Gentes illas unum Deum nosse, qui præmia virtuti, vitiis vero supplicia in alia quoque vita paraverit. 2. Accusati reperiuntur Caraibæ Insularum Antillarum Incolæ; de iis autem scribit Roschefaut in eorum historia morali, quod agnoscant alium Deum boni, alium mali principium, atque hunc vocare *Magoba*; & Sacerdotes itidem habere, quos *Boyez* adpellant. 3. Brasilienses, quos ex relatione *de Lery* etiam Lockius asseruit, nec Deum nosse, nec nomen habuisse, quo Divinitatem exprimerent; Sed constat ex *Laet. de Orig. Gent. Amer.* & *Margrav. de Brasil. Reg. c.* 9. hos Deum Summum agnoscere, quem *Tupa*, & *Tupana*, nominant, eique per Sacerdotes Sacra facere. 4. Silvestres Homines *Canadà*, quos *Hurones*, *Souriquosios*, & *Armouchicosios* vocant, ex testimonio Sagard, & Lescarbot, sine Religione prædicantur; adest vero egregium opus P. Josephi Frider. Lafitau Soc. J. de moribus Silvestrium Americanorum in quo illorum Religio accurate describitur, & cum simplici primorum terræ habi-

habitatorum Religione comparatur: & de iis qui in Virginia, & Florida sunt, refert Dominus Winslovv, qui unus ex primis plantatoribus in nova Anglia fuit, didicisse a Barbaris, illos agnoscere unum Deum Supremum, & alios inferiores; atque ita correxit, quæ antea externa deceptus specie scripserat, scilicet Deum homines illos non agnoscere. Ex istius autem confessione facile intelligere est, primos illos peregrinatores, qui nec sermonem habere poterant cum Hominibus, quorum linguam ignorarent, nec adhibito interprete eosdem explorarunt, deceptos ex eo fuisse, quod de Religione ex externo Templorum, Ministrorum, Rituumque apparatu judicaverint, ac scripserint vel nulla se deprehendisse apud Gentes illas Religionis indicia, vel pauca tantum, ut dixere Le Mair de habitatoribus Insularum Meridionalium, & Schouten de iis, qui sunt in Insula *Jedso* prope Japoniam. Atque hæc satis visa sunt ad ostendendum, omnes cognitas hac ætate nostra gentes etiam barbaras atque silvestres Supremum Numen spe præmii, metuque supplicii alterius vitæ colere, atque non solum suspectas, sed etiam falsas omnino esse illorum Hominum relationes, quas Lokius, atque Bailius adhibuere, ut demonstrarent, Homines esse, quibus nulla Divinitatis suspicio sit. (1)

Propositio Tertia.

Religio nec Legislatorum, nec privatorum Hominum commentum est.

30 Ut clarior res fiat, nonnulla principio observare necesse est. Primum, aliquando apud Scriptores Religionis nomine quemcumque cultum generatim significari, quo sensu dicitur, nullam gentem sine Religione esse; aliquando vero pro externo apparatu, dogmatibus, & doctrina ad Divinitatem pertinente; atque ita *Cic. orat.* pro Fontejo dixit: *Gentes pro suis Religionibus bella suscipiunt*, & alii antiqui Scriptores aliam Ægypti, aliam Persarum, aliam Græcorum, & aliam esse Romanorum Religionem dixerunt, & eodem sensu nos aliam Judæorum, aliam Christianorum Religionem esse passim affirmamus.

Deinde certum est, Religioni, quam natura suggerit, plura addita esse per veram, & Divinam revelationem apud Judæos, atque Christianos & per illorum quoque auctoritatem, quibus Deus decernendi ea, quæ ad Divinum cultum spectant, potestatem fecit: apud Gentes vero, primum privatorum superstitione, deinde callidorum quoque Legislatorum impostura. Nam constat ex historia, privatos Homines etiam antequam magna constituta essent in Mundo Imperia, varias sibi effingere consuevisse Divinitatis species, atque iis, & etiam nonnullis Creaturis Divinos tribuere cœpisse honores; & ex Diodoro Siculo *lib.* 1. *&* 5. & Ephoro apud Strabonem *lib.* 10. atque ex aliis Scriptoribus apud Suidam antiquos omnes Legislatores, quorum memoria superest, Populorum credulitate, & superstitione abusos ita fuisse, ut commenti sint, a Diis, qui in maxima veneratione apud Populos essent, se legatos fuisse ad Leges, quibus etiam Religio præscriberetur, ferendas: Sic *Amasis*, *&* *Mnevis* apud Ægyptios leges ab *Herma* sibi datas commenti sunt. *Zoroaster* apud Bactrianos & *Zamolxis* apud Getas, a Dea *Vesta*: *Zathroustes* apud Arimaspos, a Dæmone, seu bono genio; *Rhadamanthus*, *&* *Minos* Cretensium Reges, a *Jove Cretensi*; *Triptolemus* apud Athenienses, a *Cerere*, gentilitia Dea; *Pythagoras* *&* *Zeleuchus* apud Crotoniatas, & Locrenses a *Minerva*; *Lycurgus* apud Lacedæmonios, ab *Apolline*; *Romulus a Deo Conso*; *Numa* a Nympha *Ægeria* suas leges sibi traditas gloriabantur.

Præterea constat etiam ex iisdem Historicis, atque ex Herodoto, Legislatores, quos diximus, divinos hominibus nonnullis decrevisse honores, ac in Deorum numerum eos retulisse, qui Rempublicam fundassent, aut de eadem optime meriti haberentur, & Mysteria, quæ Eleusina dicuntur, primum in Ægypto, deinde in aliis quoque regionibus stabiliisse, tum ut ea plebi occultarentur, quorum cognitione Religio vilesceret, ut Deorum genealogia, vita, mors &c. tum etiam ut in iis ea Religionis capita constituerentur, quæ magis ad Rempublicam viderentur conferre. 31

Denique certum quoque est, eos, qui stabilitam per Legislatores Religionem, ejusque Mysteria contemnerent, Atheos a Gentibus habitos fuisse: hac enim unice de causa, ut nos alias monuimus, Socrates, & Evehemerus, & etiam Judæi, Christianique ab ethnicis Atheismi accusati fuerunt; atque hujus generis fuisse antiquorum plerosque, qui Athei nominantur, ex eo quod Religionem Legislatorum commentum assererent, luculentissima Platonis auctoritate comprobamus: is enim *lib.* 10. de Legibus de iis verba faciens, qui pro Atheis haberentur, hæc scribit: *Deos, o beate vir, primum affirmant, non tantum natura esse sed arte unice, ac legibus institutos: hinc fieri, ut singulis regionibus, & Populi proprii Dei sint, pro diverso eorum, qui leges rogarunt Civitatum, ingenio, & indole*. Itaque ii, qui primum asseruerunt, Religionem esse Legislatorum commentum, de sola Religione loquebantur, quam callidi hujusmodi homines confixissent, non vero de ea, quæ unius Supremi Numinis cultum decernat, qui nostri solicitus sit, qui per præcepta, & præmia ad virtutem nos alliciat, & per supplicia etiam alterius vitæ, a vitiis retrahat, cum hanc servandam esse Religionem constanter illi crediderint. Vides ergo quo labili fundamento innixi recentiores athei Religionem omnem callidorum Legislatorum inventum asserant. 32

Demonstr. modo propositio. Primum quia nullo antiquitatis monumento probant, Legislatores, aut alios Homines Religionem omnem finxisse. Quando enim, & quonam in Concilio ad hoc convenere callidi Homines ex omnibus terris, ut istud commentum humano generi persuaderent? Qui fieri potuit, ut nemine penitus discrepante in hujus- 33

(1) Non omittendum eruditissimum Aloysii Brennæ Romani opus, quod Florentiæ prodiit anno 1773. duobus tomis in 4. comprehensum *de generis humani consensu in agnoscenda divinitate*.

jusmodi concilium convenirent omnes cujusque Regionis Homines, qui ut locis, ita vita, ac morum institutis tam immaniter invicem dissident? Et ut in tanta vitæ morumque diversitate post tot, ac tantas rerum mutationes, atque vicissitudines apud omnes omnino Gentes cultas æque, ac barbaras paucorum Hominum commentum sartum tectumque semper servaretur? *Opinionum enim commenta delet dies, & naturæ judicia confirmat*, ut optime inquit Cicero, ac ipsa experientia comprobat, qua videmus, linguas, leges, Religionis ritus, atque alia ab Hominum opinione & arbitrio pendentia perpetuæ mutationi, atque vicissitudini obnoxia esse.

34 Deinde cum ex Mose, tum ex aliis antiquis historicis constat, plures Gentes in privatis Familiis Religionem servasse, antequam civilem Societatem inirent; ac similes quoque Gentes etiam nunc in America reperiuntur, in quibus Religio viget, quin quidpiam unquam a Legislatoribus acceperint.

35 Denique falsa omnino probatur hypothesis, quam Athei fingunt de conficto ex metu ab ignorantia orto invisibili Numine; tum quia in adstruendo Supremo Numine, docti, indoctique Homines conveniunt, ac convenere semper: hypothesis autem illa solum apud indoctos Homines locum habere potest; neque apud hos omnes, nam plerique sunt rudes Homines, qui ejusmodi timore non afficiuntur, ac plures etiam ob ingenii imbecillitatem, ad id confingendum inepti; Divinitatis autem persuasio omnibus communis est. Tum etiam quia ex hujusmodi terrore confictus Deus, res esse deberet formidolosa, truculenta, ac vitæ insidians; id enim ignorantis Hominis menti offerunt tonitrua, atque metum, terroremque excitantia phænomena. At Religio semper, ac ubique Deum summe sapientem, amabilem, de homine optime meritum, ac spem nobis ingerentem tum præsidii in adversis, tum etiam æternæ felicissimæ vitæ demonstrat, qualem scilicet, indicant Universi structura, ac mirabilis rerum ordo, & varietas, ac certus, atque determinatus cuique finis. (1)

Corollarium.

36 Si nulla gens cognita sine religione reperitur, incognitas quoque Australes, aliasque gentes religionem habere secundum Analogiæ regulas jure meritoque argumentamur. Sicut enim ea, quæ aliis omnibus hominibus communia sunt, in hominibus quoque incognitis præsumuntur, ita & Religio.

Propositio Quarta.

Religio ex Deo est, qui eam primis parentibus indidit, ac per traditionem propagata, & intimo sensu per rationis usum ubique terrarum semper conservata fuit.

37 Demons. Si Religio semper, & ubique ab omnibus ratione utentibus conservata fuit, nonnisi ex Deo communi hominum Parente esse potest, cujus consilio stabilita sit, cujusque providentia per traditionem de patre in filium propagata, ac per intimum naturæ sensum excitata, & conservata sit. Neque enim alia suppetit via, per quam religio in homines omnes propagari, ac ab omnibus ubique locorum custodiri potuerit. Inditum vero hominibus esse intimum sensum, quo ad Supremi Numinis cultum excitentur, ac traditam Religionem custodiant, facile patet; Nam quod homini etiam invito natura suggerit, id ex intimo naturæ sensu oritur. Hac enim ratione constat, ex intimo naturæ sensu prodire felicitatis amorem, ac propensionem illam, qua ad assentiendum propositioni evidenter cognitæ trahimur. Natura vero etiam invito homini Dei cultum, metumque suggerit, & inculcat, dum ex. g. ob improbe facta homines de Deo cæteroquin non cogitantes, ac ipsos quoque Atheos damnat, ac metum hinc atque timorem incutit. Nemo enim est, qui post patratum scelus conscientiæ stimulum non experiatur, ac malum sibi inde imminere non sentiat, ac metuat. Hunc autem metum ne Atheos quidem ipsos exuere unquam posse, fatetur ipse Bailius; testatur Cotta apud Ciceronem de Epicuro ipso; & ut alios mittam, asserit Seneca per hæc verba: *Mentiuntur, qui dicunt se non sentire Deum esse; nam etsi sibi affirmant interdiu, nocte tamen sibi dubitant.* Quid vero est, quod hanc dubitationem, hunc metum excitat, & incutit, nisi intimus naturæ sensus factum improbans, ac Dei reverentiam timoremque incutiens.

Scio, Atheos confugere solitos esse ad Mundi 38
æternitatem, ut argumenta eludant, quæ a nobis pro adstruenda DivinæReligionis origine allata sunt. At quis miserum effugium non rideat? Nam mundum a Deo conditum esse, atque initio Mundi hominem a Deo formatum fuisse, qui Religionem ab eodem accepit, modo a nobis supra indicato, propagatam, tam certum est quam quod maxime. Mundi enim, hominisque creatio, res facti cum sit, nonnisi ex historicis monumentis constare potest, eadem ratione, qua Urbium, & Imperiorum initia comprobantur. At quotquot extant monumenta, recenter Mundum conditum, & hominum ex una a Deo constituta familia exordium demonstrant. Occurrit primum Mosis historia, quæ librorum omnium, qui supersunt, antiquissima est: in hac Mundi genesis, & qua ratione cum homo, tum res singulæ formatæ sint, accurate describitur; & ad homines quod spectat, primum usque ad universale diluvium humani generis ex una Adami Evæque familia propagatio recensetur, deinde a diluvio ad Mosis ipsius ætatem ex una quæ superfuit Noemi familia. Designantur ibi distincte singulorum patrum-familias nomina, mores, anni, quos vixerint, ea perspicuitate, ac stili simplicitate, ut omnis omnino imposturæ suspicio excludatur. Accedit etiam, ea quæ hic narrantur de humani generis exordio, & propagatione, stabilita historiæ veritate, nota esse debuisse illorum plerisque, quorum gratia Mosis historia conscripta fuit; ut consideranti Patriarcharum successionem ex

(1) Confer Clariss. F. Antoninum Valsecchium *dei fondamenti della Religione e dei fonti dell' empietà lib. 3. p. 1. cap. 12.*

ex uno Adamo, & annos, quos illos vixisse asseritur, manifestum fiet. Si ergo animadvertamus, veluti Divinam ab universa gente Hebræa fuisse tunc susceptam Mosaicam historiam, atque ita deinceps ad ætatem usque nostram conservatam, perspicuum erit, non posse, nisi per summam impudentiam, de illius veritate dubitari.

39 Deinde circa Mundi genesim, hominumque ex una familia propagationem reliqua humani generis monumenta cum Mosis historia consentiunt. Nam omnes nobis cognitæ gentes Mundum initium habuisse fatentur; ac nulla unquam gens fuit, quæ nationis suæ exordia, eaque parva, ex una nempe, aut paucis familiis non ostenderet; Ægyptii, testibus Diodoro Siculo, & Laertio; Phœnices, teste Sanchoniathone; Chaldæi, teste Beroso; Persæ denique, Arabes, Assyrii, aliique Orientales, ut ex Homero, Hesiodo, aliisque Poetis liquet, qui Mundi nativitatem cecinere, ac Mundum in tempore a Deo ex rudi indigestaque mole conditum, asseruerunt. Historicis, & Poetis accedunt etiam Philosophi, scilicet Tales, Pythagoras, Anaximander, Plato, aliique; & Aristoteles ipse lib. 1. de Cœlo c. 10. scribit, ante ipsum omnes Philosophos recentem Mundi nativitatem habuisse; nec veram ipse putavit de Mundi æternitate opinionem, ut optime observavit Grotius, sed eam veluti hypothesim adhibuit, quam aptiorem existimavit ad rerum originem explicandam (1). Quamobrem ex ipsa quoque Aristotelis confessione constat, semper & ubique homines credidisse, Mundum in tempore conditum. Et sane nullus Ocello Lucano antiquior reperitur Philosophus, qui Mundum æternum asseruerit, cujus assertio, veluti monstruosum paradoxum, ab universo humano genere explosa fuit.

40 Sed expendamus reliqua humani generis monumenta. Super quatuor circiter annorum millia nulla humanæ historiæ monumenta supersunt; quæ enim de sua antiquitate, & astronomicis observationibus jactabant olim Chaldæi, ac nunc Sinenses, fabulosa, & falsa detecta, & demonstrata sunt ab Huetio, aliisque eruditis Viris, qui de hoc argumento tractarunt. Quotquot præterea extant monumenta, omnia probant, ex paucis, immo ex una familia propagatos homines esse. Parva in iis occurrunt Societatum civilium, & Imperiorum initia in omnibus Mundi partibus; artium, quæ etiam humano generi omnino necessariæ sunt, ut seminandi, metendique frumenti, vinum ex uvis exprimendi, ac reliquarum hujus generis; scientiarum, legum civilium, superstitionis, idololatriæ, atque etiam atheismi primi inventores auctoresque nominatim designantur, ut legere est apud Jaquelotium in opere de Existentia Dei, & apud Auctorem Principiorum Religionis naturalis & revelatæ *tom.* 5. *pag.* 59. Quis vero fingat homines ex æterno extitisse sine scientia ulla, & sine artibus ad vitæ cultum omnino necessariis, & quin ullum prorsus posteris monumentum reliquerint sui, rerumque ab ipsis gestarum.

Nec male feriatis hominibus confugere licet ad 41
eluviones, devastationesque Populorum: Nam per has, aut omnes aut unius tantum, vel alterius regionis homines periere. Si omnes, undenam postea humanum genus instauratum, ac propagatum est? Qui fieri sine miraculo potuit ut diluvium E.G. universale, ita omnes homines perderet, & omnia humani generis monumenta deleret, ut nullum prorsus remaneret vestigium, quo humanum genus antiquius indicaretur ætate illa qua per historias, ac reliqua monumenta demonstratur? Si vero dicat, per eluviones illas aliquos tantum periisse Populos, cur superstites homines aliquam saltem antiquarum rerum memoriam, ac aliqua antiquitatis monumenta non conservarunt? Qui fieri potuit, ut ne quidem eluvionum, ac depopulationum memoria remanserit? Nullum ergo, nequidem apparens, Atheis effugium superest, quo moveri ad dubitandum possint, quin Religio communi hominum cujusque ætatis consensione adserta, & custodita, ex Deo sit, qui Mundum condidit, ac homines, qui Deum semper coluerunt, ac colunt, *quasi unde orti sint, recordentur, & agnoscant*, ut inquit Cicero *lib.* 1. de Legibus.

Corollarium.

Habes ergo ex hucusque demonstratis, Religio- 42
nem a Deo propriis hominibus inditam fuisse; per traditionem deinde, ex patre in filium naturæ sensu ita semper, ac ubique gentium custoditam esse, ut licet pravi efferatique homines naturæ legem plerisque in capitibus depravaverint; licet ignorantia, socordia, ac perversa hominum ratiocinatio veram divinitatis notionem in hominum plerisque corruperit, vel deformaverit; licet superstitio, & idololatria externum internumque cultum turpissime fœdaverit; & licet Epicuræi, Atheique convellere ex hominum animis studuerint omnem divinitatis Religionisque persuasionem: tamen obliterari omnino numquam potuit confusa supremi Numinis notio, nec deleri; aut præfocari intimus ille naturæ sensus, qui colendum metuendumque prædicat Deum omnia intuentem, ac supplicia alterius vitæ improbis hominibus minitantem. Ex quo apparet, depravari utique potuisse per indicatas causas Religionem, deleri vero ac convelli ex hominum animis nullo unquam conatu potuisse, ac maluisse homines, falsos Deos, quam nullum Deum colere, ut olim ajebat Cicero.

Caput Secundum.

De naturalis Religionis existentia.

Superiori in capite ostendimus, totum genus 43
humanum adversus Atheos pugnare, ac ne quidem Atheos ipsos improbo conatu potuisse unquam Religionis persuasionem, ac metum supremi Numinis omnino exuere, atque ex eorum cordibus delere. Hoc itaque in capite causam tuemur totius humani generis contra paucos homines, vitiorum fautores, ac manifestos virtutis inimicos, quos vel ipsi Ethnici humanitatis monstra,

(1) Vereor tamen, ut hæc Aristotelis defensio iis probari possit, qui Moshemium legerint ad Cudworth sect. 2. §. 6. 7. 20.

stra, ac perniciem humani generis dixerunt, & suppliciis, vel saltem exilio puniendos censuerunt, ut legere est in Laertio, Plutarcho, aliisque antiquis Scriptoribus. Horum hypotheses, quas in Articulo de Pantheismo descripsimus, refutandas suscipimus. Caput vero dividimus in partes duas: In prima de Dei existentia, ejusque attributis; in altera vero de ejusdem Dei providentia agemus, qua officia illa homini præscribuntur, quibus naturalis religio constat.

Pars prima.

De Dei existentia, & Attributis.

44 Dei existentiam adversus Atheos demonstraturi, principio visibilia hujus mundi, & ea quæ facta sunt expendimus, quæ sane Dei existentiam, ac invisibilia ipsius attributa, ita nobis ostendunt, ut omnino inexcusabiles sint, qui Deum ex iis non agnoscant, & colant. Ita enim natura comparati sunt homines, ut dum opera vident, quæ rationem, consilium, & artem exprimant, illico intelligant ab eo perfecta fuisse, qui ratione, consilio, & arte polleret. Ubi vero major pulchritudo, quam in ornatu Cœlorum? ubi perfectior ordo, quam in Universi, ac rei cujusque partium dispositione? Ubi major constantia atque ars, quam in motu syderum, quam in plantarum, animantium, hominumque propagatione atque motionibus? Quæ ars mirabilior esse potest illa, quam vel in rei minimæ ejusque partis structura intuemur? Scimus enim, quidquid artis in homine est, id ex harum structuræ consideratione deductum esse; Si ergo natura ipsa duce res, quæ artem & sapientiam artificis demonstrant, in sapientis artificis cognitionem nos ducunt, exploratum procul dubio cuique esse debet, visibilia hujus mundi, invisibilem ejusdem Authorem Rectoremque potentissimum, & sapientissimum demonstrare.

45 Scio, opinari, Stratonicos, Epicuræosque ornatum mundi, resque omnes Universi ex cæco particularum impetu, aut ex varia atomorum combinatione prodiisse. At permisso possibilem hanc rerum combinationem in sinu materiæ, atque in ejusdem materiæ particulis reperiri; plura adhuc sunt, quæ hujusmodi hypotheseos falsitatem demonstrant. Nam in possibili ex. gr. colorum combinatione, combinatio illa proculdubio reperitur, in qua per egregii Pictoris artem, pulcherrima pictura efficitur; & tamen insani universim haberentur homines illi, qui perfectam picturam ex fortuito colorum casu, seu ex fortuita colorum projectione emersisse assererent: Nam cum hanc non modo casus, sed ne homines quidem efficere possint, qui certis regulis, & arte instructi non sint; non nisi per summam insaniam fortuito casu elaboratam diceremus: Quis ergo dicat, nisi stultissime, sine infinita sapientis arte, ornatum Cœlorum, hominesque, & res alias hujus Mundi fieri potuisse? Rursus fingunt Epicuræi, ante hanc pulcherrimam rerum combinationem alias infinitas præcessisse. Si ita vero se res haberet, ubi nunc tanta in speciebus animantium & rerum similitudo? Cur ex hominibus ex. causa nullus superfuit, qui unum tantum, vel plures quam duos oculos haberet, aut plures vel pauciores partes, quæ propagationi speciei non obessent? An non vident perfectam similitudinem, quæ in omnibus ejusdem speciei individuis reperitur, artem ac sapientiam artificis demonstrare, qui species rerum omnium condiderit, partesque singulis concesserit ad necessarios usus destinatas, tum ob individuorum conservationem, tum ob propagationem speciei?

At hæc levia sunt, & contra infimum illum 46 probabilitatis gradum faciunt, quem Athei, pro se afferre possunt. Graviora enim suppetunt; Nam falsum omnino est, combinationem illam, quæ in Universo reperitur, possibilem esse in fortuito particularum materiæ concursu, cæca tantum natura gubernante: etenim in hac Universi forma & rerum varietate, certæ motus ac proportionis regulæ sunt, quas solas sapientia præscribere & decernere possit: ex iis enim sibi comparavit homo quid quid sapientiæ, & artis habet, certos autem motus, & proportionis leges in cæca natura, in materia, ac in fortuita atomorum combinatione requirere, perinde est ac asserere, hominem, qui omni arte, sapientia, ac etiam ratione destitutus sit, ad perfectam artis normam, exactum opus perficere posse. Denique in hoc Universo homo reperitur mente, ac ratione præditus; ubi vero in atomis æternis, in vi genitrice illas agitante, aut in immensa materia, quam alii Athei fingunt, mentis & rationis causa sufficiens adest? Hæc ergo mundi visibilia non solum sapientissimum, & potentissimum Deum ostendunt, sed etiam falsitatis convincunt Pantheistarum hypoteses. At clarius demonstratur ex ipsa rerum contingentia.

Nam existit ens necessarium, quod scilicet ex se existit, & non potest non existere. Id evidens est. Evidens enim est, dari plura entia contingentia, quæ nempe aliquando non fuere, ac natura sua indifferentia sunt ad existendum, vel non existendum. Nam intimo sensu clare intelligimus, nos aliquando non fuisse, nec amplius existere homines, a quibus progeniti fuimus, eadem evidentia constat: Atque ita etiam liquet, alios extra nos positos homines, animantia quæque, plantas, lapides, ac res alias hujus Universi, vel aliquando non fuisse, vel esse non posse. Porro ea, quæ aliquando non fuere, vel quæ ita exhibentur, ut clare intelligamus esse non posse; ut Tellus, Sol, Astra, Cœlum &c. in semetipsis sufficientem rationem existentiæ suæ non habent, alioquin non possent non existere, atque uti a seipsis existentiam haberent, ita intima sua virtute conservarentur, ac necessario essent: Accedit etiam, hujusmodi entia, quæ contingentia cum sint, habere debuerunt initium, non posse ex nihilo esse, quia nihil nil potest efficere; neque a semetipsis, tum quia si a semetipsis producta essent, sufficientem rationem in semetipsis haberent existentiæ suæ, qua ut esse, ita & conservari possent, ideoque perire non possent, contra experientiam, vel evidentiam, qua illorum contingentia constat; tum etiam quia res eadem secundum eandem rationem nequit esse causa, & effectus, alioquin qua causa sui ipsius, seipsa prior, & una effectus, seipsa posterior esset; quod evidenter falsum.

Ita evidens est, contingentia omnia ab alia cau- 47

sa producta esse. Age vero? Vel causa hæc a semetipsa, & necessario, vel ab alio priore ente procreata fuit. Si primum: En ens necessarium. Si vero dicant, ab alia causa productam esse, atque hanc itidem ab alia in infinitum usque, ne hac quidem in hypothesi ens necessarium excludi potest. Finge hunc in infinitum processum in humanæ generationis serie, in qua unus ab alio genitus sit homo, quin ad primum parentem humani generis deveniri possit. Hæc infinita esset effectuum series, quorum singuli producti essent; & in qua serie virtus, & sufficiens causa deesset, qua effectus illi existerent: Nam singuli homines destituti essent virtute, qua fiant & existant; tum quia ab alio producti exhibentur, ac sunt contingentes, tum etiam quia si in semetipsis sufficientem rationem habuissent existentiæ suæ, virtute hac fieri, & conservari potuissent. At evidens est, singulos homines, ac res contingentes reliquas, virtute carere, qua conserventur; cum reluctante ipsa eorum natura pereant. Necesse ergo est, extra hanc seriem etiam infinitam dari aliquod ens, quod a semetipso existat, & quod in se sufficientem rationem, & virtutem habeat existentiæ suæ, & etiam rerum omnium contingentium. Hoc vero est ens necessarium. Neque fingant, contingentia esse individua, collectionem ens necessarium. Id enim perinde esset, ac fingere seriem rerum contingentium instar catenæ infinitis constantis annulis, quorum singuli ac omnes producti essent, atque adeo ab alio dependentes, catena vero ipsa improducta, ac ex se suspensa manens, quin in se sufficientem virtutem haberet, qua subsistere, & quin sustentaretur ab alio. Evidens vero est, catenam hanc repugnare. Id enim esset fingere ens aliquod infinitæ durationis, quod nec a se, nec ab alio existentiam haberet. Ergo evidens itidem esse debet, repugnare collectionem entium, quorum omnia, ac singula producta sint, ac esse non possint, nisi ab alio, ipsorum vero collectio improducta & independens sit. Est ergo evidens existere ens necessarium, quod a se sit, quod in semetipso sufficientem existentiæ suæ, ac rerum omnium contingentium rationem habeat, & causa & origo sit omnium contingentium. Id adeo verum est, ut nequidem Athei in controversiam revocare audeant. Ostendemus paulo infra, materiam inter entia contingentia numerari. Interim per corollaria demonstrare oportet, ens necessarium esse Deum Mundi Auctorem, Rectoremque.

48 I. Ex superiori demonstratione liquet, *ens necessarium esse ens a se*, quia ex se, non ab alio est; nec alia opus habet causa, ut existat, & conservetur.

49 II. *Entis necessarii essentia in existentia necessaria, sive a se posita est.* Nam id, quo posito res est, & quo sublato tollitur, quod primum in re concipitur, quodque rem illam ab omni alia secernit, atque attributorum omnium fons est atque origo, pro rei essentia, sive primario ejus attributo habetur; In ente vero necessario existere, sive existentia a se, vel ut scholæ loquuntur, *Asseitas*, id est, quo posito ens necessarium habetur, & quo sublato non amplius est, ut est evidens. Rursus *asseitas* est, qua ens ad entis necessarii constitutionem determinatur, & qua a contingenti secernitur: Ex hac denique necessaria existentia veluti ex prima radice, atque fonte omnes istius proprietates deducuntur, ut mox apparebit. Existentia ergo necessaria, sive *asseitas* essentia est entis necessarii. Hinc Deus ut se hominibus ens necessarium esse demonstraret, a Mose rogatus, ut quid ipse esset, exponeret, respondit: *Ego sum, qui sum*, hoc est, ipsum esse necessarium, ac plenitudo entis.

III. *Est æternum*; Nam quod semper est, ac semper in se habet quidquid ei competere possit, id æternum dicitur; nam ejus duratio, initio & fine caret, ejusque perfectio tota simul, & interminabilis est. Hujusmodi vero ens necessarium est; ejus enim natura ex se ipsa existentiam, & quidquid exigit necessarie possidet; & nec a se ipsa, neque ab alia causa in nihilum redigi, aut imminui quidpiam potest. 50

IV. *Est prima causa & fons omnium contingentium*; Nam a seipso est, neque causam ullam habet, a qua pendeat: Contigentia vero cum nec a nihilo, nec a se ipsis existentiam habere possint, causam existentiæ suæ non aliunde, quam in ente necessario habent. 51

V. *Ens necessarium habet omnes perfectiones possibiles*. Quotquot enim possibiles sunt perfectiones, vel necessariæ sunt, vel contingentes; nil enim in rerum universitate concipi potest possibile, quod non sit aut ens necessarium, aut ens contigens; nam præter ea, quæ natura sua existunt, ac non possunt non existere, & ea, quæ sunt indifferentia ad existendum, & non existendum, nil superest præter merum nihil. At in ente necessario sunt perfectiones omnes entis necessarii, & quotquot possibiles sunt enti contigenti: De perfectionibus entis necessarii nemo dubitat, cum has absolute naturæ suæ necessitate possideat, qua necessarie sibi vindicat, quidquid habere potest: De contingentibus vero facile patet. Nam vel hæc existunt, vel possibilia sunt: quæcumque existunt, existentiam suam, & quidquid perfectionis habent, ab ipso ente necessario acceperunt; quæ autem possibilia sunt, non aliunde possibilem existentiam, & perfectionem habent, quam ab ente necessario, cujus unice virtute produci possunt. 52

VI. *Perfectiones entis necessarii infinitæ sunt, & nil imperfectionis admixtum habent*; Nam in hujusmodi ente, perfectiones omnes possibiles continentur entium contigentium. Hæ vero infinitæ sunt; sunt enim infinita cum numero, tum etiam specie contingentia possibilia. Sunt etiam hujusmodi perfectiones illimitatæ: nam per absolutam naturæ necessitatem, qua ens necessarium determinatum est ad existendum, determinat, atque vindicat sibi modo omnium perfectissimo, scilicet respondente existentiæ necessariæ, quidquid ei compossibile sit. Sunt autem ei infinitæ perfectiones possibiles, cum has in eo non repugnare clare intelligamus. Itaque cum causa desit, quæ imminuere illas, ac limitare possit, ac per existentiam determinatæ sint, 53

qua

qua perfectior concipi nequit, nonnisi illimitatæ esse possunt. Est ergo ens necessarium infinitum, & nihil imperfectionis admixtum habet, cum imperfectio defectus sit, in eo vero nihil deficiat.

54 Atque hinc patet, perfectiones, quæ dicuntur in scholis simpliciter simplices, cujusmodi sunt illæ, quæ nihil imperfectionis admixtum habent, in eo repiriri *formaliter*: Eas vero, quibus quidpiam imperfectionis admixtum sit, ut sunt corpora, & ea, quæ natura sua defectibilia sunt, atque ad interitum præproperant, *virtualiter* tamtum & *eminenter*; cum quidquid in hujusmodi rebus perfectionis sit, infinite eminentiori modo in illo contineatur, ac produci ab illo possit.

55 VII. *Est etiam immensum*, tum quia absoluta existendi necessitas æque exigit esse ubique, ac alicubi; ergo cum causa desit, quæ unum, vel certum locum determinare queat, necessarie ubique esse debet. Tum etiam quia hæc ei perfectio possibilis est, cum concipere possimus spatium, sive expansionem immensam; cumque clare intelligamus, in qualibet illius expansionis parte ens aliquod contingens efficere posse. Si autem immensam expansionem concipere possumus, cui ens necessarium præsens sit, jam clare intelligimus, ei omnipræsentiam, sive immensitatem possibilem esse.

56 VII. *Est immutabile*. Nam quidquid mutari potest, vel ab externa, vel ab interna causa mutatur: ens vero necessarium cum independens sit, ex externa causa mutationem subire nequit, neque ab interna, cum naturæ necessitate quidquid ei compossibile sit, necessarie possideat. Rursus mutationem experiri nequit ratione existentiæ, quæ ei necessaria est; ratione loci, cum sit immensum; ratione temporis, cum æternum sit, ac omnes temporis differentias complectatur; ac ratione perfectionum, cum natura sua infinitum sit. Est ergo immutabile.

57 IX. *Est Omnipotens*. Nam omnia potest, quæ possibilia sunt, cum nil possibile sit, quod in ente necessario existentiæ ac perfectionis suæ rationem sufficientem non habeat.

58 X. *Vivit voluntate, & intellectu præditum*. Nam hujusmodi perfectiones in entibus contingentibus reperiuntur, in quibus non sunt, nisi quædam entis necessarii participationes. Deinde insunt in eo omnes possibiles perfectiones infinitæ, ut demonstravimus; sunt autem hæ perfectiones ei possibiles, atque modo infinite perfecto in eo reperiri intelligimus.

59 XI. *Est etiam liberum*; tum quod hæc ei perfectio non repugnet; tum quia rerum contingentium natura, atque contingentes leges, quibus earum motus reguntur, ipsius libertatem designat: tum demum quia inter creaturas entis necessarii virtute conditas, homo reperitur, qui perfectionem libertatis habet. Hæc ergo in ente necessario modo infinite perfecto reperiri procul dubio debet.

60 XII. *Est spirituale, & incorporeum*. Etenim intellectu, & voluntate præditum est; atque extensum esse non potest: Nam est immutabile, & nihil imperfectionis habet: quod vero corporeum, & extensum est, cum ex pluribus coalescat, quæ dividi, ac separari, & novas figuras novosque motus suscipere possunt, immutabile esse non potest, nec defectus, sive imperfectionis expers. Tum quia in partes discerpi posse, & mutari imperfectio est, hoc est, defectus immutabilitatis, atque perfectæ & constantis perfectionis. Tum etiam quia in corporea & extensa natura desunt cognitio, ac perfectiones omnes inde sequentes, ut in philosophia satis demonstratum est. Atque hinc patet, ens necessarium esse substantiam spiritualem infinitam, quam Deum vocamus.

XIII. *Est simplex*. Nam simplex dicitur, quod 61 compositionis est expers. In Deo autem nulla compositio esse potest: etenim immutabilis est, & infinite perfectus; res vero, quæ physice composita sit, cum in partes, ex quibus componitur, dividi possit, mutari potest, & ob divisibilitatem imperfecta est. Deus ergo nec ex mente, & corpore conflatus est, ut anthropomorphitæ opinabantur; neque mens est, cui nova accidentia superaddi possint, & quæ accidentaria quadam luce affici possit, ut Palamitæ commenti sunt; nec denique extensus Spiritus est, ut Clarckius, aliique arbitrati sunt, qui spatium Dei immensitatem esse asseruerunt: nam quod ita extensum sit, ex pluribus partibus coalescat necesse est, cum nonnisi per has extendi queat. Accedit etiam, quod si Divinus Spiritus ita extensus esset, vel quælibet pars ipsius Deus esset, vel non. Si primum, tot Dii essent, quot infinitæ illius extensionis partes. Alterum vero dici nequit; Nam si hujus Spiritus partes, vita, intellectione, & libertate carerent, neque harum collectio iis prædita esse posset. Denique si res ita se haberet, Deus totus ubique non esset, sed pars ejus in sole exempli grat. in terra &c. immo pars tantum ipsius in ista rerum universitate reperiretur; quo quidem nihil absurdius. Qua autem ratione Deus præsens loco sit, dicemus alibi.

XIV. *Deus unus est*. Nam est ens necessarium, 62 entia vero necessaria plura esse non possunt; nam illud tantum ens necessarium est, quod non possumus cogitare non existens; omnia autem entia, uno excepto, concipere non existentia possumus; si enim novem ex. gr. fingantur, octo inutilia esse facile concipiemus. Deinde est infinite perfectus: plura vero entia infinite perfecta dari non possunt, quia unum perfectione careret, quam alii haberent, ideoque omnibus quidpiam deficeret. Accedit etiam, infinite perfectum immensum esse, ideoque a nulla alia re excludi posse; omnipotens esse, ideoque potentiam experiri non posse contrariam, & ipsi æqualem; omniscium denique esse, ideoque ignorare nihil posse. At si plura infinite perfecta essent, unum alterum e loco excludere posset; unius potentia alterius æqualem posset impedire; unus denique vim, atque consilia alterius independentis non intelligeret. Si vero dixeris, mendicare unum Deum posse ab alio vim agendi, & scientiam, quam diximus, jam independentiam, & entis necessarii notionem sustulisti. Denique ordo rerum contingentium, qui in hac universitate viget, unius Supremi Dei existentiam declarat. Atque hæc de præcipuis Dei attributis. Ut autem adversus Atheos

res

res abunde demonstrata maneat, ostendendum suscipimus, materiam non esse ens necessarium.

63 Materia omnes contigentis characteres habet. Nam potest non existere; id enim clare intelligimus; etenim, vel Universum plenum est, vel quidpiam vacui habet. Si quidpiam vacui in Universo sit, jam clare intelligimus, ibi materiam non esse, & qua ratione concipimus materiam non existere ibi, eadem spatium omne sine materia esse intelligimus. Si vero vacuum non detur, concipere tamen illud nil vetat: quid enim prohibet, quominus spatium inter aulæ parietes interceptum omni destitutum corpore, concipiamus? Si concipere possumus materiam non existere, ergo in idea materiæ idea existentiæ non reperitur, atque existentia necessaria ei non competit. Rursus materia habet omnes modos contingentes, & mutabiles; Sunt enim materiæ modi magnitudo, figura, motus, situs, soliditas, inertia &c. hujusmodi autem proprietates, seu modi, contingentes, seu mutabiles sunt, nec aliter concipi possunt, quam ut arbitrarii effectus causæ a materia distinctæ. Tum quia motus illi contrarii materiæ possibiles sunt; tum etiam quia successive eosdem materia induit; quæ quidem mutatio entis necessarii naturæ repugnat. Illos vero a causa arbitraria pendere, tum eorum contigentia ostendit; tum etiam ex eo liquet, quia ab indito materiæ motu ii repeti neutiquam possunt. Materiæ enim neque motus, neque vis motrix essentialis statui potest; tum quia sine motu a nobis concipitur, & veluti res indifferens ad motum, & quietem; tum etiam quia si essentialis materiæ motus esset, nulla ipsius pars quiesceret, immo nequidem quiescere posset; secus ac experientia docet, quæ plura quiescere corpora demonstrat, atque omnibus inditam ostendit vim inertiæ, qua corpus quodcumque status mutationi resistit; tum demum quia motus, & leges, quibus materiæ motus regulantur, arbitrarii sunt. Cum non sint ubique uniformes, ut Philosophi demonstrant de vi gravitatis, cohæsionis, repulsionis, & percussionis disputantes. Quæ cum ita se habeant, ita propositionem demonstramus: Quod proprietates non habet entis necessarii, & omnes proprietates exhibet entis contingentis, contingens est; materia vero destituitur proprietatibus entis necessarii a nobis expositis, & per omnes proprietates, quas habet, contingens ostenditur. Ergo.

64 Dices: ex nihilo nihil existere; ergo, cum materia existat, quæ ex nihilo fieri non potuit, necesse est natura sua existere.

65 Resp. ex nihilo nihil existere, quin causa præextiterit, quæ efficere illud potuerit, quod idem est, ac dicere, a nihilo nihil effici potest: at si causa præcessit, quæ creare rem potuerit, nihil prohibet asserere rem ex nihilo factam. Nam ens illud cogitans, quod in me, & in quolibet homine est, initium proculdubio habuit: perspicue enim intelligo non fuisse semper: e nihilo ergo potentissimæ causæ actione conditum est. Si ens cogitans hac ratione fieri potuit, cur non etiam materia? Deinde ens illud cogitans, quod in me est, voluntate sua efficere motum potest, ac motum sistere, ut quisque intimo sensu cognoscit. Si mens limitata tanta vi pollet, ut novum efficere valeat motum, mens infinite perfecta, ac infinita potentia prædita, poterit sane non modo motum, sed ipsam etiam substantiam voluntate sua efficere.

Dices: at intelligere non possumus, quomodo res ex nihilo fiat. Sed nequidem intelligere valeo, qua ratione vis elastica, vel electrica, aut magnetica agat, nec proinde harum virium effectus in controversia revoco. Immo nec intelligo, quomodo ad nutum voluntatis meæ digitus moveatur unus, ac illico is deinde sistatur, & agitetur alter, & tamen de iis dubitare non possum. Ergo quod intelligere nequeam, qua ratione ex nutu divinæ voluntatis extiterit ex nihilo materia, in dubium istitius creationem revocare non possum; cum hæc per proprietates, & affectiones omnes veluti effectus infiniti arbitrii exhibeatur. 66

Corollarium.

I. Ex dictis facile patet, falsam esse antiquorum fere omnium Philosophorum, atque Hermogenis sententiam de duobus Principiis æternis, altero efficiente, altero quod fingeretur; ac falsam itidem esse doctrinam de duobus principiis a Zoroastre apud Orientales traditam, ac per Simonem Magum in Ecclesiam traductam, juxta quam duo statuebantur æterna principia, bonorum unum, alterum vero malorum omnium fons, & origo. Ii enim omnes malum principium, vel materiam ipsam statuere, at materiam una cum maligna ipsi indita virtute, ex qua maligni spiritus prodierint, ut Manichæorum plerique, atque Priscilianistæ somniarunt. Si materia æterna, increata non est, sed Dei summe boni, ac potentissimi effectus, hujusmodi commenta a fundamentis evertuntur. Sophismata vero, quæ circa malorum originem opponunt, in sequenti parte solvemus. 67

Pars altera.

De Dei providentia, atque officiis hominis, quibus naturalis Religio constat.

Providentiæ nomine rationem intelligimus, qua per apta media finis procuretur. De Dei itaque providentia disputari inquiremus, num certum ob finem res condiderit, ac res singulas certa ratione in suum finem dirigat. Hæc enim inquisitio adeo cum Dei existentia connexa est, ut veteres non dubitaverint confidenter asserere, Epicurum ob negatam Dei providentiam rem sustulisse, ac solum Dei nomen reliquisse. Duplex autem distingui potest regimen, ac rerum cura, physica, & moralis: illa iis legibus continetur, quibus res omnes certo ordine dispositæ per quasdam naturæ leges in suum finem diriguntur: moralis vero in cura illa sita est, qua creaturæ ratione, ac libertate præditæ ita legibus reguntur, ut indito quodam naturæ sensu, spe præmiorum, pœnarumque metu in certum finem dirigantur, hoc est in optatam felicitatem. Paucis hic expendemus, quæ ad Providentiam, ejusque proprietates spectant, & quæ contra ab impiis opponi solent; deinde hominis officia ab hac providentia præscripta designabimus; pœnas denique atque supplicia ostendemus, quibus ad hujusmodi officia præstanda eosdem impellit. 68

Pro-

Propositio I.

Deus providentia sua omnia regit, & moderatur.

69 Dem. Posita infinita perfectione, quam sibi vindicat ens necessarium, evidens est, Deum providentia sua cuncta regere, & moderari. Cum enim in entibus contingentibus substantiæ reperiantur ab ipso conditæ, quæ intellectu, & sapientia præditæ sunt, qua certos sibi fines præfigunt, & apta ad illorum consecutionem media disponunt, & adhibent, facile patet, hanc perfectionem in Deo sine limitatione ulla reperiri. Rursus Deus operando, modo naturæ suæ conveniente agere debet, alioquin in actionem ipsius cadere imperfectio posset: ergo non potest agere, nisi modo infinitæ sapientiæ suæ respondente: infinite vero sapientis est finem in agendo sibi proponere, ac aptissima ad istius consecutionem media adhibere. Item agere non potest, nisi modo infinitæ suæ bonitati respondente; boni vero opificis est, opus quod fecerit curare. *Quis enim deserat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere; nonne major injuria est fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit: non curare, quod feceris, summa inclementia*, inquit Ambrosius, *de off. c.* 13.

Propositio II.

Dei providentia cum sapientia, sanctitate, justitia, bonitate, cæterisque possibilibus perfectionibus moralibus conjuncta est.

70 Dem. quia hæc perfectio, sive attributum est entis necessarii; omnia vero entis necessarii attributa absoluta necessitate perfectiones omnes illimitatas sibi vindicant, quæ sunt ipsi possibiles. Omnes autem istæ perfectiones cum providentia componi possunt.

Deinde sapientia est cognitio, qua finem elegit, & apta ad illius consecutionem media disponit, & adhibet; sanctitas est, quæ in recti, bonique amore consistit, quæque mala moralia, cujusmodi sunt peccata, atque vitia, omnino excludit; justitia constans voluntas agendi juxta æternas, & incommutabiles rationes, & præmia, atque supplicia tribuendi juxta merita, atque demerita; bonitas denique constans voluntas est benefaciendi, seu communicandi felicitatem creaturis: hæc vero dum non merentibus dona largitur, gratia; dum malis merita tribuit, misericordia; ubi vero malos punire tardat, longanimitas nuncupatur. Atqui hujusmodi perfectiones in Deo insunt; tum quia sine ipsis non esset infinite perfectus; tum etiam quia harum vestigia, ex participatione ab ente necessario, in ipsis creaturis rationalibus reperiunrur. Ergo juxta principia superius stabilita, in Deo infinite perfecto reperiri debent.

71 Atque hinc seqnitur etiam esse Deum infinite veracem, qui nec falli nec fallere possit. Nam infinite sapiens falli nequit, alioquin infinite perfecta ipsius sapientia non esset; in eo enim, qui decipitur, sapientia deest. Infinite autem bonus nequit fallere; decipere enim alium malum est, defectus est, ac rectæ rationi dissonum est. At in infinite bonum malum cadere nequit, alioquin infinite bonus non esset, quia defectum omnem non excluderet; quod ad plenitudinem bonitatis omnino necessarium est.

Propositio III.

Systema divinæ providentiæ incomprehensibile est.

Nam ab æterna, immensa, & infinita sapientia 72
stabilitum est, quæ infinite superat limitatæ mentis nostræ captum. Ita enim natura nos comparati sumus, ut quo a præstantiori ingenio, atque arte inventa atque disposita opera sint, eo difficilius comprehendamus: hinc rudes homines præclara humani ingenii inventa, & consilia Principum non intelligunt; & a brutis intelligi, quæ ab hominibus fiunt, nullo modo possunt. Deinde systema hujusmodi seriem complectitur omnium temporum, entium omnium, ac omnium eventuum sibi invicem cohærentium, ac sese successive explicantium: Res vero omnes, quibus Universus constat, leges, quibus cum omnes, tum singulæ reguntur; mutuæ inter ipsas actiones, & relationes, & quantum singulæ aliis conferunt, cognitum nobis esse non potest, ut experientia constat; ac multo minus successionem, earumque futuros eventus intelligimus. Immo nec minimam rem, vel nos ipsos comprehendimus, cum plura sint, quæ de re qualibet, ac de nobismetipsis ignoramus, quam quæ novimus, ut est evidens. Systema ergo divinæ providentiæ &c.

Atque in hac ipsa incomprehensibilitate ipsius 73
sapientia elucet. Tum quod id plurimum conferat ad movendos homines ad opera admiranda divinæ providentiæ, ac venerandum supremum Opificem, cum homines, quæ obvia sunt, parvi pendere, quæ vero magis recondita videntur, plurimum existimare soleant. Tum etiam quia incertus rerum eventus necessarius videtur ad homines probandos, & ad summarum virtutum exercitium, fidei nempe, spei, fiduciæ, & devotæ erga Deum voluntatis; & ad fovendam sollicitudinem felicitatis vitæ futuræ, quæ per spem, atque metum a vitiis nos retrahat, & ad virtutes incitet.

Si integrum hujus Mundi systema compertum 74
nobis non est, sed plures ipsius partes, ac rerum in eodem ordine, varietatem, relationes, usus, atque fines ignoramus, nil nos certi decernere possumus de pulchritudine, de bono, deque perfectione unius; sed cum evidenter nobis constet, a Deo, summe sapiente, conditum esse & gubernari, præsumere omnino debemus, ad Universi pulchritudinem, atque perfectionem spectare ea quoque, quæ superflua, vel noxia videantur, quin nos pulchritudinem intelligamus, & quin usus, & commoda ulla inde experiamur. Audi hac de re Augustinum adversus Manichæos disputantem *lib. de Gen. cap.* 18. *Cum ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt Conditori, & artifici suo, omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicujus Opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat: & si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto cum id male tractat, seipsum vulneravit, etiam perniciosa, & noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans officinam suam constanter exer-*

exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant; sed cum ea viderint credant esse necessaria... In hoc autem Mundo, cujus conditor, & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident... Quæ omnia unde veniant, non intelligo, nisi a summa mensura, & numero, & ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque æterna consistunt... De superfluis vero quid nobis est quærere? Si tibi displicet, quod non prosunt, placeat, quod non obsunt: quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multo major est, quam domus nostra, & multo melior: hanc enim multo melius administrat Deus, quam unusquisque nostrum Domum suam.

Solvuntur argumenta contra Dei providentiam ex malis petita.

75 Hic ad leviora solvenda Epicuræorum sophismata, notare sat est, Deum qua omniscium, omnia etiam possibilia cognoscere; qua infinite sapientem, nullum a se conditum opus negligere posse; qua infinite activum atque potentem, omnium curam sine defatigatione gerere; & qua infinite beatum, & sufficientissimum, nullam ex rerum cura pati posse molestiam. Iis itaque missis, reliqua persequamur, quæ ab Epicuræis, Manichæis, atque Bailio proponuntur. Quæ quidem omnia huc recidunt.

76 Deus est infinite sapiens, bonus, sanctus, & justus; Curam ergo rerum universitatis non gerit. Nam si infinite sapiens auctor, ac rector Mundi esset, nil in eo superflui, monstruosi, atque imperfecti occurreret: si infinite bonus, nihil homini noxium haberetur; si infinite sanctus, vitia, atque peccata omnino excluderentur, quæ cum sanctitate pugnant; si denique infinite justus, virtutes præmio compensarentur, ac vitiis præsto supplicia essent. In hac autem rerum universitate plura deformia, & monstruosa sunt, plura humano generi infensa animantia, desertæ regiones, atque alia plura nullius prorsus usus; plura itidem noxia sunt humano generi, ut infirmitates, dolores, senectus, mors ipsa omnium malorum pessima. Vitia præterea, & peccata reperiuntur, & bona probis, improbisque æque distribuuntur, nec virtuti præmia respondent. Mundus ergo Respublica non est, quam infinite sapiens, bonus, sanctus, & justus moderetur, & curet.

77 At hæc facile corruunt, si animadvertamus ignorare nos Mundi systema, rerum usus, & fines, ac infiniti opificis artem atque consilia. Nam cum hæc omnia ignoremus, reponere possumus, res, quæ nullius nobis usus videntur, usus habere in aliis rebus, quæ monstruosa videntur, ad Universi pulchritudinem spectare, ac suos quoque in eodem usus habere; quæ infensa apparent humano generi, ad systematis pulchritudinem necessaria esse, & homines per metum ex illis ortum, ad societatem ineundam, quæ maximum ipsis bonum est, quodammodo impellere, ac alias ignotas nobis utilitates afferre: quæ noxia sunt hominibus, ut dolores &c. præterquamquod ex revelatione novimus, pœnam peccati esse, haberi posse naturales hominis conditiones, qui cum ex partibus compactus sit quæ perpetuo motu agitantur, natura sua, ut res aliæ compositæ, ad interitum properat; dolores vero, qui ex infirmitatibus sunt, si ratione finis spectentur, boni, & quodammodo necessarii homini deprehenduntur, cum per hos moneantur, ut noxia caveant, atque ea procurent, quæ ad vitam conservandam sunt necessaria. Ad moralia vero mala quod spectat, ac bonorum in hoc mundo distributionem: fac hominem natura sua liberum esse, sed defectibilem, cum ens contingens sit, & limitatum: fac etiam vitam futuram esse, in qua bonis præmia, improbis vero supplicia parata maneant; quis infinite sapientis consilia, quæ nobis explorata esse non possunt, reprehendat, quod vitia, & mala moralia permittit, quod virtuti in hac vita præmia non respondere videmus: quod demum bona sua non æque omnibus distribuit? Nam si explorata nobis systematis Universi consilia forent, perspicue intelligeremus, infinitæ sapientiæ ordinem postulare, ut homini natura sua libero, usus libertatis concedatur, ideoque, ut permittantur mala moralia, quæ inde sequuntur; ut præmia, atque supplicia in futura vita distribuantur; atque ut nonnullorum bonorum largitio a sola munificentia supremi Opificis pendeat. Hæc satis esse videntur ad Atheorum extricanda Sophismata; sed ut nil omittamus in Dei providentia comprobanda, per singula malorum genera paucis discurremus.

Tria sunt malorum genera. Alia enim sunt metaphysica, alia physica, alia denique mala moralia: malum metaphysicum in defectu summæ, & infinitæ perfectionis; malum physicum in dolore, sive voluptatis defectu; malum denique morale peccatum est, sive defectus rectitudinis, & conformitatis ad legem, quæ in deliberata hominis actione inesse debet. Malum metaphysicum in creaturis necessarium est. Nam creaturæ non possunt esse nisi limitatæ, sunt enim entia contingentia, quorum perfectio limitata est; solius enim entis necessarii proprium est, infinitum esse. Creaturæ ergo esse non possunt nisi limitate, atque imperfectæ. Imperfectio ergo hæc non Creatori, sed creaturæ naturæ tribuenda est, quæ non nisi limitata esse potest. Ergo in systemate rerum contingentium mala metaphysica ex ipsa rerum natura necessaria sunt. Nec sapientiæ id obest Auctoris, qui non nisi ex possibilibus contingentibus Universum formare poterat. Et conveniens fuit, ut non res omnes æque perfectæ essent; tum quod Universum constet ex partibus, quæ totius perfectionem habere non possunt; tum quod in eo res una alterius usui inservire debeat; tum denique quia *in rerum bonarum inæqualitate ipsa est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio ampliorum est commendatio*, ut inquit *August. contra adver. leg. & Proph. lib.* 1. *cap.* 4. 78

Mala physica, metaphysici mali consectaria sunt. 79
Nam ex peccato orta sunt, peccatum vero ex limitata & defectibili hominis libertate. Deinde mala hæc veluti media nobis exhibentur, quibus nos Deus a nimio præsentis vitæ, ejusque bonorum amore retrahit, ne æternæ vitæ bona, atque legem con-

contemnamus. Sunt enim, vel præparationes quædam ad virtutem, ne peccemus, vel justæ punitiones, cum peccavimus, ut a peccatis recedamus. Nam animi corporisque doloribus monemur, non hanc, quam nunc veluti peregrini incolimus, sed futuram æternam alterius vitæ nostram patriam esse, ad quam intimo quodam conatu natura tendimus. Nil ergo vetat, quin hæc ab infinite sapiente proficiscantur, sicut a bono medico ingratum sapori pharmacum; cum bona sint, quibus malis, quæ ex metaphysico oriri possint, cujusmodi moralia sunt, medeamur.

80 Moralis denique mali fons atque origo in limitata rationalis creaturæ libertate posita est. Nam si creaturæ omnes limitatæ, atque imperfectæ propria natura sunt, homo etiam imperfectus, ac natura sua limitatus fieri debuit. Si limitata mens, ac ratio hominis est, ideoque defectus errorisque capax, regula opus habuit, qua tuto, & sine erroris periculo, optatam felicitatem agnosceret, & prosequeretur: ita enim natura sua felicitatem expetit homo, ut velle esse miserum, etiamsi velit, non possit. Si regula hæc homini necessaria est, quæ apta ad felicitatem media, ac tutam viam demonstret, infinite sapiens, qui hominis curam gerit, præscribere hanc eidem debet, alioquin sapienter cum ipso non ageret, quia media non designaret ad finem necessaria. Hanc ergo regulam præscripsit; at homo natura sua liber est, atque ita proprietas hæc cum ratione conjungitur, ut tolli ea ab homine non potuerit, quin rationis expers, ideoque non homo esset, ut etiam Basilius, aliique SS. Ecclesiæ Patres observarunt. At libertas limitata, & finita esse debuit in creata natura, ut diximus. Deficere ergo a regula potuit, atque errare, tum in fine sibi proponendo, tum in electione mediorum; quamobrem necessaria quoque pœna fuit, qua in officio a regula præscripto contineretur, & ad resipiscendum post lapsum impelleretur: ideoque hæc etiam ad sapienter regendum hominem præscribenda fuit. At hæc omnia occurrunt in Dei erga hominem providentia. Quid ergo in ea mali occurrit? num quia lex homini data? At dedecet bonitatem, & providentiam supremi rectoris hominem erroris capacem, sine lege esse, qua dirigatur. Num quia libertas? sublata vero ratione, quæ sine libertate non consistit, hominis natura tollitur. Nec sapientis est, operis, quod faciendum putavit, naturam destruere. Num denique quia creaturam rationalem fecit? At sine creatura rationali non amplius in Mundo Dei Imago esset, cui communicando Deus bonitatem suam, beneficum se demonstraret. Accedit etiam, ex horum malorum permissione majora etiam bona Deum eruere, quæ ad systematis divinæ providentiæ ordinem, perfectionemque conferunt, ut pluribus demonstravit S. Augustinus. Hac enim posita, locus est nonnullorum divinorum attributorum manifestationi, longanimitati præsertim, misericordiæ, & justitiæ ex parte supremi Rectoris. Ex parte vero Universi, locus virtuti morali est, quæ sine libertate eligendi bonum, vel malum haberi non posset. Quæ cum ita se habeant, perspicuum est, neque ex malis moralibus, neque ex physicis inde sequentibus, quidpiam adversus divinæ providentiæ systema argumentari posse. Cum rerum natura attente perpensa, ac rerum cognito fine nil occurrat, quod cum infinita auctoris, rectorisque sapientia optime non cohæreat.

Atque hinc facile patet, neque infirmum Deum esse, qui tollere, vel impedire hæc in Mundo mala non possit, nec invidum, si non impediat, dum possit. Poterat utique potentia sua, vel donum libertatis homini adimere, vel voluntatem in se liberam a prava electione continere, aut ita auxilio suo flectere, ut in malum declinare non possit; Sed non decuit divinam sapientiam rationalis creaturæ naturam immutare, adimere omnem virtuti locum, atque meritum, & demeritum ex hac rerum universitate excludere, per quæ summa ipsius erga homines beneficentia, atque justitia manifestaretur. Mala ergo non sustulit, quia hæc auferre non poterat, nisi simul bona longe plura sustulisset, quæ imperscrutabili ipsius consilio convenientia rerum Universitati viderentur. Rursus in dividendis bonis suis nulla lex Deo est præter arbitrium. Si enim ad quidpiam condendum infinita bonitas teneretur, istud esset perfectissimum; perfectissimum autem bonum creatum repugnat. Necesse ergo est, ut bonitas infinita in gradu finito perfectionis, & felicitatis consistat. Quinam vero est gradus finitus, cui Deus adstrictus sit? nullus sane: Ergo bonitas quamvis infinita in quovis gradu perfectionis & felicitatis creaturæ sistere potest, ideoque in eo, qui proprius est homini in præsenti statu, & conditione. 81

His stabilitis principiis, facile ostendere est vanitatem exemplorum, quæ olim a Manichæis, & Epicuræis, nuper vero a Bailio ad labefactandam divinam providentiam allata fuere, de medico nempe, qui sciat ægrotum, qui vinum jussus sit bibere, statim periturum, si sumat, idque permittat, & de matrefamilias, quæ ne filiæ libertati obsit, permittit hanc in perditorum hominum ludis versari in quibus pudicitiæ suæ jacturam certo facturam novit. Nam ii non vacarent culpa, quia mortem medicus, mater vero filiæ suæ pudicitiæ jacturam impedire tenetur, & ægrotus sine vino convalescere, & vivere, ut vivere puella potest, quin se ad ludos illos se conferat; at supremus rerum conditor, & rector non tenetur usum impedire facultatum, quas ad bonum finem, atque felicitatem comparandam creaturis indiderit; non potuit libertatem homini auferre, quin ipsius naturam, aut perderet, aut immutaret: jus plenum habuit constituendi certos in homine perfectionis gradus: tutas præscripsit regulas, quibus homines a malo avocaret, & in felicitatem dirigeret: internum quoque auxilium præbet, quo freti rite illas exequantur: præmiis, atque suppliciis a malo eos retrahit, & ad bonum impellit: ex malorum denique permissione bona illa eruit, quæ supra recensuimus. Atque hæc quo ad malorum originem: de præmiorum vero, pœnarumque distributione dicemus infra. 82

Inquiri hoc in loco posset, quodnam motivum, & qui- 83

& quinam finis Deo in rebus condendis fuerit. Sed rem paucis expediemus, explicato discrimine, quod motivum inter atque finem intercedit. Motivum itaque vocamus id, quo Deus movetur, & inclinatur ad creandum Mundum; finem vero id, quod Deus per conditum Mundum obtinere voluerit, sive ad quod omnia opera sua ad extra ordinaverit. Hac distinctione posita, facile conciliari invicem possunt dissidentes Theologorum hac de re opiniones. Nam Estius, aliique motivum cum fine confundentes, negant Deum finem sibi proposuisse ullum dum Mundum conderet, quod tamen sine infinitæ ipsius sapientiæ injuria dici nequit. Itaque Deo extra infinitam libertatem suam nil motivum fuit creandi Mundum, scilicet, nec res ipsæ creatæ, nec quidpiam ex istis consurgens. Nam cum independens omnino sit, pendere a creaturis nequit; at si ab iis determinari oporteret ad creandum, penderet ab ipsis, atque in hac determinatione passive se haberet; ageretur enim, & non ageret. Rursus cum sit Deus sibi sufficientissimus, ac nullius indigens, nihil a se diversum expetit, nam rei a se diversæ appetitio indigentiam denotat. Determinari ergo non potuit ab aliquo, quod ex ipsis creaturis expeteret. Denique cum creaturæ ante liberam divinæ voluntatis electionem nihil omnino sint, nil habent, quod movere Deum possit; & si per objectivam repræsentationem movere creaturæ Deum possent, omnes indiscriminatim creaturas possibiles produxisset: nam nulla reddi potest ratio, cur aliquas tantum elegisset, cum omnes æque habeant objectivam illam bonitatem, qua Deus ad creandum motus, & determinatus statuitur. Itaque in sola Dei libertate quærenda causa determinationis est, qua motus sit ad Mundum creandum, ut post Augustinum *l.28. de Civ. Dei* S. Thomas asseruit *par. 1. qu. 19.* Nam cum Deus sit infinite perfectus, & sibi sufficientissimus, non plus ei molestiæ afferre potest voluntas creandi, quam otium. Cum prima causa sit omnino independens, determinatio, ac inclinatio ipsius voluntatis diverso a nobis concipi debet modo, ac determinationes concipiuntur causarum secundarum, in quibus inclinatio, & actio a præcedente aliqua passione pendent. In Deo ergo sola infinita libertas causa est, a qua determinatio ad creandum pendet. Hinc præsto responsio est, dum inquirunt, cur prius non creaverit Mundum? Cur certo, ac determinato spatio res omnes concluserit? Cur non plura produxerit? Cur denique alias Creaturis non indiderit dotes? Scilicet, quia noluit.

84 Finis vero divinarum ad extra operationum non deest, cum infinita sapientia non casu, sed proposito fine agere debeat. Is vero nonnisi Dei gloria esse potuit, cum nonnisi propter seipsum infinitum, & sibi sufficientissimum, operetur. Dei autem gloria ex divinorum attributorum exercitatione, ex divinarum perfectionum in creaturis expressione, aliisque consurgit, quæ creaturas rationales ad ipsum glorificandum moveant. Hæc de Providentia generatim: agendum nunc est de peculiari cura, quam erga rationales creaturas Deus exercet, &

De officiis hominis, quæ ex Dei Providentia sequuntur.

Nonnulla præmittimus, quæ vel omnino explorata sunt, vel in Philosophia abunde demonstrata statuuntur. Primo hominem a Deo ratione donatum esse, ut intimo sensu novimus. Secundo, inditum ei esse appetitum felicitatis, ut malum, & miseriam velle non possit. Tertio, liberum esse ad agendum, & non agendum, ac libertatem nonnisi a summo bono, in quo summa ipsius felicitas posita est, vinci omnino posse. Quarto, errare per rationem posse, rationem regulæ capacem esse, ac posse per libertatem a rationis regula deficere. Quinto, principium rationis, & libertatis a corpore distinctum, & diversum esse, atque incorporeum, & spirituale; quod quidem tum in Philosophia abunde probatum stabilimus; tum etiam ex his paucis, quia nempe movet corpus, ac corporis partes virtute sua sistit, aut motas dirigit, ac distrahit se a consideratione molestæ alicujus corporis partis impressionis, & ad alia consideranda objecta seipsum applicat, etiam incorporea, atque sublimia, in quorum contemplatione ita quandoque defixum manet, ut quæ in corpore fiunt ne quidem intelligat. Hæc sane ab organico corpore, fluidisque per hoc discurrentibus omnino istud diversum exhibent. Accedit etiam, istud idem principium cogitans concipere commode posse non exigere organicum corpus, atque extensum quodcumque, ipso vere existente, quod quidem satis aperte ostendit esse rem a corpore, & materia omnino diversam. Cum vero omnes cognitæ per operationes proprietates indivisibile illud esse demonstrent, atque incorporeum, jure meritoque pro spirituali substantia habetur. His præmissis, paucis ostendemus primum, Deum ab hominibus cultum exigere: deinde præcepta, quibus ii ad certa officia obligantur, præscribere: ac demum, spe præmiorum, ac metu etiam alterius vitæ immortalis suppliciorum ad officia præstanda compellere. Sit itaque 85

Propositio prima.

Homines Deum colere tenentur.

Nota. Cultus nomine actionem intelligimus, 86 quæ intuitu alterius excellentiæ suscipiatur, sive per quam alterius excellentiam testemur. Debitus Deo cultus actio quælibet est, per quam ipsius excellentiam, & prærogativas testificari debemus. Cultus, vel internus est, vel externus; ille internis actibus continetur, quibus amore, fide, spe aliisque internis mentis actibus bonitatem, aliasque Dei perfectiones testificamur, ac debita reverentia, & honore Deum prosequimur, alter vero, actus illos complectitur, quibus exterius hujusmodi venerationem significamus. Externus cultus, vel privatus est, quo quisque privatus homo debito Deum honore glorificat; vel publicus, quo scilicet homines conjunctis votis, publico in loco, ac veluti communi societatis nomine Deum venerantur, & colunt.

Dem.

87 Dem. ergo propositio. Homo tenetur Deum colere, si ei debeat summum amorem, summam servitutem, summum obsequium. At hæc omnia Deo debet homo: Per summam enim Dei sapientiam homo natura sua constitutus est propensus ad amandum bonum sibi propositum, & ad testandum per servitutem, & gratos animi sensus dominium, atque suscepta beneficia, & per obsequium & cultum præstantissimam intelligentis naturæ excellentiam: nam natura sua ad bonum amandum fertur, ad gratum animum exhibendum ei, a quo beneficia receperit, ad ei serviendum, cujus dominio subsit, atque ad testandum cultu aliquo mirabilem alterius prærogativam, & excellentiam. Ergo cum Deus per rationem homini se manifestet, ut summum bonum, summum ab ipso amorem exposcit: Cum se ostendat ut supremum Dominum vitæ, functionumque hominis, obsequia illa exigit, per quæ hujusmodi supremum dominium testetur: cum denique infinitam excellentiam suam demonstret, cujus consideratio per admirationem, quæ sequitur in adorationem, homines quodammodo rapit, summum obsequium postulat.

88 At inquiunt; Deus sibi sufficientissimus est, ideoque nil voluptatis, & utilitatis capere ex creaturis potest. Nil ergo ab ipsis exigit.

Etsi Deus sibi sufficientissimus sit, tamen libertate, ac summa sapientia sua rationalem creaturam condidit, atque ita hanc regit, ut hæc ignorare ipsum non possit. Vult ergo, ut ipsum agnoscat, & ut fateatur rerum omnium auctorem, rectoremque esse. Quorsum enim sua cura hanc in sui cognitionem duceret, nisi vellet, ut eum agnosceret, & fateretur? Deinde per hujusmodi cognitionem se summum bonum esse demonstrat, ac per inditum naturæ sensum hominem monet, summum bonum summe amari oportere. Quorsum vero id, nisi ut ostendat debitum ei esse summum amorem? Rursus per eamdem cognitionem se homini repræsentat, ut supremum Dominum omnium rerum, ac etiam singularum hominis actionum. Cur vero ita se exhibet, nisi ut homo cum in se, tum in omnibus actionibus suis eam servitutem ostendat, quæ supremo ipsius dominio respondeat? Denique eadem cognitione, ut infinite perfectus, ut potentissimus, omniscius, & immensus repræsentatur. Intelligi autem nullo modo potest, cur ita se nobis exhibeat, nisi velit, ut cultu, & honore ipsius excellentiam prosequamur, ut in dubiis, & adversis ad ipsius potentiam confugiamus, atque in ipsa spem omnem præsidii nostri collocemus. Non alios sane divinæ sapientiæ fines fingere possumus.

89 Præterea Religionem, non ut sibi, sed ut nobis bonam, atque utilem exigit, & imperat. Homo enim natura sua felicitatem expetit, atque hujusmodi desiderium ad felicitatem quoque futuræ immortalis vitæ protenditur, ut infra probabimus. Cum vero errori obnoxius sit, regula ei præscribenda a divina sapientia fuit, qua tuto in hujusmodi felicitatem dirigeretur: neque enim ab infinita sapientia finis proponi potuit homini, quin media ei designarentur ad hujusmodi finis consecutionem necessaria. Regula autem hujusmodi officiis continetur, quibus Religio constat, ut paulo infra ostendemus.

Non solum internus, & privatus cultus Deo debitus est, sed etiam externus & publicus. Per cultum enim testari quoque debemus supremum Dei dominium atque suscepta beneficia. Ergo cum Dei Dominium etiam in corpus nostrum ejusque partes sese extendat, corpus etiam ejusque actus in Dei obsequium exercere tenemur; id vero fit per externum cultum. Deinde cum beneficia Dei plura experiatur ipsa hominum societas, & cum plura sint dona Dei civili societati concessa, facile patet etiam ipsam societatem teneri ad Deum communem Creatorem, ac bonorum largitorem palam ac publice, & conjunctis votis colendum. Ergo etiam publicus cultus Deo debitus est. 90

Propositio Secunda.

Existit lex Naturæ, quæ hominis officia præscribit erga Deum, erga seipsum, & erga alios homines.

Dem. Lex naturæ est ordinatio pro communi 91
hominum bono a recta ratione præscripta, per quam a Deo actiones nonnullæ præcipiuntur, aliæ vetantur, propositis præmiis, atque suppliciis. Atqui lex hujusmodi existit. Nam homo Dei providentia gubernatur; sicut ergo vita ipsius animalis per mechanicas leges regitur, ita ipsius vita rationalis per leges rationis regulari debet; alioquin actiones creaturæ rationalis divina providentia non regerentur. Atqui leges ad regendas liberas actiones promulgatæ, & cognitæ esse debent, alioquin essent inutiles; ergo per usum rationis homini manifestantur, dum homo, cognito fine, nempe felicitate, quam appetit, ad media attendit, quæ pro hac comparanda, ratio ipsi suppeditat. Rem paucis ostendam per singula hominum officia discurrendo. Homo per intimum sensum se infirmum, atque ita imbecillem sentit, ut se ad perfectam beatitudinem comparandam omnino insufficientem agnoscat. Recta autem ratio Deum esse demonstrat infinitum, sapientissimum, beneficentissimum, ac potentissimum, qui nostri sollicitus sit, qui juvare nos possit, ac beatos esse velit; atque hunc propitium nobis fieri oportere per amorem, per obsequium, per preces, ac debitum honorem & cultum. Hinc vero patet, qua ratione officia erga Deum media sint a divina providentia præscripta ad felicitatem comparandam. Rursus homo dum seipsum considerat, illico intelligit, se non ab ipso existere, sed Dei actione, eaque conservari, atque regi. Ergo cognoscat, necesse est, se non esse vitæ suæ, membrorumque Dominum, sed Deum; ideoque non posse, quin in Deum injuriosus sit, seipsum occidere, ac mutilare; vel ea negligere, quæ ad propriam perfectionem pertinent. Nam quilibet homo considerari debet veluti Dei opus, cujus conservatio, atque perfectio, rationi a divina providentia homini concessæ commissa sit. Ita ergo homo erga seipsum se gerere debet, ut quæ ad perficiendum tum corpus, tum animum necessaria sunt, ex divinæ providentiæ præscripto inquirere, ac adhibere de-

P 2 beat,

beat. Ad corpus partium integritas, & bona valetudo; ad animum vero, tum scientia eorum, quæ ad rite vivendum necessaria sunt, tum religionis, ac virtutum exercitium pertinent.

92 Denique homo spectari potest in ordine ad alios homines. Natura sua ad societatem ineundam ferri, negavit nuper impius Hobbesius, qui homines natura invicem inimicos, atque in statu belli positos finxit, & solo metu ne ab aliis perderentur coactos civilem societatem iniisse. Sed putidum commentum facile refellimus, si animadvertamus, inter animantia solum hominem sermone præditum a natura esse, cujus extra societatem nullus est usus, homines ita a natura in lucem mitti, ut extra societatem vivere non possint, ac inditum a natura amorem habere, quo se mutuo amant, & ad societatem ineundam trahuntur. Stabilita propensione ad societatem cum aliis ineundam, facile intelligere est, tranquillam, ac beatam vitam in societate exoptare. Hoc vero cognito fine, facile principaliores leges intelligimus, quas Divina providentia per usum rationis demonstrat, veluti media ad illam felicitatem necessaria. Nam ad id necessarium est, ne homo aliis faciat, quæ sibi fieri non vult, alioquin ita cum ipso alii se gererent, sicque pax, & tranquillitas nulla foret. Hinc autem sequitur, pacta servanda, neminem lædendum, damna compensanda, ac suum cuique tribuendum fore. Item mutuus inter homines amor, ac mutua voluntas aliis benefaciendi necessaria est. Existit ergo naturæ lex per rationem promulgata, quod quidem aliis quoque argumentis comprobari adversus atheos posset: scilicet, ex generali omnium consensione; ex sensu justi, & iniqui omnium animis a natura insito, & ex ipsa conscientia, quæ vel ipsos improbos ob iniqua scelera damnat, ac recte facta commendat. Sed quæ dicta sunt, satis videntur. Qui plura desiderat, videat Ant. Genuens. *t.* 4. *Metaph.* & Auctorem *Princ. Relig. Natur. & Revel.*

Propositio Tertia.

Vita hominis hujus mortalis conditionis limitibus circumscripta non est, sed præmia, atque supplicia post mortem supersunt a Supremo Judice tribuenda.

93 Dem. Omnes cognitæ gentes etiam extra Societatem civilem positæ, atque silvestres, futurum hominis statum agnoscunt, & credidere semper, in quo justis præmia, improbis vero a Supremo rectore supplicia tribuenda sint, ut ex indubiis monumentis a Cl. Patuzzi demonstratur *c. 9. de fut. Impior. statu.* At communis humani generis persuasio non aliunde, quam a natura communi hominum parente oriri potest; Et plura sunt, quæ perspicue ostendunt, naturæ vocem esse, quæ in omnibus clamat, futurum Dei judicium esse, quo homini in alia vita præmia, vel supplicia decernenda sint. Homo enim dum rationis dictata audit, non potest non intelligere, se a Deo legibus gubernari quibus præmia, atque supplicia respondere debeant, ut ex dictis constat. Perspicue autem cognoscit, non ita bona in hac mortali vita distribui, ut virtutes præmio compensentur, ac vitia puniantur supplicio: Cum scelestos plerumque homines videat bonis abundare, ac voluptatibus, represso etiam quandoque interno conscientiæ stimulo, liberrime frui; justos vero miseros, ac passim eorum miseriam improborum malitia auctam. Hinc vero cognoscat necesse est, futuram superesse vitam, in qua homo Supremo gubernatori rationem reddat suorum operum; & in qua præmia, atque supplicia Divinæ Sapientiæ legibus respondentia distribuantur: cum hac sublata, supremum morale Dei in homines imperium Divinæ Sapientiæ, atque justitiæ nullo modo respondeat. Præterea rem ita se habere natura ipsa intimo sensu declarat. Mitto conscientiæ laniatus, qui ex metu futuri Dei Judicii probos homines excruciant. Explorata res est, hominum cuique inditum a natura esse felicitatis amorem. Propria autem experientia compertum nobis est bonis hujus vitæ desiderium hujusmodi non expleri, sed potius augeri, ut perspicue in Philosophia ostenditur. Ergo per hujusmodi amorem ad bonum iis longe præstantius tendimus, quod nonnisi in futura vita obtineri possit. Cum enim amor ille inditus nobis sit a Sapientissimo Deo, qui nostri curam gerit, inutilis esse non potest: expleri ergo quandoque debet: non in hac; ergo in futura vita. Quod quidem magis magisque comprobatur ex eo, quod hujusmodi amori quoddam immortalitatis desiderium conjunctum sit longe ab eo diversum, quo corporis conservationem cupimus; istud enim belluis quoque commune est, ac eo magis quam in hominibus vehementius, quod iis stupidiores sint, illud vero eo vividius, atque ferventius est quo magis excultus sit animus: Quis vero fingat indita a Deo desideria esse, quæ numquam expleri queant? Hac enim ratione longe præstantior esset cura, quam de belluis habet, quorum appetitibus præsto bona sunt, quibus expleantur.

Denique natura ipsa animi immortalis est; mors 94
enim a nobis nulla alia ratione concipitur, quam per divisionem, & separationem partium, quæ ante interitum jungebantur; anima vero Spiritualis, ac simplex est, ut supra ostendimus; ideoque discerpi in partes nequit; est ergo immortalis. Quam quidem immortalitatem ipsius functiones abunde demonstrant. Per has enim ostenditur amputatis membris, ac mutato alternis annis corpore, integram, & invariatam animam perseverare, animam corpori præesse, atque cogitatione, & voluntate inde sequente corporis partes movere, motasque regere; ac longe a corpore diversa vita vivere, quæ in ipsa cogitatione consistit. Atque hinc facile refellimus excogitatam tertio Ecclesiæ sæculo a nonnullis in Arabia hæreticis ac iterum in Germania elapso sæculo excitatam hæresim, quæ contendit, animas in præsenti sæculo una cum corporibus interire, sive vitam amittere; rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad resurrectionem redituras. Ii enim ita sentiunt, quod animam sejunctam a corpore cogitare non posse opinentur. Sed consideranti animæ naturam manifestum est separatam a corpore tum vim cogitandi, tum facultates reliquas expeditas habere. Has enim a corpore non habet; cum corpus cogitan-

tandi vim, qua destituitur, ac facultatem libere agendi tribuere non possit, nec corpus animæ necessarium est, ut cogitandi, aliasque facultates exerceat; ad id enim sola cognoscibilis rei repræsentatio necessaria est; res autem cognoscibiles menti per ideas exhiberi possunt, etsi a corpore separata sit. Et sane modus operandi per cogitationem, & voluntatem ita proprius ei corpore sejunctæ videtur, ut Deus, qui cogitatione ac voluntate cuncta regit, & moderatur, nonnisi ut mens soluta quædam, & libera segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & movens, teste Cicerone, intelligi a nobis possit.

95 Nec ullum nobis negotium facessunt Epicuræorum sophismata, quibus corpoream, atque mortalem animi naturam ostendere conantur, quia corpus movet, & movetur ab illo, ac corporis vicissitudines pati per proprias functiones demonstrat; qua enim ratione a corpore movetur, nisi per cognitionem? Non enim alios in se anima experitur motus, nisi cognitiones, atque effectus inde sequentes, corpus vero intelligibile est, atque intelligibiles itidem sunt corporis affectiones, & motus. Quid ergo prohibet, quominus substantia cogitans, quæ quidquid intelligibile sit cognoscere potest, a corpore, ejusque affectionibus intelligibilibus afficiatur? At, inquiunt, intelligere non possumus, qua id ratione fiat. Plura autem sunt, quæ fieri revera videmus, quin tamen modum intelligere valeamus, quo fiant: immo vix ulla est in Systemate Universi actio, quæ ita a nobis cognoscatur, ut modum, quo fiat, intelligamus. Ergo cum exploratum nobis sit, substantiam cogitantem corpus intelligere, dubitare non possumus, quin corpus ita illam moveat, ut ipsum cognoscat, licet modum, quo id fiat, ignoremus. Rursus movet mens nostra corpus per voluntatem, non mechanico pulsu, ea scilicet ratione, qua mens suprema voluntate sua omnia regit. Quis vero dicat, ad ita rem movendam opus esse extensione, atque mechanico tactu: & non sufficere intimam per cogitationem præsentiam?

96 Ad animi functiones quod spectat, quæ corporis vicissitudines imitari videntur, præsto responsio est si animadvertamus, animam partem hominis esse, quæ per organa corporis rerum cognitiones acquirit, & corporis organis utitur, quæ sunt humanarum functionum instrumenta. Hinc enim fit, ut paulatim sibi acquirat ideas, ac crescente homine magis ideis abundet, & ut pro qualitate organorum corporis, modo debiliores, modo robustiores animi per hæc explicatæ functiones appareant; ut diversa invicem sunt artificis opera, dum cereo, ligneo, ferreo, ac magis, minusve apto, atque exquisito instrumento utitur. Nec desunt in hujusmodi functionibus incorruptibilis animi indicia; nam plerumque videmus in debili, sene, ac infirmo, ac viribus debilitato corpore, vividiores ac expeditiores animi functiones, in robusto vero debiles, ac ita stupiditate repressas, ut vix rationis indicia præbeantur, & passim observamus, ortis ex corpore propensionibus animam voluntate obsistere.

97 Hæc vero perspicuum faciunt, animam nostram substantiam Spiritualem esse quæ destructo corpore supersit, vivat, præmii, atque supplicii sit capax.

Sed sufficiat hæc indicasse, ut constet per summa capita, Deum providentia sua hominem regere, ac leges, & religionem etiam per usum rationis præscribere, quas spe præmiorum, & metu alterius vitæ suppliciorum servare curet. Qui plura cupit, videat *auct. citat. Princip. Relig. Nat. & Revel.* Genuensem, & alios. Interim sit. 98

Caput Tertium.

De utilitate, convenientia, necessitate, & existentia Divinæ revelationis.

Confutavimus supra Atheos, & Pantheistas, atque etiam Deistas illos, qui naturalem Religionem inficiantur. Alii nunc occurrunt impii viri, qui etiam Deistæ, & Naturalistæ audiunt. Ii rationem, ac Religionem quæ ratio suggerit, tanti faciunt, ut non solum inutilem Dei revelationem asserant, sed etiam sapientiæ ac summæ Dei bonitati contrariam, & repugnantem. Quamobrem præcepta omnia positiva Mosaicæ, atque Evangelicæ legis, ac omnia, quæ Divinæ revelationi referuntur accepta, veluti callidorum hominum commentum, atque imposturas respuunt. Ex Anglia hujusmodi elapso sæculo prodiit, ac plures in eadem regione male feriatos homines habuit, qui editis libris pro viribus illam tueri conati sunt. Ac inter alios detestandam hanc hæresim propugnarunt Tindal, edita anno 1730. libro, cui titulus est: *Christiana Religio mundo æqualis*, Dominus Chubb in opere inscripto: *Religio essentialis homini*, & auctor libri inscripti *les Moeurs*. Hos vero plures doctissimi viri confutarunt: ex Anglis Clarkius, Forsterus, aliique plures; ex Gallis Abbadie, & Uttevillus, & doctissimus Auctor operis inscripti: *Religionis naturalis, & revelatæ principia*; ex Germanis Fabritius, & alii; ex Italis vero Bernardus Maria de Rubeis Dominicanus, Antonius Genuensis, & alii, quibus addimus etiam eruditissimum virum Franciscum Jacquier, qui tom. II. Instit. philosoph. pag. 311. Controversiam hanc accurate pertract. Nos vero ut clare procedamus, nonnulla prius explicare ducimus. Itaque. 99

Animadvertendum I. Deistas in duplici versari errore: ajunt enim primum, rationem sine revelationis subsidio omnia agnoscere posse, quæ Deus veluti apta ad æternam salutem obtinendam media humano generi designarit; Deinde naturæ hominis vires sufficientes esse, ad gratum Deo cultum, atque opera præstanda æternæ felicitatis meritoria. Hic priorem dumtaxat errorem refellimus, de Superni Dei auxilii necessitate ad vitam æternam consequendam dictum in tract. de Christi gratia, ubi Pelagianos Socinianosque confutavimus: ab illa quoque controversia abstinendum duximus, quæ a Patribus pertractata olim fuit, & agitari universim solet in scholis, scilicet, *num homo aliquando potuerit, ac etiam nunc possit solo naturalis Religionis usu æternam consequi salutem, dum nil ei de revelatione constet*. De hac enim agendum erit, ubi de Christianæ fidei necessitate disseretur. 110

Ali-

101 Animadvertendum II. duplicis esse generis Divina intelligibilia, ut optime advertit S. Thomas; quædam enim humanæ rationi pervia sunt: quædam vero humanæ rationis vires omnino excedunt. Humanæ rationi pervia sunt intelligibilia, quorum cognitio sumitur ex ipsis creatis mentibus, & rebus sensibilibus; hac enim unice via potest mens nostra ad Divinarum perfectionum cognitionem adsurgere. Dei autem perfectiones, quæ nullam cum nostris mentibus, ac sensibilibus rebus connexionem habent, inditas mentibus nostris vires omnino excedunt. Cum Deus omnes perfectiones possibiles habeat, perspicuum est plures sibi vindicare perfectiones, quas limitata mens nostra attingere non valeat. Immo ipsa Dei natura, & ejus attributa, cujusmodi sunt in se, creatæ mentis vires omnino superant; cum ex iis, quæ facta sunt, manifestari, ut sunt in se ipsis, non possint. Quis deinde profunda Dei arcana, Divinæ voluntatis decreta, ac bona, per hæc justis hominibus præparata, ex Creaturarum consideratione agnocat? Hæc adeo clara sunt, ut a Deistis in controversiam revocari non possint. Inquirendum ergo primo loco erit, *num Divinam Sapientiam, & Bonitatem ac summam Dei erga homines beneficentiam deceat, nonnullas ex iis perfectionibus hominibus revelare?*

102 Animadvertendum III. si stabiliatur Deum esse Mundi conditorem, ac rectorem sapientissimum, & potentissimum, dubitari non posse, quin vel sonos articulatos in aere producere, aut motus in organo auditus excitare, aut signa quædam alia homini cospicienda præbere possit, aut imprimere perceptiones in anima, ut hisce modis hominibus innotescat, quæ Deus revelare ipsis velit. Cum enim perspicuum sit, nullam contradictionem involvere factam superius recensitis modis Divinarum perfectionum manifestationem, evidens quoque est, Dei revelationem hoc sensu impossibilem non esse; quod vel ipsi Deistæ fatentur. Neque enim de revelationis possibilitate adversus Spinosam, & Pantheistas primam rerum causam adstruentes Materiam necessario operantem, instituenda controversia est; nam ita inepti, ac ridiculi essemus, perinde ac illi, qui de miraculis adversus Spinosam scribunt: probandum enim adversus istos est, Deum summum existere, qui libere mundum condiderit, ac præscriptis a se legibus regat: ex quo clare sequitur, posse arbitrio suo naturæ leges immutare, ac supra easdem agere. Deistæ itaquæ, quos refellimus, posse Deum libertate sua quidquid velit hominibus manifestare, fatentur; Sed negant id convenire summæ ipsius bonitati, atque sapientiæ, & revelationem Deo impossibilem putant, quemadmodum impossibile ei est innocentem perdere. Deus enim non potest agere, quin agendo se infinite Sapientem præbeat; hac autem ratione agendo, nil superflui velle potest, alioquin sapienter non ageret, & si bonum exhibere se velit, nil potest ab homine exigere præter id, quod attenta rerum convenientia, atque fine, ratio ipsi concessa agendum, vel omittendum suggerat. Si vero alia ratione ageret, nil homini præter Dei arbitrium appareret; Deus ergo instar tyranni exhiberetur, qui solam potentiam, & arbitrium ostenderet. En putidum Deistarum commentum! Nos vero sequentibus propositionibus delebimus.

Propositio I.

Dei sapientiam, bonitatem, ac summam erga homines beneficentiam quammaxime decet nonnulla hominibus revelare, & præcipere, quæ humanæ rationis vires attingere propria virtute nequeant.

Dem. Maxime decet Dei sapientiam, bonitatem, 103
atque beneficentiam ea hominibus ostendere, quæ hominis desiderium in incommutabile, ac sublimius bonum inclinet; quæ vividius per delectationem sensibilium ad virtutem, & honestatem perducant; quæ veriorem Dei cognitionem ingerant, quæque opinionem in hominibus firment, quæ divinam deceat infinitam excellentiam. Quis enim dedecere fingat infinitam Dei bonitatem, & sapientiam bonum illud hominibus ostendere, cujus unice possessione beati esse possint; ea manifestare, quæ valida sint ad virtutem incitamenta; quæque veriorem Dei cognitionem suppeditent, atque eam de Deo opinionem excitent, quæ aptissima sit ad infinitam illius excellentiam concipiendam? At manifestando Deus suas perfectiones, quæ mentis nostræ vires excedant, & ostendendo in horum unica visione, atque fruitione inditum nobis beatitudinis desiderium expleri posse, desiderium hominis ad altius bonum assurgit, quam quod experiri in hac vita possit humana fragilitas; homines a sensibilium delectationibus vividius moventur ad excolendam virtutem, quia agnoscunt esse alia bona iis sensibilibus longe meliora, quorum gustu multo suavius delectantur, qui vacant activis, vel contemplativis virtutibus: veriorem etiam habent Dei cognitionem, quia tunc solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra id omne, quod de Deo cogitari ab hominis possibile est, cum sane naturalem hominis cognitionem divina substantia excedat: denique ex harum perfectionum manifestatione firmatur in homine opinio, quæ divinam deceat infinitam excellentiam, ut perspicuum est. Hæc ex S. Thoma deprompsimus *lib. I. contra Gentes cap. 5.* Accedit etiam, ut inquit idem S. Doctor, *præsumptionis repressio, quæ est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio præsumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri: æstimantes scilicet, totum esse verum, quod eis videtur, & falsum, quod eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus animus liberatus, ad modestam veritatis inquisitionem perveniat, necessarium, vel conveniens, & utile fuit homini proponi quædam divinitus, quæ omnino intellectum ejus excederent. Quid? Quod rerum nobilissimarum cognitio, quantumcumque imperfecta, maximam perfectionem animæ confert: unde quamvis ea, quæ supra rationem sunt, ratio humana plane capere non possit: tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem eadem qualitercumque teneat fide.* Hæc ex S. Thoma afferre placuit, ut inde appareat, luculentissimis argumentis fuisse ab Angelico Doctore hæresim hanc, antequam nasceretur, confutatam.

Rur-

104 Rursus. Dei consilia circa hominis conditionem, sive præsentem, sive præteritam, sive futuram, humanæ rationis vires excedunt: nam ex iis, quæ rationi humanæ obversantur, argumentari non possumus, qua ratione, quibusque exornatus dotibus conditus homo initio a Deo fuerit; Num hominum vitio deterior, ac Deo ingrata evaserit humana natura; Qua denique ratione reconciliari Deo oporteat, si per peccatum concitaverit Dei in se iram. Ad præsentem conditionem quod spectat, ex iis, quæ agnoscimus, nil est, quod Dei consilia demonstret, circa apta media ad expianda peccata, & ad pœnas declinandas, quibus per culpam obnoxii evadimus; & circa cultum externum, qui Deo gratus sit. Denique non potest ratio nostra assequi, quæ Dei consilia sint circa præmia & supplicia vitæ futuræ; in quo hæc consistat, & num nostris viribus sufficientes simus, aut ipsius indigeamus ope, ut bona hæc mereamur; quo denique modo postquam per peccata pœnis etiam vitæ futuræ obnoxii fuimus, ab his subeundis pœnis liberari possimus. Hæc sane rationis usu ex nostri, rerumque contingentium consideratione assequi non possumus: & aliunde constat, hominem quemque scire hæc eadem cupere; atque hujusmodi scientiam necessariam esse, tum ad hujusmodi hominibus desiderium explendum; tum, ut homo propriam cognitionem, & vires agnoscat; tum, ut proprius ei finis sit cognitus; tum denique, ut præmia, & supplicia parata sciat, & certa illa media, quæ tutam viam ostendant ad declinanda supplicia, & æterna præmia comparanda. Decet vero Dei bonitatem, atque sapientiam hæc hominibus revelare, immo necessarium videtur, ut Dei bonitas, atque sapientia in ea, quam de homine gerit, cura resplendeat; quis enim infinita sapientia regi hominem credat, si ignoret, num a prima conditione homines propria culpa exciderint; quinam sit ultimus eorum finis, ac apta ad illum consequendum media; qua ratione post peccatum reconciliari debeat; num Mediatore indigeat, ut Deus injuria provocatus placetur, atque alia id generis ad tutam demonstrandam æternæ salutis viam necessaria?

105 Denique positiva præcepta, quæ scilicet in rerum naturis fundata non sint, cujusmodi sunt præcepta moralia, quæ indifferentia, aut præcipiant, aut vetent, Dei sapientiam, & bonitatem neutiquam dedecent; nam hæc vel ad uniformitatem, ordinem, & decentiam spectant externi Divini cultus cujusmodi sunt Cæremoniæ sacræ: vel ea præcipiunt, quæ plurimum possunt ad fovendos internos Religionis sensus, & promovendam virtutem, & ea vetant, quibus plerumque homines abutuntur, cujusmodi sunt pleraque Judæis, Christianisque indicta præcepta; vel denique in memoriam revocant collata a Deo beneficia, & factas promissiones, quo spectare possunt etiam Sacramenta. Decet vero quammaxime divinam sapientiam ea hominibus præscribere, quibus uniformis externus cultus constet, atque decentia, & ordo in ipso habeatur, præsertim cum externus cultus haud facile ab hominibus convenienter ordinari possit, &, si hominum committeretur arbitrio, tot ritus essent, quot homines, & dissidia inter homines circa proprii ritus præstantiam orirentur, quæ illius violandæ caritatis occasionem præberent, quam exercere per actus Religionis tenentur. Decet præterea divinam sapientiam ea homini præcipere, quæ ad Religionis sensus fovendos, ad virtutis exercitium, & majus Deo conciliandum obsequium plurimum valeant; huc enim morale ipsius in hominem imperium tendit. Ergo si Paterfamilias sapienter ea prohibet Filio, quibus eum abusurum noverit, ac ea præcipit, quibus Filius perfici magis possit; cur hac auctoritate divinam sapientiam privabimus? Præsertim cum memoria beneficiorum, ac divinarum promissionum, quæ divinis plerisque præceptis excitatur, validissima sint adversus vitia præsidia, & ad virtutem incitamenta; ac positiva hujusmodi præcepta plurimum possint ad imprimendum animis nostris vividum divinæ auctoritatis sensum. Ex quo apparet, non solum in statu naturæ hominis lapsæ, sed etiam in statu innocentiæ convenientem fuisse divinam revelationem.

Plura opponunt: Primum, revelationem eorum, quæ ratio assequi nequit, inutilem esse, cum sine hac revelatione præsto homini sint necessaria præcepta ad rite vitam, Religionemque instituendam. Deinde Deum in agendo necessario sequi æternum rerum ordinem, a quo nequit divina sapientia deflectere; Ordo vero hujusmodi quædam natura bona esse, & jubenda, quædam vero mala, ac prohibenda, alia denique indifferentia demonstrat, scilicet, nec jubenda, nec prohibenda. Si ergo Deus positiva homini præcepta imponeret, non hunc sequeretur ordinem, sed arbitrarie, & tyrannice ageret; nullum quippe ei, nisi imperandi motivum esset; Quod quidem quammaxime Dei bonitatem, sapientiam, & justitiam dedecet. Denique per positiva præcepta hominum felicitatem minui, cum eorum naturalis libertas cohibeatur, in qua magna ex parte eorum felicitas sita est, ac majori peccandi periculo exponantur. Addunt etiam, præcepta hujusmodi a vera virtute homines avocare, cum a præceptis naturalibus eosdem retrahant; atque superstitioni obnoxios efficire, & ad superstitionem per externas cæremonias inclinare. 106

Resp. & ad primum ajo, humano generi rationem non sufficere, ut Deistæ opinantur, quemadmodum in sequenti propositione ostendemus. Rursus eadem ratione nos intelligimus, Deum incomprehensibilem hominibus esse, ac plures in se perfectiones complecti, quas ratione attingere non possumus, sicuti cognita esse non possunt Dei circa nostram conditionem consilia, quæ tamen scire natura ipsa impellente cupimus, ac plurimum interest; atque hinc ex nostræ, & divinæ naturæ consideratione eruimus, Dei bonitatem, atque sapientiam decere, ut ea nobis per revelationem ostendantur, quæ necessaria esse cognoscimus; cum ut tuta nobis ad salutem via pateat, tum ut veriorem, firmioremque de divina excellentia opinionem habeamus. 107

Ad secundum; triplici modo potest aliquis arbitrarie agere. Primo, dum agit contra æternum 108

rerum

rerum ordinem; quo sensu Princeps arbitrarie agit, dum contra jus aliquid imperat. II. Dum inconsiderate, & sine consilio agit. Fatemur autem duplici hac ratione Deum agere non posse. III. Arbitrarie agere idem est ac, propria sui arbitrii determinatione agere, dum rerum naturæ regulæ esse nequeant; ut ex. gr. si ex duobus mediis ad finem obtinendum æque aptis, unum præ altero arbitrarie eligamus. Hoc solo consensu arbitrarie Deum agere contendimus, atque arbitrio se determinasse ad creandum Mundum, & ad ea disponenda, quibus res in suos fines dirigantur. Cum vero res indifferentes, juxta divinum per rationem præscriptum, conferre plurimum possint ad exercitationem virtutis, ad fovendos pietatis sensus, ad decentiam, & uniformitatem cultus externi, & ad conservandam susceptorum beneficiorum memoriam, cujusmodi e g. fuit Sabbaticus cultus in memoriam Creationis rerum, quis arbitrarie Deum agere fingat, si res indifferentes hujusmodi ob fines præcipiat? Accedit etiam, hujusmodi præcepta nova incitamenta esse ad illarum virtutum exercitium, quas naturalis Religio imperat.

109 Ad tertium; facile patet, positiva præcepta coercendo hominum licentiam, non minuere, sed potius augere eorum felicitatem; hæc enim nova virtutum adjumenta sunt, ac mirifice provocant commoda, & veras utilitates hominum; cum bonum promoveant, in quo felicitas hominum consistit: ac licentiam illam cohibeant, quæ vitiorum, & miseriæ mater est. Nec in deteriori conditione homines ponuntur per positiva præcepta, tum quia nova hæc suppeditant virtutis incitamenta, ex quibus plures hominibus utilitates accedere possunt; tum etiam quia si novis peccatis locus est, est etiam novo merito locus, ac majori præmio, ut adimpleantur. Neque dici potest, positiva præcepta a puriori cultu homines avocare, & ad superstitionem inclinare: nam præceptis hujusmodi verus ac purus Dei cultus præscribitur, & ea vetantur, quæ ad superstitionem inducant. Si vero homines iis abutantur, reprehendi hac de causa non possunt: alioquin plura contemnenda essent bona, quibus hominum malitia abutitur.

Propositio II.

Decet quam maxime divinam bonitatem, atque sapientiam per revelationem hominibus promulgare naturalis legis præcepta, & veritates etiam illas, quæ humanæ inquisitionis perviæ reputantur.

110 Dem. I. Virtutum ac morum præcepta, & Religio ad omnes homines pertinent; decet vero Dei bonitatem, & sapientiam, ea ratione hæc hominibus exhibere, ut omnibus nota esse possint, cum enim commune hæc sint omnium bonum, exhiberi, ac nota fieri omnibus debent; sola autem exterior revelatio est, quæ hæc omnibus hominibus nota facere possit: nam major hominum pars inepta prorsus est ad omnia cognoscenda virtutum, morum, ac naturalis Religionis præcepta, ut ipsa experentia constat: decet ergo &c. Confirmatur Argumento ex D. Thoma deprompto *lib.* 1. *contra Gentes c.* 4. nam si veritates id genus naturali dumtaxat rationi inquirendæ relinquerentur, sequeretur, quod *paucis hominibus Dei cognitio inesset*. *Plurimi propter complexionis indispositionem* minus apti sunt ad sciendum: impediuntur alii *necessitate rei familiaris*, quominus *otio contemplativæ inquisitionis* potiri queant, *ut ad summum fastigium humanæ cognitionis pertingant, Dei scilicet*, ejusque attributorum notitiam. Laborant alii *pigritia*, qua renuunt *magnos* adsumere *labores studii*, sine quibus *ad prædictæ veritatis inquisitionem perveniri non potest*. Vel *illi* præterea, qui *ad ejusdem veritatis cognitionem*, *aut inventionem pertingerent*, vix *post longum tempus* id adsequerentur, tum *propter hujusmodi veritatis profunditatem*, tum propter necessarium multiplicium cognitionum prævium apparatum, tum *propter passionum motus*, quibus anima commota *non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem*. Quid ergo? *Remaneret humanum genus in maximis ignorantiæ tenebris: cum Dei cognitio, quæ homines perfectos, & bonos fecit, nonnisi quibusdam paucis, & his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret.*

Neque prætereas, *quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus in judicando, & phantasmatum permixtionem*. Hinc facillime accideret primo, *quod apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, præcipue cum videant, a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri*. Contingeret etiam, *inter multa* scilicet *vera, quæ demonstrantur immisceri aliquando falsum, quod equidem non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur: quæ interdum demonstratio reputatur*. Quæ S. Thomas asserit, atque ex humanæ naturæ consideratione probat, attendenti ad modum, quo in singulis hominibus ratio adhibetur, & explicatur, experientia ipsa omnino comperta esse debent. Ac demonstrari præterea possunt exemplo omnium hominum, qui Dei revelatione caruerunt, & ex ipsa Philosophiæ historia. Si enim Hebræam gentem excipias, an non omnes fere homines in idololatriam prolapsi aliquando fuerunt, qui vanis, crudelibus, atque etiam obscenis superstitionibus Religionem profanarunt? Rursus nullam gentem novimus, quæ Mosis, aut Christi revelatione instructa non fuerit, in qua plures non deprehendantur errores circa Dei naturam, & attributa, atque morum disciplinam; ut ex eorum Theologia, legibus, atque exteriori cultu, quorum adhuc vestigia supersunt, intelligere est; & ut demonstratum luculentissime fuit a Patribus & præsertim ab Eusebio Cæsariensi in sua Præparatione Evangelica. Ex Philosophis Gentium, ne unum quidem reperire est, qui de Deo, deque morum præceptis contra rectæ rationis dictata non erraverit. Mitto Stratonicos, & Epicuræos, aliosque, qui vel Dei existentiam, vel providentiam inficiati sunt, ac etiam eos, qui, cum Aristippo, naturam non distinguere inter justum, & injustum asseruerunt. Chaldæi, Stoici, aliique Deum natura igneum credidere: alii vel fato adstrictum, vel naturæ necessitate agentem, ut Aristoteles; alii cum quodam malo principio mixtum in res imperium exercere: alii denique absurdis aliis notionibus, quam Dei na-

habuere cognitionem, miscuerunt. Ac circa morum præcepta erravit Plato, qui omnium sapientissimus habitus est; dum uxorum communionem commendavit; dum vagos concubitus, sive fornicationem permisit; dum denique expositionem infantium probavit, nec Bacchi ebrietatem damnavit. Et ipse Epictetus ethicæ apud gentes facile princeps, incestum, a quo natura abhorret, ac Patris & Filiæ, & Matris Filiique concubitum permisit; paria omnia peccata asseruit, ac sapientem Deum ipsum antecellere posse. Quamobrem jure meritoque S. Th. ita concludit: *Et ideo oportuit per viam fidei, ipsam veritatem de rebus divinis exhiberi hominibus; ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes fieri, sine dubitatione, & errore*. Ex quo ita rem conficimus. Decet quam maxime Dei bonitatem, atque sapientiam ea ratione Religionem, & officia homini præscribere, qua unice possint omnes divinæ cognitionis, atque etiam officiorum participes fieri sine dubitatione, & errore, id enim perspicuum est. Atqui sola exterior revelatio, qua omnibus Deus rite cognoscendus, & officia hominis explicata proponuntur, sufficiens hominibus in præsenti statu est, ut singulis sine dubitatione, & errore hæc innotescant; ut S. Doctor probavit. Decet ergo &c.

112 Accedit etiam, quod ipsa ratio sufficientia in se motiva non habeat, quibus homines ad debitum præstandum obsequium naturalibus præceptis adstringantur. Experientia enim constat, voluptatem, quæ ex virtute est, ac remorsus, qui vitia sequuntur, parum homines plerosque movere, sed necessarium esse ad omnes compescendos, præmia ipsi exterius exhibere, ac demonstrare supplicia. Hanc necessitatem novere legislatores omnes, historici, poetæ, & oratores; atque hac necessitate ducti iniere homines societates civiles, in quibus per exterius evulgatas leges ac per præmia, & supplicia ad officia homines adstringerentur. Insufficiens ergo est humano generi indita hominibus ratio ad officia debita præstanda. Maxime ergo utilis, atque conveniens, immo etiam necessaria humano generi est ea revelatio, qua Deus Religionem exterius, atque leges demonstret, ac per præmia, & supplicia ad Religionis officia exequenda compellat. Ergo &c.

113 At inquiunt: Lex naturæ, sive ratio perfecta esse debet; nam homini a Deo indita est, qui est infinite potens, bonus, & sapiens, ideoque qui nonnisi perfectam tribuere homini rationem potuit. Si perfecta hæc est, atque ad vitam instituendam ordinata juxta propositum homini finem, præcepta omnia contineat necesse est, quæ ad rite vitam instituendam necessaria sunt, alioquin fini a sapientissimo Domino proposito non responderet.

114 Resp. ac principio peto, quid nomine perfectæ rationis significent; numquid infinitam, atque erroris omnino incapacem? At infinitæ perfectionis ratio hominis capax non est; cum natura sua nonnisi limitata esse possit. Si limitata est, ergo imperfecta; Si imperfecta, errare potest. Itaque indita homini ratio errori obnoxia natura sua esse debuit, ac talis naturæ, quæ usu, & exercitatione explicaretur, & perficeretur, cum ita res omnes limitatæ, quæ in Universo sunt, nobis exhibeantur. Si ita concipiatur homo, facile patet, sensuum usum ad rationem exercendam moveri, & determinari oportere, & ad id ita necessarius sensus auditus est, quo moveatur homo per externum sermonem ad rationem explicandam, ut Wolfius confidenter asserat, surdos ex nativitate, rationem non exercere, scilicet, adeo exiguus in hujusmodi hominibus experimentis detectus est rationis usus, ut visum acuto Philosopho sit, non posse hominem, nisi externo sermone per auditum exerceatur, rationem explicare. Si tanta est inter sensus externos, & præsertim auditum, atque rationis usum connexio, quis non videat, ita hominem esse a Deo constitutum, ut ad ea cognoscenda, quæ rationis usu promulgantur, maxime utilis sit facta per externum sermonem revelatio; Immo cum homo ita nobis exhibeatur, facile conjicimus, stabilitum ita esse a divina providentia ordinem, ut hac via institui circa morum Religionem, & præcepta, oporteat. Nec dubito, quin perseverante beatissimo innocentiæ statu, Adamus cui interiori quadam clara revelatione perspicue omnia demonstrata fuerant, filiis, ac posteris per externum sermonem proponere, ac inculcare debuisset Religionem, ac morum præcepta; & quin Deus id significare hominibus voluerit, dum per externum sermonem, præceptum de non comedendo fructu scientiæ boni & mali inculcavit.

Deinde integro homini perfecta sane fuit, ut 115
convenire homini poterat, ratio, quæ cum Dei donis, & gratia munita esset, aptissima esse debuit, ad perfectam vitæ institutionem. Ita sane mentem hominis initio formatam fatemur. Sed ab hujusmodi perfectione natura nostra excidit, ut non unius, vel alterius, sed omnium cujusque ætatis hominum experimento constat. In omnibus enim ita imbecillis, infirma, distracta affectibus, passionibus præpedita, & obscurata, atque erroribus obnoxia est, ut ne unum quidem reperire sit hominem, qui sine revelationis subsidio circa Deum, & Religionem in manifestum aliquem errorem non inciderit. Naturæ autem ita constitutæ conveniens, utilis, atque etiam necessaria revelatio est.

Sed regerunt: Est adhuc Dei voluntas, ut præ- 116
cepta illa homines servent. Aut ergo commentitia est humanæ naturæ depravatio; aut Dei bonitas culpanda est, quæ ab ægrotantibus, & graviter læsis ea exigit, quæ sani tantum præstare poterant.

Rursus: Simplicia, inquiunt, & obvia, ac om- 117
nibus nota sunt Religionis principia: hæc enim cognitione existentiæ, & perfectionum Dei continentur, & notitia illa, qua honorandum esse, & diligendum cognoscimus optimum rerum omnium parentem, & benevolentia prosequi oportere omnia rationalia entia, cum quibus nobis juris communio est. At hæc omnibus obvia sunt, & facile in præsenti quoque statu cognoscuntur. Ergo commentitia est depravatio, ac necessitas inde deducta &c.

Ad 1. ajo, commentitiam non esse duplicis sta- 118
tus naturæ humanæ distinctionem, integræ scilicet, atque depravatæ per peccatum naturæ. Id enim, tum ex ipsa divinæ sapientiæ consideratione conjici-

jicimus, ex qua decuisse intelligimus, hominem integrum, & iis ornatum præsidiis fieri a Deo debuisse, quibus par esset ad finis consecutionem; tum etiam ex Mundi, quam Moses describit, historia, aliisque indubiis Religionis monumentis, & ex antiqua traditione, cujus vestigia quædam occurrunt apud antiquas, & recentiores gentes. Ætas aurea, quam cecinere poetæ, Deorum ætas, quam descripserunt Ægyptii, quid sunt, nisi quædam antiquæ traditionis vestigia de felici integræ naturæ statu, ex quo per culpam homines exciderunt, cujus quidem status a præsenti diversitatem Calanus Indus ex antiqua traditione acceperat, atque ea ratione descripserat, quam refert Strabo *l.* 15. *Georg.* atque hæc eadem traditio ad nostra usque tempora, servata apud Ottentotos, gentem maxime barbaram, & apud Septentrionales Americæ incolas, ut auctores illi referunt, alias a nobis citati, qui accurate de horum Religione scripserunt. Nec culpandus est Deus, quod ab homine infirmo præstari hæc officia velit, ut in decursu Theologiæ abunde probatur.

119 Nunc vero indicare sat nobis est, propria culpa homines in miseram hanc conditionem venisse; in qua ratio adeo imperfecta est, atque uberioris Dei auxilii, & revelationis maxime indiga. Nec nostrum in præsentia est ostendere quousque pertingere possint laudabiles hominis conatus, quos Deus juvare paratus est. Deinde si Deus peccantes homines ad terram incolendam damnasset, quæ fruges nonnisi maximo labore exercita præberet, cujus laboris homines impatientes vesci potius noxiis herbis eligerent, nonne hæc hominis conditio deterior esset, quam nunc existit? Nonne in summa essent divini auxilii necessitate, ac summum haberetur beneficium, quidquid hujusmodi laborem minueret?

120 Ad alterum quod attinet, satis utique nobis obvia simplicissima illa principia videntur, qui ea in Christi schola didicimus, quæ rationi rectam viam demonstravit, per quam ad officiorum cognitionem veniat. Sed non ita visa sunt iis, quos cœlestis doctrina non illuminaverit. Omnibus enim perobscura, ac maximis obvoluta difficultatibus cum Cicerone visa est quæstio de natura Deorum; ac nemo gentium sapientum fuit, qui circa attributa, ac circa debitum divinæ excellentiæ cultum non erraverit. Nemo præterea, qui ex simplicissimis illis principiis sine maximis erroribus morum præcepta deduxerit, ut nos superius diximus. Rursus ex illis principiis per argumentationem, ac difficilem etiam consectariorum seriem morum præcepta deducenda sunt; constat autem, vel ipsos Philosophos, si non in principiis, saltem in plerisque consecutionibus errasse: Quis ergo speret, ut ex ipsis universa hominum plebs omnia agnoscere officia possit?

Propositio III.

Revelatio humano generi necessaria est, & existit.

121 Dem. prima pars. Necessarium humano generi est id, sine quo omnes homines finem, ac media necessaria ad finis consecutionem agnoscere nequeant; homines vero sine revelatione finem, ac media, per quæ finem obtineant, cognoscere non possunt, ut ex superius allatis argumentis constat, quibus ostendimus, paucos esse homines, qui solo rationis usu finem, quo natura tendunt, agnoscere valeant, & media, sive præcepta a Deo præscripta ad finis consecutionem necessaria.

Dem. altera pars. Primum, quia Deus sapientissimus, ac beneficentissimus est; Ergo ita in gubernando homine se gerat necesse est, ut in hac cura ipsius sapientia atque bonitas resplendeat, alioquin actio prodire ex Deo posset, quæ cum ipsius attributis pugnaret. At si homini cognitio finis, & mediorum, quæ ad finem sunt necessaria, deesset, in horum cura sapientia, & bonitas Dei non appareret, cum nec boni, nec sapientis Opificis sit finem velle sine iis, quæ sunt ad obtinendum finem necessaria. Ergo &c. 122

Deinde omnium omnino hominum consensione constat necessitas, & existentia revelationis, nam ulla umquam gens culta fuit, quæ Religionem, quam haberet, ex divina revelatione susceptam non crederet, & quotquot fuere callidi Legumlatores, qui Legem, & Religionem proponere Populis voluissent, incipiendo ab Amasi, & Mevi apud Ægyptios Legumlatoribus, usque ad Mahumetem, omnes finxerunt a supremo aliquo Numine revelatam sibi fuisse Religionem, quam Populis proponere, & inculcare contendebant, ut nos in primo capite ostendimus. Undenam vero generalis hæc omnium hominum consensio in expectanda ex Deo revelatione, quæ Religionem demonstret, oriri potuit, nisi ex intimæ conscientiæ sensu, quo se revelationis indigos agnoscerent; & ex persuasione, qua certo crederent, nonnisi ex Deo scire homines posse, qua ratione, & quibus officiis coli oporteat, ut ipsi placeamus; atque ex traditione, quam ex majoribus acceperant, quod aliquando Deus hominibus apparuerit, ac eos allocutus fuerit? 123

Plura contra revelationem opponunt Deistæ, quæ fusim in nostro hac de re vulgando Opere explicabimus. Hic vero ad ea diluenda notare sufficiat; Primum, nos in adstruenda divinæ revelationis necessitate non excludere rationem ab illa providentia, qua Deus morales hominis actiones moderatur, sed ei subsidium revelationis necessarium adserere, cujus ope vividius dictatu rationis excitentur, ac ea homini demonstrentur, quæ melius ostendant, Deum esse supra id omne, quod ratione excogitare possibile sit, & quæ divina illa erga hominem consilia patefaciant, quæ homo scire natura sua cupit; & quorum scientia maxime utilis est ad Religionem exercendam, nec aliunde quam a revelatione expectari potest. Ex quo apparet, nos ita certitudinem, quæ ex authoritate est, in Religionis subsidium vocare, ut eam non excludamus, quæ ex ipsa ratione consurgit. Quamobrem ridiculi omnino sunt Deistæ, dum ex eo revelationem respuunt, quia certitudo, quæ ex ratione est, major est illa, quæ authoritatem sequitur. 124

Deinde, si Dei providentia homines per externam revelationem regit, ea quoque hominibus præbere debet, quæ ad firmissimum, ac ejus divinæ auctoritati respondentem assensum necessaria sunt, 125

& ad

& ad intactam servandam semel factam revelationem, atque ad eam ab hominum impostura certissime discernendam. Hæc vero tria in Dei erga homines providentia occurrunt. Nam superna eos fide illustrat, unde omnium firmissimus assensus sequitur, ut proprio nos in loco ostendemus. Eam præterea externæ religioni formam indidit, atque ita hanc per suos ministros regit, ut certi ex ipsius promissionibus simus, semel factam ac hominibus inculcatam necessariam revelationem, nec deficere, nec immutari umquam posse: Denique iis characteribus munitam suam revelationem præbet, quibus perspicue ostenditur, eam a Deo summe bono, atque sapiente factam hominibus esse, ac evidentissime secernitur ab omni falsa revelatione, atque impostura, ut ex iis clare constabit, quæ in sequenti capite disputabimus. (1)

Caput Quartum.

De characteribus divinæ revelationis; ubi paucis ostenditur, hos dari, atque in sola Christi Religione reperiri.

I. Disputationem hanc adversus eosdem, quos in superiori capite refutavimus, Deistas, suscipimus. Hi enim dari divinam revelationem negant, ac dedecere putant Dei providentiam alia ratione religionem hominibus demonstrare ab ea diversa, per quam unicuique rationali creaturæ ex rerum convenientia, & disconvenientia ostenditur, quid honestum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quidve Deo gratum, vel ingratum sit: quia sola hæc rerum convenientia, & disconvenientia cum proposito homini fine character esse potest Divinæ Religionis omnibus obvius atque conspicuus; & quia cum Deus sit æque omnibus hominibus Pater, ac æqualem omnium curam gerere debeat, Religionem, quam ab hominibus exigat, eodem modo ostendere omnibus, ac manifestare debet: per convenientiam vero, ac rerum cum præfixo hominibus fine disconvenientiam æque omnibus religionem proponit, & inculcat; secus vero per revelationem, & per characteres revelationi conjunctos, cum ii paucis tantum, non omnibus hominibus, saltem immediate conspicui esse possint; & cum ita manifestata religione, ex fide potius hominum, hanc prædicantium, quam ex infallibili Dei authoritate, adstringenda esset major hominum pars ad præstanda religionis officia. Hæc hæresis est impiorum hominum, qui ab elapso sæculo Christianæ, ac omni revelatæ religioni bellum indixerunt; hos vero, ut supra diximus, generalis omnium cujusque ætatis hominum consensus refellit, ac manifestæ impietatis convincit vera humani generis historia, quæ ostendit, I. Deum initio hominem creasse rectum iis internis donis, eaque revelatione regularum, ut & clare officia religionis intelligeret, & facile assequi optatam felicitatem posset. II. Hominem illum peccasse, ac peccato suo, cum semetipsum, tum totam, quæ in ipso continebatur, humanitatem, in miseriam illam dejecisse, in qua modo ignorantia, & passionum pondere premimur; atque ob illud peccatum tum ipsum Protoparentem, tum posteros Dei inimicos, ac suppliciis dignos evasisse. III. Illa eadem historia demonstrat, Deum, non ex debito, cum nihil homini debeat, sed ex mera liberalitate, atque misericordia revelasse hominibus in peccatum lapsis futurum humani generis Redemptorem, per cujus fidem reconciliari Deo ac salvari possent; atque hanc fidem cum reliquis ad salutem necessariis pluries deinceps per homines Divino ac prophetico spiritu incitatos inculcasse. IV. Per Mosem postea Hebrææ genti, quæ unica ab Idololatriæ vitio immunis manserat, solemnem fecisse revelationem, quam loquendo multifariam multisque modis Patribus in Prophetis intactam ad promissi usque Reparatoris adventum custodivit. V. denique per Christum Messiam antea prædictum christianam manifestasse religionem, quæ per Apostolos, & viros sanctos characteribus divinæ legationis munitos universo humano generi promulgata, atque inculcata fuit.

II. Hæc ex indubiis monumentis præmittenda duximus, ex quibus nonnulla hic hypothesis loco stabilimus, quæ a theologis luculenter sunt demonstrata. Primo itaque statuimus, Deum nihil debere homini, qui propria culpa necessariam ad propriæ salutis conservationem, notitiam amisit, ac ignorantiæ, & passionibus obnoxius evasit, a quibus in errorem inductus est, sed sola liberalitate, ac misericordia gratias eidem, ac nova auxilia conferre: ex quo inferre possumus, culpandam Dei providentiam non esse, si divina ex. gr. revelatio, qua Abrahamus, qua Jacobus, qua Hebræi omnes per Mosem instructi fuere, gentibus in Idololatriam lapsis cum divinis suis characteribus proposita non fuit, & si non omnibus æque cum iisdem conspicuis notis expositum non fuit Evangelium. Cum enim hæ gratiæ sint, quas Deus gratis confert, & cum peccatores homines iis sese indignos reddant, justo Dei judicio privatos illos fuisse hujusmodi beneficiis præsumimus in pœnam peccati. Secundo pro certo habemus, hominem per peccatum divina exigente justitia fieri æternæ pœnæ obnoxium, ac sola liberrima Dei gratia liberari; ex quo sequitur, non fieri homini, qui jam peccavit, injuriam, si Dei gratia non erigatur, & non liberetur a peccato, & peccati pœna. Si ergo dicamus, Idololatris, qui propria culpa amisere lumen per antiquissimam revelationem traditum, qui sprevere alia Dei beneficia, ac Deum per Idololatriam dehonorarunt, in peccati pœnam perspicuum revelationis lumen datum non fuisse, quid est, quod in Dei providentia reprehendi possit? Numquid ex hoc argumentari potest, non esse convenientem revelationem ad consulendum saluti humani generis, aut dari hanc non posse, cum characteribus divina providentia dignis? Immo potius inferendum videtur, dari homines, qui propria culpa, & ob contemptum gratiæ Dei, hoc beneficio

(1) Confer Valsecchium *Lib. cit. P.* 2. *cap.* 5.

neficio priventur, vel qui justo Dei judicio in peccato libere commisso perire debeant. Id sane affirmandum est, si necessaria ostendatur humano generi revelatio, si divini ipsius characteres possibiles, & convenientes, ac revera dari demonstrentur. Res vero ita se habet.

128 III. Nam superiori in capite satis superque demonstratum est, Deum, ut sese ostendat beneficum, sapientem, & justum, debere hominibus per externam revelationem, religionis officia præscribere, atque per idoneos ministros proponere, & inculcare. Et si consideremus errores circa religionem, etiam contra Dei attributa, & naturæ legem, qui fuere apud gentes, & apud sapientes quoque homines, qui revelatione caruere; Si animadvertamus, paucos esse ex hominibus, qui propriæ rationis usu veram Dei notionem, naturalis legis præcepta, & religionis officia assequi possint; Si observemus, scire homines non posse sine revelatione statum vitæ futuræ, modum, quo cum Deo post peccatum reconcilientur, & convenientem Deo cultum, tum internum, tum externum; Si denique naturam hominis expendamus, quæ ita exigit per externum sermonem, non solum ad fidem, & religionem concipiendam, sed etiam ad exercendam rationem determinari, ut sine externo sermone vix, & ne vix quidem rationem explicet, & exerceat, ut nos ex Wolfio supra diximus: manifestum erit, I. Ita natura sua comparatos homines esse, ut quin externo sermone exerceantur, rationem non explicent, sed belluarum more vivant, & ut externo indigeant Doctore ad rationem perficiendam. II. Ratione homines cognoscere nullo modo posse statum futuræ vitæ, ac promissa prœmia, nec modum, quo reconciliari cum Deo peccatores debeant, neque convenire in designando apto & convenienti religionis cultu. III. Majorem hominum partem ineptam esse ad cognoscendum per ratiocinium systema naturalium legum, & religionis, atque ad acquirendam exactam Dei notionem; immo, cum ne unus quidem ex Philosophis etiam atque sapientibus repertus sit, qui in iis non erraverit, definire possumus, impossibile esse per humanam rationem hæc omnia cognoscere. Itaque Dei sapientiæ, bonitati, atque justitiæ consentaneum omnino videtur, ut homines per externam revelationem discant, quæ credere de Deo debeant, qua ratione eum colere, & quid agere, quidve vitare oporteat, ut tuto ad optatam felicitatem perveniant. Neque characteres desunt, quibus modo divina providentia digno, ac humani generis constitutioni consentaneo revelata religio proponatur.

129 IV. Primo itaque, ut religio a Deo revelata certo demonstretur, necesse est, hominem, qui se a Deo missum, sive Dei ad homines legatum asserat, prudentia, justitia, morum integritate, aliisque virtutibus ornatum esse; ita ut sese dignum ostendat, qui Dei legatus eligatur, ac in omnibus suis actibus demonstret, se non divitias, non Mundi voluptates, non honores ac inanem gloriam quærere, sed solo Dei amore agere, ac hujusmodi uti ministerio ad procurandam æternam hominum salutem, & Dei gloriam promovendam, augendamque. Si hæc præferat argumenta virtutum homo, qui se Dei legatum nominet, operibus suis omnem imposturæ suspicionem excludit. Sed fieri potest, ut callidi homines has virtutes simulent, & fingant, atque, ut ii etiam qui bona fide agunt, imaginationis ludibria pro divina revelatione habeant, & evulgent; Quam ob rem necessarium est, ut homo probus, qui se Dei legatum dicat, divinæ missionis sive legationis suæ indubia atque perspicua signa demonstret: sive potius, necesse est, ut Deus, qui hujusmodi hominem elegit, per clara argumenta significet, a se missum esse, ac per hunc cœlestem ipsius doctrinam patefieri. Hæc vero signa per miracula exhibentur, & per prophetias eventu comprobatas.

V. Miraculum vocamus effectum singularem, cu- 130
jus causa sive ratio sufficiens non reperitur in universali naturalium causarum serie; sive quod in idem recidit, effectus, qui supra naturæ vires, vel præter stabilitum rerum ordinem fiat. Deistæ, quos refellimus, cum Deum Mundi auctorem rectoremque agnoscant, fateantur etiam necesse est, possibilia esse miracula. Si seriem ipse constituit, & conservat rerum naturalium, & si leges ipse stabilivit, & custodit, quibus res contingentes reguntur; quis dubitet, quin effectum procreare valeat, cujus sufficiens ratio in serie causarum naturalium non contineatur? quin efficere opera possit, quæ creatarum rerum vires superent, & qui agere valeat, secus ac stabilitus rerum ordo postulare videatur? Id adeo clarum est, ut demonstrato adversus Spinosam, & Pantheistas, existere Deum infinite potentem, ac liberum, qui libere hunc Mundum condiderit, conservet, & regat, superfluum omnino censeamus, de miraculorum possibilitate adversus impios illos homines disputare. Nec difficile est demonstrare, convenire Dei bonitati, atque sapientiæ per miracula sese supremum Mundi rectorem ostendere, qui per suam revelationem hominum ministerio promulgatam, homines doctrinam doceat, quæ necessaria ipsis est ad æternam felicitatem comparandam. Convenit enim, & necessarium est, ut probavimus, hanc fieri revelationem. At necesse quoque est, ut Deus clare significet divinam hominum missionem, ac factam per istos revelationem; Id vero cum ante per miracula fiat, palam est, convenire Dei providentiæ, ut hanc ob causam miracula fiant.

VI. Neque dicant, miracula non adeo facile posse ab hominibus cognosci, ideoque pro characteribus, ac perspicuis notis habere non posse. Nam ad cognoscenda vera miracula, opus non est omnes metiri quotquot sunt in natura vires, sed sat est evidenter cognoscere effectus, qui ad invocationem veri Dei fiant, vel esse præter stabilitum rerum ordinem, vel vires omnino excedere earum causarum, quæ ad effectus productionem applicentur; ideoque fieri non posse nisi virtute ipsius Dei, qui ab homine invocatus statuitur, ut per effectum illum testetur assertam veritatem. Fac, hominem ex. gr. qui se a Deo missum asserat, invocato Dei nomine, solo vocis suæ imperio suspensum detinere in aere hominem ex alta turri cadentem, sistere aquarum fluminis cursum,

vel

vel retrorsum aquas illas impellere, vel magnum incendium extinguere, ac cæco homini visum, vel mortuo vitam restituere; qui non intelligat, effectus istos humanæ vocis vires omnino excedere, ac sola omnipotentis Dei virtute fieri? Nullus sane hominum est, qui hujusmodi opera Dei prodigia ac miracula esse clare non agnoscat, & qui illico non intelligat, per hujusmodi miracula Deum comprobare veritatem ab eo assertam, qui ipsum invocaverat. Patet ergo, eam in miraculis inesse evidentiam, quæ pro charactere veritatis stabiliri possit.

132 VII. Miraculis accedunt prophetiæ eventu comprobatæ. Est autem prophetia prædictio rei contingenter futuræ, scilicet, quæ nondum evenit, dum prædicta est, & quæ neque ex causis naturalibus, neque ex præsenti rerum constitutione cognosci ullo modo potuit. Perspicuum autem est hujusmodi futura cognita hominibus esse non posse; cum nullam causam, nullumque medium habeant, per quod valeant illa cognoscere. Ei ergo tantum cognita esse possunt hujusmodi futura, qui cognitione sua totam rerum naturam, quantum ipsa loco, & tempore pateat, comprehendit. Hæc vero cognitio soli Deo competit; ergo prophetiæ eventu comprobatæ, nonnisi a Deo esse possunt. Fac ergo, hominem, qui se Dei Legatum dixit, miraculis, ac prophetia eventu comprobata missionem suam, ac revelatam doctrinam comprobasse, an non habes satis perspicuas notas, quæ divinam revelationem designent?

133 VIII. Neque his notis contenti sumus. Etsi scimus, veram prophetiam a solo Deo esse posse, ac miracula, quæ ad invocationem Dei fiant, non posse falsam doctrinam comprobare; tamen ne ex confictis a Cacodæmone prodigiis, aut ex falsis & antiquis impostorum prophetiis, suspicionis umbra saltem apud imperitum vulgum supersit, supra recensitis alterum characterem subnectimus in ipsa doctrina revelata positum. Doctrina itaque revelata omnino respondere debet sanctitati, bonitati, justitiæ, ac reliquis Dei attributis: pro revelata enim haberi nequit, nisi omnino Deo digna sit. Primo itaque, cum revelata doctrina sit in subsidium rationis, cum recta ratione pugnare non potest, sed eam perficere debet, circa Dei, ejusque attributorum, ac providentiæ cognitionem; & per leges, virtutumque præcepta. Secundo, quæ supra vires infirmæ nostræ rationis revelatio proponit, talia esse debent, quæ insigni aliqua præstantia incomprehensibilem Dei perfectionem nobis commendent, & Dei gloriam, ac hominum felicitatem promoveant. Hac enim ratione intelligimus, mysteriorum revelationem fini respondere Dei erga homines providentiæ consentaneo. Tertio, cum verum adversari vero non possit, necesse est, ut omnes divinæ revelationes invicem consentiant, & posteriores cum prioribus non pugnent: Quæ quidem consensio omnino necessaria est, ut Deo revelatio tribuatur, qui nec falli, nec fallere potest.

134 IX. Atque ii sunt characteres, quibus revelata religio demonstratur. Sunt præterea Notæ quædam, quibus perspicue quoque ostenditur vera Dei Ecclesia, quæ omnino consentaneæ sunt peculiari illi curæ, qua Deus conservare velit semel stabilitam societatem credentium, cui depositum concredidit divinæ revelationis, ac assistentiam illam promisit, quæ necessaria est ad istud semper intactum conservandum. Vide Art. nostrum *de Ecclesia*. Interim vero sit

Propositio prima.

Quatuor supra recensiti characteres evidenter veram demonstrant revelatam Religionem.

Dem. Doctrina, quæ nihil erroris admixtum habeat, sed tota ad Dei gloriam promovendam, 135
& ad procurandam veram hominis felicitatem etiam vitæ futuræ ordinata sit, veluti divinitus tradita nobis exhibetur, tum quod ex historia humana constat, homines proprio studio ac infirmæ rationis usu hanc assequi non posse; tum quia doctrina hæc veluti medium aptum, & necessarium concipi debet, quo homo ad propositum a divina providentia finem perveniat; cum fieri nequeat, ut Dei Sapientia stabilitus sit hominis finis, quin ei media manifestaverit ad illius consecutionem necessaria. Accedat huic doctrinæ viri probi, justi & sancti testimonium, hominis scilicet, in quo solum deprehendamus Dei, ac veritatis amorem, ac unicum studium promovendæ Dei gloriæ, veræque hominis felicitatis procurandæ. Si hic homo Dei nomine doctrinam illam promulget, jam satis habes, quo cœlestem illam, ac divinam putes. Fac vero, hunc hominem prophetiis eventu comprobatis revelationem confirmare; ac invocare deinde Deum, ut palam per miracula testetur, suam atque divinam esse doctrinam. Si ad hanc invocationem, ac solo vocis imperio hominis Dei nomen invocantis repente v. gr. dividantur fluminis aquæ, & retrorsum etiam impellantur, aut magnum extinguatur incendium, vel cœco homini visus, aut mortuo vita restituatur, ita perspicuum est, doctrinam ita promulgatam a Deo traditam esse, ut homo, etsi velit de hoc dubitare, non possit. Nam homo, qui se Dei ad id Legatum dicat, statuitur omnino fide dignus, & qui nullam mentiendi causam habeat; non doctrina, quam proponit, ad privatam illius utilitatem, sed ad communem humani generis felicitatem, & ad solam Dei gloriam promovendam ordinata est, atque ita perfecte morum præcepta, religionis officia, Dei attributa, mysteria ad manifestandam Dei præexcellentiam aptissima, ac statum vitæ futuræ repræsentare supponitur, ut vel hac de causa quodam divinitatis charactere insignita demonstretur. Ergo dum a Dei Legato, qui missionem suam, & doctrinam probet per miracula, & prophetias, evulgetur, atque explicetur, ita clare veluti divina exhibetur, ut non possit eam homo non agnoscere pro divina; ergo per evidentes characteres proponitur. Itaque cum demonstratum superius sit, ita homines in hac rerum universitate constitutos esse, ac natura sua comparatos, ut necesse sit, per externam revelationem institui in religionis officiis eos debere, perspicuum est, revelationem hujusmodi characteribus consignatam eisdem

eisdem convenire. Cum autem omnes cultæ gentes, ut alias diximus se revelatam religionem habuisse semper, ac ubique asseruerint, inquirendum nunc est, quænam gens fuerit, in qua vera, & divina revelatio facta, & deinceps intacta conservata sit. Incipiemus vero a Paganorum religione.

Propositio II.

In Ethnicorum, sive Paganorum religione characteres divinæ revelationis desiderantur.

136 Divina revelatio doctrinam falsam exhibere non potest, falsa enim & erronea doctrina a Deo esse non potest, qui nec falli, nec fallere potest. In Paganorum vero religione plures errores occurrunt circa Dei naturam, & attributa, circa Dei cultum tum internum, tum externum, & circa ipsa quoque naturalis legis præcepta, ut superiori in capite ostendimus. Deinde Legislatores, qui se a Deo cum legibus religionem accepisse asseruerunt, a falsis Diis manifestatam religionem finxerunt, scilicet Numa a Dea Egeria, & alii vel ab Apolline, vel a Jove, vel ab alia conficta divinitate, ut in primo capite diximus: & ex eorum historiis constat, vel comparandi, vel stabiliendi imperii gratia revelationes illas evulgasse, quæ sane res manifesta præferunt calliditatis & imposturæ indicia. Desunt ergo in Paganorum religione divinæ revelationis characteres. Scio, eorum Scriptores miracula quædam recensere, & oracula Deorum, quos ipsi colerent, sed cum in eorum religione character defuerit divinæ legationis, & cum doctrina non solum sine nota fuerit divinæ doctrinæ, sed etiam falsa, & erronea in plerisque capitibus fuerit, manifestum est, defuisse characterem illum divinæ revelationis, qui excludere quoque debet suspicionem, qua dubitare aliquis posset prodigia conficta esse, aut ope Cacodæmonis peracta. Immo cum doctrinæ falsæ, & rectæ rationi contrariæ Deus auctor esse nequeat, qui nec falli, nec fallere potest, jure meritoque præsumimus, aut non fuisse apud Idololatras miracula, aut, quæ pro miraculis habebantur, fuisse maligni spiritus opera, quibus Deus passus est homines deludi in pœnam peccati, quia a vero cultu defecerant. Rursus, quæ narrantur ab Ethnicis miracula, velut nulla sufficienti testium fide suffulta rejiciuntur etiam ab eorum Scriptoribus, ut videre est apud Livium, & Ciceronem, aut facta perhibentur in recessu, & noctu coram uno, vel altero, quorum oculis falsa rerum specie facile a callidis viris imponi potuit, vel effectus fuere, qui in admirationem ignaros trahebant, ductio ex. gr. ferri per magnetem, & similia, qua usos fuisse arte ad ostentanda prodigia Simonem Magum, & Apollonium Tianæum scribunt Julianus, multique antiqui Patres. Quod vero ad oracula spectat, Aristoteles, & Cicero, aliique Ethnici Scriptores nullam illis fidem adhibuerunt. De gentium vero vaticiniis ita scribit Eusebius l. 4. Præp. Evang. *Multi vatum atque Aruspicum, non solum priscis, sed etiam nostris temporibus tormentis in judicio coacti, universam rem suis inventionibus fieri edixerunt; a quibus modos quoque artificii exquisitius patefactos non ignoramus, qui tamquam seductores, & malefici viri, ultimo supplicio secundum leges affecti sunt. Quæ res adeo claræ sunt, ut neminem lateant.*

Propositio III.

In Mahumedana religione Divinæ revelationis characteres non insunt.

In Mahumede defuit Dei legati character, is enim diu raptor fuit, ut legitur in ipsius chronico verso ex Arabico, fuit semper mulierosus, ut legitur in Alkorano *Sura* 42. & seq. ac imperium vi, prædonum ope, atque armis sibi comparare studuit. Ubi ergo probitas vitæ fuit, qua se dignum exhiberet, qui Dei legatus eligeretur, & qua ostenderet, se solius Dei gloriam, & hominum felicitatem, non vero commodum, voluptatem, gloriam suam, & imperium quæsiisse? Immo cum omnia eo direxisset, ut alios sibi subjiceret, ut imperium acquireret, ut voluptatibus frueretur, manifesta præbuit callidi impostoris indicia. Desiderantur etiam in ipso Divinæ Missionis signa: nullo enim miraculo missionem suam probavit; ut ingenue fatentur nonnulli ipsius sectatores, & ipse quoque testatur in Alkorano ubi sæpe scribit, se non fuisse missum, ut miracula faceret; quæ vero a nonnullis ipsi tribuuntur, vel ea sunt, quæ humana arte effici potuerint, ut miraculum de columba ad aures advolante; vel quorum nulli sunt testes, ut dum ajunt camelum noctu ipsi locutum; aut quæ sui absurditate refelluntur, ut illud de magna lunæ parte in ipsius manicam delapsa, quæ ab ipso postea remissa fuit ad reddendam sideri rotunditatem; præterea tradita ab ipso de Deo, & moribus, atque religione doctrina plerisque in capitibus cum recta ratione pugnat; Nam Deum corporeum facit, limitatum, ac fato subjectum; Polygamiam simultaneam probat; & ut alia mittam, contra naturæ legem, religionem, quæ libero interno animi obsequio constare debet, armorum vi extorquendam, & propagandam tradit. Pleraque demum inepta prorsus veluti divinitus revelata exponit; scilicet, Angelos corporeos esse, & ex igne factos, dœmones vero ex igne venenato, *Sura* 14. item Angelorum cum mulieribus commercia, atque mortem eorundem, & resurrectionem &c. Ad bona vero quod spectat alterius vitæ, quorum spes allicere homines ad virtutem debet; ea in corporis voluptatibus constituit, quæ virtuti obstaculo sunt, atque etiam contrariæ. Quid vero si anachronismos; & putida Alkorani expendamus commenta? *Sura* 36. Ismaelem cum Isaaco ab Abramo patre sacrificando confundit; *Sura* 19. Eliam Mosi synchronon facit; & *Sura* 3. Mariam Jesu Servatoris Matrem Amrami & Aaronis sororem facit; atque in iis, & aliis bene multis talem se prophetam exhibet, qui nec præterita scire potuerit. Sed, ut unum saltem ex putidis fabellis afferamus exemplum, *Sura* 9. scribit Jesum mortuum non fuisse, sed clam subductum in Cœlum, cruci vero affixum quoddam ipsius simulacrum. Quæ cum ita sint, facile quisque intelliget, in Mahumedi religione non solum deesse notas Divinæ revelationis, sed reperiri quoque manifesta imposturæ argumenta.

Quæ contra Christianos Mahumedani opponunt, 138
pue-

puerilia prorsus sunt, & quæ in tractatibus de Trinitate, & Incarnatione a nostris Theologis explicantur. Quærunt enim, quomodo Deus, qui uxorem non habeat, generare filium potuerit, & huic similia: Sed hæc in tractatu, ut dixi, de Trinitate exponuntur. Ajunt etiam, corruptos esse Evangeliorum codices, sed in tractatu de Sacra Scriptura facile falsitatis convincuntur.

139 Ostendendum hic esset, in data per Mosem religione Divinos characteres fuisse; sed id brevitatis causa omittimus, ac sat ducimus adversus Judæos, atque Infideles, & Incredulos omnes ostendere, hos in Christi religione reperiri.

Propositio IV.

In Christi religione divinæ revelationis characteres omnino perspicui sunt.

140 Dem. Christus hujus religionis Auctor, I. ea in mundum venit ætate, in qua Judæi fere omnes, ac nonnullæ etiam ex gentibus promissum longe antea a Deo Messiam expectabant, ac se Messiam illum esse dixit; & cum ipse, tum quotquot deinceps fuere Christiani completas in ipso demonstraverunt prophetias, in quibus a pluribus sæculis futurus Messias prænunciatus fuerat; nec id revocari in dubium potest, cum etiam nunc extent libri antiquorum Judaicæ gentis Prophetarum, in quibus hujusmodi prædictiones leguntur. II. Vir fuit vitæ omnino inculpatæ; nam ne ipsi quidem falsi testes ab iis exhibiti, qui eum per invidiam Pilato morti damnandum tradiderant, quidpiam contra ipsum deponere potuerunt, ut ex ipsius Pilati confessione constat, quam in illa historia legimus, de cujus fide dubitari nullo modo posse infra probabimus. III. In eorum confirmationem, quæ assereret ipse, atque doceret, opera adhibuit sua, inquiens, *Si non vultis mihi credere, operibus credite*. IV. Opera, quæ ad comprobandam divinam ipsius Missionem, ac doctrinam, recensentur ab iis, qui oculati testes fuere, qui nullam mentiendi causam habuere, qui illam scribendo, & prædicando non alium sibi proposuere finem, quam Dei gloriam, & alterius vitæ præmia, quæ solis virtutum sectatoribus, & a mendacio abhorrentibus parata esse credebant, qui demum adeo constantes in iis asserendis fuere, ut suppliciis, ac crudelissima morte assertionum veritatem comprobaverint. Tales enim fuere Evangelistæ, & Apostoli, quos mortem crudelissimam subiisse scimus, pro illa sustinenda veritate, quam litteris consignavere, ac palam ubique prædicaverunt. V. Horum operum ac prodigiorum summa hæc est: Christus solo voluntatis suæ nutu aquam in vinum convertit in Canæ Galilææ nuptiis, cœcis visum, surdis auditum, ac mortuis plurimis, etiam quatriduanis, & fœtentibus vitam restituit, atque hæc palam, & spectante multitudine, inter quos illi quoque fuerunt quæ eadem scripserunt, & prædicaverunt. Rursus prædixit mortem suam, & qua ratione tradendus esset in manus peccatorum, ut pro hominum salute Cruci affigeretur; prædixit quoque futuram post triduum Corporis Resurrectionem, & Ascensionem in Cœlum, & alia bene multa, quæ brevitatis causa omittimus. Resurrectio vero post triduum, ut prædixerat ipse, contigit, & post resurrectionem per dies quadraginta cum hominibus vixit, doctrina sua illos instruendo, ac sese videndum exhibuit, & palpandum tum duodecim discipulis simul congregatis, tum quingentis simul unitis, tum etiam aliis bene multis, quos testes oculatos esse voluit resurrectionis suæ, & etiam ascensionis in Cœlum; spectante enim ipsa multitudine post dies quadraginta a resurrectione in cœlum ascendit. Quid plura? Promiserat, se missurum Spiritum Sanctum, qui docturus Apostolos & discipulos esset omnem veritatem; ac ipsa Pentecostes die secundum factam promissionem, datis visibilibus signis, super Apostolos ac discipulos stetit, qui rudes ac piscatores homines cum essent, illico cœlesti & divina doctrina instructi loqui cœperunt variis linguis magnalia Dei coram Arabibus, Judæis, Elamitis, Parthis, Romanis, Ægyptiis, quorum quisque illos veluti propria in qua natus esset lingua loquentes audivit. Hæc ab eis scripta leguntur, qui vel oculati testes fuere, vel a multis acceperunt, qui illa viderant; Præterea viri hujusmodi, quos in testes delegerat divinæ Missionis suæ, miraculorum, resurrectionis, ac aliorum, quæ diximus, ita de veritate persuasi fuerunt, ut Christum adorandum gentibus proposuerint, quemadmodum constat ex tota Christianorum historia, ac innumeris miraculis prædicationem suam comprobarunt, quod vel ipsi Hebræi, ac Ethnicis Scriptores testantur, qui arte magica & ope cacodæmonis peracta illa scripserunt. Accedunt etiam tum illorum multitudo qui Christi fidem susceperunt, tum invicta constantia illorum, qui hanc prædicaverunt; cum nulla alia causa nisi veritatis ac Dei amore, & spe illorum præmiorum, quæ parata annunciaverunt solis hominibus virtutem sectantibus, induci potuerint, ad tot labores, tormenta, supplicia, ac mortem crudelissimam subeundam, pro iis confirmandis, quæ gentibus promulgarent.

Nec fingi potest, ope maligni spiritus patrata fuisse miracula illa, tum quia vulgata a Christo ejusque ministris doctrina malignis hujusmodi spiritibus adversatur; prohibet enim, malos spiritus coli, atque ab illa corporis immunditia retrahit homines, qua mali spiritus delectantur. Constat deinde, vulgata atque recepta Christi doctrina, cessasse apud homines Dæmonum cultum atque Magiam, & coli Deum cœpisse cum illorum detestatione. Sed neque sapientiæ & Dei bonitati convenit, ut credamus passum ipsum fuisse, dæmonis artibus illudi hominibus ab omni malitia prorsus alienis, & qui ipsum metuerent, cujusmodi fuere primi Christi Discipuli, quorum vita omnino inculpata fuit, & qui Dei amore mortem quoque subiere. Hæc urgeri adversus quoque Judæos possunt, & quidem validius: Dum enim supra dicta expendantur, palam fit, longe clariores esse in Christi, quam in Mosis religione, Divinæ revelationis characteres. 141

Ostendimus, in Christo characteres fuisse Divinæ Missionis, atque ex dictis facile patet, etiam in illis, quos elegit Christus, & ad vulgandam misit revelatam religionem, hujusmodi characteres fuisse. Ii enim Apostoli fuere, homines nempe, 142

nec

nec divitiarum cupidi, nec bonorum, nec voluptatibus inclinati, sed solo Dei, & proximi amore incitati, ac Dei unice gloriam ac salutem hominum procurantes. Rudes ac piscatores homines erant, sed in comprobationem Divinæ missionis variis linguis loquebantur, Divinam & arcanam doctrinam explicabant, atque innumeris miraculis istam comprobaverunt, ut jam diximus. Per horum successores, quibus non semel perpetuam Divini spiritus assistentiam promisit, intactum servatum voluit depositum Divinæ revelationis, ut revera conservatum est usque adhuc. Quid demum de doctrina dicemus? Hæc sane sola est, quæ sufficiat ad veram revelationem comprobandam. Hæc enim talis est, quæ vere ad Dei gloriam promovendam ordinata sit, & quæ unice ducat ad veram hominis felicitatem procurandam cum præsentis, tum vitæ futuræ. Nil enim in ipsa de Deo indignum atque repugnans asseritur, ut legentibus nostros Theologos manifestum fit. Proponuntur sane mysteria humanæ mentis nostræ captum superantia, aptissima tamen ad sublimem Dei excellentiam, ac incomprehensibilem ipsius naturam demonstrandam, & ad fovendum in nobis humilitatis exercitium, & debitum enti præstantissimo cultum. Per mysterium enim Trinitatis incomprehensibilis Divina natura, per Mysterium Incarnationis, & Eucharistiæ incomprehensibilis Dei erga homines amor, & per Mysterium prædestinationis, & gratiæ incomprehensibilis ostenditur Dei providentia nec quidpiam, ut dixi, in iis repugnans occurrit. Ad homines quod attinet, doctrina Christi Deum exhibet, ut summum bonum, cujus unice possessione per claram visionem, & fruitionem beati esse possimus, quo quidem nil rectæ rationi conformius esse potest; nam clare intelligimus, beatitudinem nostram non posse consistere in bonis fortunæ, quæ desideriis, & timore homines turbant, non in voluptatibus corporis, quæ rationem turbant, ac humanas passiones, quæ nostræ miseriæ veluti fontes habentur, fovent, & augent, non in virtute, & gloria inde sequuta, cum hæ humanam superbiam, ac immoderatum sui ipsius amorem foveant, ex quo pars maxima humanæ miseriæ oritur. Itaque non in alio, quam in Deo summe bono, & immutabili, ultimus finis hominis stabiliri potest. Ad hunc finem referri debent omnes actiones nostræ, si rectam rationem sequi velimus, atque id tradit Christi doctrina, quæ Deum summe bonum ita amare nos jubet, ut non nostram, sed Dei tantum gloriam procuremus, qua ratione conatus superbiæ cohibet, quibus miserrimi homines fiunt, & humilitatem, patientiam, aliasque virtutes fovet, ad tranquillam & beatam vitam agendam necessarias. Jubet præterea, Dei amore, alios homines amandos esse, ac aliis præstanda, quæ fieri nobis optemus, & amandos quoque inimicos, illisque benefaciendum, a quibus mala recepimus, unde mutua illa benevolentia oritur, ex qua hominis in societate felicitas pendet. Et ut in eadem societate securitas illa vigeat, sine qua tranquilla ac beata vita esse non potest, non solum sub pœna æterni supplicii prohibet aliena rapere, vel aliorum jura lædere, sed etiam desiderare illa, & concupiscere. Quibus si addantur, quæ præscribit de mutuis conjugum officiis, deque conjugii indissolubilitate, ac de debito Parentibus, Magistratibus, ac Principibus obsequio, manifestum fit, talem esse Christi doctrinam, quæ modum præscribat unicum, quo homines optatam in terris felicitatem habere possint, & ad felicitatem illam obtinendam præparentur, quæ veluti merces in alia vita speranda est. Accedit etiam, ad inspirandam humilitatem, spem, ac fiduciam, sive jucundam expectationem hominibus necessarium esse docere internum Dei auxilium, quo ad agendum Dei amore excitentur, & adjuventur, atque istud auxilium vere petentibus semper præsto esse. Ex quo ita argumentamur. Illa doctrina Deo digna, ac Divina haberi potest, quæ Dei præexcellentiam aptissimo ad debitum Deo cultum excitandum, & fovendum modo demonstret, quæ in homine virtutem promoveat, ac cætera ad beatam vitam agendam, necessaria, quæque hominem ipsum tuto ad ultimum finem, seu æternæ felicitatis consecutionem dirigat. Hujusmodi est tradita a Christo doctrina; ergo.

Propositio V.

Inter varias sectas, quæ inter Christianos vigent, sola Romano-catholica est, quæ revelatæ a Deo religionis characteres retinet.

Dem. Dei providentia exigit, ut eadem cura, 148
qua humano generi religionem manifestat, eandem integram atque intactam conservet. Sicut enim decet Divinam providentiam ita hominibus religionem promulgare, ut per obvios characteres constet a Deo traditam esse, ita decet ita eam conservare, ut iisdem conspicuis characteribus demonstretur profectam a Deo esse, atque infallibili ejusdem cura conservari, ac sartam tectam custodiri. Non minus enim ut tuta ab eo tradita regula suscipi ab illis debet, qui revelationem habuere, quam ab illis, qui eandem deinceps amplecti, ac servare tenentur. Nam ut illis, ita & istis veluti Divina proponi ita debet, ut a falsis secernatur sectis, & ut veluti tutissima æternæ salutis regula agnoscatur. Itaque per certas notas ac conspicuos characteres constare hominibus debet societas, quæ Divinæ revelationis depositum a Christo acceperit, ac intactum per idoneos ministros, Divinæ providentiæ cura, conservaverit. Nam sine iis characteribus constare hominibus non potest de Divina revelatione, ac de necessaria ad salutem regula, ut ex dictis liquet. Inter varias vero Christianorum sectas, quæ invicem dissident, circa puritatem doctrinæ revelatæ, adeoque circa tutissimam æternæ salutis regulam, sola Romano-Catholica est, quæ notas, & characteres servet divinæ revelationis intactæ Dei providentia conservatæ. Nam in sola Romana Ecclesia ministri sunt, qui per legitimam deputationem sive ordinationem, suam missionem a Christo factam probant, & quibus divinæ revelationis depositum traditum ea lege fuit, ut nunquam defutura sit infallibilis Dei assistentia, qua ita regantur, ut in deposito fidei custodiendo errare nequeant. In sola enim Ecclesia Romana legitima successio Episcoporum adest, *quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Christi*, ut legitur

in

in Actis Apostolorum: qui per legitimam ordinationem, non interrupta serie, ab Apostolis trahunt originem; qui acceptam a majoribus religionem plebi proponunt, & explicant; & quibus inerrantiæ privilegium, dum docerent, a Christo promissum fuit, ea ratione, quam in Art. de Ecclesia demonstravimus. Alii enim Christiani non a Christo, & ab Apostolis missionem suam ostendunt, sed vel a Nestorio, vel ab Euthychete, vel a Calvino, Lutero, aut ab aliis viris e Christi Ecclesiæ communione dejectis. Deinde, fatentibus Hæreticis, in aliis sectis miracula desunt, quæ ostendunt Dei curam in demonstranda hominibus vera ab ipso revelata religione; in Ecclesia vero Romana hæc semper viguere, atque vigent, ut discurrenti per singula istius historiæ sæcula liquet, præsertim ex actis Canonizationis Sanctorum, in quibus omnino demonstrata miracula exhibentur. Sunt etiam in Ecclesia Romana eximiæ sanctitatis viri, quorum vitæ sanctitas miraculis quoque comprobatur, quæ etiam ostendunt visibilem providentiæ curam, in conservanda in hac societate revelata religione. Quibus si addantur reliquæ veræ Ecclesiæ notæ in supra cit. art. demonstratæ, palam fiet, evidentia morali constare, solam Romanam & Catholicam religionem veram esse. Hæc paucis indicavimus, fusius vero in nostro hac de re vulgando opere exponemus. (1)

RELIGIONES REGULARES, ET MILITARES.

Articulus I.

Quo ad ea, quæ concernunt Religiones in genere.

1 Religio secundum D. Isidorum *lib.* 10. *Etymol. cap.* 19. dicitur a relegendo, ibi: *Religio nominatur a relegendo*, quod est verbum compositum ex propositione *re*, & *lego*, *legis*, & significat semel, atque iterum legere ea, quæ sunt Domini cultus, quia Religiosus relegit, atque retractat, idest iterum atque iterum legit, & tractat ea, quæ ad Divinum cultum spectant; quæ enim sunt Domini cultus, frequenter in corde sunt revolvenda, ut dicit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 2. juxta illud *Proverb.* 2. *In omnibus viis tuis cogita illum*.

2 Sanctus autem Augustinus *lib.* 10. *de Civitate Dei cap.* 4. dicit, quod Religio dicitur a *religendo*, ibi: *Religio ex hoc dicta, quod Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligenter*, & est verbum compositum ex præpositione *re*, & *eligo*, *eligis*; quod significat iterum eligere, quod jam erat electum.

3 Lactantius Firmianus *lib.* 4. *Divin. Instit. cap.* 24. dicit, quod Religio dicitur, & derivatur à religando, quod est verbum compositum ex præpositione *re*, & *ligo*, *ligas*, significatque iterum atque iterum ligare id, quod semel erat ligatum; Et tenet etiam D. Augustinus *lib. de vera Religione tom.* 1. *cap. ult.* ubi post multa alia verba inquit: *Religet nos uni Omnipotenti Deo vera Religio*; Et amplectitur etiam S. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 1. *& in Opuscul.* 19. *cap.* 1. *in princip.* ubi dicit: *Nomen igitur Religionis, ut Augustinus lib. de vera Religione innuere videtur, a religando sumptum est.*

Religio, seu status Religiosus *est Fidelium ad Christianæ Caritatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus. Est in re communis.* 4

Religiosus autem, seu Regularis *est persona, quæ emissis tribus votis substantialibus, in aliqua Religione ab Ecclesia approbata vivit, ibique abjectis hujus sæculi curis, & perfectionis impedimentis propriaque abnegata voluntate, & carnis oblectamentis, ad id solum incumbit, ut ad perfectionem veniat, Deoque perfecte serviat.* Sic *in re communis:* 5
Unde Religiosus, & Regularis idem significant, 6
& solum differunt, quod ly *Religiosus* venit a verbo *Religio*, *Regularis* vero a *Regula*, quam quivis Regularis profitetur.

Hinc tria dicta vota, Paupertatis scilicet, Obedientiæ, & Castitatis perpetuæ sunt omnino de essentia Religionis, adeo ut sine illis Religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 1. Miranda in *Manual. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Pellizzar. *in Manual. Regular. tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 2. & 3. Donatus *prax. rerum Regular. tom.* 4. *tract.* 1. *q.* 5. & communis ac certa aliorum, *argum. cap. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachor.* & Extravagant. Joann. XXII. incip. Quorumdam *de verbor. signific.* §. *penult.* 7

Tria dicta vota sunt de essentia Religionis ex Jure Divino; adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu composito, quod aliquis sit, & maneat proprie Religiosus, & tamen non sit adstrictus tribus allegatis votis: quamvis ex aliqua gravissima causa bonum commune concernente possit dispensando ex Religioso facere non Religiosum, & ei concedere facultatem ad sæculum redeundi, & nubendi. Miranda in *Manual. Prælator. tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 5. *conclus.* 1. Donatus *loc. cit. quæst.* 12. & 13. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *num.* 12. ubi testatur de communi, per text. *in cit. cap. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachor. in fine*, ubi Innocentius Papa III. sic expresse dicit: *Abdicatio Proprietatis, sicut & custodia Castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*, & Glossa *ibid.* verb. *Abdicatio*, dicit: *Papa non potest dispensare, ut Monachus habeat proprium existendo Monachus, sed de Monacho potest facere non Monachum*; Ex quo clare sequitur, quod dicta tria vota non solo Jure humano, sed Divino requiruntur ad 8

(1) Huc spectat nuperrimum Valsecchii opus *pro Catholica Religione*.

ad essentiam Religionis, quia si solo Jure humano essent ad eam necessaria, Papa in iis sine dubio posset dispensare, cum ipsemet Innocentius Papa III. *in cap. Proposuit* 4. *de concessione præbend.* expresse dicat; *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare*. Vide verb. *Dispensatio num.* 19. *& seq.* verb. *Matrimon. quoad Impedimenta art.* 3. *num.* 1. *ad* 9.

9 Et ratio est, quia status Religiosus secundum suam substantiam, seu essentiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate a Christo Domino fuit institutus; Christus enim ipse homines ad tria illa consilia Evangelica est cohortatus, & ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur de paupertate *ex Matthæi* 19. ibi: *Vade, & vende quæ habes &c.* De Castitate ex *Matt.* 19. ibi: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum*. De Obedientia, quæ fit per abnegationem sui, & suæ propriæ voluntatis *ex Matth.* 16. ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum &c.* adeoque dici debet esse de Jure Divino, non præcipiente, sed consulente, ut docent communiter Doctores mox citandi.

10 Unde talis status Religiosus a Christo Domino sic institutus, eo invitante, & hortante, statim ab initio Ecclesiæ fuit susceptus ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi discipulis, qui emissis dictis tribus votis, veram vitam Religiosam duxerunt, verique Religiosi extiterunt, & desumitur clare ex *illo Matth.* 18. ubi postquam Christus requisita ad statum Religiosum Adolescenti proposuit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo, & veni sequere me*; Petrus nomine omnium Apostolorum indicavit, hunc statum se una cum omnibus aliis jam assumpsisse, dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, vivendo in Obedientia, sine proprio, & in Castitate; *reliquimus omnia*, idest bona temporalia, quod fit per voluntariam *Paupertatem*, & Uxorem, quod fit per *Castitatem*, *& secuti sumus te*, per *Obedientiam*. Hinc *in Actib. Apostolorum cap.* 4. *num.* 32. expresse dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis communia*. Ita docent S. Augustinus *Epistol.* 89. *num.* 4. Sanctus Hieronymus *in lib. contra Iovinian. & in Apolog. ad Pamac.* S. Jo: Chrysostom. *l.* 3. *contra Monast. vitæ vitup.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. *ad* 3. Bellarmin. *tom.* 2. *Controvers. de Monachis lib.* 2. *cap.* 5. Joann. Gerson. *Alphab.* 42. *serm. de Cœna Domini*; Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 2. *qu.* 8. *&* 9. Hieronymus Plati *de bono statu Relig. lib.* 2. *cap.* 2. Miranda *loc. cit. quæst.* 3. *art.* 1. *conclus.* 1. *&* 2. Donat. *tom.* 4. *tract.* 1. *quæst.* 7. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 3. *cap.* 2. *num.* 3. Engel *l.* 3. *Decret. tit.* 31. *num.* 4. Pirhing *ibid. num.* 18. Reiffenstuel *ibid. num.* 19. & alii passim.

11 Dicta tria vota prius, quam alia fuerunt constituta pro essentia status Religiosi, quia per ea homo perfectius se consecrat, & unit Deo: Cum enim homo tria principalia habeat, nempe animam, corpus, & bona temporalia, hæc omnia per tria illa vota plene Deo consecrantur. Primum, scilicet Anima, per *Obedientiam*, qua Religiosi voluntas se subjiciendo dispositioni Superioris plene Deo consecratur, ita ut Religiosus non habeat amplius velle, nec nolle, ut expresse dicitur in *cap. Si Religiosus* 21. *de election. in* 6. *cap. Religiosus* 2. *de testament. item in* 6. *cap. Religiosi* 5. *de sepult. item in* 6. Secundum, scilicet Corpus, plene consecratur Deo per *Castitatem*, dum per eam omni voluptati carnali propter Deum renunciatur; Tertium, scilicet Bona temporalia, plene consecrantur Deo per *Paupertatem*; Unde de his tribus votis ad propositum sic loquitur Joann. XXII. in Extravagant. incip. *Quorumdam* 1. *de verbor. significat.* §. *penult. circa finem*, ibi: *Religio namque perimitur, si a meritoria subditi Obedientia subtrahantur; magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est Obedientia maximum si custodiatur illæsa, nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur & animo.*

Ante adventum Christi nulla fuit vera, & proprie dicta Religio cum dictis tribus essentialibus votis perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. *Communis*. Quamvis enim in ipsa Lege naturæ ante diluvium quædam Religiosi status vestigia, ac figuræ fuerint, ut patet ex *illo Genesis* 4. *in fine*, ubi de Enos dicitur: *Iste cœpit invocare nomen Domini*. Quod Expositores communiter intelligunt de speciali ritu colendi Deum, cum ante ipsum jam Adam, & justus Abel Deum invocaverint. Et in Lege veteri scripta status Religiosus fuerit figuratus in Nazaræis, de quibus fit mentio *Numerorum cap.* 6. & in grege illo, seu Cuneo Prophetarum psallentium Deo, de quibus 1. *Reg. cap.* 10. Unde S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum ait: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis, & turbis Urbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant*. Et in Elia, & Eliseo, de quibus 1. *Reg. cap.* 47. 3. *Reg. cap.* 19. *&* 4. *Reg. cap.* 1. & in Samuele tamquam eorum Principe, de quo Genebrardus (1) *in Chronologia*, & ex ipso Tamburinus *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 1. dicit: *Nota, quod Samuel primo instituerit Conventus Religiosorum jugiter psallentium*. Tamen pro tunc nulla fuit vera & proprie dicta Religio cum perfectione dictorum trium essentialium votorum, perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ut tradunt communiter Doctores, quia, ut dicit Apostolus ad *Hebræos* 7. *num.* 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex, & ad Galatas* 4. *n.* 3. dicit, quod tempus veteris Legis fuit tempus infantiæ, ibi: *Ita & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum &c.* 12

(*) Vide, si libet, Dissertationem Procemialem ad Regulas Monasticas e schedis posthumis Lucæ Hol-

(1) Quam multa levia, & commentitia in Chronographiæ libros, quos edidit, Genebrardus intulerit, neminem latet.

Holstenii præmissam Codici Regularum, quas Sancti Patres Monachis & Virginibus Sanctimonialibus servandas præscripsere collecto olim a S. Benedicto Anianensi Abbate tum a Luca Holstenio in tres partes digesto, aucto, editoque Romæ MDCLXI cap. 1. (*).

14 Hinc recte concludunt communiter Doctores, quod verus & perfectus status Religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, & immediate institutus a Christo Domino, & eo invitante & hortante, statim ab initio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis, & aliis Christi discipulis fuit susceptus, ut patet ex dictis *supra num. 9. & 10.*

15 Secundum autem peculiares, & certas vivendi regulas Religionis substantiæ, seu essentiæ superadditas (post jam institutam a Christo Domino Religionis, sive Religiosi status substantiam) fuerunt a perfectis & sanctis Fundatoribus variæ Religiones institutæ, & ab Ecclesia approbatæ; ita ut quælibet earum suum specialem habeat Fundatorem, seu Institutorem: Quamvis enim Christus Religionem, seu statum Religiosum instituerit secundum substantiam; tamen accidentalia ejusdem reliquit Ecclesiæ determinanda; sicuti quamvis Christus ipse instituerit Sacramenta quoad substantiam, tamen accidentalia eorum reliquit Ecclesiæ

16 determinanda. *Sic communis Doctorum*. Sicuti etiam quamvis dicta tria vota pro substantia, seu essentia Religionis, seu status fuerint a Christo Domino instituta, ut patet ex antea dictis; tamen eorum solemnitas a sola Constitutione Ecclesiæ fuit inventa; textu expresso *in cap. Quod votum unic. de voto, & voti redemption. in 6.* ibi: *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est inventa*, & expresse declaravit Gregorius XIII. Constitut. incip. *Ascendente Domino*, statuendo, quod Religiosi præclarissimæ Societatis Jesu, qui, peracto Novitiatu, primam Professionem emittunt, pro veris habeantur Religiosis, non obstante quod non nisi simplicia tunc edant vota, & non solemnia emittant, ibi: *Nos considerantes, voti solemnitatem sola Constitutione Ecclesiæ inventam esse, triaque hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis vere constitui &c.* ex quo clare constat, quod votorum solemnitas non fuerit instituta a Christo, sed a sola Ecclesia, & sic quod ipsa Ecclesia possit admittere, & approbare ut veram Religionem etiam sine votis solemnibus, & cum solis simplicibus; Pirhing *lib. 3. Decretal. tit. 31. num. 10. & sequent.* Reiffenstuel. *ibid. num. 14.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 14. num. 9.* Donat. *tom. 4. tract. 1. quæst. 10.* Sanchez *in Summa lib. 5. cap. 1. quæst. 2. num. 11.* Pellizzar. *tom. 1. Manual. tract. 1. cap. 1. quæst. 18. num. 26.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 1. art. 4.* Henriquez *lib. 12. Summ. cap. 5. num. 6.* & alii passim.

17 Unde quamvis omnes Religiones, seu Ordines conveniant in substantia dictorum Votorum, & in fine principali tendendi mediis ipsis votis ad perfectionem; tamen differunt in accidentibus, & præcipue in duobus, nempe *primo* in fine cujusque Religionis proprio, ac particulari, ad quem quævis Religio instituta est; *& secundo* in diversis mediis, & spiritualibus exercitiis, quibus quælibet utitur, tum ad dicta tria vota substantialia exacte observanda, tum ad suum proprium, & particularem finem melius obtinendum. Sanctus Thomas *2. 2. q. 188. art. 1.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 1. nu. 3.* Miranda *tom. 1. q. 6. art. 2.* Pirhing. *loc. cit. num. 20.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 21.* & alii communiter.

Et hinc Religio alia est Contemplativa, alia Activa, & alia Mixta. *Communis*. *Contemplativa* est, quæ præter observantiam trium votorum substantialium ex primæva sua institutione, principaliter in contemplatione rerum Cœlestium, & Divinarum se exercet; sicque ad vitam contemplativam potissimum ordinatur. *Activa* est, quæ principaliter ex primæva sua institutione ordinatur ad vitam activam, & opera misericordiæ & caritatis erga proximum, sive spiritualia, sive corporalia exercenda. *Mixta* est, quæ utramque includit, scilicet contemplativam, & activam, eo quod ex primæva sua institutione ordinata sit, tam ad contemplationem rerum Cœlestium, & Divinarum, quam ad actionem operum misericordiæ, & Caritatis erga proximum, Suarez *cit. lib. 1. cap. 5. num. 7. & seq.* Pirhing. *loco cit. num. 1.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 27.* Miranda *loc. cit. q. 6. art. 2.* & alii communiter. 18 19 21

Insuper Religiones, aliæ sunt Clericales, aliæ Monachales, aliæ Mendicantes, & aliæ Militares. 22
Communis. Religiones *Clericales* sunt, quæ ex primæva sua institutione principaliter ordinantur ad Ministeria Clericorum in Divino cultu promovendo, & salute animarum procuranda, & tales sunt Religiones Canonicorum Regularium. S. Thomas *2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.* Suarez *cit. lib. 1. c. 7. n. 6.* Pirhing *loco cit. n. 21.* Reiffenstuel *loc cit. nu. 25.* & alii passim. 23

Religiones *Monachales* sunt, quæ ex primæva sua institutione principaliter ordinantur ad vitam contemplativam, & solitariam. S. Thomas *loc. cit.* Suarez *loc. cit.* Pirhing. *loc. cit. num. 21.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 26.* Barbosa *lib. 1. Jur. Ecclesiast. univers. cap. 41. num. 15.* & alii communiter, *argum. cap. Placuit 1. caus. 16. quæst. 1.* ubi Monachus idem significare dicitur, quod *singularis*, ibi: *Monachus enim græce, latine singularis dicitur*, *cap. Si cupis 4. ead. caus. & quæst.* ibi: *Si cupis esse, quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in Urbibus? quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum*; *cap. Placuit 8. ead caus. & quæst.* ibi: *Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum; Monos enim græce, latine est unus, Achos græce, latine est tristis, inde dicatur Monachus, idest unus tristis. Sedeat ergo tristis, & Officio suo vacet*. Officium enim Monachi est plangere; *cap. Monachus 4. ead. caus. & quæst.* ibi: *Monachus non docentis, sed plangentis habet Officium*. Tales Monachi vi primævæ suæ institutionis sunt Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Camaldulenses, & hujusmodi. 24

Religiones *Mendicantes* sunt, quæ ex primæva sua institutione paupertatem non tantum in parti- 25

ticulari, sed etiam in communi observant, nulla penitus bona immobilia possidentes, contentæ iis solis, quæ *vel mendicantur humiliter*, *vel donantur liberaliter*, *vel honesto acquiruntur labore*, *& industria*; *arg. cap. Exiit* 3. *de verb. significat. in* 6. *& Clementina Exivi* 1. *de verbor. significat.*, & Glossa *in cap. Cum ex eo unic. de excessib. Prælator. in* 6. verb. *Mendicantes*, ubi expresse dicit: *Hi dicuntur Mendicantes*, *quibus victum tribuit incerta mendicitas*, *& qui reditus*, *aut possessiones ex Regula*, *vel Constitutionibus habere non possunt* Pirhing *loc. cit. num.* 22. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 27. Pellizzar. *in Manual. Regular. tract.* 1. *cap.* 3. *sect.* 1. *num.* 12. & alii passim. Tales Religiones de jure communi approbatæ sunt quatuor, scilicet Religio Prædicatorum (*), Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, textu expresso *in cap. Religionum diversitatem unic. de Religiosis Domibus in* 6.

26 Dicitur autem notanter *ex primæva sua institutione*, quia ex variis posterioribus Concessionibus, ac Privilegiis Apostolicis, & ex Ordinatione Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. concessum est omnibus Religionibus, tam virorum, quam mulierum, etiam olim vere Mendicantibus (sola Religione Sancti Francisci Minorum de Observantia, & Capuccinorum excepta) bona immobilia, Dominiumque rerum habere in communi, ita ut soli dicti Minores de Observantia, & Capuccini in propria acceptione Iuris Antiqui Mendicantes sint, ibi: *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis*, *& Domibus*, *tam virorum*, *quam mulierum*, *& Mendicantium*, *exceptis Domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum*, *& eorum*, *qui Minorum de Observantia vocantur*, *etiam quibus*, *aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum*, *aut ex privilegio Apostolico non erat concessum*, *ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat*; Ita tamen nomen, & amplissima Mendicantium Privilegia adhuc retinent, iisque plenissime gaudent Religiones Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitæ, quibus plures aliæ Religiones expost a Sede Apostolica fuerunt annumeratæ, quæ infra distincte adducentur.

Religiones *Militares* sunt, quæ in primario suæ institutionis fine potissimum ordinantur ad militandum pro defensione Religionis Christianæ, & Ecclesiæ; Et tales sunt Ordo Teutonicus, Melitensis, & plures alii apud Barbos. *loc. cit. n.* 150. Sic Pirhing *loc. cit. num.* 24. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 30. Suarez *tom.* 4. *lib.* 1. *de Relig. cap.* 3. *num.* 4. *&* alii communiter. 27 Professi in illis Religionibus Militaribus, in quibus præter votum Paupertatis, & Obedientiæ, etiam emittitur perfectum, & totale votum Castitatis, qualis est Ordo Militaris Sancti Joannis Hierosolymitani, seu Equitum Melitensium, sunt veri ac proprie dicti Religiosi, cum habeant omnia requisita ad essentiam veræ, & propriæ Religionis, nempe tria vota substantialia, & Pontificis approbationem. *Communis*. Vide verb. *Hierosolymitani Equites*, *per tot.* 28 Professi autem in illis Religionibus Militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota substantialia, nempe perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quamvis sint, & dici possint Religiosi cum addito *Militares*; Non sunt tamen, nec dici possunt absolute & simpliciter, proprie & rigorose *Religiosi*, quia dicta tria vota sunt de essentia Religionis proprie dictæ, ex jure Divino, ut patet ex dictis *supra a num.* 8. Sic Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 10. *art.* 4. Reiffenstuel *loc cit. num.* 32. & alii communiter. 29

Utilissimum semper fuit, & adhuc est Ecclesiæ Catholicæ, quod in ea fuerint, & adhuc sint Religiones, *Communis*. Nec indiget probatione, cum teste experientia, & fatentibus Pontificiis Oraculis, Religiosi tum precibus, & exemplis, tum Doctrinis, & laboribus, innumera Ecclesiæ attulerint bona 30

(*) Ordo Prædicatorum cum primum ab Apostolica Sede confirmatus fuit, bona immobilia possidebat. Constat id ex Bulla Confirmationis ejusdem Ordinis ab Honorio III. anno 1216. die 22. Decembris data, Bullarii Ord. Præd. tom. 1. pag. 2. in qua hæc habentur: „ Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Romani Tolosanen., in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque Bona eadem Ecclesia inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Cassenolio cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariæ de Lescura, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale Tolosanen., quod dicitur Arnaldi Berardi, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Trinitatis de Lobens, cum omnibus pertinentiis suis. „ Itaque Cl. Bremondius not. 7. „ Enim vero, *inquit*, jam inde a principio Ordinis possessiones eidem fuere ad Annum usque MCCXX. quo Fratres *abjecerunt statuto perpetuo possessiones & redditus temporarios* . . . *paupertatem Christi Ægyptiorum divitiis præferentes*. *Theodoric. lib.* IV. *cap.* 1. Ubi tamen, multorum refrigescente caritate, liberalitas est restincta, legem illam antiquavit Ecclesia. Consulendum *Diploma*, „ quod incipit - Obtentu divini - *datum a Clemente IV. die* XII. „ *Februarii* MCCLXVI. „

bona, & ab ea averterint mala, adeo ut merito Christus ipse Sanctæ Teresiæ dixerit: *Væ mundo,*
31 *si Religiosi non essent.* Et omnibus nota est famosissima illa visio, quam habuit Innocentius Papa III. qua vidit Lateranensem Ecclesiam (quæ tunc erat Sedes Pontificum) convulsis fundamentis, ruinæ propinquam, & jam labentem Seraphici S. P. mei Francisci suppositis humeris sustineri: *Vere*, inquit Pontifex, *hic est ille, qui opere, ac doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. Sic in*
32 *Breviario Franciscano die 5. Octobr. lectione 6.* Unde in coronatione Papæ tertia Collecta, seu Oratio canitur de S. P. N. Francisco; Canitur enim prima de Spiritu Sancto, ut illuminet, secunda de Beata Virgine Maria, ut protegat, tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit Ecclesiam, eandem sustentet. Ita Kazenberger *in supplement. Theologiæ Sporer in prærogativis Ordinis nostri Seraphici numer.* 10. & alii.

(*) Secus legimus in Opere inscripto, *Sacrarum Cæremoniarum, sive Rituum Ecclesiasticorum libri tres ab Augustino Patricio ordinati, & a Marcello Corcyrensi Archiepiscopo primum editi, nunc vero tandem in duos Tomos distributi, ac innumeris pene mendis purgati, & Commentariis aucti, Auctore Josepho Catalano Oratorii S. Hieronymi Caritatis Presbytero*, Romæ MDCCL. lib. 1. tit. II. §. XVI. Tom. 1. pag. 115. ubi scribitur: „ Deinde (Papa) „ in voce dicit: *Gloria in excelsis Deo. Pax vobis*, „ & Orationes opportunas, videlicet de die, & „ de Spiritu Sancto, & ultimo dicit secretam Orationem pro se, quæ habetur in Consecratione „ Episcoporum.„ Ad quæ Catalanus in Commentar. num. VII. pag. 116. seq. hæc habet: „ Finita reverentia, *surgit Papa sine Mitra*, ut idem nostrum Cæremoniale inquit, *& legit Introitum, &* „ Kirie eleison, *sustinente Librum Cardinali Episcopo, cum aliis assistentibus; deinde in voce dicit*, Gloria in excelsis Deo. Pax vobis, *&* „ *Orationes opportunas &c.* Incensato Altari, ex „ præscripto Cæremonialis Gregorii X. itemque „ Ordinis Romani, auctore Gajetano, & Ms. Piersanctiani Codicis, *Pontifex demum sedit ad eminentem Sedem, & dicit*, Dominus vobiscum, „ *vel Pax vobis, cum* Gloria in excelsis, *ut dies requirit, & postea dicit Orationem Dominicæ alte, & aliam dicit pro se secrete.* Recensetur „ Oratio Dominicæ in his Cæremonialibus, quia „ scilicet juxta eorum præscriptum Ritus ipse Consecrationis, Benedictionisve novi Pontificis die „ Dominica peragebatur. Sed audiamus laudatum „ Burchardum, qui enarrans ritum servatum post „ electionem Innocentii Papæ VIII. §. CCIX. ita scribit: *Facta reverentia*, Cardinalium scilicet, & „ Prælatorum, ut supra, *surgit Pontifex, deposita Mitra, & cum assistentibus tantum Cardinalibus dicit Introitum, &* Kyrie eleison, *Cantoribus interim* Kyrie eleison, *cantantibus. Missa dicta est de Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.* Tum vero §. CCX. ita subjicit: *Dictis per Pontificem, Introitu, &* Kyrie eleison *cessarunt Cantores, & Papa dixit:* Gloria in excelsis Deo, *quod cum assistentibus complevit more solito; tum in dicta sede dixit:* Pax vobis, *&* „ *Orationem de Octava; qua sub sua conclusione completa, dixit aliam orationem, etiam alta voce dicens:* Oremus. Deus, qui corda fidelium &c. „ *quam etiam sub sua conclusione complevit, & ea completa interim, quoad Cantores responderent*, „ Amen, *dixit secrete aliam pro se, stans, ut prius, videlicet:* Adesto supplicationibus nostris Omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ „ virtutis impleatur effectu. Per Dominum. Sed „ de hac Oratione jam supra. (*)

Insuper utilissimum, ac summe expediens est, 33
quod plures, & variæ institutæ fuerint & vigeant in Ecclesia Catholica Religiones. *Communis*, cum Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 183. *art.* 2. *& quæst.* 188. *art.* 1. *& seq.* & patet experientia, & fatentur etiam Pontificia Oracula, inter quæ signanter illud Gregorii XIII. merito prolatum in laudem, & gloriam præclarissimæ Societatis Jesu in Constitut. incip. *Ascendente*; Et ad rem facit illud *Psalm.* 44. ibi: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, ubi per Reginam, Ecclesiam, per varietatem autem, qua decoratur, varias Religiones, plures Interpretes intelligunt, teste Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. titul.* 31. *num.* 58. Tum quia, cum variæ sint inclinationes, & propensiones hominum, nec sint in omnibus pares vires, & habilitates, ex speciali Dei providentia, plures, ac variæ Religiones saluberrime, ac sapientissime fuerunt institutæ, ut si una Religio alicujus inclinationi, propensioni, viribus, ac habilitati non quadraret, alia pro inclinatione, & viribus in promptu haberetur: Nam *in cap. Quia diversitatem 5. de concess. præbend.* sic expresse dicitur: *Quia diversitatem corporum diversitas sæpe sequitur animorum.* Et juxta illud Poetæ: *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.* Unde Apostolus. *ad Corinth. cap.* 7. *num.* 20. sic dicit: *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, & *ibid. n.* 34. subjungit: *Unusquisque in quo vocatus est, Fratres, in hoc permaneat apud Deum.*

Nimia tamen & excessiva multitudo, & varietas 34
Religionum, tamquam confusionis causativa est evitanda; Unde merito in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. sic fuit statutum, ut expresse refertur in *cap. Ne nimia 9. de Religiosis Domibus*, ibi: *Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; Similiter qui voluerit Religiosam Domum de novo fundare, Regulam, & Institutionem accipiat de approbatis*, & concordat omnino *cap. Religionum diversitatem unic. de Religiosis Domibus in 6.* ibi: *Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium consulta prohibitione vetavit.... repetita Constitutione districtius inhibemus, ne aliquis de cetero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel Habitum novæ Religionis assumat.*

Religiones in specie, quamvis plures sint, ta- 35
men fere omnes sub quatuor principalioribus Regulis, S. Basilii videlicet, S. Augustini, S. Benedicti, & S. P. N. Francisci militant, exceptis aliquibus

quibus infra assignandis, quæ in pluribus quatuor præfatis Regulis se uniformantes propria statuta, & peculiares Constitutiones pro Regulis habent. Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *num.* 20. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. Pirhing *loco cit. num.* 25. Reiffenstuel *loco cit. num.* 34. & alii communiter.

36 Quatuor Ordines mendicantium quatuor fluminibus Paradisi sunt comparati ab Eugenio IV. Constit. incip. *Summa Divinæ Bonitatis*, allata in Bullario Inclyti Ordinis Prædicatorum *tom.* 3. *p.* 12. *& seq.*

Articulus II.

Quo ad primam principaliorem Regulam, & militantes sub ipsa.

1 Prima igitur principalior Regula est S. Basilii ab eodem Sancto instituta anno 369. Pontifice Felice II. Imperatore Juliano Apostata, ut refert Barbosa *loc. cit. num.* 11. Vel circa annum 550. plus, minusve, (1) ut tradit Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 1. *quæst.* 4. *art.* 1. Sanctissimus hic Monachorum antiquorum Orientalis Ecclesiæ Patriarcha fuit primus, qui Monasticum statum (2) reformavit, & ea omnia, quæ ab Antonio Magno, Hilarione, Pachomio, & utroque Macario (3) pro instruendis illius temporis Monachis, & Religiosis verbo tenus audierat, & sibi fuerant tradita, literis mandavit, atque quibusdam demptis, aliis vero additis confecit Regulam, quæ fuit approbata, & confirmata ab illius sæculi Episcopis, eo modo, quo tunc temporis Religionum Regulæ consueverant approbari, & confirmari: de quo quamvis nihil reperiatur expressum, sat est, ut id dicere possimus, quod in Concilio Generali 7. (quod est secundum Nicœnum) Regulæ ejusdem fit mentio tamquam de Regula juris per Ecclesiam approbata, & confirmata. Sic Miranda *loco citato*.

2 Olim enim ab eo tempore, quo in Ecclesia pro Monachis, sive Religiosis scripto Regulæ cœperunt institui, semper dictæ Regulæ consueverunt approbari, & confirmari ab Episcopis, ut tradunt communiter Doctores, & signanter Bellarminus *lib. de Monachis cap.* 4. Miranda *loco cit. q.* 2. *art.* 6. Rodriquez *lib.* 1. *qq. Regul. q.* 1. *art.* 1. Pirhing. *l.* 3. *Decretal. tit.* 31. *num.* 6. Reiffenstuel *ibid. num.* 9. & desumitur clare ex Concil. Chalcedonensi *cap.* 4. relat. *in cap. Quidam Monachor.* 10. *caus.* 18. *q.* 2. ubi expresse habetur, quod nulli erigant Monasteria sine auctoritate, & licentia Episcopi, ibi: *Placuit igitur neminem, aut ædificare, aut constituere Monasteria, aut Oratorii Domum sine conscientia ipsius Civitatis Episcopi*. Et talis consue- 3
tudo duravit usque ad tempus Concilii Lateranensis, quod fuit celebratum anno 1216. cujus Concilii fit mentio *in cap. Ne nimia* 9. *de Religiosis domibus*; in cujus Summario expresse dicitur: *Novam Religionem non licet constituere sine auctoritate Romani Pontificis*; Et quod Religionum approbatio, & confirmatio fuerit postea reservata soli Romano Pontifici, habetur clarius *ex cap. Religionum diversitatem unic. de Religiosis Domibus in* 6. *& cap. Quod votum unic. de voto, & voti redemptione, item in* 6. ibi: *Per Professionem expressam, vel tacitam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*.

Monachi S. Basilii in Provincia Siciliæ, Calabriæ, 4
& Apuliæ fuerunt reformati, & eorum Constitutiones fuerunt approbatæ, & forma gubernii, seu regiminis circa Superiorum electiones cum reliquis fuit eis præscripta ab Eugenio IV. Const. 26. incip. *Inter curas*.

Basilianorum Religioni, seu Congregationi uni- 5
tum fuit Eremitorium dictum *del Tordon*, & alia similia, & forma gubernandi illa cum Religiosis in eis existentibus fuit statuta a Gregorio XIII. Const. 46. incip. *Cogit*.

Monachi omnes S. Basilii ad unam tantum Con- 6
gregationem fuerunt redacti sub uno Abbate Generali, & forma gubernii fuit ei præscripta a Gregorio XIII. Constit. 58. incip. *Benedictus*, & iterum a Clemente VIII. Constit. 14. incip. *Quæ ad restituendos*.

Mona-

(1) Joseph a Puteo in Opere, cui titulus: Dilucidazioni Critico-Istoriche sulle relazioni degli antichi e moderni Scrittori della vita di S. Basilio Magno date a luce dal P. D. Giuseppe del Pozzo Maestro di Sacra Theologia ed Abate Generale dell'Ordine del medesimo Santo, in Roma MDCCXLVI. cap. IX. num. III. pag. 56. annum, quo Monasticum Ordinem S. Basilius instituit legesque Monachis dedit, annum circiter 362. fuisse censet. Sic enim habet: „ L'Epoca . . . fortunata, e felice della „ promulgazione delle sante Regole di Basilio, e della Fondazione della sua Monastica Religione fu „ circa la creazione del mondo 4415., circa l'edificazione di Roma 1115., e circa la comune salute „ 362. Nella Chiesa universale regnava il Pontefice Liberio. Nell'Imperio d'Oriente, e d'Occidente „ Giuliano Apostata. Governava la Chiesa d'Alessandria Sant'Atanasio, richiamato al governo del „ suo Gregge per esser stato trucidato dalla plebe il crudele Giorgio invasore della medesima. In Antiochia presedeva Paolino discepolo di Eustachio, Vescovo di Sebaste. E in Cesarea di Cappadocia „ occupava quel riguardevole Trono l'Arcivescovo Dianeo. „

(2) Vide Sancti Basilii Magni Vitam a Maurinis ejus Operum Editoribus perscriptam cap. IV. num. V.

(3) In Codice Regularum ab Holstenio edito part. 1. in qua Ss. Patrum Orientalium Regulæ ad Monachos continentur, Regulæ S. Basilii præeunt Regula S. Antonii Abbatis, S. Isaiæ Abbatis, Ss. Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii, & alterius Macarii, Ss. Patrum alia, S. Macarii Abbatis Nitriensis, S. Pacomii Abbatis Tabennensis, ejusdem, & Theodori epistolæ, S. Orsiesii doctrina Monastica, & Incexti Regula Orientalis.

7 Monachi Basiliani obtinuerunt licentiam habendi in Hispania duo Monasteria pro Reformatis, & recipiendi in eis Novitios, & propriæ Constitutiones pro his fuerunt statutæ a Clemente VIII. Const. 103. incip. *Altissimi*.

8 Sub Divi Basilii Regula militant ferme omnes Monachi Græci, & Orientalis Ecclesiæ, & ejusdem Regulæ Professores (1) fuerunt inter alios Sanctos, etiam S. Ephræm, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, Pachomius, Hesychius, Cassianus, Heraclides, & alii quamplures; fuitque hæc Religio primis sæculis celeberrima. Miranda *loc. cit. num.* 4. *art.* 1. Barbosa *loc. cit. a n.* 21. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 25. & alii passim.

9 Sub hac Regula militavit aliquando Congregatio Armenorum sic appellata, eo quod ex Armenia in Italiam translata sit, ubi habitum S. Basilii per aliquot annos portavit, ejusque Regulam servavit utendo Cœremoniis Græcis. At progressu temporis, eo quod videretur insolitus apud Latinos ejus vivendi mos, Religiosi Regulam S. Augustini assumpserunt cum habitu parum dissimili ab habitu Religiosorum S. Patris Dominici. Et Monasterium principale, ac Caput hujus Congregationis Genuæ situm est, diciturque S. Bartholomæi; Unde Armeni per Italiam dici solent Bartholomeitæ (2). Barbosa *loc. cit. nu.* 2. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 3. *n.* 4. *& sequentibus*, ubi etiam de Monialibus, & Equitibus S. Basilii.

10 Item sub hac Regula militarunt quandoque Carmelitæ. Barbosa *loc. c. n.* 24. Reiffenstuel *loc. c. n.* 30.
11 & alii. (3) Hodie tamen aliam observant, quam una cum Carmelitarum Religione approbavit, & confirmavit Honorius III. anno 1226. Constit. 8. incip. *Ut vivendi*, cui Constitutioni inserta est Regula dicti Ordinis, de cujus initio, quamvis satis clare non constet, patet tamen de ejusdem approbatione, & confirmatione per d. Const. 8. Honorii III.

Carmelitarum Regulam in suo primævo rigore 12
sine ullis moderationibus Apostolicis observat Religio Carmelitana discalceata: quam Regulam una cum qualitatibus a S. Teresia additis confirmavit Gregorius XIII. 22. Junii 1580. Constit. 64. incip. *Pia*. Hæc Carmelitana Familia discalceata separa- 13
ta fuit a reliquo Corpore Ordinis cum proprio Generali sibi dato a Clemente VIII. die 20. Septembris 1593. Constitut. 25. incip. *Pastoralis Officii*. Carmelitarum hujusmodi Discalceatorum Congregatio in Italia separatur ab Hispanica, & eadem tenet Privilegia, quibus gaudet Hispanica Congregatio; Clemens VIII. die 13. Novemb. 1600. Const. 71. incip. *In Apostolicæ*.

Articulus III.

Quo ad secundam principaliorem Regulam, & militantes sub ipsa.

Secunda principalior Regula est S. Augustini 1
ab eodem Sancto instituta circa annum Domini 390. (4) existente Summo Pontifice Siricio, & Imperatoribus Occidentis Gratiano, Orientis vero Theodosio. Barbosa *loc. cit. num.* 88. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 37. & alii. Duo a S. Augu- 2
stino instituti fuerunt Ordines, scilicet Eremitarum,

(1) Lucas Holstenius in dissert. cit. cap. III. „ Ex hactenus dictis, *inquit*, de multitudine ubique colentium vitam monasticam in utroque sexu, facile cuipiam vetera ex præsentibus æstimanti „ persuadebitur fuisse primis illis temporibus diversos, & certo charactere discriminatos Monachorum „ ordines, prout postea institutum præsertim in Mendicantibus, quorum universæ quamvis late sparsæ familiæ, sub uno peculiari capite certis, & cuique propriis officiis, ac legibus Deo militant. „ Valde fallor, si jam tum primis sex septemve Ecclesiæ sæculis iste usus invaluerat. Certe vestigia mihi quidem non apparent, qui quocumque intueor, uniformem ubique Monachatus rationem, & facilem, ac promiscuum invicem transitum, mutuumque commeatum professionum, & „ cœnobiorum cerno. Orientales Monachi quando in Occidentem venerant, cum ibi profitentibus religiosam vitam sine discrimine censebantur: vicissim Occidentales in Oriente; quod cum innumeris exemplis demonstrari possit, unum tantum hic afferam Cassiani, & Germani Gallorum Monachorum, qui Ægypti monasteria peragrarunt instituti monastici cognoscendi causa, & animo in „ patriam referendi haustam inde notitiam disciplinæ, in suum, & popularium suorum usum; unde satis apparet existimasse ipsos unum esse in commune omnium ubique Monachorum modum, „ & usum Religionis profitendæ. „

(2) Congregatio ista extincta, & suppressa fuit ab Innocentio X. Const. *Commissa nobis* die 29. Octobris anno 1650. Bullarii Romani Edit Mainardi Tom. VI. part. III. pag. 216. seq.

(3) Non omnes Scriptores a quibus Lucius noster accepit quæ de Religionibus Regularibus hoc, & proximis Articulis tradit, in illarum origine investiganda diligenter versati sunt, & quæ laudant, Romanorum Pontificum Diplomata habuisse præ oculis videntur. Quamobrem Lectores monemus, ut illos consulant, qui Ordinis cujusque Annales, vel Historias accurate scripserunt, quorum Catalogum dat Langler de Fresnoy in Opere Gallico idiomate perscripto, atque Italice reddito, cui titulus *Metodo per istudiare la Storia* tom. II. cap. XI. & tribus proximis, adeantque Aloysium Guerra in Epitome citat. Constitutionum Romanorum Pontificum tomo tertio, & quarto in quibus præcipua Diplomata ad Ordines quosque Regulares virorum, ac mulierum spectantia recenset.

(4) Hoc est anno 388. Romano Pontifice S. Siricio, Imperatoribus Orientis Theodosio; Occidentis Valentiniano II. Vide Maurinos Editores Operum S. Augustini in vita ejusdem S. Doctoris lib. III. cap. II.

rum, & Canonicorum Regularium; De anteriori utrius istorum institutione clare non constat, cum Eremitæ ex una, (1) & Canonici ex alia parte acerrime de anterioritate contendant, quorum proinde disputationi negotium relinquitur.

3 Sub utriusque hujus Regula plures militarunt, & militant Congregationes, & quidem ut ex Bordono refert Reiffenstuel *loc. cit. n.* 37. Congregationes 34. Canonicorum Regularium, & Congregationes 18. Eremitarum, & inter omnes comprehensis etiam Ordinibus Militaribus 97. refert Tamb. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 4. quas juxta ipsius ordinem hic breviter referemus.

4 *Canonicorum Lateranensium Ordo* institutus fuit in primitiva Ecclesia a Christi Discipulis. Benedictus XII. Constit. 6. incip. *Ad Decorem*; Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Canonici Regulares num.* 2. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 4. *n.* 2. ubi refert præcisa verba dicti Pontificis Benedicti XII. ibi: *Ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini a Christi gloriosis Discipulis in primitiva Ecclesia sacris Institutionibus stabilitam gerentes præcipuæ Caritatis affectum*: Et insuper subjungit hoc Eugenii IV. testimonium, ibi: *Hujus Sancti Ordinis, & Sancti propositi post Sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit Institutor, & Conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus Divinis Regulis, & doctrina decoravit*; Et idem testantur S. Antoninus *in sua Chronic. par.* 2. *tit.* 15. §. 2. ibi: *Ordo Canonicus, non tam a B. Augustino institutus, quam renovatus, ab Apostolis in Monte Sion exordium sumpsit*; Vincentius Bellovacensis *in specul. doctrin. lib.* 19. *cap.* 16. ibi: *Ordo Canonicorum Regularium primum ab Apostolis, postea a B. Augustino Episcopo, & Doctore eximio regulariter institutus refloruit*, & alii.

5 Ordo Canonicorum Lateranensium est sic dictus ab Ecclesia S. Joannis Laterani in Urbe, in qua a S. Leone Magno Pontifice intra annum 440. & 457. collocatos fuisse refert Cæsar Franciotti Clericus Regularis Sanctæ Mariæ de Luca *in Historia Sacra Lucensi edita anno* 1613. *in Ecclesia S. Frigidiani statim in princip.* sive ut vult Onuphrius Panvinius *in Volumine proprio de Ecclesia Lateranen. lib.* 1. *cap.* 3. a S. Gelasio Papa S. Augustini Discipulo ab anno 495. & deinde duravit ibi eadem Familia per 800. annos usque ad Pontificatum Bonif. VIII. qui, sublatis Canonicis Regularibus S. Augustini, introduxit Canonicos sæculares anno 1300. Barbosa *in Summa Apostol. decis. verb. Canonici Regulares Lateranenses n.* 2. *& lib.* 1. *Jur. Eccles. c.* 41. *num.* 101. Carol. Tapia *in Authent. Ingressi, Cod. De Sacrosanct. Eccles. verb. Monasteria cap.* 2. *n.* 3. Tambur. *loc. cit. num.* 2. cum aliis ibi citatis; Et hos Canonicos obtinuisse Ecclesiam S. Joannis in Laterano habetur expresse in Constit. 2. Paschalis II. incip. *Quanto*, & in Const. 1. Anastasii IV. incip. *Potestatem*.

6 Canonicis Lateranensibus aliquas Constitutiones præfixit Sixtus IV. Constit. 10. *Cum ad universos*; Et licet amplius non essent in Ecclesia, & Monasterio in Laterano, sed in unam Congregationem essent redacti, statuit tamen, ut nomen retineant, eisque plurima Privilegia concessit. Canonici La- 7
teranenses tenentur portare vestem lineam super Habitum. Concil. Senon. *in Decret. morum cap.* 22. Isti Canonici, cum fiunt Episcopi, uti possunt Habitu, quo alii Episcopi, qui sæculares erant 8
Presbyteri. Leo X. Constitut. 34. incip. *Dudum*. Præfati Canonici non sunt cogendi interesse processionibus publicis ultra solitum. *Sac. C. Rit. in causa Canonicorum Regularium Lateranens.* 30. *Julii* 1616. Præcedunt omnes Regulares, & vadunt immediate post Clerum sæcularem. S. Pius V. Const. 116. incip. *Ex Ordinum*.

Sancti Frigidiani Canonicorum Lateranensium Con- 11
gregatio ab anno Domini 556. incæpit, cujus Auctor fuit Sanctus Frigidianus ex Canonico Lateranensi a Gelasio primo creatus Lucanæ Civitatis Episcopus, ubi dictæ Congregationi dedit initium, & ab ipso Congregatio nomen desumpsit, & exinde ab Alexandro II. sub 3. Id. Octobris anno 1068. in suo Brevi incip. *Quoties*, fuit approbata, & recepta sub patrocinio, & tutela Sedis Apostolicæ, Tambur. *loc. cit.* ubi refert Breve per extensum.

Sancti Jacobi de Spatha Canonicorum Regularium 12
Congregatio incæpit anno Domini 830. a Ramiro Rege Legionensi. Et fuit probata, & confirmata sub Regula S. Augustini ab Alexandro III. qui nomine Clericorum intelligit Canonicos, & refert Pennottus *lib.* 2. *c.* 70. vocari tales Clericos Regulares ab Adriano VI. Const. 1. incip. *Dum intra*, & a Clemente VII. Const. 32. incip. *Ex Apostolicæ*, Radesius *in suis Commentariis*; Tamburin. *loc. cit. nu.* 4. Pennottus *loc. cit.* & alii.

Sancti Rufi Canonicorum Regularium Congregatio 13
incæpit circa annum Domini 1000. a quatuor Canonicis S. Mariæ Avenionensis, qui Apostolicam vivendi formam ducere cupientes se collegerunt in quadam Ecclesia Civitati propinqua, & ibi reposuerunt Reliquias S. Rufi Simonis Cirænei filii, de quo *Marc. c.* 13. *& ad Romanos c.* 16. & Episcopi Avenionensis; Unde Canonici Regulares S. Rufi nuncupari voluerunt, & dictam Ecclesiam S. Rufi caput Religionis statuerunt, sicut & fuit usque ad annum 1217. donec per Hæreticos Albigenses, destructo penitus Monasterio, Canonici Valentiam in Galliam commigrantes, ibique novam Ecclesiam sub S. Rufi titulo rursus erigentes illam caput Religionis statuerunt; & Abbas hujus Monasterii, & Ecclesiæ, Abbas Generalis totius Congregationis vocatur; Et hæc Congregatio S. Rufi fuit recepta sub tutela Sedis Apostolicæ anno 1115. a Paschali II. in suo Brevi incip. *Religiosis desideriis*, quod refert Tambur. *loc. cit. num.* 4. Renatus Choppinus *in Monastico lib.* 2. *tit.* 1. §. 29. Vide ipsos *loc. cit.* ubi plura habent ad rem.

Portuensium Canonicorum Regularium Congregatio 14
vel

(1) Eremitarum causam nostra ætate strenue egit Cl. Joannes Laurentius Berti in Historica Lucubratione *De rebus gestis S. Augustini Venetiis* 1756. cap. XXII. & seq.

incæpit apud Ravennam circa annum Domini 1115. vel 1117. a Petro Cive Ravennatensi Sacerdote ex Familia de Honestis, qui arctioris vitæ peragendæ desiderio incensus, bonis paternis Monasterium & Ecclesiam in Portu Adriatici sinus ædificavit, & S. Mariam de Portu nuncupavit; Unde Congregatio ibi incæpta Canonicorum Portuensium dicta est: Quam Congregationem cum certis Constitutionibus approbavit Paschalis II. in quodam suo Brevi dictis Canonicis S. Mariæ de Portu directo, & relato a Tamburin. *loco cit. n. 6.* & sub tutela Sedis Apostolicæ recepit Alexander IV. in Brevi incip. *Commissæ nobis*, relato a dicto Tambur. *loco citat.*

15 *Aroasiensis Canonicorum Regularium Congregat.* initium sumpsit circa annum Domini 1097. a duobus piis Sacerdotibus Conone, & Heldemaro, qui cum aliquando vitam solitariam, seu Eremiticam duxissent, anno prædicto sub institutione Canonica, & Regula S. Augustini Monasterium S. Nicolai fundaverunt in Aroasia, qui est locus prope Oppidum Bapalmæ in Artesia circa fines Regni Galliæ in Diœcesi Atrebatensi; Unde ab hoc Monasterio Aroasiæ Congregatio Aroasiensis Canonicorum Regularium nuncupatur. Crusenius *in Monastic. Augustin. part. 2. cap.* 17. Aubertus Miræus *de Origin. Canon. Regular. cap.* 10. *&* 46. Tamburin. *lib. cit. n.* 7. Barbos. *loc. cit. n.* 107.

16 *Mortariensis Canonicorum Regularium Congregat.* initium sumpsit circa annum 1083. ab Adamo Clerico Mortariensi, qui in suis prædiis Monasterium, & Ecclesiam munificentissimam in honorem S. Crucis ædificavit, & ibi Canonici sub Regula S. Augustini in Congregatione degere cœperunt. Quæ Congregatio a S. Gregorio VII. recepta fuit sub speciali tutela Sedis Apostolicæ anno 1097. & a Nicolao V. 8. Idus Febr. 1449. unita fuit Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium. Tamburin. *loc. c. n.* 8. Pennottus *l. 2. c.* 56. Augustin. Ticinensis *in suo Dilucid. par. 1. præfat.* 28.

17 *Marbacensis Canonicorum Regularium Congregat.* initium sumpsit circa annum Domini 1090. vel 1094. a quodam pio Viro Manegaldo nomine, qui auxilio, & opibus Viri nobilis Burcardi a Gebelvier primum Monasterium Caput Congregationis in oppido Marbac Diœcesis Argentinensis in Alsatia fundavit; Unde Marbacensis Congregatio nuncupata est: Tamburin. *loc. cit. n. 9.* Franciscus Guillimanus *in Histor. de Episcop. Argentinensibus in vita Othonis Episcopi* 43. Pennottus *libr. 2. cap.* 39. *&* 66.

18 *Sancti Quintini Bellovacensis Canonicorum Regularium Congreg.* instituta est circa annum Domini 1078. a B. Ivone S. Quintini Præposito, deinde Episcopo Carnotensi ab Urbano II. ordinato; Sigisbertus Gemblacensis *in suo Chronic. sub anno* 1078. S. Antonius *in sua Histor. tit. 15. c. 16. in fin.* Tamburin. *loc. cit. num.* 10. & alii.

19 *Sancti Laurentii de Plebe Martyrum, sive de Ultio Canonicorum Regularium Congr.* in Delphinatu initium sumpsit circa annum Domini 1050. a Venerabili Sacerdote Gerardo de Oppido Ultio oriundo, qui apud idem Oppidum Monasterium sub Regula S. Augustini ædificavit; Unde ab ipso tamquam Capite d. Congregatio nomen desumpsit. Pennottus *lib. 1. cap.* 58. Tamburin. *loc. cit. num.* 11.

Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium Congr. incæpit circa annum 1113. in Monasterio S. Victoris prope muros Parisienses ædificato a Ludovico Crasso Galliarum Rege, qui deinde ibi tumulatus fuit anno 1137. Crusenius *in Monastic. Augustin. par. 2. cap.* 19. Marul. *in Ocean. Religion. lib. 1. p. 72. & seq.* Augustin. Ticinens. *in Dilucid. par. 2. §. Institutio Canonici Ordinis in civitate Parisiens.* Tamburin. *loc. cit. num.* 12. Barbosa *loc. citat. num.* 108. 20

Sancti Sepulcri Canonicorum Regularium Hierosolymitana Cong. instituta fuit Hierosolymis sub Regula S. Augustini a piissimo Austrasiorum Principe, & Sacri Belli Hierosolymitani duce Gothifredo, Urbe e manibus Infidelium erepta: Hic enim piissimus Princeps voti compos factus, Canonicos Regulares, quos de partibus Occidentalibus secum adduxerat, collocavit in Ecclesia S. Sepulcri Domini Nostri Jesu Christi, a qua Congregatio tota in aliis Provinciis sub hoc eodem Instituto propagata nomen desumpsit, & retinuit; Et hanc Congregationem magnis Privilegiis, & Muneribus auctam sub Sedis Apostolicæ tutela suscepit Cœlestinus II. quarto Idus Jan. 1144. in suo Brev. inc. *Si mansuetudo*, relat. per extensum a Tamb. *loc. cit. num.* 13. 21

Sanctæ Mariæ ad Renum Canonicorum Regularium Congr. alias Renana prope Bononiam tertio ab Urbe milliario apud Renum incæpit circa annum Domini 1136. & nomen desumpsit a Monasterio Renano ibidem constructo; Innocentius II. prædicto anno 1136. 6. Kalendas Septembr. Constitutiones Canonicorum Portuensium per Paschalem II. confirmatas Canonicis Renanis servandas sua auctoritate tradidit, & Privilegio Apostolicæ Sedis munivit. Cherubinus Gerardaccius *in Hist. Bononiens. lib. 2. p. 56. &* 133. Mozzagrunus *lib. 4. fol. 8. & sequent.* Pennottus *in Hist. tripartit. lib. 2. cap.* 48. Tamburin. *loc. c. num.* 24. 22

(*) Vide opus inscriptum *Memorie Istoriche concernenti le due Canoniche di S. Maria di Reno, e di S. Salvatore insieme unite Opera di D. Gio. Grisostomo Trombelli Abate di S. Maria di Reno, in Bologna* M.DCC.LII.

Sancti Jacobi de Cella Volana Canonicorum Regularium Congr. incæpit anno Domini 1000. in Monasterio vetustissimo Canonicorum in Diœcesi Comaclensi. Pennottus *lib. 2. Hist. tripart. Regul. Canonicorum c.* 54. Tamb. *loc. cit. n.* 15. 23

Sanctæ Crucis Conimbricensis Canonicorum Regularium Cong. sic dicta a celebri Monasterio S. Crucis in Civitate Conimbriæ incæpit circa annum Domini 1131. a Don Tello Conimbricensis Ecclesiæ Archidiacono, qui una cum aliis piis viris ibidem Regulam S. Augustini professus gloriosum initium dedit huic Congregationi, quæ confirmata fuit ab Innocent. II. anno 1135. Pennot. *cit. lib. 2. cap. 59. & seq.* Tambur. *loc. cit. n.* 16. Barbosa *in Summ. Ap. dec. verb. Canonici Regulares Conimbricenses, & lib. 1. Juris Ecclesiast. universal. c.* 41. 24

Sanctæ Mariæ de Crescentiaco Canonicorum Regula- 25

gularium Congr. incæpit anno Domini 1140. in agro Mediolanensi circiter ab Urbe milliario in loco, qui vulgo *Cressenzago* nuncupatur. Ibi enim Dominus Otho de Morbiis Mediolanensis Canonicus Regularis cum variis sociis sub Regula S. Augustini in Ecclesia ædificata a quodam nobili, & divite Mediolanensi in honorem B. M. V. huic Congregationi initium dedit, quæ potissimum floruit sub Urbano III. ex nobilissima Mediolanensi familia de Cribellis, qui eamdem Congregationem pluribus Privilegiis ornavit, suis bonis paternis multum ditavit, ut appäret ex diplomate ejusdem Pontificis sub 7. Kalendas Dec. anno 1186. relat. a Pennot. *cit. lib.* 2. *cap.* 49. Et tandem unita fuit Congregationi Lateranensi. Tamb. *loc. cit. n.* 17. Aug. Ticin. *in suo Diluc. Canonic. Regul. & Chronic. Canonicor. Regul.* Pennot. *loc. c.*

26 *Vallis-Viridis Canonicorum Regularium Congreg.* incæpit ante annum 1200. & nomen desumpsit a Monasterio in honorem B. M. V. erecto in loco dicto Vallis viridis in Brabantia prope Bruxellas; Nec satis constat de præciso anno, & Auctore. Silvester Marulus *in Ocean. Religion. lib.* 1. *p.* 38. Pennot. *cit. lib.* 2. *c.* 66. Tambur. *loc. cit. num.* 18.

27 *Sancti Antonii de Vienna Canonicorum Regularium Cong.* tempore Bonifac. VIII. sub Regula S. Augustini instituta est circa ann. 1297. Observandum tamen est, quod huic Ordini jam antea circa ducentos annos primordia fecerint nobilissimi viri Gasto, & Girinus, seu Girondus ejusdem Gastonis filius oriundi ex Oppido Motta Viennensis Diœcesis in Gallia, quod hodie S. Antonii dicitur a Corpore hujus Sancti eo allato ex Urbe Constantinopolitana per Joachimum Castri Albenciani, & Mottæ Dominum. Supradicti viri cum ex periculosissima infirmitate meritis Sancti Antonii fuissent liberati, pro salutis obtentæ gratiarum actione, se totos S. Antonii famulatui devoverunt, suaque omnia libentissime obtulerunt quæ (sicut ab eodem Sancto per visionem acceperant) in alendos pauperes igne sacro, sive gehennali, seu epidemiæ morbo tunc in occiduis partibus crudeliter sæviente contractos insumpserunt; quibus alii pii viri sese adjunxerunt, & in similibus sanctis Caritatis operibus se exercuerunt sub Habitu sæculari, & sine titulo Ecclesiastico sub Magistrorum, seu Dominorum regimine per annos ferme ducentos, donec Bonif. VIII. eisdem Hospitalaribus (extinctis Magistrorum, seu Dominorum nominibus) Abbatem Generalem præfecit; eosque tam Abbatem, quam alios in Religiosos sub nomine Sancti Augustini instituit Constit. incip. *In dispositione* 15. *Kalendas Jun.* 1297. in qua illis etiam stricte præcepit signum *Tau*, sive Potentiam deferre, juxta morem solitum ipsorum Hospitalariorum, quod etiam S. Antonius in visione dederat supradicto Gastoni; Aubertus Miræus *de statu Relig. Christ. lib.* 1. *cap.* 24. *& de Origin. Monast. lib.* 1. *cap.* 3. Pennott. *cit. lib.* 2. *cap.* 70. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 1. *p.* 53. Tambur. *loc. c. num.* 10. Barbosa *cit. lib.* 1. *cap.* 106.

28 *Præmonstratensium Canonicorum Regularium Cong.* sic dicta a loco *Præmonstrato* in Diœcesi Lugdunensi in Gallia, instituta fuit a S. Norberto tunc Archiepiscopo, & postea Magdeburgensi Germaniæ Primate sub Regula S. Augustini, & Instituto Canonicorum Regularium anno 1120. & deinde confirmata fuit ab Honorio II. Constit. incip. *Honorius Episcopus* sub dat. Kal. Martii 1126. quæ reperitur impressa in statutis Ordinis renovatis de anno 1628. Silvester Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 2. *pag.* 172. Barbosa *loc. cit. n.* 109. *& in sum. Apostol. decis. verb. Canonici Regulares Præmonstratenses*, Tamb. *loc. cit. n.* 20. Paulus Morigia *de origine Religion. l.* 1. *c.* 57.

29 *Scholarium Canonicorum Regularium Congr.* instituta est anno 1200. a quibusdam Scholaribus Bononiæ studii causa commorantibus prope eamdem Civitatem. Jacobus de Vitriaco Episc. Tusculanus in *sua Histor. Occid. c.* 27. Pennottus *cit. lib.* 2. *cap.* 54. Tamb. *loc. cit. n.* 211.

30 *Cruciferorum Canonicorum Regularium Congr.* instituta est a Viris quinque Religiosis, procurante, ac opem ferente Hugone de S. Caro præclarissimi Ordinis Prædicatorum Cardinali tunc temporis per Germaniam Legato anno 1246. Pontifice Innocentio IV. a quo dicta Congregatio sub Regula S. Augustini confirmata fuit. Monasterium totius Congregationis Caput situm est in Oppido Muitz, seu Huyo in Belgio ad Mosam fluvium in Diœcesi Leodiensi, ubi Præfectus Congregationis residet. Renatus Choppin. in *suo Monastic. lib.* 1. *tit.* 1. §. 6. *& tit.* 2. §. 9. *& lib.* 2. *tit.* 1. §. 21. Miræus in *Orig. Aug. lib.* 1. *c.* 14. Tambur. *loc. c. n.* 22. Barb. *cit. lib.* 1. *n.* 136. Pennot. *cit. lib.* 2. *c.* 74.

31 *Windesimensium Canonicorum Regularium Congr.* in Belgio sic dicta a prædio Windeshemo, tertio a Daventria Germaniæ inferioris Urbe lapide ad Isalam fluvium sita, collocato prope Zwolam Trajectensis Diœcesis. Illic enim erectum adest Monasterium ejusdem nominis sub invocatione B. V. M. a Gerardo Magno, & Joanne Busebrona ædificatum anno 1387. Cui Monasterio tamquam capiti totius Windesimensis Congregationis in sola Germania inferiori, ac tractu Rhenano brevi temporis spatio centum viginti Virorum Monasteria, & Feminarum triginta sese adjunxerunt: Crusenius *in Monastic. Augustin. par.* 3. *c.* 21. Barbosa *in Summa verb. Canonici Regulares Windesimenses*, *& cit. lib.* 1. *num.* 149. Pennot. *cit. lib.* 2. *Histor. tripartit. c.* 62. Tamb. *l. c. num.* 23.

32 *Mussinensium Canonicorum Regularium Congr.* sic dicta a primo ejus Monasterio apud Mussiam in Diœcesi Coloniensi instituta est circa annum Domini 1170. ex Molano *lib.* 1. *de Canonic. cap.* 14. & deinde anno 1430. unita est Congregationi Vindesimensi: ut habetur *ex Chronic. Windesimensi cap.* 4. Pennot. *cit. lib.* 2. *cap.* 76. Tambur. *loc. cit. num.* 24.

33 *Sancti Demetrii, sive Sanctæ Mariæ de Metri Canonicorum Regularium Congregatio*, sive de Pœnitentia Martyrum, instituta est in quibusdam Germaniæ, & Poloniæ partibus circa annum 1200. temporibus Innocentii III. Hæc Congregatio pene desierat, illam tamen in Pauli V. Pontificatu renovatam, ac de novo approbatam sub Regula S. Au-

August.

gust. tradit Nicolaus Crusenius *in Monastic. Augustin. par. 3. cap.* 1. Tamb. *loc. cit. n.* 25.

34 *Sancti Spiritus Venetiarum Canonicorum Regularium Congregatio* sic dicta a Monasterio Sancti Spiritus, in quo degere cœpit, instituta est circa annum Domini 1424. a quatuor Clericis nobilibus Venetis, scilicet D. Andrea Bondimerio, D. Michaele Mauroceno, D. Philippo Paruta, & D. Francisco Contareno. Pennot. *cit. l.* 2. *cap.* 54. *&* 74. Tamburin. *loc. cit. num.* 26. (*) Hanc suppressit Alexander VII. Const. *Cum sit compertum* die 28. Aprilis 1656. Bullar. Rom. Edit. Mainardi tom. vI. part. Iv. pag. 99. seqq. (*)

35 *Frigionaria Canonicorum Regularium Congregatio* sic dicta a Monasterio Sanctæ Mariæ in Silva Frigionaria non longe a Civitate Lucensi sic nuncupata a multitudine Frigionum illac se recipientium (sunt Frigiones aves quædam in Italia), instituta est sub Regula Sancti Augustini circa annum Domini 1406. a D. Bartholomæo ex nobilissima Columnensium Familia; Hæc Congregatio ab Eugenio IV. jussa est a Frigionaria dici Lateranensis; cum Lateranensium Canonicorum fuerit reformatrix. Barbosa *in Summa Apostolicar. decis. verb. Canonici Regulares Frigionariæ*. Paulus Morigia *in Origin. Relig. l.* 1. *cap.* 8. Pennot. *in Histor. tripart. l.* 3. *cap.* 7. Tamburin. *loc. cit. num.* 27. Marulus *in Ocean. Relig. l.* 1. *p.* 6. *& seq.*

36 *Sancti Petri de Monte Corbulo Canonicorum Regularium Congregat.* sic dicta a primo ejus Monasterio sub patrocinio S. Petri in Monte Corbulo in agro Florentino, duodecimo a Senis lapide ædificato, instituta est a quodam Petro Regiensi, seu Mediolanensi circa annum 1503. sub Pontificatu Julii II. a quo fuit confirmata. Volaterranus *lib.* 21. Trullus *de Canonic. Regularibus l.* 10. *c.* 10. Pennot. *l.* 2. *c.* 54. Barbosa *loc. cit. verb. Canonici Regulares de Monte Corbulo*, Tamburin. *loc. cit. num.* 28.

37 *Sancti Salvatoris Canonicorum Regularium Congreg.* sic dicta a primo Monasterio, quod habuit in Silva Lacus non longe a Senis, instituta est a Venerabili P. Stephano Cioni Senensi, prius Ordinis Eremitarum S. Augustini, Coadjutore Jacobo Andrea Senensi ejusque item instituti circa annum 1408. Isti Canonici vulgo appellantur *Scopettini* a Monasterio, quod initio Institutionis habuerunt prope muros Florentiæ sub nomine Sancti Donati Episcopi Fesulani, Aldan. *in Compendio Canon. Resolut. l.* 1. *tit.* 19. *de Relig. num.* 35. Barbos. *loc. cit. verb. Canonici Regul. S. Salvatoris*, Tamburin. *loc. cit. num.* 30. Morigia *in Origin. Relig. l.* 1. *c.* 40. Marulus *in Ocean. Relig. l.* 4. *p.* 322. (*)Consulito Trombelli Opus indicatum in Addit. ad num. 22. (*)

38 *Sancti Georgii de Alga Canonicorum Congreg.* sic dicta ab Alga, sive Alega parva Insula distante duobus Milliaribus a Venetiis, ubi situm est primum hujus Familiæ Monasterium, instituta est a D. Antonio Corrario Episcopo Hostiensi, & Cardinali Bononiensi, ut patet ex inscriptione facta in ejus Sepulcro in Ecclesia majori Alegæ, ibi: *Sepulcrum piissimi Patris D. Antonii Corragii beatæ memor. Episcopi Hostiensis, Cardinalis Bononiensis, Fundatoris hujus Congreg. qui obiit anno a Nativitate Domini* 1445. *die* 19. *Jan. orate pro eo semper*. Sic refert Tamburin. *loc. cit. num.* 32. qui tamen dicit quod Auctores hujus Congregationis inceptæ circa annum Domini 1404. fuerunt Antonius Corrarius, & Gabriel Condulmerius nobiles Veneti: Barbosa autem *loc. cit. verb. Canonici Sancti Georgii de Alga* dicit, quod hæc Congregatio instituta fuit a D. Antonio Corrario Bononiensi, & Episcopo Hostiensi anno 1404. & videtur concordare cum supra allata inscriptione Sepulcrali. Hanc Congregationem approbavit, Statuta, vivendique formam ei præscripsit Greg. XII. Constit. 1. incip. *Illis* 5. *Kal. Jul.* 1406. Vide Pennot. *cit. lib.* 2. *cap.* 70. Marulum *in Ocean. Relig. l.* 5. *p.* 341. Paul. Morigiam *de Origin. Relig. l.* 1. *c.* 44. (*) Congregatio ista extincta fuit a Clemente IX. Constitut. *Romanus Pontifex*, die 6. Decembris 1668. Bullar. Roman. Edit. cit. tom. vI. part. vI. pag. 304. seq. (*)

Sancti Marci Canonicorum Mantuanorum Cong. 39
circa annum Domini 1194. originem sumpsit a quodam Venerabili Sacerdote Alberto Spinula, seu alias de Formigola, qui habita potestate a Sede Apostolica erigendi Collegium Canonicorum Regularium secundum Ordinem Divi Marci, locum pro Monasterio ædificando habuit ab Abbate S. Andreæ, & simul ab aliis Mantuanis civibus prædia & reditus pro Canonicis sustentandis obtinuit, atque ita suæ Congregationi fundamenta posuit. Et fuit approbata, & confirmata ab Innocentio III. & Gregorio IX. Const. *Piæ postulatio voluntatis*. Sic refert Tamburin. *loc. citat. num.* 33. At Barbosa *loc. cit. verb. Canonici Regulares Mantuani*, & *cit. lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. c.* 41. *num.* 110. dicit, quod hic Ordo refertur institutus a S. Marco, sed Monasterium Mantuanum fundavit ejus Urbis Episcopus Henricus anno 1150. Pontifice Eugenio II. Desiit autem hæc Congregatio, & eorum Monasterium S. Marci a Guillelmo Mantuæ Duce concessum fuit Monachis Camaldulensibus, obtenta prius a Sede Apostolica facultate, ut refert Tamburin. *loc. cit.*

Cruciferorum Sancti Cleti Canonicorum Regula- 40
rium Congr. fertur instituta a B. Cleto Lini Successore, vel a Ciriaco Episcopo tempore Constantini Magni. Hæc Congregatio fuit reformata ab Alexandro III. ut fatetur Gregorius XIV. Const. 13. incip. *Romanus*. Ceterum approbata fuit ab Urbano VIII. Const. incip. *Cum antecessor*, quam refert Tamburin. *loc. cit. num.* 34. & vivere sub Regula S. Aug. tradit Pennott. *in Histor. tripartit. Canon. Regul. lib.* 2. *cap.* 74. (*)Congregationem istam abolevit Alexander VII. Constit. *Vineam Domini*. Bullar. Roman. Edit. cit. tom. vI. part. Iv. pag. 101. seqq. (*)

Sancti Spiritus in Saxia Canonicorum Congreg. 41
sic dicta, vel quia Collegium sub tutela, & patrocinio Sancti Spiritus constructum est sub saxo, seu Castro Neronis, vel quia Saxones Germaniæ populi ibi olim habitarunt, instituta est ab Innocentio III. anno 1197. Huic enim Pontifici oranti facta est vox de Cœlo dicens: *Innocenti, vade piscatum ad Tiberim fluvium*: Re cum S. R. E. Cardinalibus communicata ad Tiberim se contulit, & laxatis retibus, prima vice octuaginta septem, secun-

S 2

cunda vero trecentos & quadraginta extraxit infantes abortivos ab impiis matribus suffocatos, & in Tiberim projectos. Non defuit piissimo Pontifici remedium divinitus revelatum. Congregatio enim quamplurimis piis hominibus eos ad curam Hospitalis Sancti Spiritus, quod Romæ circa annum 1201. construxit, præfecit. Eorum cura est Peregrinos, & infirmos suscipere, & curare, ac pueros, & infantes alere; confirmata fuit hæc Congregatio ab ipso Innocentio Constitut. 7. incip. *Inter opera pietatis*, 13. *Kalend Jul.* 1204. Subsunt hi Religiosi Jurisdictioni, & correctioni Præceptoris Generalis, qui modo a Summo Pontifice eligitur, & Commendator Sancti Spiritus nuncupatur.

42 *Eremitarum Sancti Augustini Ordo* a quonam tempore incæperit? Variant Historici; Quidam enim dicunt, incæpisse tempore Divi Augustini, quos fuse rejicit Pennottus *in Histor.tripartit. Canonicorum Regular. lib.* 1. *fere per totum*. Alia in D. Guillelmum Aquitaniæ Ducem, & Pictaviensium Comitem originem referunt. Alii in B.Joannem Bonum Mantuanum; Alii alio modo. Unde decisionem relinquendo proprii Ordinis Scriptoribus, quasdam Congregationes Eremitarum S. Augustini referemus.

43 *Sancti Guillelmi Eremitarum Congr.* sic dicta a Sancto Guillelmo Aquitaniæ Duce, & Pictaviensium Comite ejus Fundatore incæpit circa annum 1156. Hanc Congregationem fuisse institutam sub Regula Sancti Benedicti scribunt varii Historici, ut videre est apud Tamburin. *loc. cit. num.* 37. Jo. Marquez *de vera origine Eremitarum Sancti Augustini cap.* 13. §. 11. Barbosam *lib.* 1. *Iur. Ecclesiast. univers. cap.* 41. *num.* 64. qui tamen ibidem dicit, verius esse, fuisse institutam sub Regula Sancti Augustini, uti tenent Nauclerus *volum.* 2. *gen.* 40. & 41. Bellarmin. *in Chronol. in fin. lib. de Scriptorib. Eccles. sub anno* 1241. & alii passim dicentes, talem Congregationem vocari communiter Guillelmitarum Ordinis Sancti Augustini.

44 *Jambonitarum Eremitarum Congr.* sic dicta, quia incæpit a B. Joanne Bono Mantuano apud Cæsenam in loco, qui dicitur Budriolum, paulo ante Innocentium III. S. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 13. Vide. Pennot. *cit. l.* 2. *cap.* 47. & 74. Tamb. *loc. cit. num.* 38.

45 *Sancti Hieronymi in Hispania Eremitarum Congr.* instituta fuit, seu reformata sub Regula S. Augustini, & Patrocinio S. Hieronymi a D. Petro Fernandez nobili Castellano anno 1370. tempore Urbani V. Licet alii alium hujus Ordinis faciant Auctorem, ut refert Barbosa *lib.* 1. *Jur.Eccles. univers. cap.* 41. *num.* 144. Prædictus igitur Religiosus vir una cum variis sociis Eremiticam, & satis asperam vitam ducens cum eisdem decrevit Eremitarum S. Hieronymi titulum assumere. Unde iisdem sociis in unum collectis ad Ulpianæ locum Toletanæ Diœcesis, in quo Sacellum S. Bartholomæo Apostolo dicatum invenerunt, suo sancto Instituto & Ordini fundamenta fecerunt, ejusque approbationem, & confirmationem sub Regula S. Augustini a Gregorio XI. obtinuerunt anno 1373. ut refert Silvester Marulus *in Ocean. Relig.lib.*3.*p.* 202. Hinc prædictum S. Bartholomæi Monasterium est constitutum caput hujus Congregationis, quæ in Hispaniis plurima satis pulchra habet Monasteria, & præcipue celeberrimum illud Sancti Laurentii in Escuriali a Philippo II. Hispaniarum Rege magnificentissime extructum. Barbosa *loc. cit. num.* 144. Tamburin. *loc. cit. numer.* 39. & plures alii apud ipsos.

Beati Petri de Pisis Eremitarum Congr. instituta 46
fuit a nobili viro Pisano Petro Gambacurta sub Regula S. Augustini, & patrocinio S. Hieronymi anno Domini 1380. Primum hujus Congregationis Monasterium, Caputque Ordinis extructum est in honorem Sanctissimæ Trinitatis apud Cessanam in Territorio Urbini, qui ob aeris amœnitatem, & Situs pulchritudinem Monsbellus appellatur. Tambur. *loc. cit. num.* 40. Barbosa *loc. citat. num.* 148. Paul. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 31. & alii.

Illicetana Eremitarum S. Augustini de Observantia Congr. sic dicta a Monasterio de Silva lacus, 47
Illiceto a multitudine Illicum nuncupato, initium habuit a Magistro Bartholomæo Veneto anno Domini 1387. Tamburin. *loc. cit. num.* 42. Morigia *loc. cit. cap.* 49. Barbosa *loc. cit. num.* 94.

Carbonaria S. Augustini Eremitarum Cong. in 48
Terra laboris Regni Neapolitani, vulgo Campagna, modo S. Joannis de Neapoli nuncupata, originem habuit a Patre Simone Cremonensi anno Domini 1399. Tamburin. *loc. cit. num.* 43. Barbosa *loc. cit. n.* 94.

Perusina Eremitarum S.Augustini Cong. alias San- 49
ctæ Mariæ de populo nuncupata, in Provincia Umbriæ per aliquot Religiosos Augustinianos incæpit anno 1424. Tamburin. *loc. cit. num.* 44. Barb. *loc. cit. n.* 94.

Lombardiæ Eremitarum S. Augustini Congreg. 50
ortum habuit anno 1444. a Patre Joanne Rocco Papiensi, & a Patre Gregorio Cremonensi. Tamburin. *loc. citat. numer.* 45. & Barbosa *loc. citat. num.* 94.

Sanctæ Mariæ Montis Hortonæ Eremitarum S.Au- 51
gustini Congr. quinto ab Urbe Patavii milliario initium habuit a Patre Simone de Camerino anno 1460. ut scribit Tamburin. *loc. cit. num.* 46. At Barbosa *loc. cit. num.* 64. vocat hanc Congregationem Montis Othonii, dicitque fuisse institutam in Marchia Anconitana a d. Patre Simone de Camerino dicto anno 1460.

Baptistellarum Eremitarum S. Augustini Congr. 52
seu Januensis, sic nuncupata a quodam Patre Baptista Januensi ejus Fundatore, incæpit anno Domini 1484. Tamburin. *loc. cit. num.* 47. Barbosa *loc. cit. n.* 94.

Pollensis, seu Dulcita Eremitarum S. Augustini 53
Cong. incæpit circa ann. 1492. & est sic dicta, quia eam instituit P. Felix Polles. Barb. *loc. cit. n.* 94. Tamb. *loc. cit. num.* 48.

Calabriæ, seu Zampana Eremitarum S. Augusti- 54
ni Congr. sic dicta, quia fundata fuit a quodam P. Francisco Zampana Calabrensi, incæpit anno Domini 1502. Tamburin. *loc. cit. num.* 49. Barbos. *loc. citat. num.* 94. Paul. Morigia *de Histor. Relig. c.* 49.

Dalmata Eremitarum Sancti Augustini Cong. in- 55
cæ-

cæpit dicto anno 1502. in Dalmatia in Sclavonia. Barb. *loc. cit. num.* 50. Morigia *loc. cit.*

56 *Germanica Eremitarum S. Augustini Congreg.* instituta fuit in Germania a quodam P. Andrea de Proles anno 1514. Tambur. *loc. cit. num.* 51. Paul. Morigia *loc. cit. num.* 49.

57 *Sancti Pauli primi Eremitæ Congr. S. Augustini Hispanica* incæpit in Hispania anno Domini 1530. & ibi quamplura habet Monasteria, & in Italia prope Velitrensem Civitatem habet Monasterium satis illustre. Tamburin. *loc. cit. num.* 52. Morigia *loc. cit. c.* 49. sed jam fuerat erecta alia S. Pauli primi Eremitæ in Regno Hungariæ a B. Eusebio Strigoniensi anno 1215. Pontifice Innocentio III. confirmationem præstante, Fratre Gentili Cardinali ex Ordine S. Francisci Legato Clementis V. in Hungaria anno 1308. Barbos. *loc. cit. n.* 126.

58 *Congregationes Eremitarum S. Augustini*, quæ in Generali unione per Alexandrum IV. facta per Constitutionem 6. incip. *Licet Ecclesiæ*, sub eadem denominatione Eremitarum S. Augustini venerunt, ut eas refert Silvester Marulus *in Oceano Religionum lib.* 4. *pag.* 284. & Tamb. *loc. cit. n.*53. sunt sequentes.

Congr. Eremitarum Vallis Hirsuti.

Cong. Eremitarum de Pœnitentia Jesu Christi.

Cong. Eremitarum S. Augustini Turris Palmarum Firmanæ Diœcesis.

Cong. Eremitarum S. Joannis Boni.

Cong. Eremitarum S. Augustini in loco S. Blasii de Brittinis Fanensis Diœcesis.

Cong. Eremitarum S. Mariæ de Rupe cava Lucensis Diœcesis.

Cong. Eremitarum Sanctissimæ Trinitatis Centum Cellis in Tuscia.

Cong. Eremitarum S. Mariæ de Mureto Pisanæ Diœcesis.

Congreg. Sancti Jacobi de Minilio Lucensis Diœcesis.

Congreg. Eremitarum *Sancti Benedicti de Monte Faboli.*

Congr. Eremitarum S. Gulielmi.

59 *Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Congr.* admissa & instituta fuit in Urbe Roma circa annum Domini 1599. ut patet expresse in Const.63. Clem. VIII. incip. *Decet Romanum Pontificem*, edita die 5. Nov. 1599.

60 *Hæc Congregatio Eremitarum Discalceatorum* divisa est in Hispanam, & Italam. Constitutiones Congregationis approbatæ fuerunt a Paulo V. Constit. 2. incip. *Sacri Apostolatus*. Et distincta est in quatuor Provincias, Romanam, Neapolitanam, Januensem, & Siculam. Urban. VIII. Constit. 58. *Ad uberes*. Congregatio Hispana, quæ ulterius in quatuor Provincias distincta est, confirmata fuit cum propriis Constitutionibus a Greg. XV. Const. 36. incip. *Ad Sacram*.

61 In supradictarum omnium Congregationum Sancti Augustini formis, & Regula reperiuntur etiam propriæ cujusque Generalis Congregationis Sanctimoniales Deo inservientes cum magno devotionis, & sanctitatis incremento; Tamburin. *loc. cit. num.* 55. & alii passim, docetque communis experientia.

Armenorum, seu modo S. Bartholomæi de Genua Cong. a quo primo Monasterio in his partibus nuncupatur, ortum habuit in Armenia, temporibus S. Basilii, & deinde ab Armenia, & postea a Græcia, ubi in Monte nigro Fratres hujus Congregationis se receperunt, a Turcis expulsi, Genuam appulerunt, ibique in Monasterio S. Bartholomæi, relicta S. Basilii Regula, illam S. Augustini, & Constitutiones S. Patris Dominici amplexati sunt, & secundum prædictam Regulam, & Constitutionem profitentur; Silvester Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 5. *pag.* 367. Tamburin. *loc. citat. num.* 56. (*) Vide Adnot. appositam ad num. 9. Art. II. (*) 62

Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congr. instituta est circa annum Domini 1198. a S. Joanne de Matha, & S. Felice Valesio ad captivos e manibus Barbarorum redimendos, & eodem anno 1198. fuit approbata ab Innocentio III. Constit. 1. incip. *Operante*, & ab eodem confirmata anno 1209. Constit. 9. etiam incip. *Operante*; Tamburin. *loc. cit. num.* 57. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 3. *pag.* 194. Pennott. *in Histor. tripartit. libr.* 2. *cap.* 7. 63

Beatæ Mariæ de mercede Redemptionis Captivorum Congregatio instituta fuit circa annum Domini 1218. in Regno Aragoniæ a S. Raymundo de Pennafort, a Jacobo Aragonum Rege, & a S. Petro Nolasco sic a B. M. V. inspiratis ad liberandos & redimendos captivos, & oppressos a Mauris, tunc fere totam Hispaniam opprimentibus, & confirmata fuit anno 1235. a Greg. IX. Const. 9. incip. *Devotionis vestræ*, Tamb. *loc. c. n.* 58. Barbos. *loc. c. num.* 127. 64

(*) Sunt tamen, qui Ordinem istum anno dumtaxat 1222. institutum fuisse arbitrantur. Nam quo tempore institutus fuit, S. Raymundus de Pennafort Ordini Prædicatorum sese adjunxerat. Ipsum autem anno 1222. nomen in Prædicatorum Ordinem dedisse ex veteri MSS. Kalendario Barcionensis Cœnobii Diagus lib. 2. cap. 9. tradit. Legito S. Raymundi de Pennafort vitam, Summæ ejusdem Edit. Veronensis MDCCXLIV. præmissam, cap. II. pag. xxx. seqq. (*)

Prædicatorum Ordo institutus est a S. Patre Dominico Hispano Canonico Regulari S. Augustini anno Domini 1206. Pontifice Innocentio III. & approbatus, & confirmatus fuit solemniter sub Regula S. Augustini, & propriis Constitutionibus 11. Kal. Januarii 1216. ab Honorio III. Const. 2. incip. *Religiosam vitam*; Tambur. *loc. cit. num.*59. Barbosa *loc. cit. num.* 117. Miranda *in Manual. Prælatorum tom.* 1. *qu.* 4. *art.* 3. & alii passim. (*) Confer Annalium Ord. Præd. Tom. 1. Romæ anno MDCCLVI. impressum, ad ann. MCCVI. & ad ann. MCCXVI. (*) 65

Monialium S. P. Dominici Ordo sub eadem Regula S. Augustini degens jam per Universum totum propagatus celeberrimus est, & floret in dies continuis Sanctitatis exemplis; Tamburin. *loc. cit. num.* 60. & communis experientia. 66

Tertii Ordinis de Pœnitent. S. P. Dominici Cong. cum sua Regula, & Constitutionibus approbata fuit ab Innocentio VII. anno 1405. Const. incip. 67

Se-

Sedis Apostolicæ (*). In Annalibus paulo ante indicatis ad an. MCCIX. num. XIII. seqq. perspicua monumenta afferuntur, ex quibus efficitur Ordinem istum *De Militia Christi* tum *de Pœnitentia* appellatum ab ipso S. Dominico originem ducere (*).

68 *Servorum B. M. Ordo* sic dictus, eo quod B. Mariæ Virginis peculiaribus obsequiis addictus sit, institutus fuit sub Regula Sancti Augustini sub anno Domini 1216. a septem nobilibus viris Florentinis, nempe Bonfilio de Monaldis, Amedeo Bonajuncta, Manetto de Antellis, Alexio Falconerio, Sosteneo de Sosteneis, Uguccione de Uguccionibus, & denuo confirmatus fuit a Benedicto XI. anno 1304. Constitution. 1. incip. *Dum levamus*. Ex qua Constitutione clare patet, hujusmodi Ordinem fuisse per Sedem Apostolicam antea confirmatum, sed forsan injuria temporum Litteræ confirmationis ante hanc editæ non extant; Tamburin. *loc. citat. num.* 62. Barbosa *loc. cit. num.* 135. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 4. *pag.* 302. & 303. Morigia *in Origine Relig. lib.* 1. *cap.* 35. (*). Consulito Opusculum Romæ vulgatum hoc titulo *Memorie sulla Storia del primo secolo dei Servi di Maria, e degli Spedalieri di S. Giovanni di Dio, Madrid MDCCLXXX.* ex quo disces Ordinem Servorum B. Virginis, non anno 1216., sed anno 1226. fundatum, atque a B. Benedicto XI. primum auctoritate Apostolica confirmatum (*).

69 *Servorum B. Mariæ Reformatorum Congregatio* incæpit temporibus Martini IV. circa annum Domini 1285. Auctore S. Philippo Benitio, & hanc approbavit, iterumque reformationem indixit Clemens VI. anno 1346. Constit. 2. incip. *Regimini*. Urbanus V. anno 1379. Constit. 2. incip. *Sacrosancta Romana Ecclesia*, & Pius V. anno 1570. Constit. 103. incip. *Postquam*, Tambur. *loco citat. n.* 64. Barbosa *loc. cit. num.* 131. & alii (*). Mihi tamen quæ de Congregationis hujus Auctore, & anno quo incæpit, ab his traduntur, commenticia videntur. Nam S. Philippus Benitius anno 1285. ex mortali hac vita ad immortalem migravit, nec quo tempore Servorum B. Mariæ Ordini præfuit (præfuit autem ex Annalibus ejusdem Ordinis ab anno 1267. usque ad extremum vitæ suæ diem) regularis disciplina in ea Familia collapsa fuit, ut Reformatione opus esset (*).

70 *Beatæ Mariæ Servorum Eremitarum Congr.* incæpit anno 1593. & habet Eremitas in Monte Senario tertio tantum lapide a Florentia distante, qui primævi Instituti modum sequentes, die, ac nocte Deo laudes persolvunt, & confirmata est hæc Congregatio cum præscriptione modi recipiendi Novitios ad Habitum, & Professionem, & peculiaribus Constitutionibus a Clemente VIII. Constit. 8. incip. *Decet*; Barbosa *loco cit. n.* 345. Tambur. *loco cit. n.* 63. & alii.

71 *Tertii Ordinis Servorum B. Mariæ Congr.* cum sua Regula, & Constitutionibus confirmata fuit a Martino V. anno 1424. Constitut. 15. incip. *Sedis*, Tamburin. *loc. cit. num.* 135. & alii.

72 *Fratrum Pœnitentiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Ordo* institutus fuit, seu potius renovatus sub Regula Sancti Augustini a quodam Beltramo Gallo in Diœcesi Massiliensi sub anno 1277. temporibus Nicolai III. Tambur. *loco cit. sub n.* 65. Crusenius *in Monast. Augustin. part.* 3. *cap.* 5. Barbosa *loco citat. num.* 137.

Mulierum Pœnitentium Congregatio instituta, seu potius renovata fuit ab eodem S. Viro Beltramo Gallo sub eadem Regula S. Augustini anno 1278. Pontifice Nicolao III. ad refugium mulierum meretricum ad meliorem frugem redeuntium; Tamburin. *loco citat. n.* 66. Barbosa *loco cit. n.* 138. Crusen. *in Monastic. Augustin. part.* 3. *cap.* 5. 73

Caritatis Fratrum Congregatio instituta est sub Regula S. Augustini tempore Nicolai IV. an. 1290. a Guidone Janvillano S. Georgii Domino in Diœcesi Catalaunensi in Provincia Campaniæ Regni Gallicani ad hospitalitatem exercendam, pauperes in Domibus suis recipiendos, & caritative alendos; Miræus *lib.* 5. *Histor. Monastic. cap.* 21. Crusen. *in Monast. Augustin. part.* 3. *cap.* 10. Barbosa *loco cit. numer.* 139. Tambur. *loco cit. num.* 67. 74

Jesuatorum S. Hieronymi Congregatio instituta est a S. Joanne Columbino Senensi sub Regula San. Augustini, & tutela, ac patrocinio S. Hieronymi anno 1354. & confirmata fuit a Martino V. Constitut. 11. incipient. *Piæ*. Isti Religiosi dicti sunt Jesuati, vel quia in ore primorum Patrum hujus Ordinis frequens erat dulce nomen Jesu, vel quia in primordio Religionis prophetico infantium spiritu fuerint sic appellati; Barbosa *loco cit. num.* 142. Tambur. *loc. cit. num.* 68. Morigia *in Chronic. Jesuatorum, & de Origin. Relig. l.* 1. *c.* 38. & alii (*). Congregationem istam extinxit Clemens IX. Constit. *Romanus Pontifex* ad num. 38. indicata. 75

Monialium Jesuatarum Congregatio fuit instituta ab eodem S. Joanne Columbino circa annum 1358. Paulus Morigia *loc. cit.* Tamburin. *l. c. num.* 69. & alii. 76

Sancti Ambrosii ad Nemus Congregatio sic dicta quia sub invocatione S. Ambrosii erectum fuit Mediolani primum ejus Domicilium in loco extra muros, qui tempore S. Ambrosii nemus erat, in quod ipse Sanctus se aliquando ad vacandum Divinis contemplationibus recipiebat, instituta fuit sub Regula S. Augustini a tribus nobilibus Mediolanensibus, nempe Alexandro Crivello, Alberto Besotio, & Antonio Petrasancta circa annum 1375. & confirmata fuit a Gregorio XI. Constit. 9. incip. *Cupientibus*; Isti Religiosi sub una Congregatione, cujus Caput est dictum Monasterium S. Ambrosii ad Nemus, fuerunt redacti ab Eugenio IV. Const. 22. incip. *Regimini*, & postea hæc Congregatio unita fuit cum Congregatione Fratrum S. Barnabæ Apostoli sub Regula S. Augustini a Sixto V. quam unionem confirmavit Paulus V. Constit. 12. incip. *Pastoralis*, Barbosa *loc. cit. num.* 154. Tamb. *loco cit. num.* 70. Morigia *de Relig. cap.* 41. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 1. *pag.* 70. (*). Urbanus autem VIII. suppressit Constit. *Quantum ornamenti*. die 2. Decembris 1643. Bullar. Rom. Edit. Mainardi tom. VI. part. 2. pag. 402. seqq. eamque suppressionem ratam habuit, atque ejusdem Congregationis Monasteria in Beneficia secularia erexit Innocentius X. Constit. *Quoniam nostro*, tom. cit. part. III. pag. 28. seqq. (*). 77

Apostolorum, seu Apostolinorum Fratrum Con- 78
gre-

gregatio primam originem traxit a S. Barnaba Apostolo, qui cum ab Apostolis missus fuisset in Insubriam ad prædicandum Evangelium apud Mediolanum, cujus primus Archiepiscopus, seu Episcopus creatus fuit, multi homines ejus Prædicationibus inflammati se in unum collegerunt, & vitam more Apostolorum sub tanto Magistro degebant; Verum, eo mortuo, dispersi hujusmodi homines in agris, & Villis eremitice vivebant; Donec horum quidam circa annum Domini 1484. Privilegio Innocentii VIII. sub Regula S. Augustini, emissis tribus votis in communi vivere iterum cœperunt, retento nomine *Congregationis Fratrum Apostolorum*, seu ut vulgo *Apostolinorum*, ut patet ex Constitut. 3. Alexandri VI. incip. *Piæ vitæ*; Et deinde hæc Congregatio unita fuit cum Congregatione S. Ambrosii ad Nemus a Sixto V. & Paulo V. Const. incip. *Pastoralis*; Tamburin. *loc. cit. num.* 155. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 1. *c.* 47. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 1. *pag.* 37. (*). Hujus Congregationis idem ac præcedentis, cui unita erat, exitus fuit.

79 *Sancti Hieronymi de Fesulis Fratrum Congregatio* sic dicta quod Fesulis antiquissima Tusciæ Urbe, cujus nunc vestigia vix extant, non longe a Florentia incæperit, instituta est sub Regula S. Augustini circa annum 1460. a Carolo Romena, seu Romensi Comite Montis Granelli, & fuit approbata ab Innocentio VII. & Gregorio XII. Constit. incip. *Sacrum*, in qua confirmat Bullam Innocentii VII. quæ non fuerat expedita ob mortem ipsius Pontificis, & eam iterum confirmavit expresse sub Regula S. Augustini Eugenius IV. Constit. 21. incip. *Super gregem*; Barbosa *loc. cit. num.* 72. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 38. (*). Sublata fuit a Clemente IX. Constit. *Romanus Pontifex*; quam ad num. 38. indicavimus (*).

80 *Hospitalitatis, & infirmis servientium Congregatio S. Joannis Dei*, ab eodem Sancto instituta est sub Regula S. Augustini anno 1538. & vulgo per Italiam ejusdem Religiosi appellantur *Fate ben Fratelli*. Hanc Congregationem confirmavit S. Pius V. Constit. 143. incip. *Licet ex debito*; & eam confirmavit Clem. VIII. Constitut. 44. incip. *Romani Pontificis*; Hæc Congregatio modo divisa est in duas, scilicet Hispanam, & Italam; utraque tamen vivit sub Regula S. Augustini; Tamburin. *loc. cit. num.* 73. Barbosa *loc. cit. num.* 161. Marulus *in Oceano Rel. lib.* 5. *pag.* 430. Pennottus *in Histor. tripart. lib.* 2. *cap.* 74. (*). De Ordinis hujus vicibus seculo 1. vide, si lubet, Opusculum citatum ad num. 68. (*).

81 *Sancti Pauli primi Eremitæ Congr. Lusitana* instituta est sub Regula S. Augustini circa annum Domini 1562. Tamburin. *loc. cit. n.* 74. Pennottus *cit. lib.* 2. *cap.* 74. ubi dicit, fuisse jam antea institutam in Ossa rupe quadam satis aspera ejusdem Provinciæ.

82 *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Reformatorum, & Discalceatorum Congregatio* instituta fuit anno 1599. prout apparet ex Constitutione Clementis VIII. incip. *Ad militantis Ecclesiæ regimen*; Tambur. *loc. cit. num.* 75. & alii.

83 *Discalceatorum Reformatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congreg. Gallica* similis Instituti, ac antea dicta, fuit erecta in Gallia auctoritate Gregorii XV. & Urbani VIII. ut apparet ex Litteris de ejus Ordine datis a Cardinali Octavio Bandino Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Protectore, *sub die* 27. *Febr.* 1624. incip. *Cum universæ Congregationi*, & ex ejusdem Urbani VIII. Const. incip. *Alias a Nobis*, *sub die* 28. *Februar.* 1631. apud Tamburin. *loc. cit. num.* 76.

Discalceatorum Reformatorum B. Mariæ de Mercede Congregatio initium habuit circa annum Domini 1613. sollicitante P. Joanne Baptista a Sanctissimo Sacramento; Quam reformatam novam Congregationem confirmavit Paulus V. Const. incip. *Inter omnes*; Et hujus reformatæ discalceatæ Congregationis Fratres separavit totaliter a Calceatis, & item Vicarium Generalem pro ipsis creavit Gregor. XV. Const. incip. *Apostolici muneris sollicitudo*; quod & confirmavit Urbanus VIII. Const. incip. *In sede*; Tamburin. *loco citat. num.* 77. & alii. 84

Sancti Antonii Abbatis in Flandria Congr. instituta est anno 1615. sub Pontificatu Pauli V. a quo est ei data Regula Sancti Augustini, & ejus unicum Monasterium Castellettum nuncupatum, subjectum est Provinciali Belgico Augustiniano, salvis tamen hujus Congregationis particularibus Constitutionibus, & Privilegiis; Tamb. *loc. citat. num.* 78. Barbosa *loc. cit. num.* 165. 85

Alexianorum Fratrum Congregatio sic dicta, eo quod ejus Alumni S. Alexium sibi in Patronum delegerint instituta fuit a piis quibusdam viris circa annum Domini 1309. Hos Regulæ S. Augustini addixit Henricus Surdemanus ex Familia Eremitica S. Augustini, ut refert Crusenius *in Monast. part.* 3. *cap.* 11. ubi addit, ab Officio sepeliendi mortuos, quod est eorum principale Institutum, vocari *Vespillones*; De cetero sunt simpliciter Laici, nullis Sacris initiati; Miræus *de Orig. Ord. S. August. lib.* 1. *cap.* 28. Tamb. *loc. citat. num.* 79. Barb. *loc. cit. num.* 141. 86

Bonorum hominum Cong. sub Regula S. Augustini instituta fuit circa anno 1257. a quodam Richardo Cornubiæ Comite Henrici III. Regis Angliæ fratre, qui ædificato Monasterio in Villa Bercanstediensi vigesimo quinto a Londino milliario, ibi cum aliquot bonis hominibus, & Religiosis viris Regulam S. Augustini observabat; Tamb. *loc. cit. num.* 80. Morigia *in Histor. Relig. c.* 72. (*). De Religiosis Ordinibus, qui in Anglia ante impiam Henrici VIII. a Catholica fide defectionem floruerunt, legantur *Monasticon Anglicanum sive Pandectæ Coenobiorum Benedictinorum*, *Cluniacensium*, *Cisterciensium*, *Carthusianorum a primordiis usque ad eorum dissolutionem per Rogerum Dodsvvorth Eborac. Gulielmum Dugdale Warvvic. Londini. M. DC. LV. Joh. Stevens The History of the antiens Abbeys Monasteries etc. London MDCCXXII.*, ac *Thomæ Tanner Notitia Monastica London. MDCCXLIV.* (*). 87

Clericorum Hospitalariorum Cong. Instituta fuit circa annum 1300. a P. Augustino Novello Cancellario primum Manfredi Regis Siciliæ deinde pœni- 88

Pœnitentiario, & a secretis, & Confessionibus Bonifacii VIII. electo in septimum Generalem Eremitarum S. Augustini, quo munere rejecto hanc Familiam erexit Senis sub Regula S. Augustini, quam Congregationem confirmavit idem Bonifacius VIII. Barb. *loco cit. n.* 140. Tambur. *loc. cit. n.* 81. Crusen. *in Monast. part.* 3. *c.* 10.

89 *Clericorum vitæ communis Congr.* sic dicta, eo quod ejus alumni in communi vivant Apostolorum more, instituta fuit sub Regula S. Augustini anno 1376. a Gerardo Daventriensi ad Isalam fluvium in Germania inferiore, nato in Urbe Episcopali Daventria Archiepiscopi Trajectensis Suffraganea; Barb. *loc. cit. n.* 145. Tamb. *loc. cit. num.* 82. Morigia *in Hist. Relig. c.* 59. Marulus *in Ocean. Religion. l.* 3. *pag.* 197.

90 *Theatinorum Clericorum Congr.* instituta est circa annum 1524. sub Regula S. Augustini a Joanne Petro Caraffa Neapolitano Archiepiscopo Theatino, postea Summo Pontifice Paulo IV. Unde ejus Clerici dicti sunt Theatini: Is enim resignato in manibus Summi Pontificis Episcopatu, una cum S. Cajetano Thienensi, & Bonifacio Alexandrino, & D. Paulo Consiliario Romano, facta solemni Professione, Romæ primo suam Congregationem fundarunt, quam confirmavit Clemens VII. Constit. incip. *Exponi*; Hanc Congregationem dictus Joannes Petrus Caraffa univit cum Somaschensi, sed postea ad Summum Pontificatum assumptus, & Paulus IV. dictus, Theatinorum Congregationem a Somaschensi separavit, & pristinum solum Institutum servare coegit, ut in ejus Const. incip. *Aliquot ab hinc annis*. Barb. *loc. cit. n.* 158. & 160. Tambur. *loc. cit. n.* 83. Morigia *in Orig. Religion. lib.* 1. *cap.* 76. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 4. *pag.* 368.

91 *Sancti Pauli Decollati, seu Barnabitarum Congregat.* sic dicta, quod Sanctum Paulum præcipue elegerit in Patronum, instituta est a tribus nobilibus Mediolanensibus, nempe Bartholomæo Ferrario, Jacobo Antonio Morigia, & Antonio Maria Zacharia anno 1526. Dicuntur hujus insignis Ordinis Religiosi vulgo *Barnabitæ* a Collegio S. Barnabæ Apostoli, quod primum Mediolani habuerunt, & Caput Ordinis statuerunt. Hunc insignem Ordinem approbavit, & confirmavit Clemens VII. Constit. 37. incip. *Vota*, Barbosa *loc. cit. num.* 159. Tambur. *loc. cit. num.* 84. Morigia *in Origine Religion. lib.* 1. *cap.* 66. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 5. *pag.* 397. (*). Ab Innocentio X. extincta perpetuo Congregatio ista fuit Constit. *Cum sicut* die 22. Junii 1651. Bullar. Rom. Edit. Mainardi tom. VI. part. III. pag. 221. seqq. (*).

92 *Boni Jesu Clericorum Regularium Congregat.* in Civitate Ravennæ instituta fuit circa annum 1526. a quadam Virgine Margarita ejusdem Civitatis, ministerio duorum Sacerdotum ejusdem Urbis, Domini Leonis, & Domini Hieronymi, qui primi tunc Ordinem professi sunt sub Regula S. Augustini cum propriis Constitutionibus. Pennott. *in Histor. tripartit. Canonicor. Regular. lib.* 2. *cap.* 74. Marulus *in Ocean. Religion. lib.* 5. *pag.* 398. Tamb. *loc. cit. n.* 85. Barb. *loc. cit. n.* 157.

Clericorum Regularium Somaschæ, seu S. Majoli Congregatio sic dicta a primo Monasterio constructo in Somascha Pago inter Mediolanum, & Bergomum, & a celebri Collegio S. Majoli in Civitate Papiæ, instituta fuit a B. Hieronymo Æmiliano (1) Patritio Veneto circa annum 1526. & confirmata fuit a Paulo III. Const. incip. *Ex injuncto*, & S. Pius V. sub Regula S. Augustini reposuit, & nomen ipsi Congregationi imposuit, nempe Clericorum Regularium S. Majoli Papiæ, seu Somaschæ, ut in ejus Constitut. incip. *Injunctum*; Huic Congregationi Joannes Petrus Caraffa Episcopus Theatinus univit suam Congregationem Theatinorum, sed postea ad Summum Pontificatum assumptus, & Paulus IV. dictus, Theatinorum Congregationem a Somaschensi separavit, & pristinum solum Institutum servare coegit, ut in ejus Constitut. incip. *Aliquot ab hinc annis*. Tambur. *loc. cit. num.* 86. Barbosa *loc. cit. num.* 160. Morigia *de Origine Religion. lib.* 1. *cap.* 68. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 5. *pag.* 394. 93

Ministrantium infirmis Clericorum Regularium Congregatio instituta est a Sancto Camillo de Lellis Sacerdote Neapolitano ex Oppido Buclanico Diœcesis Theatinæ oriundo, egregiæ Sanctitatis Viro circa annum 1586. & tunc sub Instituto simplicis Congregationis eam approbavit Sixtus V. Constitut. 15. incip. *Ex omnibus*; Et postea sub Instituto Religionis cum quatuor votis solemnibus, incluso scilicet quarto de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo, etiam peste laborantibus, fuit confirmata a Gregorio XV. Constitutione 27. incip. *Illius*, & de hac Congregatione multa habentur in Constitutione 75. Clementis VIII. incip. *Superna*. Barbosa *loco citat. n.* 199. Tamburin. *loc. cit. num.* 87. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 5. *pag.* 426. Pennott. *in Historia tripart. lib.* 2. *cap.* 74. ubi asserit Alumnos hujus Congregationis vivere sub Regula S. August. 94

Minorum Clericorum Regularium Congreg. a VV. August. Adurno Januen. & Francisco, ac Augustino, Caraccioli Neapolitanis (2), æque pietate, ac Nobilitate conspicuis, æræ vulgaris Anno MDLXXXVIII. orta est. Eam illico summus ille, ac vere maximus Pontifex Sixtus V. tanta benignitate & studio est complexus, ut nedum Bulla incip. *Sacræ Religionis*, instar cæterorum regularium Ordinum approbarit, sed ei insuper honoris ergo, & in proprii amoris pignus ac argumentum *Minoritarum* titulum communicarit; Eandem plurimi, qui Sixto successere, Pontifices confirmatione Apostolica, & privilegiis amplissimis ornavere. Gregorius nempe XIV. Bulla incip. *Ut ea quæ ad Religionis propagationem*. Et alia incip. *Romanus Pontifex*. Clemens VIII. Bulla incip. *Sacræ Religionis propagationem*. Paulus V. Bulla incip. *Decet Romanum Pontificem*. Et alia incip. *Cum sicut nobis*. 95

(*1) Hunc inter Sanctos ritu solemni Clemens XIII. retulit.
(2) Ex his Franciscus Caracciolus Beatorum Catalago adscriptus a Clemente XIV. fuit.

lis. Et ne diutius immoremur, novissime Benedictus XIII. Bulla incip. *Sacrosanctum Apostolatus Officium*.

Ad tria vota consueta hæc Congregatio addit quartum de Ecclesiasticis dignitatibus non ambiendis, quæ omnia quotannis renovat in pervigilio Epiphaniæ: & supra consueta cæterorum Ordinum munia, tum orandi, tum psallendi, tum concionandi, tum Sacramenta fidelibus ministrandi, aliaque in Dei cultum, in Ecclesiæ splendorem, in sui & proximi utilitatem vergentia peragendi, id habet proprium, & peculiare, ut perpetuo suos alumnos in orbem singulis horis diei ante Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum Orationi mentali per horam velit addictos: qui propterea etiam *semper orantes* populari prænomine nucupantur.

Plurimos huc usque viros pietate insignes, & doctrina celebres edidit hæc Congregatio, quas in Chronico Ordinis Romæ edito typis Joannis Francisci Buagni anno 1710. fuse recenset Pisellus, *lib. prim. cap. prim.*

96 Sub Regula S. Augustini militarunt, & adhuc militant etiam plures Ordines Militares, seu Equestres, & in primis *Equestris Ord. Sancti Lazari*, alias de anno 391. institutus, & a Gregorio IX. qui simul Regulam Sancti Augustini his Equitibus servandam tradidit, confirmatus, seu, ut verius videtur, Alexander IV. eumdem Ordinem sub dicta Regula Sancti Augustini approbavit Constitut. 1. incip. *Cum a nobis*. Hic tamen Ordo unitus fuit Ordini S. Mauritii a Gregorio XIII. Const. incip. *Pro commissa*, quam unionem approbavit etiam Clemens VIII. Const. 102. incip. *Decet*.

97 *Equestris Ordo Sancti Sepulcri* secundum Mennenium *in lib. de Symbol. & Origin. Equestr. Ordinum tit. Ordo Equit. Sancti Sepulcri*, & Patrem Marianum a Malco Minorum de Observantia *part.* 2. *libr.* 13. *cap.* 4. *suæ Terræ sanctæ illustratæ*, fertur institutus a Sancto Jacobo Apostolo primo Episcopo Sanctæ Civitatis Hierusalem anno 96. post Nativitatem Christi; & 63. post ejus mortem, ad hoc ut assisterent Custodiæ Sanctissimi Sepulcri Domini nostri Jesu Christi. Alii volunt, Fundatorem hujus Ordinis fuisse invictissimum Imperatorem Heraclium, ex quo ipse acquisierit S. Sepulcrum, & S. Crucem. Alii dicunt, Fundatorem fuisse Constantinum Magnum, ex quo ejus Mater S. Elena Crucem, & Monumentum Dominicum reperisset, ibique magnificas ædes construxisset, & custodiam seu curam Militibus quibusdam S. Sepulcri nuncupatis demandasset. Alii tenent, Fundatorem fuisse Carolum Magnum, ex quo ipse ab Aarone Principe Saraceno circa annum Domini 800. dono accepit Ecclesias Sanctissimi Sepulcri, Calvarii, Montis Oliveti, & Civitatis Hierusalem. Alii communius sustinent, fuisse Hunc Ordinem Equestrem S. Sepulcri sub Regula S. Augustini fundatum a Godefrido Bullione primo Hierusalem Rege post recuperationem Sanctæ Civitatis an. 1099. Hic Ordo anno 1484. unitus fuit ab Innocent. VIII. præclarissimo Ordini Equestri tunc Rhodiano, nunc Melitensi. At Alexander VI. anno 1496. considerans, quod Equites Melitenses emittunt Votum castitatis, quod non emittunt Equites S. Sepulcri, de novo istos ab illis sejunxit, ac divisit, concedendo facultatem nostro Guardiano Sacri Montis Sion Hierusalem, tamquam Commissario Apostolico creandi Equites Sancti Sepulcri, quæ concessio fuit iterum confirmata a Summis Pontificibus Leone X. Clemente VII. & Urbano VIII. & in praxi feliciter perseverat; ut videre est apud P. Petrum Antonium de Venetiis *in Viridario Seraphico Historico, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 20. *& tom.* 2. *par.* 7. *c.* 8. ubi per extensum dat modum, & formam eos creandi, & dat formulam Litterarum, quæ ipsis novellis creatis Equitibus Sancti Sepulcri a dicto nostro Guardiano Hierusalem in dies conceduntur; sed de his uberius infra, cum de Religione Seraphici Patris nostri Francisci.

Equestris Ordo S. Joannis Hierosolymitani, seu Melitensis sub Regula S. Aug. & propriis Constitutionibus quando, & a quo fuerit institutus? Vide verb. *Hierosolymitani Equites per tot.* ubi multa ad rem. 98

Equestris Ordo S. Mariæ Teutonicorum sic dictus, quod sub Patrocinio Beatissimæ Virginis a Teutonicis, & pro natione Teutonica institutus sit Hierosolymis sub Regula S. Augustini an. 1119. a quodam Viro nobili Teutonico, cujus nomen apud nullum Scriptorem, quem legerit, testatur se invenisse Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastic. cap.* 41. *num.* 167. *& in Summa Apostolic. Decis. verb. Equites S. Mariæ Teutonicorum*; ubi dicit, quod dictus Ordo fuit primum dicto anno 1119. Calisto II. Pontifice institutus sub sodalitii specie ad recreandos Hierosolymis, & excipiendos peregrinos Gentis Germanicæ; deinde vero ad tutandum eosdem ab incursionibus Barbarorum, confirmatus est Ordo a Cœlestino III. anno 1192. Barbosa *loc. cit.* Tamburin. *loc. cit. num.* 92. Morigia *de origine Relig. libr.* 4. *cap.* 3. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 3. *pag.* 212. & alii. 99

Equestris Ordo S. Ioannis Acconensis, & S. Thomæ Martyris imitatione prædictorum erectus est sub Regula S. Augustini, & protectione S. Thomæ Martyris, a quo nomen desumpsit, ut const. t ex Bullis Summorum Pontificum apud Mennenium *de Equestr. Ordin. symbol. & Orig. pag.* 38. ubi refert hanc inscriptionem, ibi: *Magistro, & Fratrib. Militiæ Hospitalis S. Thomæ martyris Cantuarien. Acconen.* Item ex Bulla Alexandri IV. ibi: *Thomæ Magistro, & Fratribus Hospitalis Sancti Thomæ Martyris Acconen.* Vocantur etiam Sancti Joannis Acconensis Milites, qui ad exemplum Equitum S. Joannis Hierosolymitani in Accone Civitate, seu Ptolemaide infirmis inserviebant; Franciscus Mennenius *loc. cit.* Tamburin *loc. cit. n.* 93. 100

Equestris Ordo Sancti Jacobi in Hispania, ut tradunt Lucas Episcopus Tudensis, Vasæus, Didacus Valera, Ambrosius de Morales, Illescas in *Histor. Pontif. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 81. Fr. Emmanuel *qu. Regular. tom.* 1. *quæst.* 5. *art.* 5. apud Barb. *cit. c.* 41. *num.* 168. *& in Summa Apostolic. Decis. verb. Equites S. Jacobi de Spatha apud Hispanos num.* 2. (qui tamen eos non sequitur, sed cum aliis tenet contrarium) dicunt, quod institutus fuerit a Ramiro I. Castellæ Rege, qui cum parva manu ingentes Maurorum copias vicisset anno 846. ad 101

amnem Clavigium, quem Hispani vocant *Clauyo* ducente Christianorum copia Sancto Jacobo Apostolo, quem Rex ipse album prementem equum, ac vexillum rubra Cruce distinctum manu præferentem ante acies conspicatus est, in tanti Protectoris honorem hanc sacram Militiam instituit. Alii hujus Ordinis originem referunt ad Alphonsum IX. Castellæ Regem, qui ensiferis adjutoribus memorabili ad Navas Tolosanas victoria potitus, hujusmodi Milites in unum collectos, privatis rebus in commune collatis, Equites ad Fidei defensionem contra Infideles suscipiendam ordinavit. Ipse autem Barbosa *loc. citat.* dicit, quod Equites Sancti Jacobi de Spatha apud Hispanos instituti sunt sub Regula Sancti Augustini a quibusdam Hispanis Legionensibus, & Gallecis, qui, bonis in commune collatis se, suaque devovere tutandis Christianis a Maurorum incursionibus, iis maxime, qui ad Sanctum Jacobum Compostellanum peregrinarentur, ope, & cura Canonicorum Regularium Sancti Eligii, cujus Cœnobium non longe distat a Compostella. Et hoc anno 1170. Pontifice Alexandro III. Alphonso IX. Castellæ Rege. Utcumque sit, certum est, hunc Ordinem fuisse approbatum a dicto Alexandro III. Constitut. 5. incipient. *Benedictus Deus* 3. *Nonas Julii* 1175.

102 *Equestris Ordo S. Jacobi in Lusitania* eadem habet initia, quæ Ordo S. Jacobi in Hispania, & eamdem S. Augustini Regulam profitetur. Et hujus Ordinis privilegia habentur in Constitutione 32. Gregorii XIII. incip. *Ex Apostolicæ Sedis*; & in Constitut. 24. Pauli V. incip. *Majestatis*; in qua concedit, ut Equites S. Jacobi de Spatha Regni Portugalliæ contra Infideles per quinquennium militantes, ejusdem Militiæ Commendas consequi possint; Tambur. *loc. cit. num.* 95. Barbos. *in Summa verb. Equites S. Jacobi apud Lusitanos*, & *cit. c.* 41. *n.* 169. & alii apud ipsos.

103 *Equestris Ordo S. Mariæ Gloriosæ apud Italos*, ut refert Barb. *cit. cap.* 41. *n.* 171. & *in Summa verb. Equites S. Mariæ Gloriosæ apud Italos*, qui reponit ipsum inter Militares Regulam S. Augustini observantes, institutus est a P. Bartholomæo de Vicentia Ordinis Prædicatorum ejusdem Urbis Episcopo anno 1233. Pontifice Gregorio IX. Tamburin. autem *loc. cit. num.* 96. cum aliis dicit, fuisse institutum temporibus Urbani VI. Cum enim Bononiæ, & Mutinæ tunc temporis nobiles quidam viri a publicis oneribus alienati, prædicto Pontifici supplicassent pro Nova Militia hac instituenda, horum precibus annuit, atque ita novus hic Ordo erectus est, & floret maxime Bononiæ & Mutinæ sub nomine S. Mariæ Matris Domini.

104 *Equestris Ordo S. Mariæ de Mercede* institutus fuit a Jacobo I. Aragoniæ Rege sub Regula S. Augustini anno 1218. (1) Pontifice Honorio III. Barbosa *cit. c.* 41. *n.* 175. & *in Summa verb. Equites S. Mariæ de Mercede apud Aragonios*, Marulus *in Oceano Relig. lib.* 6. *pag.* 335. ubi dicit, fuisse extinctum non sine maximo Captivorum Fidelium damno. Quem Ordinem militasse sub Regula Sancti Benedicti multi contendunt cum Tamburino *loc. cit. q.* 5. *num.* 80.

Equestris Ordo S. Mariæ de Monte Carmelo apud Gallos institutus est a Philiberto Nerestano Gallo sub Regula S. Augustini anno 1607. Pontifice Paulo V. regnante in Gallia Henrico IV. & fuit approbatus a dicto Paulo V. Constit. 41. incip. *Romanus*. Barb. *cit. cap.* 41. *n.* 173. & alii. 105

ARTICULUS IV.

Quoad tertiam principaliorem Regulam, & militantes sub ipsa.

TErtia principalior Regula est Sancti Benedicti ab eodem Sancto instituta circa annum 1
500. sub Pontifice Symmacho, ut refert Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. univers. c.* 41. *num.* 35. Vel circa annum 520. ut referunt Miranda *tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 24. *q.* 5. *num.* 3. Brugnol. & alii. (*) Sive anno 520. adumbrata, & concepta, deinde in Cassino Monte absoluta. Mabillonius Annal. Ordinis S. Benedicti lib. 1I. num. 1I. (*) Sub hac Regula plures erectæ sunt, & militant Congregationes, & Ordines, quorum 85. adducit Tamburin. *cit. disp.* 24. *q.* 5. *per tot.* Bordonus, & alii.

Specuensis, sive Cassinensis, aut Benedictina Congregatio est prima dicti Ordinis fundata ab ipso 2
Sanctissimo Patriarcha Benedicto anno 520. in sacra specu Sublacensi, quo in loco ipse S. Benedictus primis suis discipulis Mauro, Placido, Fausto, & aliis viva Regula extitit, & postmodum anno 528. ad Cassinum Montem (Divina sic disponente gratia) eadem Congregatio translata fuit. Et ideo *Specuensis*, seu *Cassinensis*, aut *Benedictina* a Scriptoribus appellatur. *Specuensis* quidem a prima S. Benedicti Conversionis habitatione in dicta specu: *Cassinensis* a traditione Regulæ, quæ in Monte Cassino Divinitus eidem Sancto Patriarchæ Benedicto data est: *Benedictina* autem ab ipsius Sancti nomine. *Cassinensis* tamen appellatio est frequentior cum addito alias *Sanctæ Justinæ de Padua*, de qua infra Tamburin. *loc. cit. num.* 3. Joann. Trithemius *de vir. Illustribus Ord. S. Benedicti lib.* 1. *cap.* 3. Arnold. Wion. *part.* 1. *ligni vitæ tract. de nobilissim. Aniciorum familia* §. 10. & *part.* 2. *c.* 11. & alii.

Sicula Congregatio instituta fuit circa annum 3
Domini 536. a S. Placido Abbate, & Martyre, uno ex primis S. Benedicti discipulis, & ejus consanguineo, qui postea Messanæ una cum sociis a Manucha Barbaro Tyranno martyrio coronatus est *die* 5. *Octobr. anni* 541. Tamburin. *loc. c. num.* 4. Arnold. Wion. 2. *par. ligni vitæ lib.* 3. *pag.* 247. & *eod. lib. pag.* 317. & alii.

Gallica Congregatio a S. Mauro Abbate uno pari- 4
ter ex primis Sancti Benedicti Discipulis, & ejus consanguineo, & condiscipulo S. Placidi instituta fuit in Gallia circa annum Domini 542. in Monaste-

(*1) Vide Addit. ad num. 64.

sterio Glanofoliano; Unde & Congregatio *Glancfoliana* a primo hoc Monasterio, & *Maurina* a Mauro fundatore, & *Gallica* a Regione nuncupatur. Tamburin. *loc. c. num.* 5. Vincent. Bellovacen. *in specul. Histor. lib.* 21. *cap.* 67. Trithemius *de vir. Illustrib. S. Benedicti lib.* 3. *cap.* 2. & alii.

5 *Benchorensis Congregatio in Hibernia* a Sanctio Comogello Abbate fundata fuit circa annum Domini 570. & Benchorensis appellata est a primi Monasterii nomine. Tamburin. *loc. cit. num.* 6. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 5. *cap.* 11. Carolus Sigon. *de Reg. Ital. lib.* 2. *sub anno* 613. *&* 614. Petrus Record. *Hist. Mon. giornat.* 1. *de Ordine S. Benedicti*, & alii.

6 *Sancti Augustini Cantuariensis Congregatio in Anglia* fuit inchoata circa annum 596. a prædicto S. Augustino Cantuariensi Archiepiscopo, & est sic nuncupata ab ejus nomine. Dictus S. Augustinus erat Italus Romanus Monachus, & Præpositus Monasterii S. Andreæ Ordinis Sancti Benedicti. Unde missus a S. Gregorio Papa I. cum aliquot sociis Monachis in Angliam ad illius gentis conversionem, ibidem inchoavit præfatam Congregationem, creatus deinde Cantuariensis Archiepiscopus. Tamburin. *loc. c. num.* 7. Beda *in Histor. Anglic. lib.* 1. *a cap.* 21. *&* *lib.* 2. *cap.* 2. *&* 3. Trithemius *lib.* 4. *cap.* 48. Arnoldus Wion. 2. *par. ligni vitæ lib.* 2. *cap.* 20.

7 *Valleclarensis*, *seu Sirbitana Congregatio* inchoata fuit circa annum Domini 620. a Sanctis Viris Donato Sirbitano & Joanne Gotho Monasteriorum Vallisclaræ Fundatoribus, & est sic nuncupata a loco *Valleclarensi*, & a *Sirbitano* principali fundatore. Tamburin. *loc. cit. num.* 8. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 5. *cap.* 11. Carolus Sigonius *de Regib. Ital. lib.* 2.

8 *Lirinensis Congregatio in Gallia*, sic dicta a celeberrimo Monasterio Lirinensi in Insula Lirini prope mare Provinciæ erecto a S. Honorato Nicomediæ Regis Filio, ac primo illius loci Abbate, & deinde Arelatensi Archiepiscopo, inchoata fuit circa annum 470. & illius Instituta, & Constitutiones retinuit usque ad annum 641. tempore S. Amandi Abbatis, qui relictis Constitutionibus primi hujus Congregationis Fundatoris, Regulam Sancti Benedicti ad amussim in Lirinensi Monasterio cum suis Monachis observavit. Tamburin. *loc. cit. n.* 9. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 3. *sub die* 29. *Maii*, Petrus Recordatus *giornat.* 1. *de Cong. S. Benedicti*.

9 *Floracensis Congregatio* fundata fuit circa annum 651. a quodam Floro comite Theoberti Francorum Regis clarissimo, ab ejus nomine nuncupata est *Floriacensis*, & præcipuum ejus Monasterium Floriacense ab eodem in uno e propriis prædiis ædificatum, fuit postea receptum sub protectione Sedis Apostolicæ, ac multis privilegiis, & statutis decoratum anno Domini 1603. ab Alexandro II. Constitut. incip. *Si in Apostolica Sede*; Tamburin. *loc. cit. num.* 10. S. Oddo Abbas, & Aymo ejusdem Monasterii alumni *in Bibliotheca Floriacensi*, Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 4. *cap.* 11. Marcus Antonius Scipio *in lib. Elog. Abbat. Montis Cassini in Elogio S. Mauri Abbatis*.

Ingirviensis, *seu Giribenna Congregatio in Anglia* 10
excitata est circa annum Domini 700. a S. Wilphrido, & Sancto Benedicto Biscopio, a quo aliquando *Biscopia Congregatio* nuncupata est, licet communius *Giribenna* vocetur. Cujus Congregationis Alumnus fuit Venerabilis Beda. Tamburin. *loc. cit. num.* 11. Raynerus *lib. de Apost. S. Benedict. in Anglia sect.* 2. §. 2. Joann. Trithemius *de vir. Illustr. Ord. S. Benedicti lib.* 2. *cap.* 19. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 5. *c.* 11. *&* *lib.* 3. *sub die* 12. *Jan.* & alii.

Fuldensis Cong. in Germania erecta fuit in Ger- 11
mania circa annum Domini 750. a S. Bonifacio Anglo Regii stemmatis primum Monacho, deinde Archiepiscopo Moguntino, & a Monasterio Fuldensi in Buchonia Silva constructo *Fuldensis Congregatio* est nuncupata. Tambur. *l. c. n.* 12. Trithemius *de vir. Illustr. lib.* 1. *cap.* 6. *lib.* 2. *cap.* 24. *&* *lib.* 3. *cap.* 171. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 3. *sub die* 5. *Jun.*

Dunstanensis Congr. in Anglia initium sumpsit 12
a S. Dunstano Abbate circa annum Domini 900. & ab ejus nomine est sic appellata. Tambur. *loc. c. n.* 13. Raynerus *de Apost. S. Benedict. lib.* 3. *c.* 221. *&* *lib.* 4. *cap.* 100. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 3. *sub die* 19. *Maii*.

Cluniacensis Cong. in Burgundia sic dicta a primo 13
ejus Monasterio *Clunii in Burgundia* apud Civitatem Matisconensem extructo opera Guillelmi Pii Aquitaniæ Ducis, incæpit circa annum Domini 910. Primus hujus Congregationis Abbas fuit S. Berno, qui in prædicto Monasterio sexdecim annorum spatio Monasticam disciplinam cum pluribus aliis ad amussim observavit, cui defuncto successit S. Oddo, quem Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 55. & alii dicunt hujus Congregationis Fundatorem. Tamburin. *loc. cit. n.* 14. Miranda in *Manual. Prælat. t.* 1. *q.* 4. *art.* 2. S. Anton. *p.* 2. *tit.* 15. *c.* 13. §. 2. Suarez *t.* 4. *de Rel. tr.* 9. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. & alii.

Camaldulensis Congr. sic dicta a Valle Camaldu- 14
la in Tuscia non longe a Florentia inter Appenini juga instituta fuit a S. Romualdo Patritio Ravennate Monacho Benedictino circa annum 967. & approbata fuit ab Alexandro II. Constit. 1. inc. *Nulli*. Barbosa *loc. c. n.* 46. Tambur. *loc. c. n.* 15. S. Anton. *part.* 1. *tit.* 1. *c.* 15. Silvester Marulus in *Oceano Relig. lib.* 2. *c.* 22. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 7. & alii. Ex eadem Congregatione prodierunt Eremitani Montis Coronæ, & S. Michaelis de Murano. Et hos Camaldulenses Eremitas Montis Coronæ separavit ab illis Eremi Camaldulensis, & Sancti Michaelis de Murano Paulus II. Constitut. 1. incip. *Rationi*. Barbosa *loc. cit.* & alii apud ipsum.

(*) *Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti, quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-Monasticas res tum historiam Ecclesiasticam, remque diplomaticam illustrantia, D. Joanne Benedicto Mittarelli, & D. Anselmo Costadoni Presbyteris, & Monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus Venetiis* MDCCLV. & proximis annis Tomis IX. in folio magno Ecclesiasticæ, ac Litterariæ Reipublicæ bono prodierunt (*).

15 *Fontis, seu Montis Coryli Cong.* sic appellata a *Fonte Corylo* in Monte Appenino in radicibus Montis prope Civitatem Calliensem in statu Urbinaten. instituta fuit a Landulpho Monacho Benedictino circa annum Domini 1008. & postea hæc Congregatio unita fuit Congregationi Camaldulensi. Tamburin. *loc. c. n.* 16. Barbosa *loc. c. n.* 47. August. Fortun. *in Histor. Camaldulensi lib.* 5. *a c.* 6. *usque ad* 14. & alii.

16 *Hirsfeldensis Congregat. in Germania* sic dicta ab *Hirsfeldia*, ubi incæpit, initium sumpsit anno circiter 1030. sub D. Mengichero Abbate, qui aliqua Monasteria in Hirsfeldia sub strictiori Regulæ Benedictinæ observantia reformavit. Tamburin. *loc. c. n.* 17. Trithemius *lib.* 1. *de vir. Illustr. Ord. S. Benedicti cap.* 9. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 5. *c.* 11.

17 *Sanctimonialium Damianitarum Cong.* sic dicta a Monasterio S. Damiani Assisinatis, ubi Moniales sub Regula S. Benedicti olim degebant, ut expresse patet ex pluribus privilegiis Ordini Damianitarum concessis a diversis Summis Pontificibus, & signanter a Gregor. IX. Const. incip. *Religiosam* 3. *Nonas Maii* 1235. in qua hæc præcisa verba habentur: *In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & Sancti Benedicti Regulam, atque institutionem Monialium inclusarum Sancti Damiani Assisinatis in eodem loco institutus esse dignoscitur &c.* Idem repetit in alia sua Constitutione sub dat. Perusii 10. *Kalend. Augusti*, & in alia sub dat. Reate 4. *Kalend. Augusti* 1236. & in alia sub dat. Viterbii 18. *Kalend. Maii* 1237. Idem habet Innocent. IV. in sua Constit. qua quædam privilegia confirmat Abbatiæ Monasterii S. Catharinæ Cæsaraugust. sub dat. Lugduni 4. *Nonas Octobris* 1246. Alexander IV. sub dat. Neapoli 2. *Kal. Maii* 1255. & sic plures alii. At nunc hujusmodi Moniales fere omnes Regulam Seraphici Patris N. S. Francisci profitentur, prout est eis a Sancta Sede concessum. Tambur. *loc. cit. n.* 18. & alii.

18 *Sanctimonialium Camaldulensium Congregatio*, quæ in Italia satis numerosa existit, Regulam S. Benedicti, & Instituta Monachorum Camaldulensium observat. Tamburin. *loc. cit. num.* 19. & alii.

19 *Vallis Umbrosæ Congr.* sic dicta a *Valle densissimis arboribus consita* prope Florentiam, instituta est a S. Joanne Gualberto Monacho Benedictino circa annum 1012. quam primus privilegiis decoravit, confirmavit, & sub Sedis Apostolicæ protectione recepit Urbanus II. Constit. 1. incip. *Cum universis*; Tamburin. *loc. c. num.* 20. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 2. *p.* 120. Morigia *de Origin. Religion. libr.* 1. *cap.* 15. B. Benignus Generalis Vallumbros. *libr.* 1. *suarum Epistolarum Epistol.* 13. & alii.

20 *Congregatio Sanctimonialium Vallis Umbrosæ* plura habet Monasteria erecta sub Regula S. Benedicti, & Instituto S. Joannis Gualberti. Quorum Monasteriorum tres fuerunt principales Institutrices, scilicet S. Veridiana Florentina, S. Humilitas Faventina, & B. Berta item Florentina. Tambur. *loc. cit. num.* 21. Eudoxius Locatellus *in vita S. Joannis Gualberti in fine*.

Cavensis Congr. sic dicta a principali ejus Monasterio in Metelliana Cava septimo a Salerno milliario a S. Alferio Abbate Sanctæ Trinitatis Cavæ constructo, qui dictæ Congregationis Institutor fuit, incæpit circa annum 1050. Tambur. *lib. cit. n.* 22. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 5. *cap.* 11. Joannes Abbas Capuanus *in vita prædicti S. Alferii*. 21

Vivariensis Congreg. inchoata fuit circa annum 1064. a quibusdam Monachis Abbatiæ Castellanensis, quapropter a quibusdam *Cong. Castellanensis* appellata fuit. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ l.* 5. *c.* 11. Tamb. *loc. c. n.* 23. & alii. 22

Sancti Lanfranchi Congr. in Anglia fuit erecta in Anglia circa annum 1077. ope prædicti Sancti Lanfranchi. Raynerus *de Apostat. Benedict. in Anglia sect.* 2. §. 2. & 3. Tamburin. *loc. cit. numer.* 24. 23

Sancti Arialdi Congreg. ab eodem S. Martyre cum sociis suis fuit excitata circa annum 1080. in Civitate Mediolanensi, & sub instituto S. Joannis Gualberti, diu floruit in Gallia Cisalpina, & post Martyrium S. Arialdi, & Sociorum a B. Andrea Abbate Strumiensi, & Discipulo S. Joannis Gualberti moderata fuit, & postmodum Congregationi Vallumbrosanæ unita est. Eudoxius Locatellus in *addit. M. S. ad vitam S. Jo. Gualberti, & Generalium ejusd. Ord. in addit. ad vitam B. Rodulphi II. Generalis Vallis Umbrosæ*, Tambur. *loc. cit. n.* 25. & alii. 24

Hirsaugiensis Congr. sic dicta, quia *in Hirsaugiensi Monasterio* apud Germanos valde conspicuo reformata fuit, instituta est circa annum 1080. a S. Guillelmo S. Aurelii Abbate in Confinibus Suevorum Spirensis Diœcesis; Tamburin. *loc. c. num.* 26. Trithemius *lib.* 2. *de vir. Illust. Ordin. S. Benedicti c.* 9. Arnold. Wion. 2. *par. ligni vitæ lib.* 5. *cap.* 11. 25

Grandimontensis Congr. sic dicta a *Monte quodam prægrandi*, ubi principale ejusdem Congregationis conditum est Monasterium in Diœcesi Lemovicensi in Gallia, instituta est circa annum 1080. a S. Stephano Albanensi sub Regula S. Benedicti; Tamb. *loc. c. num.* 27. Barbosa *cit. lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 49. Marulus in *Oceano Relig. lib.* 2. *p.* 120. Miranda in *Manual. Prælator. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. & alii. 26

Cisterciensis Congr. sic dicta a *Valle Cistercii*, ubi primum ejus Monasterium extructum est in Diœcesi Cabilon. in Burgundia apud Gallos, instituta fuit a S. Roberto Abbate circa annum 1098. & confirmata fuit ab Eugenio III. Constit. 2. incip. *Sacrosancta*. Tamb. *loc. cit. num.* 21. Barbosa *loc. c. num.* 50. S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 18. *c.* 12. §. 18. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 2. *p.* 153. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 28. & alii. 27

Fontanensis Congr. Eremitarum sic dicta *a solitudine Fontanensi*, ubi primum ejusdem Congregationis Monasterium extructum est, instituta fuit anno 1120. a B. Richardo Monacho Cisterciensi. Tamb. *loc. c. num.* 20. & alii apud ipsum. 28

Fontis Ebraldi Congr. sic dicta *a Celebri Fonte*, 29
juxta

Juxta quem primum hujus Familiæ Monasterium ædificatum est in Diœcesi Pictaviensi in Gallia, instituta est a S. Roberto Blesio Parisiensi Monacho Benedictino circa annum 1117. Hujus Congregationis Monasteria sunt fere duplicia, idest Virorum, & Feminarum solo muro distincta. Præsidet viris, & feminis Abbatissa electa semper a Monialibus. Barbosa *loc. c. num. 61*. Tamburin. *loc. cit. n.* 30. Claudius Robert. in *Gallia Christ. tit. de Abbatiis lit. F. verb. Fons Ebraldi*, & alii.

30 *Savignacensis Congr.* sic dicta a primo ejusdem Monasterio *Savignaci* constructo, incæpit circa annum 1121. & a B. Serleone Savignacensi Abbate unita fuit cum triginta Cœnobiis, quæ eo tempore prædictus Abbas hujus Congregationis Generalis gubernabat, universali Congregationi Cisterciensi. Tamburin. *loc. cit. num.* 32. Chrysost. Henriquez in *suo Menologio sub* 4. *Id. Sept. in annot.* Paulus Longius in *Chronico Lizitensis Eccles. sub anno* 1122.

31 *Mellicensis Congreg.* sic dicta a primo ejusdem Monasterio *Mellicensi* non longe a Vienna Austriæ constructo, instituta est anno 1122. a Don Sigibaldo Abbate dicti Monasterii sub Regula S. Benedicti. Tamb. *loc. cit. num.* 31. Trithemius *lib.* 1. *de Vir. Illustr. Ord. S. Benedicti cap.* 9. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 5. *cap.* 11.

32 *Montis Virginis Congr.* sub Regula S. Benedicti instituta fuit a S. Guillelmo Vercellensi Monacho Benedictino circa annum 1121. sic dicta *a Monte Virgiliano*, in quo olim Virgilius celebratissimus Poeta amœnissimum hortum habuit, in quo Monte extructum magnificum Monasterium cum Ecclesia sub titulo Beatissimæ Virginis Constantinopolitanæ a Balduino Imperatore pretiosis Reliquiis, ornamentis, & privilegiis decorata. Hæc Congregatio, quæ Regnum Neapolitanum non egreditur, fuit confirmata prius per Joannem Episcopum Avellinen. sub anno 1126. & a Roberto sub anno 1133. & a Guillelmo itidem Episcopo Avellinen. sub anno 1182. & deinde ab Alexandro III. a Lucio III. & a Cœlestino III. ut apparet in hujus ultimi Constit. incip. *Religiosam vitam*. Tambur. *loc. citat. num.* 33. Barbosa *loc. c. num.* 62. Ovidius de Lutiis hujus Congregationis Monachus in *relatione Sanctissimæ Virginis B. Mariæ Montis Virginis*, & alii.

33 *Guillelmitarum Congr.* instituta est a S. Guillelmo Vercellensi Monacho Benedictino anno 1124. & ab ipso nomen desumpsit. Monasteria totius Congregationis dicuntur esse 47. fere omnia per Italiam; Barb. *loc. cit. num.* 61. Marulus in *Ocean. Rel. lib.* 2. *p.* 101. Carolus de Tapia in *Authent. Ingressi, verb. Monasteria cap.* 4. & alii.

34 *Adest & alia Guillelmitarum Congr. in Gallia* sic dicta a S. Guillelmo Aquitaniæ Duce, & Pictaviensium Comite ejus Fundatore, quæ incæpit circa annum 1156. quam fuisse fundatam sub Regula S. Augustini diximus verius esse ex Barbosa & aliis *art. antecedenti n.* 43. At Tambur. *loc. cit. num.* 30. probat ex multis fuisse fundatam sub Regula S. Benedicti. Vide Barbosam *loc. c.* & Tamb. *l. cit.*

Florensis Congr. sic dicta a S. Joanne *de Flore* Cœnobio insigni, & primaria Sede hujus Congregationis, instituta est in Calabria prope Cosentiam anno 1196. a B. Joachimo Monacho Cisterciensi, & Abbate Coratii; Decursu autem temporis unita est Congregationi Cisterciensi. Tambur. *loc. c. n.* 36. Barbosa *loc. c. n.* 36. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 2. *q.* 177. & alii. 35

Humiliatorum Congr. instituta est a quibusdam Nobilibus Mediolanensibus, qui post dirutam patriam a Federico Ænobarbo jussi abire exules in Germaniam, inde humilitate, & precibus regressum in Mediolanum iterum sunt adepti, quia vero vestibus albis induti postliminium impetrarunt, eisdem vestibus Deo inservire decreverunt anno 1196. sub Cœlestino III. Fertur autem a multis Institutorem fuisse B. Joannem Sacerdotem Comensem, quia ipse inter prædictos nobiles primus erat, & præcipuus. Hanc Congregationem extinxit S. Pius V. & Sedi Apostolicæ omnes Abbatiæ, Præposituræ, beneficia, & omnia bona reservata fuerunt, ut in sua Const. 19. incip. *Quemadmodum sollicitus Pater*, & hoc, ut vindicaret gravem injuriam illatam S. Carolo Borromæo Cardinali, & Archiepiscopo Mediolanensi, & ejusdem Congregationis reformatori; cum nescio quis ex Humiliatis aliorum persuasu in eum Sclopetam duabus glandibus plumbeis onustam exoneravit, illæso interim non sine Divino miraculo Sancto Cardinale Archiepiscopo anno 1569. die 26. Octobris. Joannes Petrus Giussanus in *vita S. Caroli Borromæi lib.* 2. & 23. Carolus de Tapia in *Authent. Ingressi verb. Monasteria cap.* 45. Barbosa *loc. cit. num.* 65. Tamburin. *loc. cit. num.* 37. S. Antoninus 2. *part. Histor. tit.* 25. *cap.* 22. & alii. 36

(*) De istius Congregationis origine, vicibus, exituque diligentissime agitur in Opere tribus in quarto, ut vocant, voluminibus comprehenso, cui titulus: *Vetera Humiliatorum monumenta annotationibus, ac dissertationibus Prodromis illustrata Auctore Hieronymo Tiraboschio Soc. Jesu in Braidensi Universitate Rhetoricæ Professore. Mediolani MDCCLXVI.* (*)

S. Pauli primi Eremitæ Congr. ab Eusebio Strigoniensi in Monasterio S. Jacobi Patachii in Regno Hungariæ fundata est anno Domini 1215. Huic Congregationi, quia Paulus Vesprinensis Episcopus quædam S. Pauli primi Eremitæ indixit servanda præcepta, cum præscripto tamen S. Benedicti, Regula S. Pauli primi Eremitæ nuncupata est. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitæ lib.* 1. *cap.* 71 citans Trithemium, Tamburin. *l. c. n.* 38. 37

(*) Hunc Ordinem Monasticum declaravit, ejusque Priori Generali tribuit, ut exercere posset Pontificalia, atque uti habitu Prælatitio, quo utuntur singuli Generales aliorum Monasticorum Ordinum, etiam Romæ, Clemens XIV. Constit. *Romanus Pontifex* die 13. Julii 1770. (*)

Silvestrina Congr. instituta est a S. Silvestro Guzzolino nobili Auximensi Monacho Benedictino anno 1231. ab ejus nomine *Silvestrina* appellata, & confirmata fuit ab Innocentio IV. Const. 6. incip. *Religiosam vitam*. Barbosa *loc. cit. n.* 67. Tambur. 38

loc.

loc. c. n. 39. S. Antonin. 2. *par. Histor. tit.* 15. *c.* 23. §. 2. & alii.

39 *Vallumbrosellæ Cong. in Gallia* excitata est in Gallia a S. Ludovico Rege ob eximiam ejus devotionem in S. Joannem Gualbertum, in cujus honorem construxit magnificum Monasterium prope Lutetiam Parisiorum, eidemque alias univit Abbatias, in quibus Institutum Monachorum S. Benedicti una cum Vallumbrosanis Constitutionibus observatur. Blasius Milanesius Generalis Vallis Umbrosæ *in tract. de miraculis, & Reliquiis S. Joannis Gualberti*, Eudoxius Locatellus *lib.* 2. *vitæ S. Joannis Gualberti cap.* 27. Tamburin. *loc. cit. num.* 40. & alii.

40 *Vallis Caulium Congregatio* sic dicta Gallice *a Val des Choux* prope Divionem Urbem Galliæ in Ducatu Burgundiæ, instituta fuit a Viardo quodam Monacho Benedictino anno 1240. sub Greg. IX. a quo fertur confirmatam fuisse. Tamburin. *loc. cit. num.* 41. Barb. *loc. cit. num.* 68. Miræus *de stat. Eccles. Catholic. l.* 1. *c.* 4. Claud. Robert. *in Gallia Christian. tit. de Abbat. litt. V.* & alii.

41 *S. Nicolai de Arenis Congr.* in Sicilia apud Catanam Civitatem incæpit circa annum 1300. & deinde anno 1506. cum quinque aliis Monasteriis unita est Congregationi Cassinensi. Wion 2. *part. ligni vitæ c.* 11. Tamb. *loc. cit. num.* 47.

42 *Cœlestina Congr.* fundata est a Sancto Petro Morono Monacho Benedictino (dictus est Moronus a monte Morono Regni Neapolitani, quem Religiosus incoluit) anno Domini 1274. *Cœlestinorum* autem nomen sortita est, quia ejus Fundator S. Petrus Summus Pontifex electus Cœlestinus V. vocari voluit, & licet ipse Pontificatus honorem dimiserit, ejus tamen Congregatio cum honorifico Cœlestinorum nomine remansit. S. Cœlestinus V. Constit. 1. incip. *Etsi cunctos*, & eamdem Congregationem confirmavit, & sub protectione Sanctæ Sedis Apostolicæ recepit Benedictus XI. Constitut. incip. *Religiosam vitam*. Barb. *loc. cit. n.* 69. Tamb. *loc. cit. num.* 43. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 1. *q.* 4. *artic.* 2. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 36. Marulus *in Ocean. Religion. lib.* 4. *pagin.* 309. & alii.

43 *Vallis Scholarium Congregatio* Galliæ in Campania instituta est circa annum 1201. a quatuor Lutetianis Theologiæ Professoribus, nempe Gullielmo, Richardo, Everardo, & Manasse in abdita Valle Campaniæ Belgicæ versus Lingonas, quam Lingonensium Episcopus anno 1213. & Honorius III. Summus Pontifex Nonis Martii 1218. approbarunt, & confirmarunt. Hæc Congregatio Regulam S. Benedicti profitebatur, ut tradit Wion 1. *part. ligni vitæ cap.* 71. quamvis modo ex Renat. Choppin. *lib.* 2. *Monastic. tit.* 1. *nu.* 61. Regulam Sancti Augustini sequatur, Tamb. *loc. cit. num.* 44. & alii apud ipsum.

44 *Olivetana Congr.* sic dicta a Monte Olivarum in Comitatu Ilcinensi olim Diœcesis Aretinæ, nunc vero Diœcesis Pientinæ (*) non longe a Senis, ubi primum ejus Monasterium est erectum, & dicitur Mons Olivetus major, instituta fuit a tribus nobilibus Senensibus, B. Bernardo Ptolemæo Philosophiæ Professore, Ambrosio Piccolomineo, & Patritio de Patritiis anno 1319. sub Pontificatu Joannis XXII. qui eam approbavit, Constit. 1. incip. *Cum a Nobis*. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 1. *c.* 37. Tamburin. *loc. cit. num.* 45. Barbosa *loc. cit. nu.* 91. & alii.

Benedictina Congr. Nigrorum in Anglia sub anno 1335. veræ, & propriæ Congregationis formam sumpsit, cum antea sub latiori quodam Instituto, quod nec Communitatem, nec certa præcepta continebat, vigeret, & creditur fuisse excitata per Episcopos illos Sanctos Augustinum, Dunstanum, & Lanfrancum in Anglia tunc temporis Sanctitate insignes. Raynerus *lib. de Apost. S. Benedict. in Anglia sect.* 2. §. 3. *pag.* 211. *& seq.* Tambur. *loc. cit. num.* 46. 45

Sanctæ Burgæ Viduæ, sive Birgittæ Congr. instituta est in Anglia anno 1340. a prædicta S. Burga, sive Birgitta Vidua, quæ Congregatio in paucis Monasteriis dilatata est, & tempore ruinæ, & vastationis Divini cultus sub Henrico VIII. extincta est. Trithemius *lib.* 1. *de Vir. illustr. Ord. S. Benedicti c.* 3. Arnold. Wion 1. *part. lign. vit. cap.* 11. Tamb. *loc. cit. num.* 47. 46

Cisterciensis Congreg. in Regnis Castellæ instituta est anno 1425. a P. Martino de Vargas, nato in Regno Castellæ in Civitate Xeres de la Fontera, auctoritate Martini V. Constitut. incip. *Pia supplicum vota*. Tambur. *loc. cit. num.* 48. Chrysostom. Henriq. in *Menologio Cisterciens. par.* 2. ubi *de privileg. pag.* 245. *& seq.* 47

Genuensis Cong. quæ & S. Hieronymi de Silvaria a quibusdam nuncupatur, instituta est in Liguria anno 1415. & postea unita fuit Congregationi Cassinensi, ut, reticito ejus Fundatore, refert Tamburin. *loc. cit. num.* 48. Arnold. Wion. 1. *par. Ligni vitæ c.* 11. 48

Bursfeldensis Congr. in Germania suum sumpsit initium, & nomen a quodam Monasterio extructo in Oppido, quod *Bursfeldia* dicitur, Diœcesis Moguntinæ, eo fere tempore, quo Constantiense Concilium terminabatur. Trithemius *lib.* 1. *de vir. Illustr. Ord. S. Benedicti c.* 12. Tamburin. *loc. cit. n.* 49. Barbosa *loc. cit. num.* 40. 49

Sagiensis Congr. sub Regula S. Benedicti cum magna observantia floruit anno 1454. Carolus Fernandez *lib. de observant. Regul. S. Benedicti ad Sagien. Monachos directo*, Arnold. Wion. 2. *par. ligni vitæ cap.* 11. Tamburin. *loc. cit. num.* 51. ubi fatetur se non reperisse, quo loco, aut quo Institutore incæperit. 50

Sancti Bernardi Congregatio Cisterciensis in Italia instituta est circa annum 1497. instante Mediolanensium Duce Ludovino Maria Sfortia, ut clare constat ex Bulla erectionis Alexandri VI. incip. *Plantatus*, Chrysost. Henriquez *de privilegiis Cisterciens. pag.* 393. *& seq.* Tamburin. *loc. cit. num.* 52. 51

Ca-

(*) Ecclesias Clusinam, & Pientinam simul junxit Clemens XIV. ut narratur in Append. adjecta Vitis Pontificum Romanorum ab Antonio Sandinio descriptis in Clemente XIV. pag. 737. not. 13.

52 *Casalis S. Benedicti Congregatio* incæpit, seu potius reformata fuit circa annum 1494. in Gallia, ut habetur in Constit. Leonis X. incip. *Sacrosanctæ*, & nomen desumpsit a Monasterio in eo Pago fundato. Barbosa *loc. cit. num.* 13.

53 *Sanctæ Justinæ de Padua Congregatio Cassinensis* sic dicta a primo ejus Monasterio, & totius familiæ Capite Patavii sub Patrocinio S. Iustinæ Virginis, & Martyris ejusdem Urbis alumnæ erecto, instituta fuit anno 1410. a F. Ludovico Baldo Benedictino Ordinis Cluniacensis, ut scribit Barbosa *loc. cit. num.* 74. seu, ut verius scribit Tamburin. *loc. cit. num.* 54. a D. Ludovico Barbo Patritio Veneto, & Canonico S. Georgii de Alga. Desiit autem hæc Congreg. appellari *S. Justinæ* anno 1503. quo illi unitum est Monasterium Cassinense eo pacto, ut *Cassinensis* imposterum vocaretur ob reverentiam Archicœnobii Montis Cassini, ut habetur ex Constitutione Jul.II. incip. *Super Cathedram* ibi: *Nec non Congregationem ipsam propter nomen, & Dignitatem Monasterii hujusmodi, quod aliorum Monasteriorum dicti Ordinis Caput est, ut præfertur, de cetero Cassinensem Congregationem, alias S. Justinæ, nuncupari debere*. Tamburin. *loc. cit. num.* 54. Barbosa *loc. cit. num.* 74. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 1. *pag.* 84. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 44. & præ ceteris D. *Jacobus* Cavaci in sua *Historia Cœnobii Sanctæ Justinæ* eloquentissime conscripta.

54 *S. Michaelis de Murano Congregatio* Eremitarum instituta ante tempora Leonis X. ac in multis Monasteriis, in quibus vita Eremitica sub Regula S. Benedicti, & Institutis S. Romualdi Abbatis propagata est. Deinde vero a prædicto Leone X. redacta fuit hæc Congregatio, & unita Congregationi Eremi Camaldulensis, cui univit etiam Eremitas Montis Coronæ, ut patet ex ejus Constitut. 2. incip. *Etsi a summo*. Ast tamen Paulus III. Constitut. 1. incip. *Rationi*, Eremitas Montis Coronæ a Camaldulensibus separavit, & distinctam Congregationem constituit. Barbosa *loc. cit. num.* 46. Tamburin. *loc. cit. num.* 55. & alii.

55 *Montis Coronæ Congregatio*, alias Grotana Congregatio instituta fuit circa annum 1520. a Paulo Justiniano Patritio Veneto, & Monacho Camaldulensi. Barbosa *loc. cit. num.* 46. Tamburin. *loc. cit. num.* 56. Arnold. Wion. 1. *par. ligni vit. cap.* 30. & alii.

56 *Congreg. Eremitarum Camaldulensium*, quamvis prius esset eadem cum Congregatione Cœnobitarum, modo tamen est distincta Congregatio, eamque ab illa separavit Paulus III. Constit. 1. incip. *Rationi congruit*; Tamburin. *loc. cit. num.* 57. Barbosa *loc. cit. num.* 44. Franciscus Petrarcha *de vita solitaria tract.* 3. *lib.* 2. *c.* 16. & alii.

57 *Vallisoletana Cong. S. Benedicti de Observantia* sic dicta a Monasterio totius Congregationis Capite, constructo in Civitate Vallisoleti, fundata fuit anno 1520. a Joanne Monacho Benedictino sub Regula S. Benedicti, & Constitutionibus Cassinensium, alias S. Justinæ, additis tamen aliquibus particularibus. Tamburin. *loc. cit. num.* 57. Barbosa *loc. cit. num.* 42. & alii.

58 *Lusitana Cong. S. Benedicti* in Regno Portugalliæ in Provincia Interamnensi non longe a Civitate Brachara incæpit in Monasterio S. Martini de Tibaes circa annum 1549. Hæc Congregatio habet sub se ultra viginti Monasteria Virorum, & Monialium plura. Tambur. *loc. cit. num.* 58. ubi dicit, se non reperisse hujus Congregationis Auctorem. Barbosa *loc. cit. num.* 43. & alii.

Ulyssiponensis Congr. S. Benedicti sic dicta a nobili & magnifico Monasterio in Ulyssiponensi Civitate extructo, fundata fuit anno 1549. a D. Jacobo de Murtia Ordinis S. Hieronymi, & S. Nicolai in Portugallia Abbate Commendatario. Tambur. *loc. cit. num.* 59. Arnold. Wion 2. *part. Ligni vitæ cap.* 11. *in fine*, & alii. 59

Melidensis Congreg. S. Benedicti sic dicta *a Melide* Insula juxta Ragusium in Dalmatia, saltem quoad novam reformationem surrexit circa annum 1560. ope & industria D. Chrysostomi Cassinensis Monachi Archiepiscopi postea Ragusini, Arnold. Wion *loc. cit. p.* 609. Tamburin. *loc. cit. num.* 60. 60

Fulliensis B. Mariæ Virginis Congregatio sic dicta a Monasterio suo principali in Regno Galliæ apud Tolosam, in quo B. Virginis Imago inter folia depicta cernitur, fundata fuit a D. Joanne Berrerio ejus Abbatiæ prius Commendatario anno 1583. & confirmata fuit a Sixto V. Constitut. incip. *Religiosos Viros*. Barbosa *loc. cit. num.* 65. Tamburin. *loc. cit. num.* 61. & alii. 61

Cisterciensis Congregatio in Aragoniæ, Navarræ, Valentiæ, Catalauniæ, & Majoricæ Regnis excitata fuit circa annum 1616. promovente Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico, & Paulo V. Pontifice approbante, ut patet ex ejus Constitutione incip. *Pastoralis Officii*, Chrysostom. Henriquez *de privileg. Cisterciens. pag.* 448. Tamburin. *loc. cit. num.* 62. 62

Cisterciensis Congregatio Romana circa annum 1623. propriam formam ab aliis Cisterciensium Congregationibus distinctam habere cœpit industria D. Vespasiani de Angelis primi ejusdem Congregationis Præsidis Generalis, & ope Eminentissimi Cardinalis Ubaldini Comprotectoris, ut patet ex Constitut. Gregorii XV. incip. *Sacrosancti Apostolatus*, & ex Litteris dicti Cardinalis Ubaldini relat. a Tamburin. *loc. cit. num.* 63. 63

Fulliensis Congregatio Reformatorum S. Bernardi in Italia particulare hoc nomen sortita est, & ab illa Galliæ separata, approbata est anno 1630. ab Urbano VIII. ut apparet ex ejus Constitut. incip. *Ad celeres*, relata a Tamburin. *loc. cit. n.* 64. 64

Congregatio Cisterciensis B. Mariæ Virginis Calabriæ, & Lucaniæ excitata est circa annum 1633. a D. Emmanuele de Pelusio vigore Bullæ Urbani VIII. incip. *Sacrosancti Apostolatus*, relat. a Tamburin. *loc. cit. num.* 65. 65

Scotorum Congregatio sub Regula S. Benedicti, a quo Fundatore, & quo tempore fuerit instituta, ignoratur, ut ex Alexandro de Roma *lib. de feroc. Scotorum c.* 12. refert Tamburin. *loc. cit. num.* 66. & de ipsa scribunt Trithemius *lib.* 1. *de Vir. Illustr. Ordinis S. Benedicti c.* 3. & Arnold. Wion 1. *part. Ligni vitæ lib.* 1. *c.* 11. 66

Sclavorum Congregatio sub Regula S. Benedicti 67

a quo

a quo Fundatore, & quo tempore, & loco fuerit instituta, penitus ignoratur, ut fatetur Tambur. *loc. cit. num. 67.* & de ea scribunt Trithem. *lib.* 1. *cit. c.* 3. Arnold. Wion. *cit. cap.* 11.

68 Sub Regula S. Benedicti militarunt, & adhuc varii militant Ordines Militares, seu Equestres, & in primis militavit celebris *Templariorum Equitum Ordo*, sic dictus a Templo Hierosolymitano, prope quod ejus Hospitale primum eorum domicilium est erectum, & institutus fuit circa annum 1118. a novem Equitibus Gallis, quorum duo tantum a Scriptoribus nominantur, nempe Hugo de Paganis, & Gaufridus a S. Audomaro, & ipsis Equitibus data est Regula a S. Bernardo in Concilio Trecensi in Gallia celebrato anno 1127. nono post eorum institutionem, ad requisitionem Balduini Regis Hierosolymorum, ut apparet ex ejus Epistola ad d. Sanctum directa, & relata a Tamburin. *loc. cit. num.* 70. Talis autem Ordo extinctus est in Concilio Viennensi in Delphinatu a Clemente V. Constit. 3. incip. *Ad providam*. Tamburin. *loc. cit. num.* 70. Marulus in *Ocean. Relig. l.* 3. *pag.* 215. Franciscus Mennenius *de Origine Ord. Milit. tit. Templar. Equit. Ordo pag.* 34. Barbosa *loc. cit. n.* 76. *& seq.* ubi ad rem vide *ibi usque ad num.* 79. *inclusive*.

69 *S. Salvatoris Equitum Ordo* institutus fuit in Aragonia sub Regula S. Benedicti, & Institutis, ac Legibus Templariorum ab Alphonso Navarræ, & Aragoniæ Rege circa annum 1118. Franciscus Mennenius *lib. de Orig. Ord. Militar. tit. Ord. Equitum S. Salvatoris p.* 38. Tamb. *loc. cit. n.* 71.

70 *Avisiensium, sive de Avis Equitum Ordo* sic dictus ab Oppido *Avis* in tractu Transtagnano triginta millia passuum ab Ebora distante, ubi primarium hujus Militiæ Domicilium adest, institutus est ab Alphonso Henriquez primo Lusitaniæ Rege an. 1146. Barbosa *loc. cit. num.* 80. Tamburin. *loc. cit. num.* 72. Franciscus Mennenius *cit. tit. Ordo Equitum de Avis pag.* 71. & alii.

71 *Calatravæ Equitum Ordo* sub auspiciis Sancii III. Castellæ, & Ferdinandi Legionis, & Galliciæ Regibus anno 1158. erectus est a S. Raymundo Titerii Abbate, & Didaco Velasquio Alphonsi Regis jam generoso milite, & est sic dictus *a Calatravæ* Oppido, ubi primum & præcipuum hujus Militiæ Domicilium est, & approbatus fuit ab Alexandro III. sub Regula Cisterciensium Constit. 5. incip. *Benedictus*, & ab Innocentio III. Const. incip. *Quoties*. Tamburin. *loc. cit. num.* 73. Barbosa *loc. cit. num.* 81. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 4. *cap.* 5. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 3. *p.* 226. & alii.

72 *Gladiferorum Equitum Ordo* erectus est circa annum 1164. in Livoniæ Regnis a Maynardo Sigibergensi Monacho Cisterciensi, & est sic dictus ab ejus insignibus, qui sunt duo Gladii forma Crucis decussatim positæ rubescentes, Chrysostomus Henriquez *in Menolog. Cistercien. sub Kal. Jun. p.* 181. Franciscus Mennenius *lib. de Origine Ord. Militar. tit. Gladiferorum Ordo p.* 39. Tamb. *loc. cit. n.* 75. Asseritur hic Ordo, teste Mennenio *loc. cit.* confirmatus ab Innocentio III.

73 *Equitum S. Juliani de Pereyro Ordo* sic dictus a S. Iuliani de Pereyro Oppido Diœcesis Civitatensis, ubi primum & præcipuum habet Domicilium, institutus fuit sub Regula S. Benedicti, & institutis Cisterciensium anno 1170. sub auspiciis Ferdinandi II. Castellæ, Galliciæ, & Legionis Regis ab Nobilissimo Equite Gomezio Fernando, & confirmatus fuit ab Alexandro III. Constitut. incip. *Quoties*. Tamburin. *loc. cit. num.* 75. Bernard. de Britto *in Chronic. Cisterciens. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 3. Tapia *in Authent. Ingressi ad Sacrosanct. Eccles. verb. Monasteria c.* 42. & alii.

Equitum Montis gaudii Ordo in Regno Hierosolymitano originem habuit circa annum 1180. quo 74
anno sub Regula & Constitutionibus Cisterciensium approbatus fuit ab Alexandro III. particulari Diplomate, quod, teste Francisco Radesio Calatravæ Equite, asservatur in Archivio Calatravensi. Chrysostomus Henriquez in *Menologio Cisterciens. p.* 38. *& p.* 276. Tamburin. *loc. cit. num.* 76. Franciscus Mennenius *de Orig. Ord. Militar. p.* 38. & alii.

Ordo Equitum S. Georgii de Alfama sic dictus 75
ab Alfamia Arce in Littore Maris Balearici in Principatu Catalauniæ Diœcesis Dertusen. sita, apud quam erectus fuit sub Regula S. Benedicti, & Constitutionibus Cistercien. anno 1201. a Petro II. Aragoniæ Rege; Tamburin. *loc. cit. num.* 77. Marulus *in Oceano Relig. pag.* 229. Barbosa *loc. cit num.* 85.

Ordo Equitum S. Michaelis, seu de Ala sic di- 76
ctus quia insigne, seu Symbolum, & tessera hujus Militiæ est Ala S. Michaelis purpurea intermicantibus radiis aureis supra sinistrum latus, institutus est ab Alphonso I. Lusitanorum Rege anno 1166. apud Alcobaciæ Cœnobium Cisterciense in Lusitania sub Regula Sancti Benedicti, & Institutis Cisterciensium. Bernard. de Britio *Chronic. Cisterciens. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. *&* 19. Tamburin. *loc. cit. num.* 78. Barbos. *loc. cit. num.* 82. & alii.

Alcantaræ Equitum Ordo apud Hispanos institu- 77
tus primum fuit in Oppido *Pereyro* ad ripam Goæ sito sub patrocinio S. Juliani, & Regula S. Benedicti cum Constitutionibus Cisterciensium a Nobili quodam Equite D. Suerio circa annum 1176. vel secundum alios 1185. Deinde anno 1218. a Nunio Fernandez S. Juliani Militum Magistro hujus Militiæ Domicilium translatum est ad Alcantaram in Regno Castellæ ad Tagi fluminis ripam, locum donantibus Martino Fernandez de Quintano duodecimo Calatravæ Magistro, & Equitibus ejusdem Ordinis sub quibusdam conditionibus, quas ex Rades de Audrada refert Azorius *Institut. moral. part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 5. *quæst.* 3. *vers. Sunt item Milites Alcantaræ*; Unde ab Alcantara, suppresso priori nomine S. Iuliani, dicti sunt in posterum *Equites Alcantarenses*. Et hic Ordo primo confirmatus fuit a Benedicto XIII. Antipapa, quem ut verum Pontificem habebat Hispania. Et postea a Julio II. Constitut. 16. incip. *Romani*, Barbosa *loco cit. num.* 83. Tamburin. *loc. cit. num.* 79. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 3. *pag.* 227. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 4. *cap.* 6. Mennen. *libr. de Orig. Milit. Equest. tit. Alcantara*, *pag.* 45. & alii.

Montis franci Equitum, sive Equitum de Monfranc 78
Ordo

Ordo surrexit sub Regula S. Benedicti, & Constitutionibus Cisterciens. in Regno Castellæ circa annum 1221. & est sic dictus a præcipua conventus Sede, quæ fuit in Castro de *Monfranc* in ipso Regno Castellæ. Chrysost. Henriquez *in Menologio Cisterciens. p.* 176. Tamburin. *loc. cit. num.* 81. Franciscus Mennenius *lib. de Origin. Ordin. Milit. p.* 48. & alii.

79 *Truxillensium Equitum Ordo* sic dictus a Civitate *Truxillo* in Hispania, in qua incæpit anno 1227. cui Alphonsus Rex, Diplomate condito, Truxillum cum aliis Oppidis, & prædiis ditissimis concessit. Chrysostom. Henriquez *in Menolog. Cisterciens. p.* 276. Tamburin. *loc. cit. num.* 82. & alii.

80 *Montesiæ Equitum Ordo* sic dictus a Castro *Montesiæ*, ubi primum, & præcipuum hujus Militiæ Domicilium erectum est, institutus est anno 1316. sub Regula S. Benedicti, & Constitutionibus Cisterciens. a Iacobo II. Aragoniæ, & Valentiæ Rege, & confirmatus a Joanne XXII. Summo Pontifice per ejus Bullam datam Avenione 4. Idus Junii Pontificatus sui anno primo, quæ inserta est in principio Constitutionum dicti Ordinis impressarum Valentiæ de anno 1573. Barbosa *loc. cit. n.* 85. Tamburin. *loc. cit. num.* 33. Marulus *Ocean. Relig. lib.* 3. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 4. *cap.* 4. & alii.

81 *Equitum Jesu Christi Ordo* apud Lusitanos sub Regula S. Benedicti, & Constitutionibus Cisterciens. sub Jesu Christi nomine & patrocinio, institutus fuit a Dionysio Perioca Lusitaniæ Rege S. Elisabethæ Reginæ Marito anno 1319. cui Ordini bona omnia, quæ in Lusitania, & Algarbiorum Regnis habebant Templarii, sunt applicata, ut vicinorum Saracenorum incursibus resisterent, ut apparet ex Litteris Joannis XXII. relatis a Tamburin. *loc. cit. num.* 84. Barbosa *loc. cit. numer.* 84. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 3. *pag.* 126. Mennenius *lib. de Origin. Ordin. Milit. tit. Equitum Christi Ordo*, & alii.

82 *Equitum S. Stephani Ordo* apud Florentinos institutus fuit anno 1560. sub Regula Sancti Benedicti, ac nomine Sancti Stephani Papæ, & Martyris a Cosmo I. Mediceo Magno Etruriæ Duce, ad arcendos Mauros, & Turcas, & Piratas a Tyrrheno Mari, & confirmatus fuit a Pio IV. Constit. incip. *His, qui pro Religionis propagatione*; Barbosa *loc. cit. num.* 86. Tamburin. *loc. cit. num.* 85. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 4. *cap.* 8. & alii.

83 *Equitum S. Mauritii Ordo* apud Sabaudos institutus sub Regula S. Benedicti anno 1572. a Duce Sabaudiæ Emmanuele Philiberto Emmanuelis Regis Lusitaniæ ex filia Catharina Nepote, ad Sabaudiam ab Hæreticis illæsam tutandam, & conservandam, deinde totam Italiam cujus ipsa est Claustrum, & munimentum, & confirmatus fuit a Greg. XIII. Constitut. 6. incip. *Christiani populi*. Auctus est Ordo Sancti Mauritii Ordine S. Lazari Hierosolymitani, quem ipsi univit Gregor. XIII. Constitut. incip. *Pro commissa*. Unde appellatur nunc Ordo Equitum Sancti Mauritii, & Sancti Lazari, & ubi primum Tessera Ordinis Sancti Lazari erat Crux viridis, & Ordinis S. Mauritii Crux candida, in hac unione decretum est, Equitem in posterum pro insigni suæ Militiæ intra Crucem viridem Crucem candidam ponere debere, & communia utriusque Militiæ privilegia esse. Barbosa *loc. cit. n.* 87. Tamburin. *loc. cit. num.* 86. Marulus *in Ocean. Relig. libr.* 3. *pag.* 207. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 4. *cap.* 7. Mennenius *loco citat. tit. Ordo Equitum Sancti Mauritii pag.* 24. & alii.

Ordo Equitum Sancti Bernardi in Hispania sub Regula Sancti Benedicti extitit, & militavit usque ad tempora Petri Regis Castellæ, qui eum extinxit. Chrysost. Henriquez *in Menologio Cisterciens. sub die* 20. *Augusti pag.* 270. Jo: Mariana *in sua Historia de Ordinibus S. Bernardi*; Tamburin. *loco cit. num.* 87. A quo tamen Institutore initium sumpserit, non insinuant. 84

Additio Nova.

(*) Quæ in hoc Articulo Lucius noster de Ordinibus qui S. Benedicti Regulam profitentur ex Tamburino aliisque tradidit, exigenda sunt ad Scriptores, quorum Opera in nostris Additionibus indicavimus, præsertim vero ad Annales Ordinis S. Benedicti a Mabillonio quam diligentissime scriptos. Maximum quoque lumen istis afferent *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in seculorum classes distributa*, in quibus colligendis, & adnotationibus illustrandis Lucas Acherius, Iohannes Mabillonius, ac Theodoricus Ruinartius ex S. Mauri Congregatione Monachi elaborarunt, Gallia Christiana, Italia Sacra, aliaque ejusdem generis Opera, quæ hic commemorare, cum in eruditorum hominum manibus versentur, supervacaneum esset. 85

Articulus V.

Quo ad quartam principaliorem Regulam, & militantes sub ipsa.

Quarta principalior Regula est S. P. N. Francisci, qui eam sibi immediate a Deo revelatam, & de verbo ad verbum sibi dictatam, & traditam conscripsit, prout non tantum ipsemet S. Pater sæpe est fassus, sed & plures Pontifices contestati sunt, inter quos Gregorius IX. *in Regul. FF. Minor. c.* 1. & Nicolaus III. *arg. c. Exiit* 3. *de verbor. significat. in* 6. Quod ipsum etiam ipsemet Christus revelavit S. Birgittæ *lib.* 7. *Revelationum cap.* 29. his verbis: *Istius Francisci Regula, quam ipse incœpit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu & prudentia, sed a me secundum meam voluntatem quodlibet ejus verbum, quod in ea scriptum est, de Spiritu Sancto est.* Sic Waddingus *ad annum* 1223. *n.* 13. Dominicus de Gubernatis *in Orbe Seraphico tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *n.* 47. & alii. Unde contristatus aliquando Sanctus Pater Franciscus de aliquibus Regulæ transgressionibus, quæ jam suo tempore in Ordine irrepserant, a Christo hanc habuit increpationem: *Cur tu pauper homuncio turbaris? An Ego te super Religionem meam Pastorem sic constitui, ut me principalem Patronum nescias? Hominem simplicem te constitui, ad hoc ut* 1

quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ adscribantur, & quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa Religio, semper salva meo munere manebit. Waddingus, Gubernat., Reiffenstuel *loco citat.* ac *Cronico Ordinis*.

2 Clarius adhuc & evidentius plurimisque audientibus expresse revelavit Christus Regulam, & Religionem S. Francisci immediate a se fuisse institutam: Dum Fratre Elia Generali, inito cum aliis consilio, relaxationem Regulæ petente, ac contra nimium rigorem protestante in monte Raynerio ad Christum clara voce, Fratre Elia, & aliis præsentibus, dixit Franciscus: *Domine nonne dixi hoc mihi non credituros?* Ad hæc enim verba illico in nube lucida apparens Christus, spectantibus & audientibus omnibus contra Regulæ rigorem cum Elia Generali conquerentibus, sensibili, & clara voce ita respondit: *Homuncio, quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? Tune Legislator? Tune hujus vitæ Præceptor? Nonne hæ Tabulæ a me formatæ? tu dumtaxat tenue hujus operis instrumentum, & calamus scribentis. Novi ego quid dictaverim. Novi quid velim præcipere, vires humanæ mihi compertæ: scio quid possunt, & quid ego valeo, & volo præstare subsidium. Volo proinde, ut Regula hæc observetur ad litteram, ad litteram, sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa.* Quibus dictis conversus ad congregatos Franciscus dixit: *audistis? audistis?* Elias vero, ac ceteri cœlesti voce quidem territi, a proposito tamen suo necdum penitus desistentes rogare cœperunt, ut eisdem instar aliarum Religionum saltem in communi aliquid possidere liceret: ad quæ Christus a S. Francisco interpellatus, denuo voce clara & sensibili, omnibus audientibus respondit; *Ego pars, & hereditas eorum ero quandiu curaverint, ut hanc Regulam observent, & quo major erit eorum numerus, eo major in eos mea videbitur providentia.* Quod sane Divinum promissum mirabiliter adimpleri continua experientia in omnibus quatuor Mundi partibus clare cernitur, cum non obstante, quod Religio S. Francisci adeo creverit, ut teste Ludovico Granatensi *conc. 2. de S. P. Francisco* numero Provinciarum, Monasteriorum, & Fratrum superet omnes Religiones, & Ordines simul sumptos, quod idem Hieronymus Plati S. I. *lib. 2. c. 22. & 24. de propagand. Relig.* & alii testantur, veritate in facto testimonium perhibente. Hactenus Reiffenstuel *loc. cit. n.* 48.

3 Incæpit autem Religio Seraphici P. N. S. Francisci, quam Fratrum Minorum appellari voluit, anno 1208. Pontifice Innocentio III. qui eamdem solo tamen vivæ vocis Oraculo confirmavit anno 1215. At quia ab ipso Innocentio III. non fuerat scriptis tradita Bulla dictæ Confirmationis, eamdem scriptis confirmavit anno 1223. ejus successor Honorius III. Constitut. 5. incip. *Solet annuere*.

4 Sub Seraphici P. N. S. Francisci Religione, ejusque sanctissima Divinitus accepta, & sibi immediate a Christo dictata Regula militant omnes illi Fratres Minores Franciscani, qui dictam Regulam, sine ulla dispensatione ad litteram observant, quorum alii vocantur *Observantes*, scilicet Regulam, desumpto nomine ab Observantia Regulæ in suamet puritate. Alii, ut in Gallia, & Belgio vocantur *Recollecti*. Alii, ut in Hispania, & partim in Italia vocantur *Discalceati*. Alii, ut in Italia, & Germania, vocantur *Reformati*.

Supradicti omnes Franciscani, seu Fratres Minores Regularis, & strictæ Observantiæ degunt sub Obedientia unius ejusdemque Generalis serie non interrupta a S. P. N. Francisco in Generalatu succedentis, ut declaravit Leo X. Const. 26. incip. *Licet alias*. Unde solus ipse utitur Sigillo totius Ordinis, & solus ipse se nominare potest, & nominat *Generalem totius Ordinis S. Francisci, seu Fratrum Minorum*, ut statuit Leo X. Constit. incip. *Ite & vos in vineam meam*, & expresse definivit de mente Sanctissimi Sac. Rit. Congreg. in Controversia super hoc mota anno 1625. quæ duravit usque ad annum 1631. & resoluta fuit ut infra. 5

„ Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum „ Conventualium S. Francisci sex ab hinc annis ægre „ ferret Ministrum Generalem de Observantia in „ præteritum usum fuisse, & in præsentiarum uti „ titulo, & sigillo cum inscriptione Ministri Ge„ neralis totius Ordinis FF. Minorum, recursum „ habuit ad Sanctissimum supplicans mandari re„ formari hujusmodi titulum tamquam non legi„ time dicto Ministro Generali de Observantia „ competentem, & supplicatione per sanctissimum „ ad hanc Sac. rituum Congreg. remissa, eadem „ Sac. Congregatio discussionem hujus negotii ad „ referendum usque de anno 1625. commisit Emi„ nentissimo & reverendiss. Domino Cardinali Mu„ to, coram quo, formato dubio, de consensu am„ barum partium: An titulus Ministri Generalis „ totius Ordinis FF. Minorum, quo insignitur Mi„ nister Generalis Observantium, sit reformandus? „ Utraque parte sæpe sæpius in facto, & jure de„ super informante, & audita ad relationem ejus„ dem Eminent. Cardinalis Muti, causa accerri„ me in plena Congregatione discussa; Sacra Ri„ tuum Congregatio respondit, nihil innovandum, „ & Ministrum Generalem de Observantia legiti„ me usum fuisse, & uti posse Titulo, & si„ gillo cum inscriptione Ministri Generalis totius „ Ordinis FF. Minorum, & ita servari mandavit. „ Romæ 22. Martii 1631. 6

C. Episcop. Portuen. Card. Pius.

In Regesto hujus Congreg. fol. 47. Vide verb. *Sigillum nu. 23. & 24.* ubi expressius ad rem.

Hinc est, quod inter Generales Ordinis Minorum S. Francisci solus Generalis Fratrum Minorum de Observantia, una cum Generalibus aliarum Religionum assistit Capellæ Sanctissimi D. N. Papæ: ideo non immerito utitur Titulo Ministri Generalis totius Ordinis. Vide d. verb. *Sigillum num. 23. & 24.*

Sub obedientia prædicti Ministri Generalis totius Ordinis degunt etiam variæ Provinciæ Fratrum Discalceatorum Tertii Ordinis. Insuper & Conceptionistæ novissime florentes præsertim in Regno Poloniæ, ut notat P. Petrus Antonius a Venetiis *in Viridario Seraphico tom. 1. part. 1. cap. 15. in fine*. 7

Sub eadem S. P. N. Francisci Regula in sua pri- 8

mæva

mæva puritate militant, eamque exactissime ad litteram observant PP. Capuccini, quorum Congregationem confirmavit Clemens VII. Constitut. 21. incip. *Religionis zelum*. Et deinde Paulus III. Constitut. 11. incip. *Exponi*, statuit, quod PP. Capuccinorum nomen, & habitum, aliumque similem nulli usurpare liceat. Quod & confirmavit Gregor. XIV. Constit. 11. incip. *Beati Francisci*, &
9 Gregor. XV. Constitut. 15. incip. *Ex injuncto*. Patres Capuccini sunt veri Fratres Minores, Filii S. P. N. Francisci, trahuntque Originem vere ex linea non intermissa dicti S. P. N. Francisci; Urban. VIII. Constit. 68. incip. *Salvatoris*.

10 Sub eadem Regula S. P. N. Francisci, non in suo rigore, & ad litteram, sed cum certis dispensationibus Apostolicis militant *PP. Conventuales*, qui sicuti alii Regulares bona immobilia, & dominium in communi habere possunt, præsertim post acceptatum ab eis Indultum Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. Non autem ex Indulto ipsis prætenso concesso ab Innoc. IV. anno 1244. seu 1247. 14. Kalend. Septembr. Constit. incip. *Quanto studiosius*, ut varii falso censuere, & etiam in prima nostra editione *hoc ipso in loco* fuit inadvertenter traditum; Nam duobus primis sæculis Franciscanis nullum privilegium, nulla dispensatio, nulla fuit habita concessio Apostolica, quibus redderetur licitus Fratribus Minoribus usus redituum, possessionum, aut bonorum immobilium, Sicque ante annum 1430. fuit illis semper illicitus; Et prima ad id dispensatio fuit ipsis provisionaliter concessa a Martino V. dicto anno 1430. die 23. Augusti Constitut. incip. *Ad statum Ordinis Minorum*. Et prima concessio succedendi in bonis temporalibus hereditariis, ac si essent in sæculo, fuit eis facta a Sixto IV. anno 1472. pridie Kalendas Martii Constit. incip. *Dum fructus uberes*; & non ex tam decantata Constitut. Clementis IV. incip. *Obtentu Divini Nominis* edita 2. Idus Febr. 1265; quæ directa fuit tantummodo *Magistro Generali*, *& Fratribus Ordinis Prædicatorum*; sine ulla mentione *Ministri Generalis*, *& Fratrum Ordinis Minorum*, ut clare constat ex ipsa authentice extracta ex Secreto Archivio Vaticani die 3. Junii 1727. per D. Jacobum Antonium de Pretis præfati Archivii custodiæ Præfectum, prout fideliter refertur in fine Epistolæ quartæ Boni amici ad Filaletem Adiaforum impress. Lucæ per Sebastianum Dominicum Cappuri 1727. & in Apologia pro Ordine Fratrum Minorum *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. §. 1. novissime anno 1748. impress. Lucæ apud Philippum Mariam Benedini. Quæ constitutio fuit specifice confirmata, & de verbo ad verbum relata a Nicolao IV. Constit. incip. *Cum olim*; & a Martino V. Constitut. incip. *Dudum* cum solo prædicto titulo. Hinc prævio recessu a traditis *loco supra citato* sistendum omnimode edico in hic expositis, & nullimode recedendum a laudata eruditissima Apologia pro Ordine Fratrum Minorum in tribus Tomis ordinatissime distributa, ubi abunde, solide, & inconcusse omnia ad evidentiam pro nostratibus de Observantia demonstrantur, ac comprobantur.

(*) In Clementis XIV. Vita adjecta part. I. Vitarum Rom. Pont. Opera, & studio Antonii Sandinii Edit. Patavinæ MDCCLXXV. pag. 737. „ Monachos Cælestinos in Gallia, & Congregationem „ Canonicorum Regularium S. Rufi, petente Re„ ge, absolvit. Ibidem Minores, Observantes di„ ctos, ut etiam in Sabaudia, revocavit ad Ordinem „ Conventualium, quos cum Romæ ad S. Petrum, „ tum Laureti Pœnitentiarios Constituit. „ (*).

Ex iis prodierunt Patres dicti Minores Conven- 11
tuales reformati, quos approbavit, & privilegiis, ac gratiis Conventualium non reformatorum frui voluit Sixtus V. Constitut. 68. incipient. *Apostolici*. Et ipsis Minoribus Conventualibus reformatis univit loca, & bona Fratrum Minorum Discalceatorum per Italiam degentium, & ad eos transire indulsit Sixtus V. Constit. 69. incip. *Cum sicuti*.

Sub S. P. N. Francisco militant etiam Monia- 13
les Clarissæ a S. Clara sic dictæ, ut statuit Urban. IV. Constitut. 7. incip. *Beata*, quarum Regulam a S. P. N. Francisco institutam anno 1212. approbavit Innocentius IV. Constit. 11. incip. *Solet annuere*; quæ postea, spectata feminarum imbecillitate, moderata fuit a variis Summis Pontificibus, & signanter ab Urbano IV. Constit. 7. incip. *Beata*, Eugenio IV. Constit. 28. incip. Ordini, Leone X. Constit. 6. incip. *Cum sicut*, Pio IV. Const. 103. incip. *Sedis*.

Item sub S. P. N. Francisco militant Tertius Ordo 14
de Pœnitentia ab ipso Seraphico Patre institutus anno 1221. sub propria Regula, quam confirmavit Nicolaus IV. Constitut. 2. incip. *Supra Montem*. Hic Ordo autem vocatur *Tertius* respectu duorum prius a Seraphico S. P. N. Francisco institutorum, scilicet Fratrum Minorum, & Pauperum Monialium; Tres enim Ordines ipse instituit, ut patet ex supra citatis, & aliis Pontificiis Constitutionibus. Unde Ecclesia Seraphica in tertia Antiphona ad Laudes Officii ipsius S. P. N. Francisci sub die 4. Octobris sic canit: *Tres Ordines hic Ordinat. Primumque Fratrum nominat Minorum, Pauperumque fit Dominarum medius. Sed Pœnitentium tertius sexum capit utrumque*. Eumque *de Pœnitentia* nuncupavit, quia fortassis, ut placet Divo Bonaventuræ, sicut pœnitentia est via communis ad Cœlum, sic Ordo iste cujuscumque status, & sexus, viros, & feminas, Clericos, & Laicos, solutos, & ligatos, seu conjugatos amplectitur, neminem excludit, omnesque hunc Ordinem ingredi, illumque profiteri possunt (*). Consulatur Opusculum hoc titulo impressum: *Dissertationes Critico-Historicæ, in quarum una Seraphicus Patriarcha Franciscus Tertii Ordinis Institutor, in altera Indulgentiæ Portiunculæ veritas asseritur, vindicatur. Auctore F. Flaminio Annibali de Latera Ordinis Minorum Romæ MDCCLXXXIV. Ex Typographia Archangeli Casaletti* (*).

Hic tertius Ordo a Seraphico P. N. S. Francisco 15
institutus, nedum Sanctitate floruit, & adhuc in dies floret in conjugatis, & solutis utriusque sexus in propriis privatis Domibus in sæculo degentibus: sed etiam in Fratribus, & Monialibus in communi intra Claustra viventibus, & tria substantialia vota solemniter emittentibus, pro quibus Regulam reformavit, & approbavit Leo X. Constit. 42. incip. *Inter cetera*.

Regularis hic Tertius Ordo habet Generalem ad 16
 trien-

triennium, quem licet S. Pius V. Constit. 53. incip. *Ea est*, extinxerit, ac universos Fratres, & Sorores Tertii Ordinis prædicti sub gubernio Generalis, & Provincialium Ministrorum Ordinis S. P. N. Francisci de Observantia constituerit; Sixtus tamen V. Constit. 20. incip. *Romani Pontificis*, ad pristinum usum creandi Generalem per triennium, Ordinem restituit: Voluit tamen hunc Generalem electum intra duos menses a Generali de Observantia confirmationem petere. Et postea quomodo hic Ordo celebrare debeat Capitula, sive Generalia, sive Provincialia, statuit Clemens VIII. Constitut. 33. incip. *Decet*.

17 Ex iis Tertiariis sunt alii reformati, qui cœperunt in Gallia anno 1595. nam extincta fere memoria Regularis Observantiæ Tertii Ordinis ob Hæreticorum pravitatem, & bella Civilia inibi quam maxime grassantia, Pater Vincentius Mussart Parisiensis Prædicator Regius, eximiæ probitatis vir, una cum P. Francisco Mussart germano suo, accitis etiam aliis Religiosis ac piis viris prædicto anno reformationi hujusmodi auctoritate Clementis VIII. ita strenue operam dare incæpit, ut usque ad hæc tempora quam plura antiqua Cœnobia restauraverit, ac nova erexerit in diversis Galliæ Provinciis: nec non in Burgundia, Lotharingia, & pluribus aliis locis; Et isti tertiarii gaudent plurimis privilegiis sibi per diversos Summos Pontifices concessis, & præcipue per Paulum V. Constit. incip. *Quæ pro augenda*. Tamburin. *loc. cit. quæst. 6. num.* 8. Barbosa *loc. cit. num.* 178. Hieronym. Roderic. *in Compend. quæst. Regular. resolut.* 136. & late P. Petrus Antonius de Venetiis *in Viridario Seraphico tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 13. & alii passim.

18 Ab Ordine, seu Religione Seraphici P. N. S. Francisci originem, seu progressum, vel dependentiam habuerunt varii alii Ordines, seu Congregationes Regulares, uti pluribus documentis adductis refert P. Petrus Antonius de Venetiis *in Viridario Seraph. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. & signanter Præclarus Ordo S. Francisci de Paula nati intercessione Seraphici P. N. S. Francisci, cujus & habitum induit, & & Novitius extitit (1) Dictus Au-
19 ctor *loc. cit. cap.* 14. Item Congregatio Monialium Immaculatæ Conceptionis instituta a B. Beatrice de Silva, in qua Congregatione sub directione Fratrum Minorum de observantia floruit Venerabilis, & celeberrima Soror Maria de Agreda; Idem *loc.*
20 *cit. cap.* 15. Item Congregatio Monialium Annunciationis B. Mariæ Virginis instituta a B. Ioanna Valesia Galliæ Regina sub Regula composita a P. Nicolao Gilberti nostri Ordinis Franciscani. Idem *loc. cit. cap.* 16.

21 Item Congregatio Monialium vulgo Capuccinarum instituta est a V. Maria Longa Neapolitana sub Regula nostri Tertii Ordinis, quæ deinde sub gubernio Capuccinorum (unde dictæ sunt Capuccinæ) a tertia Regula transierunt ad primam S. Cla-
22 ræ. Idem *loc. cit. cap.* 17. Item Reformatio Carmelitarum Discalceatorum promota a nostro S. Petro de Alcantara totam assistentiam, & curam, & directionem ad id S. Teresiæ præstante. Idem *loc. cit. cap.* 18.

Insuper ab Ordine, seu Religione S. P. N. Fran- 23
cisci Originem, seu progressum, vel dependentiam habuerunt variæ aliæ Congregationes Regulares, & Sæculares, utriusque sexus, uti documentis adductis refert dictus P. Petrus Antonius de Venetiis *loc. cit. cap.* 19. Et signanter Congregatio Dimissarum instituta a Venerabili P. Antonio Pagano nostri Ordinis de Observantia in Civitate Vicentiæ; & alia hominum Congregatio dicta Sanctæ Crucis ab eodem Vener. Patre Antonio fundata. Item Con- 24
gregatio Ursulinarum fundata a Beata Angela de Desenzano Oppido intra Veronam, & Brixiam, Religiosa professa Tertii Ordinis S. P. N. Francisci approbata a Gregorio XIII. anno 1572. die 24. Novembris. Pro qua Congregatione P. Franciscus noster Gonzaga Minister Generalis totius Ordinis, & deinde Episcopus Mantuanus varias compilavit Constitutiones, sub quibus adhuc vivunt cum Regula ab ipsa B. Angela compilata, & a Paulo II. approbata; Idem *cit. cap.* 19. Item Congregatio B. Pe- 25
tri de Pisis fundata ab ipso B. Petro de Pisis, & F. Angelo a Corsica ambobus professis Tertii Ordinis S. P. N. Francisci; Idem *cit. cap.* 19. Item Con- 26
gregatio S. Hieronymi in Hispania fundata a B. Stopa dicto etiam Tomasuccio professo nostri Tertii Ordinis; Idem *cit.* 27. *cap.* 19. Item Congregatio S. Hieronymi de Fesulis fundata a Carolo Sacerdote Comite Montis Granelli una cum Gualterio Marsio ambobus professis nostri Tertii Ordinis. Idem *cit. cap.* 19. Ubi insuper addit, non deesse Aucto- 28
res, qui referant S. Ignatium Loyolam Fundatorem præstantissimæ Societatis Jesu fuisse prius professum Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, uti inter alios testatur Franciscus Bordonus a Parma, qui fuit Generalis Tertii Ordinis anno 1654. in Historia ejusdem Tertii Ordinis impressa Parmæ anno 1658. apud Marium Vignolam, ubi sic scribit: *Nonnulli etiam asserunt S. Ignatium Fundatorem Sapientissimæ Societatis Jesu fuisse Tertii Ordinis S. Francisci ex prima institutione, eo quod in ejus vita, & Bulla Canonizationis extensa ab Urbano VIII. §. 13. scribitur: Aspera talari tunica indutus, fune præcinctus, nudo Capite, baculum manu gestans &c. Tertii Ordinis Franciscani potissimum exteriori signo demonstratur per funis precinctionem, ut notum est; Habuit etiam Franciscanum &c.* Hæc ille, alia ad rem subdens.

(*) Verum ex S. Ignatii Vita a Joanne Petro Maffeio aliisque descripta Sanctum hunc S. Francisci Ordini nunquam nomen dedisse liquet. Vide Bollandianos in Comment. præv. ad vitam S. Ignatii §. IV. n. 41. (*)

Item Congregatio S. Birgittæ Principissæ Nericiæ 29
fundata ab ipsa S. Birgitta Professa Tertii Ordinis S. P. N. Francisci; Idem *cit. cap.* 19. Item Congre- 30
gatio Dominarum Oblatarum Turris Speculorum in Urbe fundata a S. Francisca Romana professa no-

(*1) Vide S. Francisci de Paula Acta apud Bollandianos ad diem 2. Aprilis, eademque ratione quæ proximis numeris narrantur, ad sincera, ac minime dubia monumenta exige.

31 nostri Tertii Ordinis; Idem *cit. cap.* 19. Item Con-
gregatio Dominorum de Robando in Civitate Mar-
siliæ fundata a B. Hugone de Digna, doctrina, &
miraculis claro, & celeberrimo concionatore nostri
32 Seraphici Ordinis; Idem *cit. cap.* 19. Item Congre-
gatio S. Mariæ Caritatis in Gallia fundata a B. Gui-
do Domino Montis Sancti Georgii Professo nostri
33 Tertii Ordinis; Idem *cit. cap.* 19. Item Congrega-
tio Convertitarum in Gallia sub Regula nostri Ter-
tii Ordinis Pœnitentium fundata a B. Joanne Tessi-
rando Doctore Parisiensi, Confessore, & intimo
consultore Annæ Reginæ Franciæ; Idem *cit. cap.* 19.
34 Item Congregatio Pauperum infirmorum fundata
a B. Bernardino de Obregon Hispano nostri Ordi-
35 nis Franciscani; Idem *cit. cap.* 19. Item Congrega-
tio Monialium Sancti Joannis Hierosolymitani fun-
data in Portugallia a Ludovico filio Emmanuelis
Regis Portugalliæ sub Cura, & Gubernio Fratrum
Minorum de Observantia; Idem *cit. cap.* 19. Item
36 celebre Monasterium Convertitarum ædificatum
Parisiis a S. Ludovico IX. Rege Francorum, &
Tertii Ordinis S. P. N. Francisci. Insignia duo Mo-
nasteria S. Mariæ Magdalenæ, & S. Mariæ Ægyptia-
cæ ad eumdem finem ædificata Neapoli a B. Re-
gina Sancia vera filia S. P. N. Francisci, quamvis
hodie sub gubernio Fratrum Minorum in ipsis non
degant, nisi Moniales virgines primæ nobilitatis
dicti Regni. Alia plura Monasteria ad eumdem ef-
fectum ædificata variis in locis a S. Bernardino de
Senis, S. Jacobo de Marchia, Beato Bernardino de
Feltria, & ab aliis Religiosis Minoribus de Obser-
vantia; Idem *cit. cap.* 19.
37 Item Patres Carthusiani introducti fuerunt in
Civitatem Venetiarum opera nostri Sancti Bernar-
38 dini de Senis; Idem *cit. cap.* 19. Item Hospitale Pie-
tatis in eadem Civitate Venetiarum, in quo reci-
piuntur pauperes filii illegitimi, institutum fuit
opera P. Petri de Assisio nostri Ordinis Francisca-
39 ni; Idem *cit. cap.* 19. Item Societas Mortis in Ci-
vitate Mantuæ, cujus Officium est assistere Justi-
tiatis, fuit promota, & erecta a B. Raimiro Peru-
40 sino nostri Franciscani Ordinis; Idem *cit. cap.* 19.
Item ab eodem Beato Raimiro fundatum fuit Hos-
pitale pro pauperibus infirmis in Civitate Bononiæ,
ac Societas, seu Confraternitas Disciplinantium e-
recta in Civitatibus Perusiæ, Fulginei, Spoleti, &
41 alibi; Idem *cit. cap.* 19. Item Societas, seu Con-
fraternitas ss. Sacramenti erecta fuit a nostro B.
Cherubino de Spoleto, cujus anima fuit ad Cœlum
sociata a sexaginta sex mille animabus suo medio
ad æternam Gloriam transactis; Idem *cit. cap.* 19.
42 Item Hospitale in Civitate Veronæ erectum fuit
opera nostri S. Joannis de Capistrano; Idem *cit.*
43 *cap.* 19. Item plurimis aliis relictis Congregationi-
bus, & Societatibus, erectis a Sanctis, Beatis, &
piis Religiosis Ordinis S. P. N. Francisci, solum
recensentur Confraternitates disciplinantium prius
fundatæ a S. Antonio de Padua, & deinde a S. Ber-
nardino de Senis, Archiconfraternitas Confalonis a
S. Bonaventura Romæ erecta, & celeberrima Ar-
chiconfraternitas Sacrorum Stigmatum Seraphici P.
N. S. Francisci Romæ erecta, & jam per totum
44 fere Orbem extensa; Idem *cit. cap.* 19. Et insuper
Montes Pietatis inventi, & erecti fuerunt primo a
B. Barnaba ab Interamnis, deinde a B. Marco a
Bononia, B. Cherubino a Spoleto, a S. Jacobo de
Marchia, a B. Angelo a Clavasio, a B. Bernardino
de Feltria: & ab aliis Religiosis omnibus nostri
Ordinis S. P. Francisci; P. Petrus Antonius de Ve-
netiis *in Viridario Seraphico tom.* 2. *part.* 7. *cap.* 7.
Vide *ibi*, ubi multa ad rem.
Nedum supra recensitæ Congregationes, Socie- 45
tates, & Confraternitates, & Hospitalia, sed
etiam Ordines Militares, & equestres, vel promo-
ti, vel dependentes sunt ab Ordine S. P. N. Fran-
cisci. Et in primis Equestris Ordo S. Sepulcri,
qui licet fundatus longe ante ortum nostræ Sera-
phicæ Religionis, ut patet ex dictis *supra art.* 3.
num. 97. Tamen certum est, Equites Ordinis S. Se-
pulcri a solo nostro P. Guardiano Sacri Montis Si-
on Jerusalem, tamquam Commissario, seu Vicario
Apostolico, pro ut ei fuit concessum ab Alexan-
dro VI. anno 1496. *Committens facultatem* (dicit An-
dreas Favinus apud P. Petrum Antonium de Ve-
netiis in *Viridario Seraphico tom.* 2. *part.* 1. *cap.*
20.) *suo Vicario Generali Guardiano Sancti Sepul-
cri, qui semper est de Ordine Minorum Sancti Fran-
cisci de Observantia, conferendi dictum Ordinem
Peregrinis, & venientibus in Terram Sanctam.*
Quæ concessio fuit iterum confirmata a Summis
Pontificibus Leone X. Clemente VII. & Urb. VIII.
& in praxi gloriosissime perseverat, ut vide-
re est apud Petrum Antonium de Venetiis
citat. Vir. Seraph. tom. 1. *part.* 1. *cap.* 20. *& p.* 6.
cap. 8. ubi per extensum dat formam, & modum
eos creandi, & tradit formulam Litterarum, quæ
ipsis Novellis creatis Equitibus Sancti Sepulcri a d.
nostro P. Guardiano Jerusalem in dies conceduntur,
& est ut sequitur.
Fr. N. N. Ord. Minor. Regul. Observantiæ Pro- 46
vinciæ N. &c. in partibus Orientis Commissarius
Apostolicus, Terræ Sanctæ Custos, & Sacri Mon-
tis Sion Guardianus, & servus.
Universis & singulis præsentes nostras inspectu-
ris, lecturis, & legi audituris Salutem in Domino
sempiternam.
*Ex antiquissimis rerum gestarum monumentis di-
dicimus, Invictissimos Heroes Carolum Magnum
Imperatorem semper Augustum, sanctumque Ludo-
vicum Gallorum Regem, ac alios quam plurimos
Christianæ Reipublicæ Magnanimos Reges, & Prin-
cipes honoris Dei Orthodoxæque Fidei nedum Zela-
tores, verum etiam strenuissimos Defensores, tan-
tum ut nefariis devictis Saracenis, Jerosolymam
expugnare, Gloriosique Resurgentis Domini No-
stri Jesu Christi Mausoleum libere custodire vale-
rent, se bonaque propria immortali voto jam præmisso,
sponte obligasse, & emancipasse; quare inter alias
Christianorum Principum contra præfatos infideles
demandatas expeditiones sub præclaro Duce Gotti-
fredo Bullion trecentorum millium a Sum. Pontif.
signatorum Militum comparato exercitu; Anno de-
nique nonagesimo nono supra millesimum ab Incarna-
tione Domini partim cæsis partim in fugam ejectis hosti-
bus S. Jerosolymorum Urbem, summa cum lætitia,
ingentique gaudio triumphantes ingressi unanimi exer-
ci-*

citus consensu, præfatum Ducem Gottifredum Jerusalem Regem proclamarunt, ac Domini Nostri Jesu Christi monumentum ardenti (ut flagrabant) animo in custodiam acceperunt, ibique Sacrum ejusdem Gloriosissimi Sepulcri Equitum Ordinem sub certis quibusdam Regulis, & Constitutionibus fundavere, ac plurimos Illustrissimorum Virorum milites creavere, quos & quinque rubeis Crucibus obsignarunt atque armarunt, decernentes in posterum, ut eas vestibus appositas, tam in bello, quam in Regum Principumque aulis, ac fidelium quorumcumque cœtibus (ut ex præfatarum Ordinationum vigesimo nono capite liquido constat) deferre tenerentur. Cujus quidem nobilissimi Ordinis Christianissimi Reges, eximiique Magistri, ut Erectores, ita & successores fuerunt. Sed proh dolor! Capta iterum ab Infidelibus Jerosolyma, cunctisque ab Asia pulsis Catholicis, Sacer hic Equestris SS. Sepulcri Ordo, qui tunc ex Lege Jerosolymis armari tenebatur, extinctus pene remansit, atque sopitus; donec tandem per Devotissmum utriusque Siciliæ Regem Robertum, magna cum difficultate, maximisque sumptibus, obtenta ab Ægypti Soldano Anno Domini 1303. pro Seraphicæ Religionis familia in prægrandi Gloriosissimi Sepulcri Templo commorandi facultate: Leo postmodum X. Pontifex Maximus, qui præfato Ordini satis addictus erat, piisque ejusdem votis summopere ad innovandam, nedum antiquissimi hujus Militaris Instituti fere abolitam memoriam, verum etiam ad augendam Chrirtifidelium pietatem, eorumque animos pro Sanctorum Locorum recuperatione excitandos prædicto Sac. Montis Sion Guardiano, ejusque Successoribus pro tempore existentibus Anno Dominicæ Incarnationis 1518. pridie Nonas Februarii hujusmodi Milites, & SS. Sepulcri Equites, ut olim, creare, ordinare, ac instituere sponte concessit, atque mandavit; quod quidem tam feliciter exequutum est, ut dehinc milites quam plurimi creati fuerint, & in dies creentur. In quorum numerum a nobis dignissime relatum esse fidem facimus, & attestamur D. N. qui quidem præfati Ordinis laurea decorari, & insigniri splendoribus summopere cupiens, coram Nobis personaliter comparuit, humiliterque super hujuscemodi re grande sui animi desiderium exposuit, enixeque pro viribus Nos exoravit. Nos igitur piis ejus precibus intenti, justisque supplicationibus inclinati, solerti indagatione circa ea, quæ ad Catholicæ fidei puritatem spectant, prius facta, & diligenti inquisitione super his, quæ ex antiquissimis Legibus, in vero Christi Milite requirebantur, jam habita, eumque in omnibus idoneum, habilemque repertum præfati Sanctissimæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi Sepulcri Apostolica auctoritate, qua in hac parte fungimur, Militem, & Equitem juxta morem solemniter in proprio loco ejusdem Sanctissimi Sepulcri creavimus, ac quinque rubeis Crucibus insignivimus, ac condecoravimus; sicuti per præsentes ita a Nobis armatum, insignitum, ac condecoratum nominamus, declaramus & publicamus, cum singulari potestate deferendi eas, tam publice, quam privatim, & pro insignibus, & vexillis utendi; nec non omnibus, & singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, gratiis, libertatibus, commoditatibus, & prærogativis, quibus ceteri ejusdem Equestris Ordinis Milites gaudent, vel in posterum gaudebunt, & potientur. In quorum omnium, & singulorum fidem præsentes has litteras manu nostra subscriptas & Sigillo Gloriosissimæ Resurrectionis Dominicæ munitas, ac roboratas expediri mandavimus.

Dat. Jerosolymis in Conventu nostro Sancti Salvatoris Anno Domini &c.

Privilegia Equitum Jerosolymorum.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Universis & singulis præsentes Litteras inspecturis, visuris, & audituris. Nos Fr. Bonifacius de Ragusio Ord. Min. Observantiæ Professor, Sac. Conventus Montis Sion Guardianus, aliorumque Locorum Terræ Sanctæ Apostolica auctoritate Vicarius Generalis, nec non Prædicator Apostolicus, in Domino Salutem.

Notum sit, quod Nobiles, & Magnifici Domini Peregrini, qui hoc anno 1553. visitaverunt devotissime Dominicum Sepulcrum, & in eo honorifice Equites creati fuerunt, Nos suppliciter deprecati sunt, ut ob Jesu Christi memoriam, & ejus Ordinis reverentiam eisdem privilegia Militum SS. Sepulcri exiberemus: quarum precibus commoti, ex antiquis Chartis & Libris a Summis Pontificibus, & Regibus Christianis privilegia Equitibus concessa describi jussisse profitemur, quæ sunt hujusmodi.

Primo, quod tales Milites præcedere debent reliquos cujuscumque Ordinis, seu Militiæ, exceptis solis, qui del Toloson d'Oro *vocantur.*

Secundo item, quod ipsi Milites possint legitimare eos, qui ex legitimo Matrimonio non sunt nati, & mutare nomen Baptismale, & arma seu stemmata condere.

Tertio item, possint Notarios creare.

Quarto item, bona Ecclesiastica pro tuenda Christi Fide, etsi uxorati sint, possint tenere sine præjudicio Ecclesiæ.

Quinto item, a Vigiliis tempore belli sint exempti, & ab hospitio Militum, & nemo ad hoc cogere eos possit.

Sexto item ab omnibus gabellis, & tributis sint exempti, ubique Locorum tam vini, quam cervisiæ, & aliorum &c.

Septimo item quod possint vestiri sericis, holosericis & hujusmodi vestibus, ut solent alii Equites, & Doctores.

Octavo item quod Corpus patibulo suspensum, si in via repererint, exempto gladio præcidere possint, & ut sepulturæ mandetur imperare.

Ideo Jure optimo eos dici non immerito, & Equites esse, ac valere, & gaudere omnibus his privilegiis, sive immunitatibus, prærogativis & præeminentiis, & aliis, quibus ceteri Milites uti, ac frui consuevere contestor. In quorum omnium fidem, robur, ac testimonium præsentes Litteras fieri curavimus

mus

mus, & Sigillo Sanctissimi Sepulcri D. N. J. C., nostroque Chyrcgrapho communiri.

Datum Jerosolymæ in Conventu S. Salvatoris, Anno Dom. 1553.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Bonifacius qui supra manu propria.

48 Sic ex aliis refert dictus P. Petrus Antonius de Venetiis in *cit. Viridario Seraphico tom.* 2. *par.* 7. *cap.* 8. Vide ipsum *ibi*, ubi multa tradit ad rem.

Equitum Militiæ Jesu Christi Ordo institutus fuit a Dionysio Rege Lusitaniæ, & Marito S. Elisabeth Reginæ, opera P. nostri Stephani Portugallensis intimi Consultoris, & Confessarii prædicti Regis, & Archiepiscopi Ulyssiponensis, qui eidem Regi persuasit erectionem dicti Militaris Ordinis, ut ipsi applicaret Commendas, quæ alias erant extincti Ordinis Equitum Templariorum, prout fecit, & obtinuit a Joanne XXII. Constit. incip. *Cum borum bonorum*, in qua & confirmatus fuit talis Ordo cum sua Regula, & Statutis. Dictus P. Petrus Antonius a Venetiis in *citat. Viridario Seraph. tom.* 1. *cap.* 20.

49 Equitum Ascensionis Jesu Christi Ordo institutus fuit etiam opera Franciscanorum in Portugallia, uti legitur in Chronicis ejusdem Regni *prælud.* 4. *n.* 1. & notat Waddingus *tom.* 1. *suorum Annalium ad annum* 1213. *num.* 14. & refert dict. P. Petrus Antonius *loco citat. cap.* 20.

50 Conceptionis B. Mariæ Virginis Equitum Ordo sub Regula S. P. N. Francisci institutus fuit ann. 1623. a Ferdinando Mantuæ Duce, & a Carolo Nivernensium Duce, & Adolpho Comite ab Althan, & a Joanne Baptista Petrignano Sfortia, & confirmatus fuit ab Urbano VIII. Constit. incip. *Imperscrutabilis*. Tambur. *loc. citat. quæst.* 6. *nu.* 12. ubi refert per extensum dictam Urban. VIII. Constitutionem, una cum aliis duabus ejusdem Pontificis ad rem. Dictus P. Petrus Antonius de Venetiis *loc. citat. num.* 120. ubi dicit, primos Equites hujus Ordinis vocati Militiæ Christianæ Immaculatæ Conceptionis Mariæ sub invocatione Sancti Michaelis, & Sancti Francisci, Novitiatum egisse in Conventu Aracæli Romæ Minorum de Observantia, & postea emisisse Professionem in manibus dicti Summi Pontificis Urbani VIII. cum sequentibus verbis: *Semper tuebor Conceptionem Matris Dei Immaculatæ, & in hac re, & in omnibus, ejus promovebo gloriam juxta mentem S. R. E.* Qui Summus Pontifex quoad vixit, voluit hujus Ordinis esse Protector.

51 Plurima adhuc, & revera non pauca eximia, & preclara gesta Ordinis Fratrum Minorum possent adduci: sed ne auram captare videamur, ipsa apud dictum P. Petrum Antonium de Venetiis in suo Viridario seraphico in duobus tomis distincto videnda reliquimus. Et hic solum notare sufficiat, quod Ordo noster Seraphicus (ut refert Gubernat. in *Orbe Seraphico lib.* 3. *cap.* 1. citans Waddingum ad annum 1213.) ex revelatione S. P. N. Francisco facta a Christo Domino in Monte Alverniæ per totum Mundum sit dilatandus & usque in finem seculorum in sua perfectione, puritate duraturus, & a Deo conservandus. Unde dixit Gregorius Papa IX. in Bulla, quæ extat in Archivio S. Francisci Leyre: 52
Passim Catholicam consolatur Ecclesiam auctus Minorum Ordo multitudine, Sacerdotio, Sanctitate, & Doctrina excellens. Et Nicolaus III. in *cap. Exiit* 3. *de verborum significat. in* 6. loquens de Seraphica Religione: *Hi sunt, illius Sanctæ Regulæ Professores, qui Evangelico fundantur eloquio, vitæ Christi roborantur exemplo, Fundatoris Militantis Ecclesiæ & Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmantur. Hæc est apud Deum, & Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens a Patre luminum per ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & deinde per Spiritum Sanctum B. Francisco, & eum sequentibus inspirata, totius in se continet testimonium Trinitatis. Hæc est, cui (attestante Paulo Apostolo) nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus Stigmatibus suæ passionis confirmavit volens institutorem ipsius suæ passionis signis notabiliter insigniri.* Et Clemens V. *in Clementina Exivi de Paradiso* 1. *de verbor. significat.* loquens de Seraphico Ordine ait: *Verus noster Salomon in solio Militantis Ecclesiæ hortum voluptatis inter ceteros quemdam fecit a procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius, ac securius vacaretur contemplandis, servandisque hujusmodi operibus exemplaribus in hunc mundum introivit ipse, ut rigaret ipsum fœcundis aquis spiritualis gratiæ, & Doctrinæ. Hic Hortus siquidem est Fratrum Minorum Sancta Religio, quæ muris Regularis observantiæ firmiter undique circumclusa intra se solo contenta Deo adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens Dilectus Dei Filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus, quæ suavitate mira universis odorem attrahentis Sanctimoniæ circumfundunt: Hæc est illa Cœlestis vitæ forma, & Regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius Sanctus Franciscus.*

BENEDICTUS PAPA XII.

Dilectis Filiis Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis.

Dilecti Filii salutem &c. Qui pacem loquitur in plebem suam, & super Sanctos suos, certam illam avertendæ contentionis viam, rationemque Discipulis designavit, monitis, exemplisque suis, eosdem adhortatus, ut qui major esset inter ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent, non præeminentia, & primatu, sed ministrandi, ac subjacendi humilitate præcessores. Hæc autem Documenta B. Franciscus Seraphici

phici vestri Ordinis Conditor, & ipse mirabiliter arripuit, & expressit, & custodiendæ pacis firmamentum esse voluit alumnis suis, qui modesta ipsa Fratrum Minorum appellatione Evangelicam illam Cœlestis Magistri normam præseferentes, sinceræ Caritatis, veræquæ Fraternitatis disciplinam, & cultum per totam Christi Ecclesiam latissime propagarunt. Nos igitur, quemadmodum uberes ex religiosissima institutione Dominici Agri proventus largitori Deo, reique Catholicæ gratulamur, ita omnem dare operam debemus, ne dissidia, & lites de loco, & Dignitate bonam frugem suffocare possint, fraternamque concordiam discindere, aut perturbare. Porro cum tres Constitutiones ediderimus pro Institutione, ac Regimine Tertiariorum ejusdem Seraphici Ordinis in propriis Domibus viventium, primam die 10. Dec. 1725. pro Fratribus Minoribus, Regularis Observantiæ, quæ incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*, alteram die 24. Maii 1726. pro Fratribus Minoribus, qui Capuccini appellantur, quæ incipit: *Ratio Apostolici Ministerii*; tertiam denique die 5. Jul. ejusdem Anni pro Fratribus Minoribus Conventualibus, quæ incip. *Singularis Devotio*, non sine ingenti animi molestia rescivimus, controversias inter antedictas laudati Ordinis familias invaluisse de primatu, & antiquitate alterius præ altera, de multiplici erectione Congregationum Tertii Ordinis, deque transitu Tertiariorum unius Congregationis ad aliam, quæ cum religiosæ disciplinæ detrimento, scandala etiam in populis serere possint, & B. P. Francisci spiritum in Discipulis ejus extinguere. Dissensionibus igitur, ac jurgiis aditum obstruere, & necessariam Regularis disciplinæ pacem, & tranquillitatem fovere, aut restituere cupientes: Motu proprio, ex certa scientia, non ad oblatæ cujusquam petitionis instantiam, in primis omnes, & singulas de memoratis causis lites, & controversias, utcumque, & in quacumque instantia super his ortas, agitatas, & actu pendentes, coram quibuscumque Judicibus, ac Tribunalibus etiam speciali mentione dignis, quorum nomina pro expressis haberi volumus, ad Nos avocantes, perpetuo silentio imposito, extinguimus, & abolemus. Præterea quascumque Indulgentias, Indulta, Privilegia, Prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones, & concessiones, tam in genere, quam in specie in memorata Constitutione, quæ incipit: *Paterna*, Tertiariis Fratrum minorum de Observantia tributas, & per alias superius indicatas, ad Tertiarios Fratrum Minorum Conventualium, & Capuccinorum, eorumque Superiores extensas, & ampliatas, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & quatenus opus sit, ipsis Fratribus Conventualibus, & Capuccinis, eorumque Tertiariis, in iis tamen, quæ præfatæ nostræ Constitutioni pro Observantium Tertiariis editæ non adversantur, & non alias, de novo concedimus: Mandantes potissimum, ut quæ in ipsa circa erectionem unius dumtaxat Congregationis Tertiariorum pro unaquaque Civitate, aut loco, deque eorum transitu præscripta, & sancita sunt, alias posterioribus nostris non obstantibus, inviolabiliter observentur. Quoniam autem a mente nostra, & a proposito memoratæ Constitutionis, quæ incip. *Singularis Devotio* prorsus alienum erat, ut Fratribus Minoribus Regularis Observantiæ, quidquam sui juris, aut possessionis erga Conventuales detraheremus, aut ipsis Fratribus Conventualibus majorem antiquitatem, aut aliam quamcumque prærogativam præ Observantibus concederemus, motu pari, & scientia similibus decernimus, & declaramus, verba, & enunciationes, quæ antiquitatem, & prærogativas ejusmodi respiciunt, nullius roboris atque eo prorsus modo ac si apposita non essent, de cetero habenda fore, & esse. Immo pro totius præfati Ordinis tranquillitate & pace perpetuum silentium super hujusmodi controversia imponimus, & pro imposito haberi volumus, & mandamus. Ne quis denique Basilicam B. Francisci Civitatis Assisiensis, ubi Sacrum ejus Corpus requiescit, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris variis privilegiis auctam, ita supra ceteras ejusdem Ordinis Ecclesias, verbis, aut scriptis extollat, & efferat, ut debitus honor, ac reverentia denegetur Basilicæ B. M. de Portiuncula extra muros ejusdem Urbis, in qua constat Seraphicum Patrem Institutum suum inchoasse, præcipimus, & mandamus, ut ambæ Basilicæ, diversis licet rationibus, B. M. quidem propter Ordinis primordia, Assisiensis vero propter Sacrum Corpus Sanctissimi Institutoris, tamquam Ordinis Matrices ab omnibus Fratribus Minoribus agnoscantur, & observentur, prout Romani Pontifices Prædecessores nostri asseruerunt, & concesserunt. Quascumque autem juris, verborumque solemnitates nostra auctoritate supplentes, & quibusvis in contrarium facientibus amplissime derogantes, quæ vero exprimenda essent pro expressis habentes, fore confidimus, ut Familiis vestris per hoc providentiæ nostræ Judicium pristinam, vestroque nomine dignam concordiam partam esse gaudeamus. Vestrum autem erit, ut pari vigilantia, studioque curis nostris obsequentes, indecoram, importunamque altercationum, libellorumque licentiam, in eorum auctores districte animadvertentes, inhibeatis. Ac vobis, Dilecti Filii, paternæ voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Jul. 1728. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Carolus Archiepisc. Emissenus.

Arti-

ARTICULUS VI.

Quoad particulares alias Religiones, & Congregationes sub nulla dictarum quatuor principaliorum Regularum militantes, sed proprias Regulas, & Constitutiones habentes.

1 CArtusiensium Ordo sic dictus a Valle Carthusia, vulgo *Certosa* in dioecesi Gratianopolitana in Regno Galliæ, institutus est a Sancto Brunone Nobili Cive Urbis Agrippinæ sub Regula propria anno 1084. & approbatus & confirmatus fuit ab Alexandro II. Constitut. 7. incip. *Cum vos*. Tambur. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 7. *num.* 1. Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *num.* 182. S. Anton. *part.* 2. *Histor. tit.* 15. *cap.* 22. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 27. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 2. *pag.* 124. & alii (*). Confer Opus, cui titulus: *Storia Critico-Cronologica Diplomatica del Patriarca S. Brunone, e del suo Ordine Cartusiano compilata dal P. D. Benedetto Tromby Monaco, e Procuratore della Casa di S. Stefano del Bosco nell' ulteriore Calabria. Napoli. MDCCLXXIII.* (*).

2 *Sancti Hieronymi Congreg. Itala* instituta est temporibus Martini V. a quodam Lupo de Olmeto sub propria Regula ex scriptis ipsius Sancti Hieronymi excerpta, & confirmata est ab eodem Martino V. Constitut. incip. *Etsi pro cunctorum*; Tambur. *loc. cit. n.* 2. Hieronym. Roderic. *in Compend. qq. Regular. resolut.* 122. *num.* 17. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 1. *pag.* 132. Platus *de bono statu Relig. lib.* 2. *cap.* 22. Miranda *loco citat. quæst.* 5. *art.* 1. & alii (*). De hujus Congregationis Ortu legatur *Lettera intorno la vera, e sicura origine del Venerabil Ordine de PP. Girolamini, in Roma MDCCLV.* (*).

3 *Monialium S. Hieronymi Congreg.* militat sub Regula ipsius Sanctissimi Patris pro Mulieribus specialiter edita, quæ habetur *tom.* 9. *Operum ejusdem pag.* 1378. Tambur. *loc. cit. n.* 3. & alii.

4 *Carmelitarum Ordo*, quem quidam antiquissimum ponunt, temporibus Alexandri III. Summi Pontificis circa ann. Domini 1160. initium sumpsit. At quia sine aliqua certa Regula Religiosi hujus Ordinis tunc vivebant, hinc non dicitur originata hæc Religio dicto tempore, sed tempore Honorii III. quando Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano acceptam, prædictus Pontifex confirmavit ann. 1226. Constit. 8. incip. *Ut vivendi*. Divisus est hic Ordo in Conventuales, & Observantes; Obediunt tamen eidem Generali. Tamb. *loc. cit. num.* 4. S. Anton. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 8. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 4. *pag.* 279. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 1. *cap.* 25. Cassan. *in Catalog. glor. mund. part.* 4. *consid.* 7. & alii.

5 *Carmelitarum Discalceatorum Congr. Hispanica* sub eadem Regula in suo primævo rigore sine ullis Pontificiis moderationibus instituta est circa annum 1565, a S. Theresia, & approbata fuit a Gregorio XIII. Constitut. 64. incip. *Pia consideratione*. Tamb. *loc. cit. num.* 6. Barbos. *loco cit. num.* 29. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 3. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 4. *p.* 279. & alii.

Carmelitarum Discalceatorum Cong. Itala eadem prorsus erat cum præcedenti, sed eam ab illa separavit Clemens VIII. Constitut. 71. incip. *In Apostolicæ*. Tambur. *loc. cit. num.* 7. Barbos. *loco citat. num.* 31. Morigia *loco citat.* Marulus *loco citat.* & alii. 6

Monialium Carmelitarum Cong. instituta, ut supra dictum est, a S. Theresia, divisa est in Hispanam, & Italam, uti divisa est Congregatio Religiosorum Discalceatorum, & vivit quælibet respective sub eadem Regula, & forma suæ Congreg. Tamb. *loco citat. num.* 8. & alii mox citati. 7

Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Equestris Ordo institutus est ab Henrico IV. Galliæ Rege ad exaltationem S. R. E. ac hæresum extirpationem anno 1608. & confirmatus fuit a Paulo V. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*. Tambur. *loco cit. num.* 9. & alii. 8

Minimorum S. Francisci de Paula Ordo institutus est circa annum 1436. a S. Francisco de Paula (Paula est parva Urbs in Calabria Regni Neapolitani,) & approbatus fuit a Sixto IV. Constit. incip. *Sedes Apostolica*. Tamburin. *l. c. num.* 10. Barbosa *loc. cit. num.* 188. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 1. *c.* 49. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 5. *pag.* 360. Miranda in *Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 11. & alii. 9

Clericorum Regularium Societatis Jesu Ordo institutus fuit circa annum 1534. a S. Ignatio de Loyola Nobili Cantabro, & approbatus fuit a Paulo III. Constit. 25. incip. *Regimini*, & iterum a Julio III. Constit. 9. incip. *Episcopis*, & a Gregor. XIII. Const. 89. incip. *Ascendente*, & Gregor. XIV. Constitut. 10. incip. *Ecclesia*; Tambur. *loc. c. q.* 8. *num.* 1. Barbosa *loc. cit. num.* 189. Azorius *Instit. moral. part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 7. Suarez *de Relig. t.* 4. *tract.* 20. *per tot.* Tapia in *Authent. Ingressi, verb. Monasteria cap.* 11. *num.* 8. *de Sacrosanct. Eccles.* Emmanuel *qq. Regular. tom.* 1. *q.* 1. *art.* 4. & *q.* 56. *art.* 1. Miranda *loco cit. tom.* 1. *q.* 10. & alii passim (*). Ordinem istum anno 1773. abolevit Clemens XIV. cujus abolitionis litteras Apostolicas dedimus Tom. IV. verb. *Jesu Societas* (*). 10

Clericorum Sæcularium de Oratorio Congr. instituta fuit a S. Philippo Nerio Florentino ann. 1550. & confirmata fuit a Gregorio XIII. Constit. incip. *Copiosus*. Hujus Congregationis alumni statum, & Professionem Cleri sæcularis retinentes absque ullo Regulari voto, & vinculo, sub particularibus Constitutionibus, & Obedientia Superiorum simul habitant, & communem vitam degunt, & spiritualibus exercitiis animarum saluti incumbunt. Tamb. *l. c. qu.* 8. *num.* 2. Marulus in *Oceano Relig. lib.* 5. *pag.* 436. Miræus in *Libello de Congreg. Cleric. in communi viventium cap.* 10. *pag.* 85. & *c.* 11. ubi refert Decretum Gregorii XV. in quo decernitur, quod unaquæque Domus Congregationis Oratorii se ipsam per se regat, nec plures insimul uniri valeant. Ordinationes, & Instituta dictæ Congregat. approbavit, & nonnulla Indulta eidem concessit Paulus V. Const. 4. incip. *Christifidelium*. 11

12 *Clericorum de Oratorio Jesu Congregatio Gallica* instituta est a Petro de Berulle Presbytero Parisino, doctrina & pietate eximio & Postea S. R. E. Cardinali, & ad istantiam, & petitionem Mariæ Mediceæ Galliarum Reginæ, & Petri Gondii Archiepiscopi Parisiensis a Paulo V. confirmata fuit anno 1613. Constit. incip. *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ*. Tambur. *loco citat. num.* 3. Miræus *in Libello de Congr. Clericorum in communi viventium capitul.* 43. *pag.* 184. Graveson in *Histor. Eccles. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 581. *primæ impressionis Romanæ*.

13 *Matris Dei Lucæ Clericorum Regularium Cong.* fuit primitus erecta sub titulo Congregationis Clericorum sæcularium B. Mariæ Virginis a Venerabili P. Joanne Leonardo e Terra Decimo Diœcesis Lucensis circa annum 1574. cujus primi Discipuli, & socii fuerunt tres Nobiles Lucenses, scilicet Joannes Baptista Cionius, Cæsar, & Julius de Franciottis Fatres germani, & Georgius Arrighinus de Ponterotto Diœcesis Lucensis, & confirmata fuit a Clemente VIII. Const. incip. *Ex quo* Et tandem Gregor. XV. de voto Sacræ Congregationis Episcop. & Regular. hujusmodi Congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbavit, prout ex Litteris sub forma Brevis, die 3. Novemb. 1621. desuper expeditis habetur; Tamburin. *loc. cit. num.* 4. Barbosa *loc. cit. num.* 162. P. Cæsar Franciottus *in lib. de vitis Sanctorum, quorum Corpora in Civitate requiescunt*, Josephus Matriarius ejusdem Congregationis Rector Generalis *in sua Historia miraculosæ Imaginis Beatissimæ Virginis nuncupatæ Sanctæ Mariæ in Porticu*.

14 *Oblatorum Sancti Ambrosii Congr.* instituta est a Sancto Carolo Borromæo circa an. 1580. In hac Congregatione sunt Religiosi homines, qui Sancto Ambrosio Mediolanensis Ecclesiæ Antistiti, ac patrono, ultro, suaque sponte sese obtulerunt sub Obedientia Archiepiscopi Mediolanensis pro tempore existentis, & Observantia aliquarum Constitutionum ad varia munia Ecclesiastica pro cujusque captu, ac viribus obeunda, & ad pia & exemplaria Opera Caritatis exercenda. Universa Congregationis Oblatorum quasi basis est Ecclesia S. Sepulcri Mediolani; ipsius Domus Præpositus est quasi secundus Superior, cum primarius, & supremus Superior sit Archiepiscopus Mediolanensis. Tambur. *loco citat. num.* 5. Vide *Acta, & Concilia Ecclesiæ Mediolanensis jussu S. Caroli Borromæi publicata*, ubi multa de hac pia & præclara Congregatione.

15 *Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum Congregatio* fuit auctoritate Clementis VIII. fundata circa annum 1596. a Josepho Calasantio (1), alias de Matre Dei ex clarissima Calasantiorum Familia in Regno Aragoniæ adhuc florenti oriundo, & per Paulum V. confirmata *die* 14. *Jan.* 1614. Constitut. 81. incip. *Inter Pastoralis Officii curas*: & tandem Gregorius XV. die 18. Novembris 1621. Constit. 14. incip. *In supremo* hanc Congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbavit. Barb. *loc. c. num.* 6. Graveson. *loc. cit. pag.* 582. & alii.

Monialium Visitationis B. M. Virginis Congregatio sic dicta a munere infirmos, & egenos visitandi, quo ob reverentiam Mysterii B. Virginis Mariæ visitantis S. Elisabetham, initio fungebantur aliquæ piæ feminæ, fundata fuit a S. Francisco Salesio Episcopo Genevensi, qui Monialibus hujus Ordinis Anessiaci in Sabaudia circa ann. 1610. Regularis vitæ normam præscripsit, eisque præfecit *B. Joannam Franciscam Fremiot de Chantal* in Galliis natam Divione Urbe Ducatus Burgundiæ, Diœcesis Lingoniensis, quæ nascentem hanc Congregationem instar Matris, ac Fundatricis lactavit, aluit, instituit, & propagavit. Et ea Sanctitatis fama in vita, & post mortem adeo claruit Venerabilis hæc Dei serva, ut nunc acta de ejus vita, virtutibus, ac miraculis in Sac. Rit. Congregatione examinentur, & spes firma adsit, ut Cœlitum albo propediem solemni ritu adscribatur. Et revera novissime, Deo dante, Beatorum fastis adscripta est die 23. Nov. 1751. a Benedicto XIV. Const. incip. *Cum Sextodecimo*. 16

(*) Atque a Clemente XIII. albo Sanctorum adjecta, ejusdemque Festum die duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens XIV. celebrari præcepit. (*)

Monialium Ursulinarum, seu Virginum, ac Viduarum Congregatio in Gallia sub nuncupatione S. Ursulæ ad erudiendas litteris, & bonis moribus puellas, fundata est Parisiis anno 1611. a Nobili *Maria L' huillier*, Domina S. Bobæ, quæ novæ a se institutæ Sodalitatis a Paulo V. Summo Pontifice approbationem obtinuit *die* 23. *Septemb. ejusdem anni* 1611. Graveson. *loc. c. pag.* 586. Non debet tamen hæc Congregatio confundi cum Congregatione Ursulinarum fundata a B. Angela de Desenzano, de qua satis dictum *supra art.* 5. *num.* 4. 17

Monialium B. Mariæ Virginis Congr. ad puellas litteris, & pietate imbuendas fuit fundata a Venerabili Servo Dei Petro Forrerio Parocho Montencurii in Lotharingia, & Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Salvatoris Reformatore. Graveson *loc. cit. pag.* 586. 18

Monialium Beatæ Mariæ de Calvario, & S. Scolasticæ Congreg. instituta fuit ab Antonietta Aureliana Ludovici Ducis Longavillani filia, quæ hanc Cong. inchoavit in Monasterio Pictaviensi in Galliis, ubi sexto post mense pie decessit *die* 25. *April.* 1618. Graveson. *loc. cit. pag.* 580. 19

Piorum Missionariorum Congr. instituta fuit circa annum 1621. a Carolo Caraffa Neapoli, e Nobilissima Familia oriundo, & approbata fuit a Gregorio XV. Const. incip. *Ex quo divina Majestas*. Graveson. *loc. cit. p.* 587. 20

Missionariorum Presbyterorum Sæcularium Congreg. & puellarum Caritatis Societas instituta est a S. Vincentio a Paulo circa annum 1626. & approbata ab Urbano VIII. 1632. Graveson *loc. cit. pag.* 21

(*1) Hunc Benedictus XIV. primum Beatorum cultu decoravit, deinde Clemens XIII. inter Sanctos olemniter retulit.

pag. 597. Marcus Battaglini Noceræ Episcopus *in Annalibus Sacerdotii, & Imperii anno* 1660. *n.* 35. Ludovicus Abelly Rhutenensis Episcopus *in ejus vita Parisiis impressa*, & alii.

22 De multis Militaribus Ordinibus nulli particulari Regulæ addictis, sed sub propriis Constitutionibus Equestre Institutum profitentibus. Vide Tamburin. *loc. cit. disp.* 24. *Quæsit.* 9. *per tot.* & eruditissimum P. Philippum Bonanni Societatis Jesu, qui egregie scripsit de omnibus Religionibus, & Ordinibus etiam Militaribus sub propriis Habitibus, & Insigniis, Franciscum Mennenium, & alios.

Additiones ex aliena manu.

23 Plura addere potuissemus, *in hisce sex articulis*, & in nonnullis *Auctorem* castigare. At ne nimii essemus in re, quæ forte nulli fere usui esse potest, satius existimavimus *Auctores* indicare, qui de origine, & variis Regularium speciebus accuratius quam *Auctor* disseruerunt.

24 Vide igitur Helyot *in Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum, ac Militarium*. Possunt etiam consuli Philippus Bonanni *de Hierarchia Ecclesiastica*, Coronelli *in Catalog. Ordin. Religios. eorumque indument. iconib. express.*

25 *Franciscus*, quoque *Floren.* Jurisconsultus celeberrimus, brevem, sed pereruditum composuit de statu Regular. tractatum, quo de origine, & variis institutis Eremitarum, Monachorum, Cœnobitarum, Anachoretarum cæterorumque Regularium tam in Oriente, quam in Occidente multa delibat.

26 De originibus Monasticis speciatim tractant Dandinus Altaserra, Aubertus Miræus, Rodulphus Hospinianus, Creccelius, aliique; Chopini Monasticon multa eruditione refertum, sed ut plurimum luce indiget, nec exhaurit ea, quæ ad monasticam disciplinam in universum pertinent.

Additiones Novæ.

27 (*) Vel inter Auctores de originibus Monasticis tractantes, ad quorum Opera Lectores rejiciebantur, numerandus Rodulphus Hospinianus non erat, vel illud una adnotandum, ejusdem Opus, cui titulus *De Origine, & Progressu Monachatus, ac Ordinum Monasticorum, Equitumque militarium, tam Sacrorum, quam Secularium omnium libri VI.* calumniis, mendaciisque scatere, ac tale prorsus esse, quale ab acerbissimo Catholicæ Fidei hoste expectari poterat. Vide Ven. Cardin. Bellarminum *De membris Ecclesiæ militantis lib.* II.

28 Ordinum Religiosorum Catalogum præter Scriptores sive a Lucio nostro, sive ab Auctore Addit. indicatos, dat Joannes Dominicus Musantius in Tabulis Chronologicis septima ætate tabula X. quæ inscribitur *Sacer Cœlibatus Ordines Religiosi* ex qua adscribere placet quæ ad sæc. XVIII. hoc est ab anno Christi 1700. ad 1750, leguntur. Sunt autem hujusmodi: „ Fratres Bethleemitæ instit. „ 1687. Mendican. privilegiis ornati 1707. Congreg. „ Piorum Operariorum Neapoli pridem in Urbem „ deducta stabilitur 1712. Antiquissimus Ordo E- „ questris Aureatus Constantinianus S. Gregorii a „ Francisco Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duce „ restitutus approb. Innoc. XII. & Clement. XI. „ Equestres Ordines S. Ludovici a Ludovico XIV. „ Aquilæ Albæ ab Augusto II. Rege Polon. S. Crucis, & Amoris erga Proximum ab Elisabetha „ Imper. Claustrales Professi anno 1726. prohibentur a Benedicto XIII. Constit. *Licet Sacra*, ne „ transeant ad alios Ordines, ubi observantia non „ vigeat, itemque ad Ordines Hospital. aut Militares. Ordo Scholarum Piarum multis Privilegiis „ ornatur a Clemente XII. Ordinem mixtum ex „ vita contemplativa, & activa, sive Heremitica, „ & Apostolica, & a Christi passione nuncupatum „ approbat Benedictus XIV. 1748. Ordo Equestris „ S. Gregorii martyris confirmatur in Bavaria a „ Rom. Pontif. & iterum 1741. eodem anno Ordo „ Equestris, sive Militia S. Januarii a Carolo „ utriusque Sic. Reg. instituta. Multa concessa Militiæ SS. Mauritii, & Lazari, & aliqua de eadem „ declarata, & sancita in Congr. *Fructuosa Militarium* ann. 1744. „ Ordinibus indicatis adde Congregationem a PIO VI. feliciter regnante confirmatam, cujus regulæ Constit. incip. *Injuncti nobis* approbatæ; ipsaque Congregatio in Regularem Ordinem Constit. incip. *Ex debito* ab eodem SS. Pontifice erecta, atque instituta est. Quas quidem Constitutiones ad litteram referre opportunum duximus. Sunt autem hujusmodi:

PIUS PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Injuncti nobis divinitus Pastoralis Officii ratio „ exigit, ut paternam Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ Religiosæ „ instituto mancipatorum curam gerentes, ipsos in „ salutari eorum vivendi norma, Regularique observantia confovere, atque conservare satagamus, „ ac proinde ea, quæ simili consilio, ac pro felici, „ prosperoque illorum regimine, & gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate permaneant, „ Apostolici muniminis præsidio roboremus. Exponi nobis siquidem nuper fecerunt dilecti Filii „ Fratres Pœnitentiæ nuncupati, quod pro felici „ ipsorum exponentium, & ipsius Religionis directione formatæ, seu compilatæ fuerunt nonnullæ Constitutiones tenoris qui sequitur videlicet. „ *Sequuntur Regulæ*. Cum autem, sicut eadem „ expositio subjungebat, dicti exponentes Constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistant, „ & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus „ quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum „ præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes,

 „ sup-

„ supplicationibus eorum nomine nobis super hoc „ humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum „ Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ad ipsas Constitutiones examinandas a „ nobis specialiter deputatorum consilio omnes, „ & singulas Constitutiones præinsertas Auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & „ approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos „ juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes litteras, & constitutiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suumque plenarium, & integrum „ effectum sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad „ quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & „ eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, „ vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis „ quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, „ confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & „ singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, „ & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum „ insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice „ dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, & impressis, & manu alicujus Notarii „ publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, „ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Maii MDCCLXXXIV. Pontificatus Anno Decimo.

Innoc. Card. de Comitibus.

Loco ✠ Sigilli.

PIUS PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Ex debito Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus, Congregationes Christifidelium Christum Dominum in paupertate, ac jugi corporum suorum mortificatione, ac pœnitentia proprius sectari suscipientes paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illorum statui, ac ut Personæ, quæ tam pium vitæ Institutum amplexæ sunt, in ea vocatione, qua vocatæ sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, & favoribus providere studemus, sicut omnibus mature consideratis ad omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur. Siquidem cum nos hodie per alias nostras in simili forma Brevis expeditas litteras, Regulas, & Constitutiones dilectorum Filiorum Fratrum Pœnitentiæ nuncup. approbaverimus, ac confirmaverimus, iidem Fratres, Nobis insuper exponi fecerunt, quod cum ipsi in Religiosa eorum Congregatione singula, quæ veros, & formales decent Regulares tum respectu habitus, tum cæterorum operum, ad quæ juxta prædictas Constitutiones tenentur, adimpleant, eamdem Congregationem in veram, & formalem Religionem, in qua non vota simplicia, sed expressa & solemnia, sicut in quatuor Mendicantium Ordinibus, cæterisque approbatis Religionibus in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur, itaut in posterum dictæ Congregationi Religionis, & Ordinis, ipsis vero Fratribus illud Religiosi, & Regularis nomen respective conveniat, & Religio hujusmodi quoad Personas, & Inservientes quoscumque a jurisdictione Ordinarii sub prædictis Constitutionibus, ut præfertur, auctoritate nostra Apostolica confirmatis exempta intelligatur, & esse debeat, per Nos erigi, & approbari, ac confirmari; Gratias, & privilegia spiritualia, quæ alias Fratribus Ordinis Sancti Francisci per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros fuerunt concessa, ipsis per Nos communicari summopere desiderent; Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prædictam Congregationem Fratrum de Pœnitentia nuncup. in veram Religionem cum votis solemnibus ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota hujusmodi in eadem Congregatione emiserunt, emittendis, ita tamen ut nova vota emittentes prius de inefficacia præcedentium votorum ad constituendum eos veros Religiosos certiorentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus, Gratias, & privilegia spiritualia alias, ut præfatur, per Romanos Pontifices Prædecessores nostros Fratribus Ordinis S. Francisci quomodolibet concessa etiam specifica, & individua mentione digna, & quibus memoratus Ordo S. Francisci de præsenti utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, vel poterunt in futurum, ad prædictam Congregationem, seu Ordinem Fratrum de Pœnitentia nuncup. & singulas illorum Conventus Domos, Loca Regularia, illorumque Superiores, Guardianos, Prælatos, ac quascumque Regulares personas auctoritate Apostolica tenore præ-

præsentium extendimus, illaque eis communicamus, concedimus, & indulgemus. Decernentes has præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, ac ab iis respective observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Congregationis, seu Ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Maii MDCCLXXXIV. Pontificatus Nostri Anno Decimo. „

J. Card. de Comitibus.

Loco ✠ Sigilli.

RELIQUIÆ.

1 Reliquiarum detractio in elevatione Corporum Servorum Dei prohibetur sub pœna suspensionis, Interdicti, & Excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 46. incip. *De Congregationis Venerabilium*.

2 Reliquiæ Sanctorum in locis, in quibus coluntur, solent præstare validum præsidium ad arcendas calamitates, & succurrendas necessitates; Bened. XIV. in Appendice ad Tomum 4. sui Bullarii Constitut. incip. *Jamdudum* §. 19. ubi adducit exempla. Reliquiæ Sanctorum, ut decenti loco statuantur, curæ Episcoporum mandatum est a Concilio Tridentino. Idem *ibid.* Constitut. incip. *Soror Imelda*, §. 1.

Reliquiis Sanctorum, utcumque exiguis, & licet ignoretur nomen proprium Sancti, cujus sunt hujusmodi exuviæ, cultus est exhibendus. Idem *ibid.* in d. Constitut. *Jamdudum* §. 1. & 2. Major tamen est fidelium devotio erga integrum corpus alicujus Sancti; si præsertim de ejus proprio nomine constet. Idem *ibid.* §. 3. 3

Reliquiæ Puerorum, cum notis Martyrii repertæ, cultum publicum in Ecclesia obtinuerunt. Bened. XIV. Constitut. incip. *Beatus Andreas*, §. 20. ubi ad id varia adducit exempla. Reliquiæ quæcumque ex Assisiensi Basilica, sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, excepto articulo mortis, aliisque gravibus pœnis, extrahi sine Pontificia dispensatione prohibentur. Idem Constitut. incip. *Fidelis Dominus* §. 13. 4

Alia ad rem. Vide verb. *Cultus Sanctorum*.

REMEX.

Christiani captivi in Triremibus Turcarum, vel Hæreticorum ob evitandam mortem sibi alias imminentem licite remigant contra Catholicos, sarcinas, & arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula ædificant, ad rapinas, & incendia cum Dominis Infidelibus cooperantur; Sic probabiliter cum Lessio, Sanchez, Suarez, Layman, Diana, Castropalao, Mendo, Busembaum, & aliis, La Croix *lib.* 2. *t.* 3. *cap.* 2. *art.* 3. *num.* 250. & 278. 1

(*) Quæstionem istam proponit Daniel Concina, atque ita dirimit in Theologiæ Christianæ Dogmatico-Moralis compendio, lib. III. in Decal. Dissert. IV. De vitiis contr. carit. cap. III. num. XIV. „ Disputant in utramque partem Theologi. Adfirmantem sententiam probabiliorem judico, vero in sensu explicatam. Distinguenda sunt diversa remigandi tempora. Primum cum exploratum captivis Christianis est in pugna committenda victores Christianos futuros adversus Turcas. Secundum cum bellum est injustum, imminetque Christianis libertatis, bonorum, vitæque jactura. Tertium cum Christianis imminet dumtaxat bonorum externorum jactura, remigibus vero captivis vitæ amissio, aut membrorum mutilatio. In primo, & tertio casu licite remigare captivos Chtistianos posse adfirmant omnes. De secundo casu Theologi disputant: & sententia quæ gravis culpæ reos captivos remigantes adversus innocentes Christianos damnat, mihi probabilior est. Quoniam nullo jure permissum est suppetias ferre alteri adversus innocentes, quos lædere crimen est. Peccant autem Turcæ bello injusto Christianos occidentes: peccant ergo & Christiani auxilium Turcis præbentes in hac injusta actione. Nec video qua ratione opposita opinio non contineatur in damnatione Innocentii XI. Si nequeunt famuli heros suos cymba pergentes ad constuprandas virgines adjuvare remigando, aut ascendentes per fenestras ad fornicandum, ad occidendum scalas te- „ ne-

„ nere, vel humeris eas sustinere: qua ratione possunt captivi Christiani sua remigatione Turcarum classem impellere ad Christianorum perniciem? Remigatio indifferens est absolute spectata, sicut tenere scalam, & humeris alium sustinere; at spectatis circumstantiis noxia est, ut innumeris patet exemplis. (*)

2 Remiges coacti confugientes libere ad Ecclesiam gaudent Immunitate, & Archiepiscopus ab illorum extractione abstineat. *Sacr. Congr. Immunit. in Neapolitana 27. Augusti 1660. lib. Decr. Rocci p. 281. in Aquilana 10. Maii 1639. lib. 3. Decret. Paul. p. 99. in Oppiden. 21. Mart. 1643. lib. 5. Decr. pag. 247.*

3 Consequenter nec Episcop. sine facultate Apostolica potest eos consignare. *Sacr. Congreg. Immunit. in Barchinonen. 19. Jul. 1661. lib. Decret. Rocci p. 347.*

4 Transmissi ad Triremes pro reintegratione violatæ Immunitatis debent ad locum immunem, a quo fuerunt extracti, remitti. *Sacr. Congreg. Immun. in Tropien. 1. Sept. 1643. lib. 3. Decr. Paul. p. 209.*

5 Remiges etiam Triremium Sedis Apostolicæ extracti ab Ecclesia, gaudent Immunitate Ecclesiastica, & sunt restituendi. *Sac. Congreg. Immun. in Viterbien. 21. Januar. 1676. lib. 1. Decret. Altov. p. 1101.*

6 Condemnati ad Triremes, qui confugerunt ad Ecclesiam ligati iisdem catenis, quas ferebant, extracti a militibus, gaudent immunitate, & sunt restituendi; *Sacra Congregatio Immunitat. in Neapolitana 15. Maii 1685. lib. 2. Decretor. Altov. p. 446.*

7 Licet condemnati ad Triremes, & Milites servientes in Triremibus gaudeant Immunitate, attamen Sanctissimus concedit Episcopo facultatem ad annum eos extrahendi etiam cum coactione, & consignandi prævia obligatione juratoria non puniendi eos, cum comminatione Censurarum in casu contraventionis. *Sacr. Congreg. Immunit. in Anconitana 6. Septembr. 1672. lib. 1. Decret. Altov. p. 728. & Januen. 28. Junii 1658. lib. 2. Decret. Vallem. p. 159.*

8 Pariter conceditur facultas, annuente Sanctissimo, ad tempus extrahendi, & consignandi condemnatos ad Triremes cum solitis Clausulis. *Sacra Congregat. Immunit. in Neapolitana 9. Novembris 1660. lib. Decretor. Rocci pag. 296.*

9 Sacerdos ad Triremes Pontificias per decennium condemnatus, aufugiens e carceribus, in quibus adhuc detinebatur, & confugiens in Ecclesiam, gaudet immunitate Ecclesiastica, quamvis a d. sententia non appellaverit. *Sacra Congregat. Immunit. in Anglonen. 22. Jun. 1660. lib. Decr. Rocci p. 260.*

10 Remex coactus confugitus ad Ecclesiam, ex gratia specialissima, facto verbo cum Sanctissimo, conceditur remitti ad Triremes, ita tamen, ut in aliquo non possit puniri ratione fugæ, & declaretur ipsum gaudere debere immunitate Ecclesiastica. *Sac. Congreg. Immun. in Neapolitana 14. Aug. 1634. lib. 2. Decr. Paul. pag. 198.*

11 Ex gratia speciali mandatur Episcopo, ut sibi constito de concludenti probatione delicti, & facta per ipsum desuper declaratione, faciat consignare Curiæ Sæculari reum die præcedenti a transmissione ad Triremes condemnatum, præviis promissionibus, & cautelis solitis, & signanter quod finito tempore condemnationis ad Triremes, restituatur eidem Ecclesiæ, a qua fuit extractus. *Sacr. Congregat. Immunit. in Savonen. 21. Novemb. 1635. ibi pag. 239.*

Datur facultas, annuente Sanctissimo, extrahendi ad formam *c. Inter alia de Immun.* mancipatos servitio Triremium, & consignandi eorum Capitaneo cum solitis clausulis. *Sac. Congr. Immunitat. in Milevitana 5. Jul. 1669. lib. 1. Decret. Altov. pag. 238. in Taurinen. 9. Septembris 1670. ibi pag. 478.* 12

Condemnati ad Triremes extracti a Laicis gaudent Immunitate, & ideo sunt restituendi Ecclesiæ, & secuta restitutione, pro hac vice tantum datur facultas eos extrahendi, & consignandi ministris laicis, dato juramento de non puniendo pro fuga. *Sacr. Congreg. Immun. in Taurinen. 8. Novembr. 1687. lib. Decr. Mart. p. 187.* 13

Remex coactus, extractus sine facultate Apostolica, restituatur, & deinde datur facultas eum extrahendi ad formam. *Sacra Congreg. Immunit. in Sutrina 17. Jun. 1673. lib. 1. Decret. Altoviti p. 812. in Januen. 28. Jan. 1698. lib. 2. Decr. Vallem. p. 159.* 14

Mandante Sanctissimo datur Nuncio facultas etiam cum potestate subdelegandi Episcopos ad effectum extrahendi Remiges Triremis Pontificiæ, qui arripuerunt fugam occasione naufragii, ac confugerunt ad loca immunia. *Sacra Congreg. Immun. in Neapolitana 9. Nov. 1696. lib. 2. Decret. Vallem. p. 55.* 15

Annuente Sanctissimo, conceditur facultas Episcopo extrahendi Remiges spontaneos dictos *di buona voglia* ab Ecclesiis, & locis immunibus ad formam *c. Inter alia, de Immun.* dummodo pro delictis, ob quæ confugerunt, & pro fuga fiat promissio non puniendi. *Sacra Congregat. Immun. in Milevitana 3. Dec. 1674. lib. 1. Decr. Altov. p. 1035.* 16

Renovantur facultates pro extractione Remigum a locis immunibus pro duodecim casibus. *Sacra Congr. Imm. in Neapolitana 1. Mart. 1692. lib. Dec. Grim. p. 94.* 17

Remex coactus extractus de mandato Sanctissimi restituitur in alia ab Ecclesia extractionis, deinde extrahitur, & consignatur Officialibus Triremium cum solitis clausulis. *Sac. Congreg. Immun. in Viterbien. 12. Jan. 1694. lib. Decret. Valleman. p. 20.* 18

Ad Triremes damnatus, licet non remigaverit, quando delictum propter quod damnatus fuit, infamiam irrogat, expleto tempore, non est rehabilitandus ad exercitia Ordinum. *Sacra Congreg. in Romana, seu Ravellen. 6. Jul. 1726.* 19

REPRÆSENTATIONES, AN, ET QUÆ FIERI POSSINT IN ECCLESIIS. Vide verb. *Ecclesia art. 5. a n. 49. ad 52.*

RE-

REPUDIUM.

1 REpudium in Veteri Testamento permissum fuit Judæis ob eorum cordis duritiem. Benedict. XIV. tom.2.Constitut. 38. incip.*Apo-
2 stolici Ministerii*. Sed in nova Lege Gratiæ veti-
3 tum est. Idem *ibid.* Repudii libellum non licet Judæis ad Fidem conversis dare uxoribus in judais-
4 mo remanentibus. Idem *ibid.* Repudii libellum, si quis Neophytus Rabinicis superstitionibus inveniatur dedisse uxori recusanti se convertere, in eum tamquam judaizantem animadvertendum es-
5 se statuitur. Idem *ibid.* Si autem id fecerit coram Notario, & testibus Christianis, minori pœna plectendus erit. Idem *ibid.*

RESCRIPTUM.

1 REscriptum vi nominis importat omnes responsiones ad quamcumque petitionem scripto datas. Unde in hoc sensu Rescriptum idem significat, ac *Responsum scriptum*, quo nimirum rescribitur absenti, & sic etiam scriptæ Epistolæ responsoriæ privatorum Rescripta dici possunt. Gregor. Tholosan. *lib.* 1. *de Rescript.num.*4. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. §. 1. Reiffenstuel *ibidem n.* 2.
2 & alii passim. In proposito autem non de privatorum, sed supremorum Principum Rescriptis est sermo. Et Rescriptum sic captum *Responsum à Supremo Principe ad consultationem, relationem, vel supplicationem alterius in scripto datum*, sic dictum, non quasi iterum scribatur, sed quasi responsum scriptum. Colligitur *ex l. Appellandi usus*, 1. §. 1. *&* 2. *ff. de appellationib. & relationib. ad Rubr. de Rescriptis num.* 2. Hostiens. *ibid.* Azorius *part.* 1. *Institut. moral. lib.* 5. *quæst.* 1. Pirhing *loc. citat. num.* 1. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 2. & alii communiter.

3 Rescriptum dividitur in Rescriptum Justitiæ, &
4 in Rescriptum Gratiæ. *Communissima*. Rescriptum *Justitæ* est illud, quod datur ad explicandum, seu declarandum Jus pro justitia administranda in decisione causarum inter partes. *Est in re commu-*
5 *nis*. Rescriptum *Gratiæ* est illud, quod ex mera gratia, & liberalitate Principis datur ad obtinenda Beneficia, & alias consimiles gratias. *Est in re communis*.

6 In Apostolicis Rescriptis *Justitiæ* apponi solet filium *Canabis*, in quo plumbum pendet; In Rescriptis vero *Gratiæ* apponi solet filum *Sericum*. Unde *in cap. Quam gravi 6. de crimine falsi* dicitur, quod ad deprehensionem falsi filum Bullarum sit diligenter inspiciendum. Engel. *lib.* 1. *Decr. tit.* 3. *num.* 17. Rebuff. *in praxi Beneficiorum in tit. differentiæ inter Rescripta Gratiæ, & Justitiæ*, & alii passim.

7 Rescripta tum *Justitiæ*, tum *Gratiæ* impetrare potest omnis ille, qui non reperitur expresse a Jure prohibitus. *Communis, arg. cap. Jam nunc 8. caus.* 28. *q.* 1. *& cap. Non indiscrete* 1. *de Procuratorib. in 6.* Dicta tamen Rescripta impetrare pro- 8
hibentur Hæretici; *l. Nullus 2. Cod. de Summa Trinitate*. Item Rescripta impetrare prohibentur Ex- 9
communicati Excommunicatione majori, *c. Dilectus, de Rescriptis*. Unde Rescripta impetrata ab 10
Excommunicatis ipso Jure sunt nulla, nisi in causa ipsius Excommunicationis, vel appellationis sint impetrata, textu expresso *in c. Ipso Jure* 1. *de Rescriptis in 6.*

Rescripta Justitiæ, seu ad lites sunt præsentan- 11
da intra annum, postquam impetrans habuerit copiam Judicis Delegati; Alioquin valet secundum Rescriptum ab Adversario impetratum, etiam non facta mentione de primo. *Communis*, textu expresso *in cap. si autem 9. & cap. Plerumque 23. de Rescriptis*.

Rescriptis autem Gratiæ, & ad Beneficia non 12
est tempus in Jure præfixum, quo præsentari debeant, *cap. Si autem 9. de Rescriptis*, & *ibi* DD. communiter. Dummodo tamen impetrans per no- 13
tabilem negligentiam, aut dolum, seu malitiam diutius, seu longius, uti non postposuerit, quia si interim aliquis impetraverit aliud contrarium Rescriptum, tunc secundus impetrans in assecutione Beneficii præferendus esset primo. *Communis* per text. *in cap. Ubi qui gratiam 12. de Rescriptis in 6.* ibi: *Cum tamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia imputari, & cap. si Clericus* 11. *de præbend. in 6.* ibi: *Cum facta ei gratia, per ipsius negligentiam sit extincta*.

Quando autem aliquis debeat dici negligens in 14
præsentandis Rescriptis Gratiæ, relinquitur arbitrio Judicis dijudicandum, inspecta qualitate Personæ, & loci distantia, ac qualitate causæ; *argum. cap. Cum sit Romana 5. de appellat.* Glossa *in citat. cap. si Clericus 11. de præbend. in 6. in verb. Negligenter*, per textum notabilem in *l. Continuus §. Cum ita, ff. de verbor. obligationibus* Panormitanus in *cit. cap. si autem 9. de Rescriptis num.* 4. Alexander *lib.* 1. *consil.* 19. *num.* 29. Menochius *de Arbitr. Judic. cas.* 104. *num.* 4. Engel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. *num.* 23. Reiffenstuel *ib. num.* 66. & alii passim.

In Rescriptis Justitiæ attenditur, & inspicitur 15
tempus *Præsentatæ*, seu factæ præsentationis. *Communis*, per text. in cap. *Ut debitus 59. de appell.* In his enim Rescriptis Justitiæ subintelligitur tacita conditio, si præsententur, *arg. c. Super eo 12. de appell.* ibi: *si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum Judices contigerit Litteras recepisse*.

In rescriptis autem Gratiæ attenditur, & inspi- 16
citur tempus *Datæ*. *Communis*, per text. *in c. Eam te 7. de Rescriptis*, ibi: *Quod nullatenus fecisse deberes, si Datam Litterarum diligentius attendisses*, & concordat *cap. constitutus 19. juncta Glossa ibidem verb. Impetrasse, de Rescriptis, & cap. Eum cui 7. de præbend. in 6.* in cujus Summario sic expresse habetur: *In impetratione Beneficiorum inspicitur Data, non præsentatio, vel receptio*, & clare habetur decisum in *cap. si eo tempore 9. de Re-*

Rescriptis in 6. ubi Pontifex resolvit, quod virtute Rescripti Beneficialis non possit conferri Beneficium Curatum illi, qui tempore *Datæ* ipsius Rescripti nondum habebat ætatem idoneam ad illud, etiamsi postmodum fuerit effectus legitimæ ætatis, reddita hac ratione: *Cum tempore Datæ ipsarum adhuc non esset idoneus*, & in ejus Summario expresse dicitur: *in Litteris ad Beneficia impetratis inspicitur tempus datæ. Unde per illas Beneficium Curatum obtinere non poterit, qui licet nunc sit major, illo tempore minor erat.*

17 Rescripta omnia tum Justitiæ, tum Gratiæ, sicuti & Privilegia, quando verba sunt clara, intelligenda sunt, & interpretanda secundum propriam significationem, & communem usum loquendi; *l. Licet Imperator, ff. de Legatis* I. *& l. Ille, aut Illa, ff. de Legatis III. cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis, c. Porro, de Privileg.*

18 Rescripta Justitiæ, seu ad lites in dubio, si de contraria voluntate Rescribentis non constet, intelligi, & interpretari debent secundum Jus commune, ita ut ab illo nullimode recedatur, quamvis necessarium foret a verborum proprietate recedere, vel clausulam adjectam transponere, *cap. Cautum* 18. *de Rescriptis*, ubi circa hoc habetur casus, & Decisio singularis, ut notant *ib.* Abbas *num.* 1. Felin. *n.* 9. Fagnan. *num.* 4. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. *num.* 15. Reiffenstuel *ibidem num.* 110. & alii communiter. Et ratio est, quia Rescripta Justitiæ, seu ad lites dantur ad Juris observantiam. Unde in dubio non censetur Papa, seu Princeps velle decernere aliquid juri communi contrarium, quia mens Principis censetur esse talis qualis de Jure esse debet, *l. Ex post facto* 33. *ff. de vulg. & pupill. substitut.* Adeoque in tali casu, si Ordo, aut constructio verborum aliam explicationem, aut sensum non admittat, nisi qui sit contrarius Juri communi, potius præsumendum est, per errorem Scriptoris verba esse transposita, vel aliter mutata, cujusmodi error veritati obesse non debet; *l. Errore* 7. *& l. Ambiguitates* 24. *Cod. de Testamentis.*

19 Præterea Rescripta Justitiæ, seu ad lites sunt stricte interpretanda, nec ad casum, vel Personam in Rescripto non expressam sunt extendenda. Glossa communiter recepta in *cap. Nonnulli* 28. *verb. Lites restringendæ, de rescriptis, c. olim* 32. *& c. P. G. de Offic. & Potest. Judic. Delegat. c. Quod alicui* 74. *de Regul. Juris in* 6. Pirhing *loc. cit. num.* 17. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 121. Felinus in *cit. cap. causam* 28. *de Rescriptis num.* 8. & alii passim. Et ratio est, quia per Rescripta Justitiæ, seu ad lites detrahitur jurisdictioni Judicum Ordinariorum, simulque per ea præbetur ansa, & materia litigandi, adeoque merito censeri debent odiosa, cum omnis recessus a Jure communi censeatur odiosus: *c. Is qui* 1. *& c. si quis* 2. *de Filiis Presbyterorum in* 6. sicque restringenda, & non extendenda; *c. Odia* 15. *& c. Quæ a Jure* 28. *de Regul. Juris in* 6.

20 Rescripta Gratiæ, quæ nemini præjudicant, sunt, generaliter loquendo, late interpretanda. *Communis*, textu expresso *in l. Beneficium ff. de Constitutionibus Princip. c. Cum olim* 16. *de verbor. signific. c. Quia circa* 22. *de Privileg. c. Quamvis* 4. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Favores convenit ampliari.*

Rescripta autem impetrata ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda sunt stricte interpretanda, & restringenda, quia sunt ambitiosa, seu per ambitionem impetrari solent. *Communis*, textu expresso in *cit. cap. Quamvis* 4. *de præbend. in* 6. ibi: *Quamvis plenissima sit alias in Beneficiis interpretatio facienda, Litteræ tamen super obtinendis Beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi.* 21

Unde ad rem habentur exempla valde notanda *cap. Cui de non Sacerdotali* 27. *de Præbend. in* 6. ibi: *Cui de non Sacerdotali Præbenda provideri mandatur, sibi etiam volenti Sacerdotalis auctoritate mandati hujusmodi conferri nequibit. Similiter, si in Ecclesia, in qua integræ, ac dimidiæ Præbendæ habentur, mandatur integra conferri Præbenda, quamquam ille, pro quo scriptum extitit, dimidia velit esse contentus, ei de ipsa non poterit provideri. Idem cum injungitur provideri alicui de Præbenda certi valoris, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri; non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quam expressos extendi.* 22

Qualis autem interpretatio facienda sit in Rescriptis, que habent vim Privilegii? Vide verb. *Privilegium art.* 2. *a n.* 19. *ad* 28. 23

Rescripta Gratiæ, & ad Beneficia per subreptionem, vel obreptionem obtenta sunt ipso Jure nulla. *Communis, in c. Constitutus* 19. *& cap. Ad Audientiam* 31. *de Rescriptis, cap. Si is* 2. *de filiis Presbyteror. in* 6. ibi: *Talis dispensatio... veluti per subreptionem obtenta nullius penitus est momenti, cap. Si metu* 23. *de Præbend. in* 6. ibi: *Ipsam* (gratiam) *veluti subreptitiam vires nolumus obtinere.* Clementin. *Si Dignitatem* 1. *de Præbend.* ibi: *Gratia hujusmodi velut subreptitia nullius penitus est momenti.* 24

Rescripta autem Justitiæ, seu ad lites per subreptionem etiam dolosam non vitiantur ipso Jure sed dumtaxat ope exceptionis, idest valida sunt, donec Adversarius, contra quem impetrata sunt, de subreptione ipsorum excipiat, & vere subreptitia demonstret. *Communis*, per text. *in c. Si autem* 9. *& c. Plerumque* 22. *de Rescriptis*, ubi habetur, quod si posterius Rescriptum ad alios Judices impetretur, non facta mentione prioris Rescripti, per exceptionem rejici potest, nisi is, qui prius Rescriptum impetravit, eo per annum dolo vel negligentia uti intermittat. 25

Ratio autem hujus discriminis inter Rescripta Gratiæ, & Justitiæ est, quia in Rescriptis Gratiæ non est pars, quæ possit excipere de subreptione. Unde, cessante provisione hominis, necesse fuit, ut Lex ipsa provideret, ipso Jure hujusmodi Rescripta subreptitie obtenta irritando, & cassando, ut sic falsus Precator consuleret suæ conscientiæ per cessionem Beneficii, ut notat Glossa *in cap. Cum pridem* 10. *de renunciatione verb. Sed dumtaxat.* At vero in Rescriptis Justitiæ, seu ad lites, adest pars, cujus interest, quæ potest de eorum subreptione excipere, & appellare. Unde stante provisione hominis, non fuit necesse, ut Lex provide- 26

videret per irritationem hujusmodi Rescriptorum. Fagnan. in *cit. cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 37. Pirhing *loc. cit. num.* 85. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 173. & alii, qui asserunt alias rationes discriminis apud ipsos videndas.

27 Rescripta sive Justitiæ, sive Gratiæ, generatim loquendo, duas ob causas fiunt subreptitia, seu obreptitia. Primo ob taciturnitatem veritatis ad rem per se, seu intrinsece pertinentis, adeoque necessario exprimendæ. Secundo per expressionem falsitatis itidem per se, & intrinsece ad rem spectantis; *c. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: *Tacita veritate*, vel suggesta falsitate. Et infra *Falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem*. Et infra: *Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis*. Et colligitur etiam *ex l. Præscriptione* 2. *Cod. Si contra Jus*, *l. Quidam* 1. *Cod. Si Nuptiæ ex Rescripto*; *l. Si quis obrepserit* 29. *ff. de Lege Cornelia, de Falsis*.

28 Inter *Obreptionem*, & *Subreptionem* nonnulli volunt adesse hanc differentiam, quod nempe *Obreptio* committatur per narrationem, seu expressionem falsi, & *Subreptio* per taciturnitatem veri necessario exprimendi; vel quando per confusam, aut perplexam, seu callidam ejus narrationem occultatur. Sic plures Doctores apud Menoch. *de Arbitrar. Jud. cas.* 201. *num.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 21. *numer.* 2. Barbosa in *cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis n.* 3. qui proinde addunt, quod majus est vitium *Obreptionis*, quam *Subreptionis*, cum gravius sit falsum exprimere, quam verum tacere; Quam differentiam semper menti tenendam vult Abbas in *cap. Cum Dilecta* 22. *de Rescriptis n.* 7.

29 Alii autem fere communiter volunt, quod *Obreptio*, & *Subreptio* sint termini synonimi, & indifferenter ac promiscue illos usurpant, appellando omnia Rescripta male impetrata Obreptitia, vel Subreptitia, sive falsum in iis narretur, & exprimatur, sive veritas necessario explicanda taceatur. Ita Abbas in *cit. cap. Cum Dilecta* 22. *de Rescriptis num.* 7. Fagnan. in *cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis num.* 5. cum pluribus ibi citatis, Jason. in *cit. l. Præscriptione* 2. *Cod. Si contra Jus num.* 1. Decius in *cit. cap. Super litteris num.* 1. Menochius *de Arbitrar. Jud. cas.* 201. *num.* 10. ubi alios plures allegat, Pirhing *loc. cit. num.* 86. *in fine*. Reiffenst. *loc. cit. num.* 155. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disp.* 21. *num.* 2. & alii. Et hoc colligitur ex pluribus Juribus, tam Canonicis, quam Civilibus, in quibus *Obreptio & Subreptio* pro synonimis & idem importantibus accipiuntur; Et quidem sic accipiuntur in *cap. Quisquis metu* 79. *caus.* 11. *quæst.* 3. ibi: *Uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit*, & idem ipsissimis verbis habetur in *cap. Falsidicus* 1. *de crimine falsi*, & clarius habetur in *cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ubi per totum parificantur taciturnitas veri ceteroquin de Jure exprimendi, & narratio, seu expressio falsi, uti notat Fagnan. *ibid. num.* 25. cum aliis; & patet ex verbis textus adductis *supra num.* 27. Idem habetur *ex l. Quidam* 1. *Cod. Si nuptiæ ex Rescripto*, ubi eadem Rescripta modo *obreptione precum* modo *subreptione precum* impetrari dicuntur. Item *ex l. Si quis obrepserit* 29. *ff. De Lege Cornelia, de falsis*, ibi: *Si quis obrepserit Præsidi* (veritatem in precibus ab eo datis non adjiciendo) perinde *punitur, atque si falsum fecerit*. Item *l. Præscriptione* 2. *Cod. Si contra Jus*, ibi: *Sive in Juris narratione mendacium reperiatur, sive facti, sive in tacendi fraude; pro tenore veritatis, non deprecantis affirmatione datum Judicem cognoscere debere*.

Obreptio, seu Subreptio dolosa vitiat Rescriptum in totum. *Communis* per textum expressum *in cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: *Qui priori modo* (idest per fraudem, vel malitiam) *falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis Litteris commodum consequantur*; Et ratio est, quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent; *cap. Sedes* 15. *& cap. Ex tenore* 16. *de Rescriptis*, *cap. Ex litteris* 2. *de dolo, & contumacia*; *cap. Tuæ* 12. *de Clericis non resident. l. In fundo, ff. de Rei vindic. l. Cum hi, de transactionibus, l. Si Legatarius, Cod. de legatis*, cum similibus. 30

Obreptio, seu Subreptio ex ignorantia, vel simplicitate vitiat Rescriptum in totum, si Pontifex, vel Princeps, cognita veritate nullo modo dedisset tale Rescriptum. *Communis*, per textum expressum *in cit. cap. Super Litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: *Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis* (ex ignorantia, vel simplicitate) *Litteræ fuerint impetratæ, quæ tacita, vel expressa Nos nullas prorsus Litteras dedissemus, a Delegato non est aliquatenus procedendum*. Unde Felinus in Summario in *cit. cap. Super litteris* expresse dicit: *Subreptio, si processit ex simplicitate, vel ignorantia, eatenus vitiat, quatenus fuit causa concessionis, arg. leg. Adigere* 6. §. 2. *ff. de Jure patron. cap. Cum cessante* 60. *de appellat.* cum similibus. 31

Obreptio, seu Subreptio ex ignorantia, vel simplicitate non vitiat substantiam Rescripti, si Pontifex, vel Princeps alias expressa veritate, vel tacita falsitate adhuc ipsum Rescriptum concessisset. *Communis*, per textum expressum in *cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: *Si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita, vel expressa, Nos nihilominus (saltem forma communi) Litteras dedissemus, Delegatus non sequens formam in Litteris ipsis appositam, secundum Ordinem Juris in causa procedat*. 32

Et hoc locum habere nedum in Rescriptis Justitiæ, & ad lites, sed etiam in Rescriptis Gratiæ, & ad Beneficia, tenent Abbas *in cit. cap. Super litteris num.* 5. Felinus *ib. num.* 2. citans Butrium, Imolam, & alios, Fagnan. *ib. num.* 54. *& seq.* citans multiplicem Decisionem Rotæ; Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 3. *a num.* 161. *ad* 199. ubi solvit contraria; Engel *ib. num.* 12. & alii per text. *in cap. Si eo tempore* 9. *de Rescriptis in* 6. *cap. Si pro Clericis*; *& cap. Dudum* 14. §. *Nos igitur, de Præbend. in* 6. 33

Error manifestus & gravis latinitatis vitiat Rescripta Apostolica. *Communis*, per expressum textum *in cap. Ad audientiam* 11. *de Rescriptis*, ibi: *Quibus Litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere*; Cum enim Re- 34

Rescripta Apostolicæ transeant per multas manus, magnaque maturitate consilii decoquantur, sive concipiantur; *cap. Apostolicæ* 4. *caus.* 35. *qu.*9. & *ibi* Gloss. verb. *Decoquantur*, non est verisimile, quod ex tam multis doctis, & cautis Officialibus, nullus viderit manifestum, & gravem errorem latinitatis, aut si viderit, ipsum reliquerit incorrectum; adeoque stat fundata præsumptio, quod Rescriptum adeo vitiosum processerit extra voluntatem Papæ, & ab alio fuerit falsificatum.

35 Dicitur autem notanter *error manifestus*, *& gravis*, quia error levis, verbi gratia defectus unius litteræ, vel syllabæ non vitiat ipsa Rescripta, cum de facili possit etiam plurium oculos subterfugere. *Communis*, textu expresso *in cap. Ex part.* 11. *de Fide Instrumentorum*, ibi: *Quia rescriptum Apostolicum pro eo, quod in hac dictione spoliarunt hæc figura O deerat, asseritur vitiosum; mandamus quatenus hoc non obstante in negotio ipso ratione prævia procedas*, & concordat textus *in leg. Qui habebat* 54. *ff. De manumissis testament.* ubi licet Testator manumissurus unicum suum servum vocaverit eum *Cratistum* cum appellaretur *Cratinus*, respondetur *Nihil obesse, quod in syllaba errasset*, in cujus Summario Bartolus expresse dicit: *Error in syllaba non nocet*.

36 Error manifestus, & gravis non vitiat Testamenta, & alia Instrumenta, v. g. contractuum, modo de voluntate Disponentis constet; *l. Errore* 7. *Cod. de Testamentis*, juncto Summario, in quo sic expresse habetur: *Error scribentis veritati non nocet, & ideo si apparet de voluntate Testatoris, licet per errorem scribentis scripta non fuerit, habetur pro scripta*. Et concordant *l. Qui habebat* 54. *ff. De manumiss. Testam. & l. Imperator* 8. *ff. De statu hominum*. Et sic tenent Glossa final. *in cit. c. Ad audientiam* 11. *de Rescriptis*, & ibi Abbas *n.* 3. Felin. *n.* 8. Pirhing *lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 120. Reiffenstuel *ibid. n.* 216. & alii passim. Cum enim hæc non transeant per tam multas manus sicut Rescripta Apostolica, sed uni Tabellioni ordinarie scribenda committantur, facilius potest irrepere falsa latinitas, aut alius error incorrectus relinqui; adeoque talis error non vitiat Testamenta, seu Instrumenta, si ceteroquin sufficienter constet de voluntate Testantis, seu Disponentis.

37 Error in nomine, vel pronomine non vitiat Testamentum, aut aliam dispositionem; Dummodo constet de Corpore, sive de quo senserit Testator, aut Disponens. *Communis*, textu expresso *in leg. si in nomine, Cod de Testament.* ibi: *Si in nomine vel pronomine, seu cognomine, seu agnomine Testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertum sit, error hujusmodi nihil officit veritati*.

38 Rescripta Apostolica emanata contra Jus commune, de quo mentionem non faciunt, aut contra communem Stylum, seu praxim Curiæ Romanæ, præsumuntur falsa, & rejici debent; *cap. Rescripta* 15. *causa* 25. *qu.* 2. *l. Rescripta* 7. *Cod. de precibus Imperat. asserend. l. Ultim. Cod. si contra Jus*. Non enim verisimile est, Pontificem, cujus est Jura tueri, voluisse Jura tot vigiliis excogitata, & firmata, uno verbo, vel Rescripto evertere, *cap. Ecclesia* 57. *de election.*

Rescripta, & alia quæcumque Instrumenta habentia rasuram in loco suspecto, & substantiali, tamquam falsa, & invalida rejici possunt, & nihil probant. *Communis*, per text. *in L. Licet* 5. *de crimine falsi*, *cap. Inter dilectos* 6. §. *Sed contra*, *de Fide instrumentor. & cap. Cum olim* 14. *de privileg.* & præsertim *in cap. Cum venerabilis* 7. *de Religiosis Domibus*, ubi quoddam Instrumentum propter rasuram in loco suspecto ad faciendam fidem reputatur invalidum, utpote de Jure suspectum, ibi: *Prædicto Instrumento nullam fidem penitus adhibendam propter superlinearem scripturam, & rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur*, & infra; *Qui vero Instrumentum prædictum, per quod Episcopus Ecclesiam intendebat quoad temporalia indicare, ad faciendam super hoc fidem invalidum esse cognovimus, utpote propter prædicta de Jure suspectum, vos ab impetitione ipsius quoad temporalia ejusdem Ecclesiæ duximus absolvendos*. 39

Rescripta Justitiæ, seu ad lites, re adhuc integra, expirant morte concedentis; secus autem quando res non est amplius integra. *Communis ac certa*, per text. expressum, *in cap. Licet undique* 30. *de Offic. Delegat.* ibi: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si Jurisdictione a suo sibi Collega delegata, eo vidente uti non cœperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatarii expiravit, non habet solus officium judicandi; Si vero ante mortem illius jurisdictione uti cœperit demandata, vices suas, & illius poteris adimplere*, & concordat *cap. Relatum* 19. *cap. Gratum* 20. *de Offic. Delegat. cap. Quamvis* 6. *eod. in* 6. *& l. Quia*, *ff. de Jurisdict. omnium Judic.* cum similibus. 40

Ut autem res non sit amplius integra, sicque perpetuetur valor Rescripti Justitiæ, seu ad lites, & Jurisdictio delegata, requiritur, & sufficit citatio partis per Delegatum ante obitum concedentis, seu Delegantis facta: *cap. Gratum* 20. *de Offic. Delegati*, juncto ejus Summario, in quo expresse dicitur: *Si dilegatus citavit ante mortem Delegantis, perpetua est ejus Jurisdictio*; *cap. Nemini* 9. *de Offic. Legati*, ibi: *Nemini dubium esse volumus, quia Legatorum Sedis Apostolicæ statuta edicta in Provincia sibi commissa durent tamquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi; Secus autem, si causas duxerint delegandas aliquibus, cum jurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum horum citatio non præcessit*. Sic tenent Abbas *in citat. cap. Relatum* 5. Barbos. *in citat. cap. Gratum num.* 3. Bartol. *in l. More Majorum numer.* 13. *de Jurisdict. omnium Jud.* Maranta *in Speculo aureo part.* 4. *dist.* 5. *n.*61. ubi dicit hanc esse communem opinionem. 41

Rescripta Gratiæ, seu ad beneficia non expirant morte concedentis, etiamsi adhuc res integra maneat. *Comm.* textu expresso *in c. si super gratia* 9. *de Offic. Deleg. & cap. si cui* 36. *de Præbend. in* 6. Vide verb. *Gratia, ut est gratiosum Rescriptum nu.* 1. 42

Intellige tamen de Rescriptis Gratiæ jam factæ: Secus autem de Rescriptis Gratiæ faciendæ, text. expresso *in cit. c. si cui* 36. *de Præbend. in* 6. §. *final.* Vide d. verb. *Gratia n.* 2. 43

Affer-

44 Affertur ratio disparitatis. Vide *ib. n.* 3.

45 Rescriptum Gratiæ factæ ad beneplacitum concedentis durat, donec ille eum revocaverit; Aut donec ipse concedens moriatur. Vide *ib. num.* 4. *&* 5.

46 Rescriptum Gratiæ concessæ ad beneplacitum Sedis Apostolicæ non expirat morte Papæ concedentis. Vide *ib. num.* 6.

47 Rescriptum Gratiæ ad beneplacitum Personæ, & Dignitatis, quæ perpetua est, an expiret morte concedentis? *ib. n.* 7.

48 Rescriptum Gratiæ concessæ cum clausula: *Donec revocaverimus*, *Donec aliud duxerimus ordinandum*, & hujusmodi durat perpetuo, nisi a concedente, vel successore ipsius revocetur. Vide *ib. n.* 8. *usque in finem*, ubi multa ad rem.

49 Quoad ea, quæ concernunt renunciationem, & revocationem Rescriptorum. Vide verb. *Privilegium art.* 3. *per tot.*

Additiones ex aliena manu.

50 Nil frequentius, quam quod rescripta subreptitia, vel obreptitia sint. At nil incertius uter probare teneatur, vel subreptionem, vel obreptionem
51 esse commissam; Is qui rescriptum impetravit, an ille, qui vitium hoc opponit. Doctores sane hic mirum in modum variant. Vide diversas opiniones apud Strik. *Juridic. dissert. volum.* 7. *disput.* 24. *c.* 3. *num.* 34. *& plur. seq.*

52 Meo autem judicio distinguendum est subreptionem inter ac obreptionem. Qui excipit de subreptione, falsas esse dicit adductas circumstantias, & ita videtur litem negative contestari, adeoque veritatem ille qui rescriptum impetravit debet probare, maxime si agatur de rescriptis gratiæ, nisi tamen adductæ circumstantiæ præsumptionem veri-
53 tatis habeant. At qui obreptitium rescriptum contendit, non impugnat adductas circumstantias, sed non omnes, easque essentiales adductas esse, pluresque adduci debuisse, tenet, & in eo suam fundat exceptionem, quod tamen dubium est, adeoque illud docere debet; Bohemer. *in Decret. lib.* 1. *tit.* 13. §. 1. Bruneman. *ad L.* 11. *n.* 35. *ff. de Interrog. in jur. faciend.* Van-Esp. *de Jur. Pontific. consil.* 1. §. 2. *de rescript.*

54 At duo præterea distingui debent casus. Aut enim excipiens, indefinite de obreptione excipit, non omnes essentiales circumstantias adductas esse, sine speciali earum mentione, & hoc casu
55 probare ipsi incumbit. Aut vero exprimit circumstantias reticitas, & ita dubitatur tantum, utrum expressæ sint, an vero necessario exprimi debue-
56 rint. Prius haud indiget probatione, quum vel ex precibus rescripto adjiciendis, vel ipso rescripto, in quo contenta precum repetuntur, de eo statim
57 constare possit. Posterius probandum omnino, & quidem ab allegante, qui suam in hoc fundat exceptionem; Bohemer. *ubi supra*.

58 Id vero graviori involutum est difficultate, unde constare queat Principem non ita rescripsisse, ubi hæc, vel illa qualitas fuisset expressa, vel non expressa. Id enim omnino ad probationem facit.
59 Si enim Princeps nihilominus ita rescripsisset, tametsi hæc, vel illa qualitas fuisset expressa, vel non suppressa, frustra ejus probatio suscipitur.

Tria autem qualitatum genera hinc sunt observenda. Aliæ enim qualitates jam clare, & expresse in jure sunt determinatæ, pertinentque ad qualitatem personæ, & hæ exprimi omnino debent. 60
Eo vel maxime si leges harum qualitatum expressionem dedisse videantur pro forma, quæ servari 61
adamussim debet. Aliæ qualitates ex stylo curiæ, 62
vel consuetudine Principis dependent, non expressa lege, & hæ eodem modo sunt exprimendæ, cessatque hic arbitrium, quia consuetudine res jam definita est. Aliæ demum qualitates nullo Ju- 63
re sunt determinatæ, quæ si reticitæ sint, arbitrio Judicis committendum, quatenus harum reticentia obreptionem inducat. Is autem, pensatis singulis 64
circumstantiis, judicabit an talis sit qualitas, quæ potuisset retrahere Principem a concessione, si illam notam habuisset; Confer Stryk. *Juridic. dissert. volum.* 7. *disput.* 33. *cap.* 3. *numer.* 41. *& plur. seq.*

Reliquum esset, ut dissereretur de indiciis, qui- 65
bus vera a falsis rescriptis distinguuntur. Sed ne nimius sim, consule, qui de iis accuratissime, & quidem accommodate ad forum agit, Bohemer. *in decretal. lib.* 1. *tit.* 3. §. 18. *& plur. seq.* Vide etiam, si cupias, qui de ipsis magis ex professo, & majori eruditione tractant, Joan. Mabillon. *de re diplomatic.* Heineccium *de sigill.* Hertium *de fide diplomat.* & Jo. Eisenart *de Jur. diplomat.*

RESERVATIO CASUUM.

Reservatio Casuum est negatio Jurisdictionis ad aliquod peccatum absolvendum. *Est in re Communis*. Hinc casus reservatus est pecca- 1 2
tum, cujus absolutio non permittitur cuivis simplici, & inferiori Confessario, sed ea reservatur, & manet penes Superiorem illius simplicis, & inferioris Confessarii, aut penes alterum Confessarium a Superiore ad id specialiter delegatum. *Ita in re Communis*.

Dicitur autem notanter, *Cujus absolutio non permittitur cuivis simplici, & inferiori Confessario*, ad denotandum, quod per actum Reservationis principaliter, ac directe afficitur solummodo Persona Confessarii, ejus Jurisdictionem arctando, ac limitando, & indirecte solum Persona ipsius Pœnitentis, eo quod a tali Confessario ob defectum Jurisdictionis a Casu reservato absolvi non possit. Sic inter alios recte notat Fagn. *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnitentiis, & remissionib. n.* 78. *& seq.* 3

Hinc pœnitentes confluentes ex alia Diœcesi cum peccatis in ea reservatis possunt absolvi a Confessario Regulari in Diœcesi, in qua est approbatus, si in ipsa talia peccata non sint reservata, & tales pœnitentes in fraudem reservationis pro obtinenda absolutione ad eam non confluxerint. Sic expresse Clemens X. Constitut. incip. *Superna*, §. 6. ibi: *Decernimus, & declaramus* 4

posse Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda migrasse. Posse enim Regulares intra Diœcesim Episcopi approbantis absolvere etiam pœnitentes alterius Diœcesis, jam expresse declaraverat *Sac. Congreg. Conc.* apud Fagn. *lib.* 5. *Decret. in cap. Omnis, de pœnitentiis, & remissionib. num.* 79. quia ipsi habent jurisdictionem a Papa *ex Clement. Dudum §. statuimus, de sepulturis*, ut notat Glossa *in cap.* 2. *ante figurationem casus, de pœnitent. & remissionib. in* 6. cujus jurisdictio non restringitur ad limites alicujus Territorii, *cap. Cuncta per mundum* 17. *caus.* 9. *q.* 3. sed universus Orbis est sua Diœcesis, *c. Per principalem* 21. *ead. caus. & qu.* ut cum aliis observat Fagn. *loc. cit.*

5 An autem possint similiter dicti pœnitentes confluentes ex alia Diœcesi sic absolvi a Confessario sæculari? Negant cum aliis Fagnanus *loc. cit. n.* 70. Sotus *in* 4. *Sententiar. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Medina *lib.* 1. *cap.* 10. Graffius *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 56. & alii. At vero affirmat jam communis Doctorum sententia cum Cajetano, Henriquez, Suarez, Vasquez, Bonacina, Cabassutio *Juris Canon. Theoria & prax. lib.* 3. *cap.* 12. ubi solidas adducit rationes, ac dicit, quod constans usus, & regula receptissima est in omni causa delicti judicandum esse reum secundum jura ipsius loci, ubi judicatur idem reus; *Authentic. Qua in Provincia, Cod. Ubi de crimine agi oportet; cap. Placuit* 4. *caus.* 6. *qu.* 3. cum similibus. Et sic Pontas *verb. casus reservati casu* 12. & 15. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *c.* 5. *num.* 3307. Matthæuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 5. & 6. & alii passim, ac servat universalis praxis, & consuetudo quæ est optima Legum interpres; *L. Si de consuetudine* 37. *ff. de Legib. c. Cum dilectus* 8. *de consuetud.* Et ratio est, quia est fere impossibile, quod Confessarius possit cognoscere omnes pœnitentes, an sint Diœcesani, vel non; & scire omnes & singulos casus reservatos in Diœcesibus eorum, qui ad se Confessionis gratia confluunt, ad quod teneretur, si eos non posset absolvere. Quod tamen, ut nimium onerosum, ac fere impossibile, nullus Episcopus ab iis, quos ad Confessiones excipiendas admittit, solet exigere; Tum quia in hoc par videtur ratio de Confessario sæculari ac de Regulari: Si ergo id potest Regularis, poterit etiam Confessarius sæcularis, quia ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio; *L. Ideo* 27. *ff. de Legib. L. Illud.* 32. *ff. ad Leg. Aquil. & cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episc.* Cum ratio Legis sit anima Legis; *L. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnator.* Non possunt tamen tales pœnitentes absolvere a dictis casibus reservatis tam Confessarii Regulares, quam Sæculares, si consulto, & ex industria veniant ad eos pro obtinenda absolutione in fraudem reservationis a proprio Episcopo factæ, ut expresse declarat Clemens X. in d. Const. incip. *Superna*, per verba adducta *sub num.* 4. Fraus enim, & dolus nulli patrocinari debent, *cap. ex litteris* 2. *de dolo, & contumacia, c. Sedes* 15. & *cap. Ex tenore* 16. *de Rescript. cap. Tuæ* 12. *de Clericis non resident. cap. Officii* 14. *de Testam. L. in fundo* 38. *ff. de rei vindicat. L. cum num.* 8. *ff. de transaction. L. Si legatarius* 24. *Cod. de Legatis*, cum similibus.

Certum esse dari in Ecclesia Dei potestatem re- 6
servandi aliqua peccata a Superioribus, a quibus inferiores Confessarii absque speciali licentia, & facultate extra mortis periculum absolvere non possunt, patet hoc præter continuam praxim, & sensum universalis Ecclesiæ ex verbis Christi *Joann.* 20. *num.* 13. ibi: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, & ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. ibi: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur &c.* Et infra: *Extra quem articulum mortis Sacerdotes cum nihil possint in Casibus reservatis, id unum Pænitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.*

Sola peccata mortalia graviora, & atrociora, ex- 7
terna, certa, ac opere consummata reservari solent, ac debent; Unde reservatio non est facienda, sicut neque Excommunicatio major non est ferenda pro venialibus, aut mortalibus jam confessis, *Communis* cum Sporer *tom.* 3. *par.* 3. *c.* 6. *num.* 730. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 3. Herincx *disp.* 6. *de Pœnitent. num.* 6. & *seq.* Mastrio *in Theol. moral. disp.* 31. *q.* 9. *num.* 224. Et ratio est, quia reservatio ab Ecclesia instituta est ad coercenda delicta atrociora, & graviora, ut constat ex Conc. Trid. *sess.* 10. *cap.* 7. ibi: *Atrociora quædam, & graviora crimina*. Tum quia venialia, & mortalia jam confessa sunt materia libera; unde cum non sint necessario confitenda, eorum Reservatio esset inutilis.

Potestas reservandi peccata, & Casus residet in 8
Summo Pontifice respectu totius Ecclesiæ. *Communis, & certa*. Item in Episcopis respectu sua- 9
rum Diœcesum, pro quibus veniunt omnes Prælati habentes proprium independens Territorium, & Jurisdictionem quasi Episcopalem. *Communis, & certa*. Sicque definitum est in Conc. Trid. *sess.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ Canon. XI.* ibi: *Si quis dixerit, Episcopus non habere Jus reservandi sibi Casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit*. Item 10
in Prælatis Regularibus auctoritatem quasi Episcopalem habentibus, uti sunt Generales, & Provinciales. *Communis, & certa*. Vide verb. *Regularis Prælatus a num.* 53. *ad* 56.

Nullatenus tamen possunt Casus reservare Su- 11
periores locales. *Communis, & certa*. Vide dict. verb. *Regularis Prælatus a n.* 56. *ad* 59. Item neque ca- 12
sus reservare possunt Parochi in suis Parochiis, quinimmo neque possunt in Confessarium sibi eligere Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. Vide d. verb. *Regularis Prælatus n.* 59.

Papa ordinarie nullum peccatum mortale sibi 13
reservat, nisi propter annexam Excommunicationem sibi itidem reservatam. *Communis*. Dicitur 14
autem

autem notanter *ordinarie*, quia aliquoties Papa sibi reservat peccatum aliquod absque ulla Excommunicatione annexa, ut fecisse Sixtum V. in Const. 91. contra male promotos incip. *Sanctum*, *& salutare*, notant Lugo *disp.* 20. *de Pœnitentia sect.* 2. *num.* 27. & Reiffenst. *Theolog. moral. dist.* 9. *q.* 1. *num.* 5. & videri potest *in Bullario Romano Const.* 91. *dicti Pontificis*.

* De hac reservatione vide Ligorium *lib.* 6. *tract.* 4. *num.* 580.

Nunc autem ex Constitut. Benedicti XIV. quæ incipit: *Sacramentum*, certo reservatus est Summo Pontifici sine censura casus, quando quis falso accusat Sacerdotem innoxium de sollicitatione apud Judices Ecclesiasticos, sive per se ipsum, sive procurando, ut per alios calumnia inferatur.

Alium casum addit Ligorius *loc. cit.* desumptum ab Auctore libri, cui titulus; *Instruzione per li Novelli Confessori*; *par.* 2. *cap.* 15. *num.* 306. nempe, si quis accipiat dona a Regularibus utriusque sexus, nisi prius totum restituerit, si dona valeant pluris decem scutorum Romanorum, vel, si valeant minoris, saltem partem ad arbitrium Pœnitentiarii. Sed immerito. Nam Clemens VIII. cujus Constitutioni, quæ incipit: *Religiosæ*, innixa est hæc doctrina, nihil aliud statuit, nisi ut qui contra interdictum accipiunt dona a Regularibus, ad restitutionem teneantur, *adeo ut restitutione ipsa realiter non facta*, *neque etiam in foro consciensiæ absolvi possint*. Ubi de reservatione hac, seu recursu ad S. Sedem ne verbum quidem. Sed Summus Pontifex solum declarat incapacem absolutionis eum, qui cum restituere teneatur, nondum restituerit; ut videre est apud Thesaurum *de Pœnis Ecclesiasticis*, *verb. Munera*, *cap.* 10. *vers. Quod vero Clemens*. Quam incapacitatem Benedictus XIV. citatus a Ligorio in suo Opere, cujus titulus: *Instruzione*, *e Pratica per li Confessori*, *cap.* 13. *n.* 8. confirmat etiam relate ad Card. Pœnitentiarium, §. 26. suæ Constit. quæ incipit, *Pastor bonus*, hanc tantum illi facultatem concedens, ut qui infra valorem decem scutorum ejusmodi munera acceperint, est injuncta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu Confessarii, per eum eligendi eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, absolvere, se absolvi mandare possit. *

15 Quinam autem sint casus Papæ reservati? Vide verb. *Excommunicatio art.* 1. ubi referuntur Excommunicationes ipsi reservatæ in Bulla Cœnæ, & *art.* 3. ubi referuntur Excommunicationes ipsi reservatæ extra Bullam Cœnæ, & *art.* 4. ubi referuntur Excommunicationes nemini reservatæ; Et verb. *Absolutio art.* 1. ubi referuntur sex Casus dicti Clementini, ex quo de ejusdem mandato fuerint reservati intra Italiam, & extra Urbem.

16 Qui vero sint Casus ab Episcopis sibi reservati? inspiciendæ sunt tabulæ Casuum reservatorum pro qualibet respective Diœcesi, & hic sufficiat adducere Casus reservatos pro hac Alexandrina Diœcesi in Synodo celebrata *die* 1. *&* 2. *&* 3. *Maii* 1723. & sunt sequentes.

Primo, Tentantes Monialium pudicitiam, aut cum eis quoquomodo, sive factis, sive scripturis, sive verbis quomodocumque conceptis per se, vel per interpositas Personas inhonesta perpetrantes.

2. Qui infantes suffocaverint ob non adhibitam diligentiam, & detinentes in lecto infantes, qui nondum annum expleverint, non adhibita debita, & necessaria cautela *parvæ*, ut dicitur *Cunæ*.

3. Qui infantes exponunt, vel exponi faciunt, præsertim locis piis, si habent, unde illos alere possunt, nisi eorum locorum damna resarciant.

4. Qui Deum hæreticaliter blasphemaverint, seu maledixerint, aut opprobriosa verba in ipsum, vel Sacratissimam Mariam, Sanctosque omnes proferre ausi fuerint.

5. Homicidium per se, vel per alios perpetrantes, sive quoquomodo auxiliantes, & consulentes, & abortum procurantes, si ad hæc sequatur effectus, venenaque hominum mortifera componentes, vendentes, dantes ad malum finem.

6. Stuprantes Virgines sub promissione Matrimonii.

7. Qui ante contractum Matrimonium in facie Ecclesiæ cum sponsa copulam habuerint.

8. Qui sodomiam active, vel passive commiserint, aut bestialitatis crimen perpetraverint.

9. Qui in primo, vel secundo Consanguinitatis gradu, aut in primo affinitatis, vel Cognationis spiritualis incestum commiserint.

10. Qui Hæbreis pecunias ad negotiationem dederint ad effectum participandi de eorum usuris.

11. Deponentes falsum, vel verum tacentes in notabile præjudicium alterius coram Judice post juramentum præstitum.

12. Qui falsa Instrumenta, aut fides falsas in grave damnum Proximi confecerint, vel subscripserint, ex quibus rei, vel famæ damnum sequatur, & nonnisi refectis damnis absolvantur.

13. Differentes absque legitima causa solvere debita cujuscumque generis erga pia loca & propter quamvis piam causam, non absolvantur, nisi prævia solutione. Monemus propterea Confessarios omnes, ut antequam Pœnitentes audiant, ab eisdem sciscitentur, an sint Debitores Piorum Locorum, & Monasteriorum Monialium ex aliqua causa ad hoc, ut sciant, an sint in statu, ut illis absolutionem impertiri valeant.

14. Componentes, & in publico affigentes per se, vel per alios carmina satyrica, vel Prosas, Libellos famosos (vulgo Pasquinate, o Sonetti) quibus Proximi famæ, Dignitati, seu existimationi detrahatur.

Tandem monemus Parochos omnes, & Confessarium quemlibet ademptam esse facultatem absolvendi complices in quocumque peccato mortali, & quod unusquisque tenetur habere apud se, & in Confessionario, sive in loco, ubi Confessiones audiri solent, præsentem notam Casuum Reservatorum, sub pœna Suspensionis ab audiendis Confessionibus.

Quinam sint Casus, qui reservari possunt a Prælatis Regularibus, nempe Generalibus, & Provincialibus pro suis respective subditis? Vide verb. *Regularis Prælatus a numer.* 53. *ad* 55. 17

Ubi observa, quod casus Regulares a Clemente VIII. limitati, & ibi recensiti sunt tantum undecim, 18

cim, nec possunt Generales pro tota Religione sine consensu Capituli Generalis, nec Provinciales pro suis respective Provinciis sine consensu
19 Capituli Provincialis alios ab illis reservare. Nec tenentur dicti Prælati Regulares omnes illos undecim reservare, sed possunt vel omnes, vel aliquos solos reservare, ut *ibi* a Clemente VIII. statuitur. In nostra tamen Seraphica Religione sunt
20 omnes Reservati, quibus Capitulum Generale addidit Pollutionem voluntarie procuratam, si forte non contineatur sub lapsu carnis opere consummato, & inobedientiam contumacem, qualis esse declaratur: *Quando quis trina monitione præmissa, factis congruis intervallis per diem naturalem inobediens perseverat*. Ita habetur in statutis Generalibus Leodii impressis, & tradunt Henno *t.* 4. *tract. de Pœnitentia disp.* 8. *q.* 8. *art.* 2. *concl.* 2. Sporer *t.* 3.
21 *p.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *q.* 1. *num.* 716. & alii. Immo ut habetur *in Compilatione Statutorum Sambucæ c.* 7. §. 2. *&* 3. Casus Reservati in nostro Seraphico Ordine sunt novemdecim, & dicto §. 2. *sub num.* 7. ut nullus ignorantiæ locus sit, statuitur, quod Provinciales Casuum Reservatorum Tabellam conficiendam, & in singulis Conventibus publicandam curent in hunc, qui sequitur modum.

Tabella Casuum, qui Generali, & Provincialibus reservantur.

22 1. Nomen Dei, aut Domini Nostri Jesu Christi, aut Deiparæ Virginis Mariæ blasphemantes.

2. Rebus Sacris abutentes.

3. Quidquam in Religionis detrimentum extra Religionem patefacientes.

4. Discordias Patrum, vel depositiones Prælatorum manifestantes.

5. Calumniam in judicio cuiquam imponentes, vel ad faciendum inducentes.

6. Falso, ac scienter quempiam accusantes, & accusantem revelantes.

7. Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut alium quomodolibet infamantes.

8. Jurati veritatem negantes, & falsum affirmantes.

9. Ter debite moniti obedire renuentes.

10. Consummatum carnis peccatum quodcumque admittentes.

11. Denarios contra Regulam accipientes, tenentes, vel asservantes.

12. Rei sacræ, vel notabilis furtum perpetrantes.

13. Religionis bona extra Ordinem dono dantes.

14. Fratribus, vel Sæcularibus vendentes, aut quovis modo alienantes.

15. Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretariorum litteras, tum missas, tum accipiendas impedientes, frangentes, falsificantes, aut quomodolibet intercipientes.

16. Sigillum Ordinis, vel cujusvis alterius Prælati, aut Personæ notabilis falsificantes.

17. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, projicientes, vel publicantes.

18. Graviter quemquam percutientes, aut contra Prælatum machinantes.

19. Carnes comedentes, quando Ecclesiæ, vel Regulæ præcepto vetitum fuerit, nisi scriptam facultatem ob necessitatem a Superiore antea impetraverint.

Advertendum est tamen, quod Provinciales non tenentur omnes dictos Casus sibi solis reservare, sed possunt sibi reservare aut omnes, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint, ut patet ex verbis Clementis VIII. *in cit. Decreto relato sub verb. Regularis Prælatus num.* 53. Unde, si non omnes, sed solum aliquot sibi reservent, & aliorum absolutionem aliis sibi subditis Confessariis duxerint concedendam, expedit, ut in singulis Conventibus eorum Tabellam ad omnium notitiam publicari, & asservari faciant. 23

Regulares non exempti subjacent Casibus ab Episcopo reservatis. Silvester *par.* 1. *verb. Casus Reservatus cas.* 2. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *n.* 1645. & alii. 24

Episcopus non debet sibi reservare absolutionem illorum, qui non communicant in Paschate, sed eis potest pœnas pecuniarias, & etiam Excommunicationis injungere, ut declaravit *Sacra Congr. Concil.* Nam propositis olim in ea dubiis: 25

I. *An Episcopus adversus eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis, ad Confessionis, & Eucharistiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas Cap. Omnes utriusque sexus, de Pœnitent. & remissionib. contemnunt; possit etiam ad Excommunicationem procedere?*

II. *An pro Satisfactione pœnas pecuniarias pio Loco applicandas injungere?*

III. *An expediat talium absolutionem sibi reservare?*

Die 28. *Jan.* 1587. *Sacr. Congr. ad primum censuit licere, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ex rationabili causa Communio ad tempus dilata fuerit. Ad secundum, posse injungi eleemosynas alicui pio loco applicandas pro hujusmodi Excommunicatorum emendatione; ad tertium, non expedire; lib.* 18. *Decret. pag.* 603. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *adnot. ad Decret. Communionis quotidianæ numer.* 17.

Nec debet Episcopus sibi reservare absolutionem eorum, qui non solvunt locis piis id, quod ratione Administrationis, vel alia causa debent, quia hi remediis Juris cogendi sunt. Sic *Sacr. Congr. Conc. in Castren.* 3. *Febr.* 1635. *lib.* 15. *Decret. pag.* 164. apud Monacell. *loc. cit. n.* 18. 26

Pœnitentiarii Cathedralium non possunt absolvere Pœnitentes a Casibus Episcopo reservatis; nisi ipsemet Episcopus talem specialem facultatem eis concesserit. Nec possunt facultatem sibi concessam aliis delegare. Neque possunt Pœnitentes a Censuris, & Casibus reservatis sibi concessis absolvere, non audita integra Confessione Sacramentali: *Sic Sacra Congr. Concilii in Derthonen.* 5. *Julii* 1647. nam propositis in ea sequentibus dubiis. 27 28

I. *An Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis possit absolvere a Censuris, & Casibus, tam a Jure Episcopo reservatis quam ab illis, quos Episcopus sibi reservavit?* 29

II. *An*

II. *An Pœnitentiarius dispensare possit tempore Quadragesimæ super esu ciborum cum infirmis, & cum aliis habentibus attestationem Medicorum absque speciali delegatione ab Episcopo concedenda?*

III. *An Pœnitentiarius facultatem, quam habet absolvendi Pœnitentes a Casibus sibi concessis possit alteri Confessario delegare qui absolvat, prout idem Pœnitentiarius?*

IV. *An Pœnitentiarius possit absolvere Pœnitentes a Censuris & Casibus reservatis sibi concessis non audita integra Confessione Sacramentali, sed tantummodo ab ipsis Casibus reservatis, & pro aliis pœnitentes remittere ad alium Confessarium?*

Sacra &c. ad supradicta dubia respondit negative in omnibus; *lib.* 18. *Decret. pag.* 346. apud Monacell. *loc. cit. num.* 19.

30 A casibus reservatis, sive Summo Pontifici, sive Episcopis, sive Prælatis Regularibus quinam, & a quibus absolvere possint, vel non? Vide verb. *Absolvere*, *Absolutio per tot.*

31 Dictis adde quod urgente necessitate celebrandi, seu communicandi ad vitandum grave scandalum, & notam infamiæ, non solum potest pœnitens ab inferiori Confessario absolvi directe a peccatis non reservatis, & indirecte a reservatis nullam habentibus adnexam Censuram reservatam, juxta dicta sub verb. *Jurisdictio num.* 35. & verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art.* 2. *num.* 91. sed etiam id poterit in defectu Superioris, & Confessarii habentis ad id facultatem, quamvis peccata reservata adnexam habeant occultam Censuram reservatam, V. G. Censuram reservatam excommunicationis ob occultam Clerici percussionem, & ipse Confessarius inferior neque in tali necessitate possit eum absolvere a tali reservata Censura. Sic Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 10. cum Henriq. Suarez, Coninch. & aliis ibi citatis. La Croix post Busembaum *lib.* 6. *par.* 2. *num.* 1599. Sporer *tom.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *n.* 753. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 14. *dist.* 9. *qu.* 2. *num.* 10. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 104. *par.* 5. *tractat.* 13. *resol.* 10. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3123. Card. de Lugo *de Eucharistia disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 100. & 102. cum aliis ibi allegatis, Illsung. *tract.* 6. *disp.* 6. *q.* 7. *art.* 8. §. 1. *num.* 137. Joan. de la Crux *de excommunicat. art.* 2. *num.* 6. Matthæuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 44. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 24. *& seq. ac cap.* 36. *num.* 9. & 10. & plurimi alii dicentes, quod sic absolutus in tali necessitate licet adhuc remaneat excommunicatus, possit licite celebrare, aut communicare, cum sit recte dispositus. Et ratio est, quia absolutio a peccatis, & infusio gratiæ potest per accidens haberi remanente Censura, cum gratia non sit incompatibilis cum ipsa Censura, ut si ex inculpabili ignorantia, aut inadvertentia pœnitens censuram non confiteatur; Vel Confessarius inferior Censuræ inscius, aut ignarus, aut ex oblivione, seu aliter, eum solum a peccatis absolvat; ergo etiam si in tali casu urgentis necessitatis celebrandi, aut communicandi pœnitens aliunde dispositus, in defectu Superioris, aut Confessarii potentis, scienter confiteatur Confessario inferiori impotenti absolvere a Censura reservata; quia pro tunc pœnitens facit quantum potest, & Lex Ecclesiastica Censuram imponens, non præsumitur obligare cum tanto detrimento.

32 Quamvis enim regulariter, & per se loquendo non possit excommunicatus absolvi a peccatis nondum absolutus ab Excommunicatione, per accidens tamen in supradicta, & simili necessitate potest absolvi a peccatis nondum absolutus ab Excommunicatione reservata occulta. Et ratio est; quia sicuti Lex jejuni, & audiendi Missam non obligat, cum jejunari, & Missa audiri non potest sine gravi damno, ita nec Lex quod absolutio excommunicationis occultæ præmittatur absolutioni a peccatis obligat, quando, vel cum gravi scandalo, & nota infamiæ omittenda esset celebratio, seu communio, vel Missa celebranda, & Eucharistia percipienda foret sine absolutione Sacramentali; cum omnes istæ sint Leges Ecclesiasticæ, quæ non obligant cum tanto detrimento. Nec ipse pœnitens in tali necessitate potest prius etiam ab excommunicatione reservata occulta absolvi ab inferiori Confessario, cum iste carens potestate ordinaria, vel delegata, nequeat ex communi Doctorum sententia absolvere nec ab excommunicatione occulta reservata etiam in casu necessitatis, nisi necessitas sit extrema propter periculum mortis, in quo quivis simplex Sacerdos in defectu Confessarii approbati, juxta dicta *sub verb. Absolutio art.* 1. *num.* 48. *& seq.* potest absolvere non solum a peccatis, sed etiam a Censuris quomodocumque reservatis a Concil. Trid. *sess.* 14. *de Pœnitent. cap.* 7. Dictum autem fuit notanter ab *excommunicatione occulta*, quia in nostro casu, si excommunicatio sit publica, absolutio ab ipsa debet præcedere absolutionem a peccatis, & non potest in necessitate celebrandi, seu communicandi absolvi ab inferiori Confessario; quia scandalum non esset, si pœnitens publice excommunicatus non celebraret, aut non communicaret; sed potius si celebraret, aut communicaret.

33 Nec valet objicere, quod si hoc esset, excommunicatio non privaret usu, & perceptione Sacramentorum contra expressam prohibitionem *in c. cum illorum* 22. *& cap. Si quem* 59. *de sententia excommun.* & similibus. Non valet, inquam, quia citati Sacri Canones, aliique similes privant utique usu, & perceptione Sacramentorum per se loquendo, per accidens autem, ut in supradictis casibus necessitatis urgentis, possunt illis non privare. Unde excommunicatus occultus in Confessione integre, & cum dolore, ac vero proposito se accusans, in illis casibus reciperet Sacramentum, & gratiam, sed non perciperet de Indulgentiis; Extra vero casus urgentis necessitatis, nec celebrare, aut communicare posset, sed remaneret sacris privatus sicut antea. Sic Joannes de la Crux *loc. cit. num.* 6. Matthæuc. *cit. lib.* 2. *c.* 36. *num.* 10. & alii supracitati.

34 Nec valet etiam objicere, quod si pœnitens in tali urgente necessitate potest ab inferiori Confessario absolvi etiam a reservatis habentibus adnexam censuram reservatam, deberet etiam posse absolvi ab ipsa Censura reservata, sicuti potest absolvi pœnitens in extrema necessitate articuli mortis.

tis. Non valet, inquam, quia magna intervenit differentia inter utramque necessitatem; In extrema enim necessitate articuli, seu periculi mortis nulla remanet reservatio, adeo ut quilibet simplex Sacerdos, in defectu alterius jam approbati, possit tunc tamquam cum omnimoda facultate approbatus, absolvere pœnitentem a quibusvis peccatis, & Censuris quomodocumque reservatis, ut expresse statuit Conc. Trid. *sess.* 14. *de Pœnitent. cap.* 7. Nec si convalescat, elapsa tali extrema necessitate, tenetur postea iterum confiteri, aut comparere coram Superiore pro nova absolutione impetranda, quia jam directe, & plene absolutus est ab omnibus peccatis, & censuris quomodocumque reservatis; Et solum tenetur se sistere Superiori in casu quo fuerit irretitus Censura reservata, non ut iterum a Censura absolvatur, cum jam in tali articulo fuerit pro foro interno ab ipsa directe, & plene absolutus, sed dumtaxat ut ipsius Superioris mandatis pareat, pœnitentiam, vel remedium ab ipso accipiat, & in foro exerno satisfactionem exhibeat; ex *cap. de cetero* 11. *c. Ea noscitur* 13. *c. Quod de his* 26. *c. Quamvis* 58. *de sent. excommunicat.* & ex Bulla cœnæ §. *Ceterum*, juxta dicta in verb. *Absolutio art.* 1. *num.* 53. 54. *&* 55. At vero in dicta urgente necessitate celebrandi, aut communicandi, remanet adhuc reservatio, ita ut pœnitens in ipsa a Confessario inferiore non absolvatur a peccatis reservatis nisi indirecte, quatenus absolvitur ratione concomitantiæ cum peccatis non reservatis directe absolutis ex vi absolutionis directe cadentis super ipsa peccata non reservata, cum non possit unum peccatum sine alio remitti; nam gratia sanctificans omnia expellit, ut habetur ex Concil. Tridentino *sess.* 14. *c.* 5. *de Pœnitentia*; & nullimode nec indirecte, remaneat absolutus a Censura reservata; ita ut ad differentiam absoluti in articulo mortis teneatur ipse se sistere Superiori, aut Confessario prædito necessaria facultate, ut ab ipso recipiat absolutionem directe a peccatis reservatis, a quibus fuit tantum indirecte a Confessario inferiori absolutus, & a Censuris reservatis, a quibus nullo modo fuit absolutus. Neque in tali urgente necessitate absolvi potest a simplici Sacerdote nondum ad Confessiones excipiendas approbato, sicuti potest absolvi pœnitens in extrema necessitate articuli, seu periculi mortis, ut docent Gobat *tract.* 7. *num.* 381. Palaus *tract.* 23. *p.* 15. §. 7. Sporer *loc. cit. num.* 358. & alii recte dicentes, quod id non permittit usus, & consuetudo Ecclesiæ; Non enim in tali casu est par, nec tanta necessitas, ac in articulo mortis, cum in hoc articulo id solum permittat Ecclesia, & Trid. Conc. *c. sess.* 14. *de Pœnitentia c.* 7. *Nec hac occasione aliquis peccat*; quod evenire non potest extra dictum articulum, extra quem Conc. ipsum dicit, quod simplices Sacerdotes nihil possint. Immo neque in ipso mortis articulo potest simplex Sacerdos absolvere, si adsit Confessarius approbatus promptus ad confessionem moribundi excipiendam ut dictum fuit sub verb. *Absolutio art.* 1. *nu.* 51. *&* 52.

35 Pœnitens in extrema necessitate articuli, seu periculi mortis habens unicum casum reservatum, sine ullis aliis peccatis, sive mortalibus, sive venialibus, potest directe absolvi a simplici Sacerdote, seu Confessario inferiori sine ullo onere comparendi coram Superiore seu Delegato, si convalescat, nisi habeat adnexam Censuram reservatam juxta superius dicta. At vero in urgente necessitate celebrandi, seu communicandi, nec directe, nec indirecte potest absolvi a Confessario inferiori: Non directe, quia ad id facultatem non habet Confessarius inferior; Nec indirecte, quia nullum aliud habet, & confitetur peccatum non reservatum, ex cujus absolutionis vi per concomitantiam absolvatur; Sed tunc debet sibi consulere, sicuti qui non habet copiam Confessarii, ut evadat in gratia per contritionem, sicque non præmissa confessione celebret, aut communicet. Suarez *Disp.* 30. *sect.* 3. Layman *loc. cit. cap.* 12. *num.* 11. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3125. Sporer *loc. cit. num.* 757. & ipso teste alii moderni passim.

Consultius tamen est in tali casu ob difficultatem eliciendi actum contritionis, immo necessarium est, præsertim si velit pœnitens obtinere absolutionem indirectam ab ipso peccato reservato, putans se non esse sufficienter de ipso contritum, confiteri simul cum ipso aliquod peccatum veniale, vel mortale jam antea confessum, ut sic a d. Confessario inferiori absolvatur directe ab istis, & ratione concomitantiæ ex vi talis absolutionis, indirecte absolvatur ab ipso peccato reservato, alioquin nulla adesset materia idonea absolutioni directæ, nec consequenter indirectæ: & aliunde adimpleret præceptum de præmittenda Confessione Communioni, ad quod saltem per accidens esset adstrictus etiam in tali casu, si putaret se non esse sufficienter contritum de ipso peccato reservato. Sic cum aliis Cardinalis de *Lugo de Eucharistia disp.* 14. *sect.* 5. *nu.* 98. Gobat *loc. cit. num.* 381. Sporer *loc. cit. num.* 358. Matthæuc. *Cautela Confessarii l.* 1. *cap.* 8. *num.* 11. & alii, cum semper tamen onere comparendi coram Superiore, seu Confessario ad id facultatem habente, ad obtinendam absolutionem directam, ut supra dictum est. 36

Qui confitetur alicui potenti directe absolvere a reservatis, & inculpabiliter obliviscitur alicujus reservati, potest postea a quovis Confessario directe absolvi ab illo reservato oblito. Sic Covarruvias, Coninch. Ledesma, Navarrus, Reginald. Arriaga, Lessius, Tambur. Lugo, Herincx, Gobat, Busemb. & alii 20. graves Auctores cum Aversa *quæst.* 17. *sect.* 8. & Viva *quæst.* 11. *art.* 4. *&* 6. aliique complures apud la Croix *lib.* 6. *par.* 2. *nu.* 1449. *&* 1695. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *num.* 3309. cum Mastrio, Poncio, Diana, & communiori Doctorum, Matthæuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 13. testans de communi, sicuti etiam tenet, & de communi testatur Card. de Lugo *de Pœnitentia disp.* 20. *sect.* 7. *nu.* 85. *& seq.* Et ratio est, quia jam ablata est reservatio ob intentionem implicitam virtualem, seu interpretativam tam pœnitentis, quam Confessarii, quia pœnitens dum petit absolvi, virtualiter petit in quantum indiget, & Confessarius intendit absolvere in quantum vi suæ jurisdictionis potest, & pœnitens indiget, juxta clausulam; *In quantum possum, & tu indiges.* 37

Atqui

Atqui Confessarius potest a peccatis reservatis absolvere, & pœnitens indiget, ac absolvi vult ab omnibus peccatis, etiam reservatis, ergo tollitur omnis reservatio, etiam illius peccati inculpabiliter obliti. Limitant tamen valde probabiliter Gabriel, Angelus, Silvester; Rosella, Bonacina, Dicastillo cum Suarez, Præposito, & aliis in solo casu, quo absolvens intenderit eam reservationem tollere, quia ut cum aliis dicit Dicastill. *de Pœnitent. dist.* 11. *num.* 14. Non tollitur reservatio, si nulla fiat mentio reservatorum, nec adsit positiva intentio illam tollendi; cum tunc non videatur satisfieri intentioni superioris reservantis, quæ est, ut reservatum directe subjiciatur Clavibus, sicque ratione reservationis explicatæ, medicina conveniens imponatur ab illo, qui in reservata habet potestatem.

38 Pœnitens, qui cum peccatis non reservatis habet casum reservatum a se ignoratum, & bona fide confitetur Confessario non habenti facultatem in reservata, nec percipienti illum casum esse reservatum, absolvitur a non reservatis directe, & indirecte a reservato; cum onere tamen, quod cocognita reservatione talis casus, accedat ad Confessarium habentem facultatem, ut ab ipso absolvatur directe. Si autem nullum aliud peccatum habeat, & confiteatur solum ignoratum reservatum, tunc ab eo nec directe, nec indirecte remanet absolutus, ex defectu jurisdictionis Confessarii, & materiæ pœnitentis, super quam cadat absolutio directa; Et bona fides excusat quidem ipsum a Sacrilegio, non vero quin cognita reservatione teneatur illud confiteri Confessario habenti facultatem in reservata, juxta dicta supra *num.* 33. *&* 34.

39 Pœnitens habens peccatum per se immediate reservatum sine adnexa Censura, quamvis invincibiliter ignoraverit esse reservatum, non potest absolvi a Confessario inferiori non habente facultatem in reservata: Bene vero potest ab ipso absolvi, si peccatum non ratione sui, sed solum sit reservatum ratione adnexæ excommunicationis invincibiliter ignoratæ. Sic communior, & verior Doctorum sententia. Et ratio differentiæ est, quia reservatio non est pœna pœnitentis, sed restrictio jurisdictionis Confessarii ipsum immediate respiciens, ejusque manus totaliter ligans, itaque sive peccator sciat peccatum esse reservatum, sive non, semper sit Confessarii jurisdictio restricta. Excommunicatio vero est pœna immediate respiciens pœnitentem, quæ ab ignorante inculpabiliter non incurritur, textu expresso in *cap. Si vero* 4. *de sentent. excommunicat. cap. Ut animarum* 2. *de Constitutionib. in* 6. *L. Si ignorans* 50. *ff. Locati*, cum similibus; adeoque quamvis committens tale peccatum reservatum ratione excommunicationis ei adnexæ, coram Deo graviter peccet, tamen apud Ecclesiam non ligatur ipsa excommunicatione invincibiliter ignorata: cum ad ipsam incurrendam requiratur contumacia, quæ non adest in invincibiliter ignorante esse tali peccaminosæ actioni adnexam a Lege Ecclesiastica excommunicationem.

40 Confessarius non habens facultatem in reservata dubitans post debitum examen, an peccatum a pœnitente confessum sit reservatum, sive dubium sit juris, v. g. an sit Lex reservans tale peccatum; sive dubium sit facti, v. g. cum scitur quidem tale peccatum, puta homicidium, abortum procuratum, adulterium, & hujusmodi, esse a Lege reservatum, sed dubitatur, an fuerit commissum, vel simpliciter, vel secundum circumstantias, seu conditiones, quibus est reservatum, an revera sit homo occisus, an advertenter, & deliberate, an ex pharmaco præbito sit revera sequutus abortus; an femina cognita sit ligata, vel soluta, sit consanguinea, aut affinis, & hujusmodi: in utroque dicto dubio, sive dubium sit positivum, cum scilicet adsunt rationes probabiles pro utraque parte, sive dubium sit negativum, cum videlicet pro neutra parte adsunt rationes probabiles, potest prudenter judicare in favorem pœnitentis, quod tale peccatum non sit reservatum, & ipsum absolvere; Sic communis Doctorum in casu dubii positivi, & satis communis in casu dubii negativi, reste Sporer *loc. cit. num.* 733. cum Henriquez, Suavez, Sanchez, Bonacina, Card. de Lugo, Diana, Tamb. aliisque ibi citatis. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *num.* 3311. cum Mastrio, Leandro, Arsdekin, & aliis ibi allegatis. La Croix post Busemb. *lib.* 6. *part.* 2. *numer.* 1599. *in fine & nu.* 1604. cum aliis ibi citatis, Gobat *tract.* 7. *num.* 356. cum aliis ibi adductis. Et ratio est, quia res tam odiosa, ut reservatio, non est extendenda ad casus dubios, sed ad solos claros, & perspectos, ac certe reservatos, *arg. c. Odia* 15. *de Regul. jur. in* 6. Tum quia semper in dubiis benigniora præferenda sunt; *L. Semper* 56. *ff. de Regul. juris*, ac in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius est; *L. ea quæ* 192. *ff. eod. de Reg. jur.* & in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet; *L. Si fuerit.* 10. *ff. de rebus dubiis*.

Nec valet objicere, quod Clemens VIII, *an.* 1601. 41
die 9. *Jan.* prohibuit absolutionem a casibus non solum *clare*, sed etiam *dubie* contentis in Bulla Cœnæ, adeoque &c. Non valet, inquam, quia idem Clemens moderavit illud suum primum Decretum per aliud editum *die* 29. *Nov.* 1602. in quo ea de re omisit illas particulas *clare, vel dubie contentis*, quod confirmat nostram sententiam de certitudine requisita ad reservationem, ut cum multis tradit Gobat *loc. cit. nu.* 357. La Croix *loc. cit. num.* 1604. Verricell. *tract.* 8. *q.* 16. & Felix Potestas *loc. cit. n.* 3313. testans de communi.

An autem si post confessionem ejusdem pecca- 42
ti dubii apud Confessarium carentem potestate in reservata, pœnitens certo cognoscat suum peccatum revera fuisse reservatum, teneatur tunc recurrere ad habentem facultatem? Negant absolute Gobat *loc. cit. num.* 358. & alii apud ipsum, Mastrius, Leander, & Sporer *loc. cit. nu.* 714. & alii, quia, dicunt ipsi, absolutio non fuit data sub conditione: *Nisi postea constet peccatum esse vere reservatum*, sed absolute, atque tamquam sub eo dubio revera non reservatum, jam directe absolutum, & remissum fuit; Ex præsumpta enim voluntate superioris quamdiu peccatum est dubium, relinquitur jurisdictio, cum non censeatur velle reservationem in dubio nisi exprimat. Affirmant autem

tem absolute alii citati, & sequuti a Felice Potestate *loc. cit. num.* 3312. & si tale peccatum erat reservatum ratione sui, & non ratione Censuræ adnexæ, tenet recte la Croix *loc. cit. num.* 1693. citans etiam Card. de Lugo *disp.* 20. *a num.* 20. Et ratio est, quia sicuti in casu necessitatis, aut si quis bona fide per inadvertentiam fuisset ab inferiore absolutus, reservatio non esset sublata, sed teneretur pœnitens elapsa necessitate, & cognito errore, recurrere ad Superiorem; ita, & in hoc casu, sicuti dictum est supra *numer.* 33. 34. & 35. & sub verb. *Pænitentiæ Sacramentum art.* 2. *n.* 129. de peccato confesso ut dubio, & postea cognito ut certo; Quæ sententia affirmativa est in praxi tenenda, quamvis sit probabilis etiam prima opinio negativa, ut asserit la Croix *loc. cit. num.* 1693. allegatis Sa, Hurtad. Portel. Sporer, Gobat, Dicastill. & aliis: ac satis probabilem dicit etiam cum aliis Card. de Lugo *loc. cit. num.* 22. *& seq.*

43 Qui a Superiore petit, & obtinet licentiam, sive per se, sive per Confessarium, ut possit absolvi a reservatis, si post obtentam talem facultatem iterum committat alia peccata reservata; Si petitio, & concessio facultatis fuit ad certa reservata jam commissa, talis licentia non extenditur ad alia postea commissa; Si vero fuit petita, & obtenta facultas generatim, ut possit absolvi a reservatis, tunc facultas extenditur, etiam ad posteriora reservata post obtentam facultatem commissa. Sic Lugo, Tamburin. Stoz. Dicastill. Gobat, Sporer citati & sequuti a la Croix *loc. cit. n.* 1692. ubi cum Sporer *loc. cit. n.* 765. subjungit, quod id verum est, etiamsi pœnitens ex confidentia illius gratiæ sæpius peccasset. Et universaliter docent Sanchez, Reginald. Lugo, Bonacina, Beja, Dicastill. Aversa, Navarr. Suarez, Henriquez, Filliuc., Bossius, Viva, cum ipso *loc. cit. n.* 1451. *&* 1692. si quis ideo committat reservatum, quia jam est Jubilæum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur; In similibus tamen casibus, præsertim extra Jubilæum, attente consideranda sunt verba petitionis, & concessionis, & judicandum est juxta præsumptam mentem, & verba concedentis, & non aliter.

44 Pueri usum rationis habentes ante annos pubertatis, nempe ante annum 14. incurrunt casus reservatos. Card. de Lugo *de Sacrament. Pœnitent. disp.* 20. *n.* 10. cum Homobono, Lazario, & Florono ibi citatis. Tamburin. *tom.* 2. *pag.* 40. *de casibus reservatis n.* 5. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *num.* 3306. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *n.* 1691. Aversa, & alii apud ipsum contra Paludanum, Graffium, & alios. Et ratio est, quia reservatio est medicina, qua æque indigent impuberes, ac puberes, ipsisque est valde utilis, ut a gravioribus peccatis deterreantur. Nullas autem dicti pueri impuberes incurrunt reservatas Censuras, ut tenent ultra citatos Doctores, Fagundez, Sa, & alii allegati, & sequuti a Felice *tom.* 1. *pag.* 5. *n.* 4391. contra Azorium, Vasquez, & alios volentes, ipsos impuberes incurrere Censuras latas a jure, licet non incurrant latas ab homine. Et ratio nostra est, quia ex *c. Pueris* 1. *& c. Referente* 2. *de delictis puerorum*, pueri infra annum 14. simpliciter eximuntur a pœnis. Unde ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa* 22. *de privileg. l. Non distinguemus* 32. *ff. de receptis arbitris*, *l. Præses* 3. *ff. de Officio Præsidis*, *l. De pretio* 8. *ff. de publiciana in rem action.* Tum quia in pœnis benignior est interpretatio facienda; *c. In pœnis* 49. *de Regul. jur. in* 6. *c. Statutum* 22. *de election. in* 6. *l. Factum* 155. *ff. de Regul. jur. l. cum quidam* 19. *ff. de liberis, & posthumis.*

* Societates quædam ex vi suorum privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi Confessarium, a quo a casibus Episcopo reservatis, sine Episcopi licentia absolvantur, ut præter decisiones Sacræ Congregationis ferunt litteræ Benedicti XIV. incip. *Pias Christifidelium* relatæ in Tract. de *Synodo Diœc. l.* 5. *§.* 9. *nov. edit.* 45

Denique accedentes in fraudem ad aliam Diœcesim, ut absolvantur a reservatis suæ Diœcesis absolvi non possunt, ex Bulla Clementis X. incip. *Superna. Ibid.* 46

Canonicus Pœnitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi peccata Episcopo reservata, ut a Sacra Congregatione Concilii decisum refertur *ibid* §. 8. 47

Ad solum Romanum Pontificem, Episcopos, & Prælatos inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato pertinet reservatio casuum ex Doctrina Concil. Trident. & Decisionibus Sac. Congregationis. *Ibid.* §. 11. 48

Quamquam reservatio fieri potest extra Synodum, multa tamen suadent, ut potius in Synodo fiat; ideo præsertim, quia non desunt Theologi cum P. Roncaglia tenentes, leges ab Episcopo latas extra Synodum eo cessante cessare, cum ea tantummodo, quæ in Synodo fiunt ab Episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant. *Ibid.* §. 3. 49

Actus mere internos, nec Summus Pontifex, nec Episcopi reservandos sibi unquam censuerunt. *Ibid. cap.* 5. §. 5. 50

Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quæ in Decreto Clementis VIII. definiuntur, sed nec possunt alia ab iis diversa crimina illigare censura reservata, ut & firmat Bened. XIV. ex Decr. quodam Sac. Cong. Episc. & Regular. *Ibid.* §. 5. 51

Alia, vide verb. *Approbatio*, verb. *Confessarius*, verb. *Jubilæum*, verb. *Moniales art.* 3. *a n.* 9. *&* 23. & *art.* 5. *n.* 81. verb. *Novitius*, verb. *Regularis*, *Prælatus verb. Regulares.* 52

Additiones ex aliena manu.

In hoc articulo Auctor multa ex laxioribus Casuistis excerpsit, quæ ad Cristianæ Ethices normam nullo modo sustineri posse, Censores animadvertunt, quare quæ a *num.* præsertim 31. *usque ad* 43. adducuntur, ea non sunt passim admittenda, sed ii consulendi Auctores, qui rem exactius tractarunt, ut Antoine, Franzoja &c. Vide quæ diximus in Additione ad verb. *Confessarius art.* 1. 53

Res-

Responsio Auctoris.

54 Ast tradita *ibi* a me sunt sufulta & ratione, & auctoritate classicorum Auctorum; immo aliquorum, qui sua opera typis tradiderunt Romæ, ut inter alios Matthæuccius noster *in Cautela Confessarii*, *Editionis Romanæ* cum solitis sine ulla Censura revisionibus, & approbationibus ut *ibi* videre est *locis a me citatis*, & iste certe non est laxior Casuista. Et Antoine, ad quem Theologus lectores amandat in *tract. de Pœnit. art.* 2. *de casibus reservatis*, *quæst.* 5. An Sacerdos approbatus carens potestate absolvendi a reservatis, potest aliquando directe absolvere a non reservatis, & indirecte a reservatis? ℞. circa hoc duplex est sententia. Prima, quæ est communis, docet, id posse in duobus casibus. Primo, si pœnitens inculpate oblitus est aliquod reservatum, vel si bona fide illud confiteatur Sacerdoti non advertenti esse reservatum........ Unde merito censetur Ecclesiam tunc dare potestatem absolvendi directe a non reservatis & indirecte a reservatis cum onere postea reservata confitendi Sacerdoti habenti potestatem in illa. Quam sententiam Sanctus Carolus tenendam proponit in sua Diœcesi, in qua proinde dat hanc potestatem: volunt autem, Episcopos censeri eamdem potestatem concedere hoc ipso, quod non contradicunt sententiæ communi id asserenti, quam ignorare nequeunt. Secundo, si Sacerdos, habens reservata, nequeat omittere celebrationem Sacri sine gravi scandalo, nec adsit Confessarius habens potestatem in reservata; quia cum quilibet sibi peccati mortalis conscius teneatur Confessionem præmittere Communioni: credibile non est Ecclesiam sic instituisse reservationem, ut tunc a peccatis absolvi nequeat, directe quidem a non reservatis, & indirecte a reservatis, malleque eum cum incerta contritione non confessum celebrare, quam Confessionem Communioni præmittere.... Secunda sententia negat, in ullo casu extra mortis periculum posse; quia peccata non reservata remitti nequeunt sine reservato, nam unum mortale sine alio remitti non potest &c. & pergit probare argumentis, quibus utuntur Patroni secundæ sententiæ. Unde cum Clarissimus P. Antoine asserat expresse, quod prima sententia, quæ est illa mea, communis est, & eamdem tenendam in sua diœcesi mandat Sanctus Carolus; Hinc habes Erudite lector quid in his sit sentiendum.

Novæ Additiones.

55 (*) Quæstiones, quas Lucius noster in Articulo proponit, accurate versat Seraphinus Maria Maccarinelli Ord. Præd. tunc adversus hæreticam pravitatem in Civitate, ac Diœcesi Cremensi Inquisitor Generalis, deinde Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Commissarius Generalis, in Opere, cui titulus: *Exercitationes Theologico-Morales in Censuras & Casus, quorum absolutio in Brixiana Ecclesia jure peculiari Episcopo reservatur*, *Mediolani MDCCLIV.* Exercitatione 1. *De Reservatione universim*, in qua Exercitatione has regulas cap. 1. & tribus proximis statuit: „ I. Reservatio afficit Confessarios, non vero Pœnitentes reservatorum casuum, aut censurarum reos. II. Reservatio eos solos, & omnes afficit Confessarios, qui jurisdictionem habent, aut exercent cum dependentia a Prælato legem reservationis ferente III. Reservatio non est vere pœna ecclesiastica, licet aliquam consequenter afferat rationem pœnæ. IV. Reservatio non est sumenda late, metaphorice, & improprie, sed stricte, & proprie; dummodo tamen non sumatur dumtaxat nimium stricte, nimium proprie, & præcipue, & in toto rigore. V. Reservatio non est trahenda ad consequentiam. VI. Investigatio finis, sive motivi, quo Legislator in lege reservante ferenda motus fuit, utilis quidem interdum esse potest ad legem ipsam rite interpretandam; sed frequentius tamen evadit inutilis, imovero & aliquando periculosa, & nonnunquam temeraria. VII. Statutum, quo Episcopi in suis singuli Diœcesibus reservationem ferunt (ut apud hos Tabula nostra reservatorum) est statutum de se perpetuum, semper duraturum, & vim obligandi habens etiam post mortem ejusdem Episcopi reservantis, nisi ab eo, aut illius successore fuerit revocatum. VIII. Omnes, & singulæ excommunicationes in Tabula nostra latæ sunt excommunicationes majores; omnes, & singulæ suspensiones sunt suspensiones integræ, & totales; ambo interdicta sunt tantummodo personalia. Universim omnes censuræ Tabulæ nostræ sunt latæ sententiæ. IX. In reservationibus saltem Episcopalibus reservata censura non intelligitur reservatus casus sive delictum, contra quod censura lata est; nec vicissim reservato casu intelligitur reservata censura, si qua illi casui adnexa est; nisi Legislator reservans aliter in lege reservante statuerit. X. In reservationibus saltem Episcopalibus, præsestim ubi censuræ & casus diversis sub titulis reservantur (ut fit in Tabula nostra) contingere potest ut unum idemque crimen multiplici simul reservationi Episcopali subdatur, & aliquando etiam multiplici censuræ. XI. In reservationibus saltem Episcopalibus sublata per legitimam absolutionem censura reservata, vel ea propter aliquam causam excusantem non contracta, nulla superest reservatio; nisi aliunde etiam casus ipse sive crimen, contra quod censura illa lata est, se solo reservatione teneatur. XII. Quidquid peccatum ita imminuit, ut illud reddat tantum veniale, excusat quoque a censura contra idem peccatum lata. XIII. Impotentia excusat a censura. XIV. Metus gravis excusat a contrahendis censuris. XV. Ignorantia aliquando quidem a contrahenda censura excusat, non tamen semper. XVI. Dubium pœnæ, aut facti circa censuram a censura ipsa non excusat, si revera lata lex sit censuram inferens, aut factum sit ejus speciei, quæ sub censuræ pœna prohibetur. XVII. Conscientia erronea non inducit censuram, ubi censura lata non est. XVIII. Sola ætas impubertatis non excusat impuberes a contrahenda censura, (præsertim loquendo de censuris

ris latis in Tabula nostra reservatorum. xix. Sola ratio sexus, aut status neminem eximit a censuris contrahendis. xx. Existentia subditi extra Dioecesim Episcopi eumdem subditum ibi peccantem excusat a contrahenda censura, præsertim ex latis in Tabula nostra reservatorum. xxi. Extranei, peregrini, vagi, aliique similes homines peccantes intra Diœcesim Episcopi contrahunt censuras statuto Episcopali latas. xxiI. Peccata venialia non sunt obnoxia reservationi. xxiiI. Peccata mere interna reservationi non subduntur. xxiv. Ne peccata quidem externa reservationi subduntur quantumvis magna sit interior animi malitia, nisi etiam malitia externi actus tanta sit, ut actus ipse externus mortale peccatum præseferat. xxv. Ne exterior quidem mortaliter gravis malitia peccati peccatum ipsum reddit reservatum, nisi ea exterior gravis malitia pertineat ad eam speciem peccati, quæ in lege reservante exprimitur. xxvi. Nullum peccatum quantumvis mortale, externum &c. reservationi subditum est, nisi *materialiter* simul & *formaliter* sit ejus speciei, quæ in lege reservante exprimitur. xxviI. Reservationi non est obnoxium peccatum, nisi completum sit & consummatum in ea specie, quæ per legem reservantem exprimitur: dummodo tamen Legislator reservationem ferens aliud non præceperit. xxviiI. Nullum peccatum quantumvis mortale, externum, completum &c. reservationi subjectum est, nisi in ipso verificentur omnia, & singula, quæ in lege reservante exprimuntur. xxix. Peccata reddi possunt obnoxia reservationi etiam ratione solius circumstantiæ notabiliter aggravantis; quæ propterea circumstantia in casu reservationis omnino necessario est in confessione manifestanda. xxx. Peccata dubia dubio facti reservatione non comprehenduntur. xxxi. Peccata dubia dubio Juris habenda sunt pro vere reservatis. xxxiI. Sola ætas impubertatis non excusat impuberes peccantes a reservatione. xxxiiI. Sola ratio sexus fœminei fœminas non eximit a reservatione, nisi quando ab ipsa lege reservante expresse eximuntur. xxxiv. Metus quantumvis gravis non excusat a reservatione casuum, nisi quando simul excusat a peccato mortali. xxxv. Nulla omnino ignorantia juris reservantis excusat a reservatione casuum, nisi quando simul excusat a peccato mortali. xxxvi. Ignorantia facti etiam concomitans, dummodo non sit graviter culpabilis, excusat a reservatione in omnibus peccatis. xxxviI. Illicita est, gravissimis sub pœnis vetita, atque etiam invalida absolutio a reservatis, sive casibus, sive censuris attentata a Confessario inferiori non habente facultatem in reservata. xxxviii. Ne in pœnitentiam quidem, sive satisfactionem pro reservatis imponendam, aut a superiori Confessario impositam Confessarius inferior potestatem ullam habet, neque eam consequenter imminuere potest, aut commutare. xxxix. Confessarius dubitans de sua jurisdictione in reservata non potest licite absolutionem ab illis attentare; atque si durante dubio eam attentet, & aliunde revera jurisdictionem in reservata non habeat, absolutio evadet etiam invalida. xl. Nulla necessitas, nullum impedimentum (solo excepto articulo mortis, de quo postea) efficere potest ut Confessarius inferior a reservatis licite, aut valide absolvere directe queat. xli. In articulo mortis deficiente Confessario superiore, quilibet Confessarius inferior, eoque etiam deficiente quilibet Sacerdos etiam censura ligatus saltem toleratus licite, & valide absolvere potest quemlibet Pœnitentem a quibusvis reservatis, sola excepta reservata suspensione. xlii. Confessarius inferior, aut Sacerdos simplex in articulo mortis absolvens a peccatis reservatis nihil a Pœnitente exigere debet, nisi id, quod alias pro ipsis peccatis debitum esset; absolvens vero a censuris reservatis obligare debet Pœnitentem, ut si supervivat, quam primum commode poterit se præsentet coram Confessario superiore, & satisfaciat parti læsæ, si qua læsa fuit. xliiI. Extra mortis articulum a reservatis absolvere potest ipse Prælatus reservans; vel ejus successor; vel qui ipsis in jurisdictione superior est; vel demum alius quilibet Confessarius ad id delegatus. xliv. Quamvis Confessarii superiores ordinarii possint alios, prout libuerit, Confessarios delegare ad absolvendum a reservatis etiam ad universalitatem causarum; nullus tamen Confessarius superior quavis ratione delegatus potest alium ad universalitatem causarum subdelegare; nisi id fuerit ipsi a superiore ordinario expresse concessum. xlv. Confessarii superiores delegati delegatione reali ad absolvendam a reservatis ad universalitatem causarum possunt alios quoque Confessarios subdelegare; eos tamen subdelegando dumtaxat in particulari, & ad nudum ministerium absolvendi a reservatis. xlvi. Nullus Confessarius superior delegatus ad absolvendum a reservatis etiam ad universalitatem causarum, sed delegatione dumtaxat personali potest alium quovis modo subdelegare, ne quidem in particulari, & ad nudum ministerium; idemque dicendum de delegato sola delegatione in particulari, & ad nudum ministerium, qui item nullum alium potest quovis modo subdelegare. xlviI. Nullus Confessarius quovis modo delegatus ad absolvendum a reservatis censuris episcopalibus licite, aut valide potest absolvere a casibus episcopalibus; aut vicissim delegatus ad absolvendum a casibus, absolvere potest a censuris reservatis episcopalibus; nec item delegatus ad absolvendum ab uno casu, aut censura absolvere potest ab alio casu, aut censura reservatis. xlviiI. Confessarius delegatus ad absolvendum a reservatis sive casibus, sive censuris (saltem in Tabula nostra reservatis) sub hac, aut simili verborum forma: *pro hac vice dumtaxat*, absolvere potest pœnitentem, etiamsi post obtentam, nondum tamen exercitam delegationem in eumdem casum, aut censuram relapsus fuerit; dummodo tamen in delegatione, aut petitione facultatis certus reservatorum casuum, aut censurarum numerus non fuerit expressus. xlix. Confessarius delegatus ad absolvendum a reservatis cum præscriptione conditionis ante absolutionem implendæ non potest nec licite, nec valide absolvere nisi conditione ipsa, quantum fieri potest, prius impleta; delegatus vero cum præscriptione conditionis, quæ non præcipia-

cipiatur ante absolutionem implenda, valide quidem absolvit, etiamsi nunquam præscriptam illam conditionem adimpleat; ita tamen absolvendo illicite absolvit. L. Nullus Confessarius superior, sive ordinarius, sive delegatus absolvere licite, aut valide potest a casibus reservatis nisi in sacramentali confessione; a censuris vero reservatis tam ordinarius, quam delegatus potest & licite, & valide absolvere etiam extra sacramentalem confessionem; dummodo tamen non fuerit delegato a delegante præscriptum ut in confessione sacramentali tantum etiam a censuris absolvat, quod apud nos præscribi ut plurimum solet. LI. Confessarius superior sive ordinarius, sive delegatus Pœnitentem obstrictum reservatis duntaxat censuris ab iis solis absolvere potest, eum remittendo ad alium etiam inferiorem Confessarium ut absolvatur a peccatis, quæ reservata non sunt; & vicissim inferior Confessarius eumdem Pœnitentem absolvere primum potest a peccatis, quæ reservata non sunt, & subinde eum, ut absolvatur a censuris reservatis (dummodo illæ non sint excommunicationes) remittere ad Confessarium superiorem. LII. Confessarius superior non potest Pœnitentem reum simul peccatorum mortalium reservatorum, & non reservatorum absolvere a solis reservatis, ipsum remittendo ad inferiorem Confessarium, ut absolvatur a non reservatis; nec vicissim potest inferior Confessarius eum absolvere a non reservatis, ipsum remittendo ad superiorem, ut absolvatur a reservatis. LIII. Peccator censuris reservatis ligatus si earum confessionem integram faciat apud Confessarium quemlibet superiorem, ab eoque a censuris illis absolvatur, revera absolutus manet, tametsi confessio illa fuerit culpa ipsius peccatoris, puta propter defectum contritionis, aut propositi &c. invalida; idemque dicendum de censuris reservatis, quarum ille inculpate oblitus fuerit; saltem loquendo de censuris Tabulæ nostræ. LIV. Si peccator reservatorum peccatorum, sive casuum reus confessionem faciat quovis ex capite invalidam coram Confessario quolibet superiore, dummodo reservata illa peccata integre confiteatur, & satisfactionem injunctam recipiat, non absolvetur quidem a reservatis illis, sed eorum adhuc reatu tenebitur propter confessionis invaliditatem, sed sublata tamen remanebit eorum reservatio, ita ut possit ab ipsis subinde etiam per Confessarium inferiorem absolvi. Contrarium tamen probabilius dico esse sentiendum de Peccatore reservatorum casuum reo, qui confessionem etiam validam faciat coram Confessario superiore, sed reservatorum casuum etiam inculpate obliviscatur. LV. Tempore Jubilæi Confessarius quilibet etiam inferior, modo universim ad confessiones audiendas approbatus sit ab Episcopo, sive Ordinario loci illius, in quo confessio audienda est, potest quoscumque pœnitentes sinceram habentes lucrandi Jubilæi intentionem absolvere a quibusvis censuris, sive casibus, ab iis saltem, qui Episcopis ipsis, aut locorum Ordinariis reservati sunt.„

56 In explicatione autem Regulæ. XL. *Nulla necessitas, nullum impedimentum (solo excepto articulo mortis, de quo postea) efficere potest, ut Confessarius inferior a reservatis licite, aut valide absolvere directe queat* ubi monuit Regulam hanc totidem fere verbis haberi in Decreto 9. Januarii anno 1601. Clementis VIII. auctoritate edito, quod integrum dedimus verb. *Confessarius* in Append. ad Art. IV. n. 6. eamque de absolutione directa acceptam communi consensu a Theologis approbari, subdit, ex Theologis aliquos dissentire si de indirecta absolutione intelligatur, „ Directam porro absolutionem, *inquit*, vocant illam, qua Confessarius immediate virtute suæ, quam habet jurisdictionis, peccata, aut censuras solvit, & dimittit. Indirectam absolutionem vocant illam, qua peccatum dimittitur, & censura relaxatur a Confessario non immediate ratione jurisdictionis, quam in ea reservata habeat (cum supponatur esse Confessarius inferior, hoc est, non habens jurisdictionem in illa reservata), sed mediate, quatenus absolvendo directe ratione suæ jurisdictionis a non reservatis, eaque absolutione gratiam sanctificantem infundendo, per quamdam veluti consequentiam absolvat etiam a reservatis; quia gratia sanctificans in animam Pœnitentis infusa omnia peccata expellit, cum gratia sanctificans simul cum peccatis in eadem anima esse nequaquam possit juxta Theologos post S. Thomam 3. p. qu. 86. art. 3. „

57 Hac præmissa directæ, atque indirectæ absolutionis notione, Theologos indicat qui Confessarium inferiorem in casu necessitatis gravis, aut impedimenti etiam extra articulum mortis posse Pœnitentem absolvere a reservatis, quibusdam conditionibus positis, affirmant; aut contra in nullo penitus casu cujusvis necessitatis, vel impedimenti (solo duntaxat excepto articulo mortis) posse Confessarium quemlibet inferiorem licite, aut valide absolvere a reservatis nec directe nec indirecte contendunt; & momenta, quibus utriusque opinionis Patroni nituntur, explicat.

58 Postremo roganti, quamnam ex istis opinionibus sequendam in praxi consulat, in hæc verba respondet: „ Salvo meliori judicio, cui libenter subscribam, in primo ex memoratis casibus, ejus scilicet, qui bona fide confitetur reservatum, quod reservatum esse ignorat (vel, quod idem fere est, reservati obliviscitur) apud Confessarium inferiorem, ab eoque inculpate non advertente absolvitur: in primo, inquam, hoc casu, me libentius assentiri primæ Theologorum opinioni, & judicare eum absolutione indirecta absolutum remanere etiam a reservato, cum onere tamen se præsentandi coram Confessario superiore, ut ab eo directe absolvatur si forte aliquando in cognitionem veniat reservationis. Ita sentire me cogit præter alia authoritas gravissima S. Caroli Borromæi in doctrina Concilii Tridentini interpretanda peritissimi, qui hanc opinionem approbat pro eo casu, & in sua Diœcesi Mediolanensi tenendam proponit in Instructionibus pro Confessariis. Vide dicenda ad Regulam LV. In 2. vero ex propositis casibus, Sacerdotis videlicet urgenti gravi casu celebraturi, aut alterius Eucharistiam necessario sumpturi, nec habentis nisi Confessarium inferiorem, cui reservata confiteatur, consulerem esse distinguendum. Aut enim reservata, quibus

quibus ille Pœnitens teneretur, essent tantummodo peccata, sive proprie casus reservati, aut essent dumtaxat censuræ reservatæ. Si essent tantummodo peccata reservata, libentius assentirer secundæ ex descriptis Theologorum opinionibus, affirmando eum non posse ne quidem indirecte absolvi a peccatis reservatis per Confessarium illum inferiorem, nec consequenter teneri eidem Confessario confiteri reservata, aut non reservata; sed ei consulerem, ut excitata in se quantum fieri posset, contritione perfecta Missam celebraret, aut Eucharistiam sumeret, & subinde quamprimum confiteretur omnia tam reservata, quam non reservata Confessario superiori, ut ab omnibus directe absolveretur. Mallem enim ipsum sine præmissa confessione & absolutione Eucharistiam percipere, aut Missam celebrare, quam absolutionem percipere a Confessario inferiori adeo dubiam in eo casu jurisdictionem habente cohærenter ad Regulam XXXIX. Si vero reservata, quibus Sacerdos ille, aut Pœnitens teneretur, essent tantum censuræ reservatæ, crederem probabilius, & tutius ipsum teneri ad confitendum integre peccata sua Confessario illi inferiori, & posse ab eo absolvi ab ipsis peccatis cum onere se præsentandi quamprimum Confessario superiori, ut per eum etiam a censuris reservatis absolvatur. Interim tamen ipsi permitterem, ut Missam urgente gravi necessitate celebraret, vel Eucharistiam perciperet. Urgente enim gravi necessitate magni scandali vitandi, imminentis infamiæ &c., ut in hoc casu Sacerdotis, vel Pœnitentis illius, censuræ Ecclesiasticæ non obligant, ut ad Regulam XIV. dictum fuit; ergo nec impediunt Sacramentorum susceptionem, aut celebrationem, sed manent veluti suspensæ, nec quidquam operantur donec gravis illa necessitas aut metus scandali, aut infamiæ durant; ergo ea necessitate durante potest adhuc Sacerdos ille, aut Pœnitens Sacramentum Pœnitentiæ suscipere a Confessario inferiori, sicque a peccatis, quæ non sunt reservata, absolvi, & interim sine ullo piaculo Missam celebrare, vel Eucharistiam suscipere Lege Concinam tom. 10. lib. 3. dissert. 2. cap. 1. qu. 9. testantem & approbantem *communiorem* esse *sententiam*, quod ad declinandum grave detrimentum possit excommunicatus Sacramenta suscipere. Cohærenter ad hactenus dicta ego omnino certum existimo cum gravioribus Theologis, Confessarium inferiorem ne ex metu quidem quantumvis gravissimo mortis sibi comminatæ licite, aut valide posse a reservatis absolvere nec directe, neque indirecte, sed comminatam sibi mortem potius constanter subire debere, quam absolutionem a reservatis attentare; contra atque Cabrinus resolut. 122. affirmavit. Namque reservatio subtrahit, aut certe ligat in Confessario inferiori jurisdictionem, ne ad reservata se extendere queat (ex definitione reservationis), atque adeo Confessarius inferior in ordine ad reservata non habet jurisdictionem, qua absolvere queat; atqui sine jurisdictione illicita est, & plane invalida absolutio, ut multoties cum omnibus Catholicis dictum fuit: eaque evadit invalida non ex sola lege Ecclesiastica, sed ex lege & institutione divina, qua Christus Sacramenti Pœnitentiæ auctor instituit, ut sine jurisdictione Sacramentum illud non possit valide administrari; ergo quantumvis metus gravis Confessario inferiori incutiatur, nunquam poterit quovis modo licite, aut valide absolutionem a reservatis attentare, sed obedire potius debebit Christo præcipienti, ne sine jurisdictione absolutionem attentet, quam hominibus mortem comminantibus. „ (*)

RESIDENTIA, RESIDERE.

---

1 Residere in Ecclesia, vel Præbenda nihil aliud est, & importat, quam commorari in loco Beneficii, & Ecclesiæ in Divinis Officiis personaliter deservire. *Sic in re communis*, per text. *in c. Quia nonnulli 3. de Clericis non resident.* ibi: *Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticorum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere*; *cap. relatum* 4. *eod. tit.* ibi: *Cum in Lateranensi Concilio statutum sit, ut personæ tali Ecclesia, vel Beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se valeat exercere*; *c. Conquerente 6. eod. tit.* ibi: *Vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat.*

2 Ex quibus textibus clare patet, quod non sufficit commorari personaliter, & existere in loco Beneficii, sed insuper requiritur, quod Beneficiarius personaliter deserviat Ecclesiæ in Divinis Officiis. Unde Canonicus quamvis personaliter sit præsens in loco Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, si numquam accedat ad Chorum, & Capitulum, non censetur residere, text. expresso *in cap. Consuetudinem unic. de Clericis non resident. in 6.* ibi: *Qualitercumque in Civitatibus, seu aliis locis, in quibus ipsæ consistunt Ecclesiæ, sint præsentes*, & ibi Glossa communiter recepta verb. *Præsentes*, ubi sic expresse habet: *Quid enim prodest præsentia in loco, ex quo Divinis non adsunt, propter quæ sunt Beneficia constituta?*

3 Item ex dictis textibus manifeste patet, quod Beneficiarius debet per se ipsum personaliter præstare Ecclesiasticum Ministerium in loco Beneficii, & in Divinis Officiis ipsi Ecclesiæ deservire. In Ecclesiasticis enim Beneficiis requirentibus residentiam locum non habet *Regula 68. Juris in 6. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, quia hæc Regula patitur exceptionem, quoties electa est industria & fides personæ, cui aliquid committitur, ut patet *in cap. Quoniam* 43. §. *Is autem, de Officio Judicis Delegati, & cap. Is, cui* 12. *eod. in 6.* Sic autem in Beneficiis Ecclesiasticis censetur electa industria & fides personæ ad per se ipsam personaliter residendum, & Ecclesiæ in Divinis Officiis deserviendum; *cap. Quia nonnulli 3. c. Relatum 4. & c. Conquerente 6. de Clericis non resident. & cap. Unic. eod. in 6.* cum similibus.

Resi-

4 Residentia est duplex, una *vera*, & altera *ficta*. Residentia vera est illa, qua Beneficiarius vere, ac realiter præsens est in loco Beneficii, hujusque onera, seu Officia per semetipsum personaliter exercet. Residentia *ficta* est illa, qua Beneficiarius ex legitima causa absens habetur ex quadam Juris fictione pro præsenti saltem ad lucrandos fructus grossos, *cap. De cetero 7. & c. Ad audientiam 15. de Clericis non residentibus*, ubi duo Canonici absentes in servitio Episcopi hac Juris fictione habentur præsentes, seu residentes. Vel etiam ad lucrandas distributiones quotidianas, *cap. Consuetudinem Unic. de Clericis non residen. in 6.* ubi Canonici infirmitate, seu justa, ac rationabili corporali necessitate, aut evidenti Ecclesiæ utilitate impediti, licet absentes, habentur hac Juris fictione præsentes, seu residentes. Concil. Tridentin. *sess. 24. de reform. c.* 8. ubi statuit, quod Canonicus Pœnitentiarius pro præsente in Choro censeatur, dum audit Confessiones in Ecclesia, ibi: *Qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, inter præsentes in Choro censeatur*. Et sic etiam Juris fictione censentur residere in suis Parochialibus Parochi illi, qui ex legitima causa absentes deserviunt suis Parochiis per idoneos Vicarios, *cap. Extirpandæ 30. §. Qui vero, de Præbend.* Barbosa *lib. 3. Decretal. tit. 4. num. 9.* Pirhing *ibid. num. 2.* Reiffenstuel *ibid. num. 7.* & alii passim.

5 Spectato Jure communi, omnia Beneficia requirunt residentiam. Abbas in *cit. cap. Extirpandæ 30. §. Qui vero, num. 30.* asserens, quod Beneficium quantumcumque minimum de Jure communi requirat residentiam. Fagnan. *in cap. Cum omnes 6. de Constit. num.* 14. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 8. & alii communiter, per text. *in cap. Ex par. 8. & cap. Inter quatuor 10. de Clericis non resident. c. Ad hæc 13. de Præbend.* ibi: *Cum singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum*, & concordant *cap. Ex gestis 2. cap. Clericos 17. de Clericis non resid. cap. Super inordinata 35. de Præbend.* cum similibus. Et quo ad Beneficia simplicia idipsum desumitur *ex cap. Eleutherius 1. cap. Clericus 4.* & *cap. Clerici vero 5. dist. 91. cap. Si quis in Clerico 29. caus. 7. qu. 1. & cap. Conquerente 6. de Clericis non residentibus*, in cujus summario sic expresse habetur: *Qui non residet in Beneficio etiam modicæ æstimationis, illo privatur*.

6 Dicitur autem notanter *Spectato Jure communi*, quia ex Generali consuetudine totius Ecclesiæ Beneficia simplicia residentiam personalem non requirunt; Unde sic Beneficiati possunt per alios eisdem deservire, nisi Fundatores clare & expresse oppositum statuerint. Abbas *in cit. cap. Cum omnes 6. de Constitutionibus num.* 1. Fagnan. *ibid. n.* 4. *& seq.* citans Rotam apud Card. Seraphin. *decis. 693. num.* 5. & alios, Felinus *in cap. Dilectus 29. de Rescriptis num.* 1. Vallensis *lib. 3. Decretal. tit. 4. num. 3. &* 4. Reiffenstuel *ibid. num. 9.* Garcias *de Beneficiis part. 3. c. 2. num. 3. & 11. ac seq.* Zerola *part. 1. Praxis Episcopal. vers. Beneficium §. Ad septimum vers. Octava conclusio*, allegans declarationem Sacræ Congregationis in hæc verba: *Obtinens Beneficium, quod sit simplex, & sine cura animarum, & extra Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario*, ubi notanda est illa Clausula: *Nec personalem residentiam ob aliam causam requirens*, quæ clare demonstrat, quod licet, spectato Jure communi, seu potius generali consuetudine, Beneficia simplicia Residentiam personalem non requirant; Si tamen Fundatores expresse obligaverint sic beneficiatos ad residentiam personalem, vel talis obligatio legitime inducta esset ex statuto, vel consuetudine alicujus particularis Ecclesiæ, sine ullo dubio tenerentur tales Beneficiati personaliter residere, & per semetipsos injuncta Ecclesiastica servitia præstare, prout teste Garcia *de Beneficiis par. 3. cap. 2. n. 11. & 12.* pluries resolvit Rota, & signanter *In una Calaguritana Beneficii de Navarrete 10. Junii 1588. coram D. Pamphilio, & in una Cæsaraugustana Fructuum 4. Junii 1660. coram D. Corduba*.

Episcopi, & Parochi tenentur ad residentiam 7
personalem, non solum de Jure Ecclesiastico, seu Canonico, sed etiam de jure Divino, & naturali; Colligitur aperte ex Conc. Trid. *sess. 22. de reformat. cap.* 1. quod tamen noluit explicite definire tamquam Dogma Fidei. Vide verb. *Episcopus art. 3. num. 1. & 2.* & verb. *Parochus art. 2. a num. 1. ad 4.* ubi afferuntur ad id Jura, & Doctores. Quoad residentiam vero Episcoporum attendenda nunc est novissima Constitutio Bened. XIV. quæ incip. *Ad universæ Christianæ Reipublicæ statum*, in qua inter alia summe providus Pontifex assignat absentiæ causas, & tempora a Concilio Trid. permissa, Canonica & Pontificia statuta ad id confirmat, & innovat. Item pœnas in contravenientes, addita pœna privationis Indultorum competentium Assistentibus solio Pontificio. Congregationem super Residentia, ejusque sessiones in usum reducit. Singulis absentiæ causis opportuna Rescripta comparat. An, & quatenus permittendum Episcopo, ut a diœcesi absit causa litis? Quid ratione infirmitatis extra Diœcesim contractæ? Quid ad convalescendum ex morbo in Diœcesi contracto? Quid ratione aeris insalubris? Quid pro celebrandis Conciliis in Assembleis & Dietis? Quid pro construendis processibus Apostolicis in causis Canonizationum? assignat. Præceptum de præmissorum observantia, & de onere denunciandi non residentes, imponit. Specialem ad id commissionem Nuncio Apostolico Neapoli commoranti injungit. Ac tandem etiam S. R. E. Card. præmissis Legibus comprehensos expresse declarat.

Beneficia non curata, ut sunt Canonicatus, & 8
hujusmodi obtinentes tenentur ad residentiam solo Jure Ecclesiastico, seu Canonico, atque ex primæva Fundatorum dispositione per Sacros Canones approbata. Fagnan. *in cap. Extirpandæ 30. §. Qui vero, de Præbend. num.* 2. Pirhing *lib. 3. Decretal. tit. 4. num.* 16. Reiffenstuel *ibid. n.* 14. Vallensis *ibid. n.* 2. Zoesius *ibid. num.* 2. & alii communiter; Beneficia enim non curata sunt solummodo ab Ecclesia instituta propter cultum Divinum, & non propter curam animarum. Unde in istis

istis non urget ratio, quæ urget in Beneficiis Curatis.

9 Quo autem ad ea, quæ concernunt Canonicorum residentiam, & quibus pœnis subjaceant, non residendo? Vide verb. *Canonicus art. 5. per tot.* (1)

10 Quo ad ea, quæ concernunt Episcoporum residentiam, & quibus pœnis subjaceant non residendo? Vide verb. *Episcopus art. 3. a n. 1. ad num. 39.*

11 Quo ad ea, quæ concernunt Parochorum residentiam, & quibus pœnis subjaceant non residendo? Vide verb. *Parochus art. 2. a num. 1. ad 56.*

12 Obtinentes Beneficia simplicia residentiam personalem requirentia, vel ex expressa Fundatorum dispositione, vel ex dotatione, vel ex statuto, aut legitima consuetudine alicujus particularis Ecclesiæ, tenentur per seipsos injuncta sibi Ecclesiastica servitia, & onera fideliter præstare, & personaliter residere; Et si contumaciter id non præstent, cum de ipsis Concil. Trid. aliquid speciale non constituerit, procedendum est contra ipsos conformiter ad dispositionem Juris communis *in cap. Conquerente 6. cap. Ex parte vestra 8. cap. Inter quatuor* 10. *& cap. Clericus* 17. *de Clericis non residentibus*.

13 Episcopi residere tenentur in suis Diœcesibus, a quibus non licet ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa. Sic novissime statuit Benedictus XIV. Constit. incipiente *Ubi Primum*, & Constitut. incip. *Gravissimum*.

14 Residentia in propriis Diœcesibus inculcatur Episcopis Hiberniæ. Idem Constit. 26. incip. *Gra-*
15 *ve & permolestum*. Residentia, non mere materialis, sine vigilantia, ac Pastorali sollicitudine regendi, & pascendi suas oves commendatur Episcopis, sed residentia vere formalis verbum Dei voce, & exemplo disseminando, a semita justitiæ deflectentes revocando, periclitantibus opem, & auxilium deferendo, adversus lupos rapaces, qui in vestimentis ovium sæpe intrant Ovile, ut rapiant, & mactent, sedulo invigilando, fortiter-
16 que se opponendo. Nec sufficit prædicta, aliaque munia Pastoralia per Vicarios, & subditos præstare, ut tradit zelantissimus Pontifex *ibid.* recte advertens, & serio monens, quod unicuique Episcoporum singulatim ab Oraculo Divino districte denunciatur: *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,*
17 *quam acquisivit sanguine suo*. Ipsis igitur Episcopis, non alteri pascendi oves præceptum datum est. Ipsismet spiritualis animarum salus innititur, & ipsi illam susceperunt, de ipsis strictissimam rationem reddituri, cum aliquando sanguinem illarum de manibus suis requiret districtus Judex. Hæc, & multa alia scitu & obsesvatu dignissima summe vigilans zelantissimus Pontifex *ibid.*

18 Super dicta Episcoporum residentia invigilare jubentur Nuncii Apostolici, & singuli Episcopi, Idem tom. 2. Const. 18. incip. *Ad universæ*, in qua iterum præcipit Episcopis dictam residentiam, ac Congregationem peculiarem super residentia Episcoporum jam ab Urbano VIII. in Urbe institutam, restaurat, eique certam agendi methodum ad id præscribit, & ad præcavendos abusus assignat quid præcipiatur Episcopis postulantibus licentiam abessendi a propriis Ecclesiis causa insalubritatis aeris, & quid postulantibus dictam licentiam aliis de causis, & qua forma, ac quibus cautelis concedi eis debeat, mandans, quod Episcopi residentes denunciare teneantur alios Episcopos non residentes.

Residere debent Parochi, aliique animarum Pa- 19
stores inter suas oves; Sed num residentiæ sint obstricti jure naturali, ac Divino, aut Ecclesiastico, adhuc controvertitur. Benedict. XIV. *de Syno-*
do Diœcesana lib. 7. cap. 1. num. 2. Quod neque a 20
Concilio Tridentino definitum est. Idem *ibid. n. 3.*
Licet post illud communior sententia sit, eos te- 21
neri jure naturali, ac Divino. Idem *ibid. num. 6.*
Residentiæ non satisfacit, qui corpore præsens, 22
animo absens, ovium curam negligit. Bene vero 23
censebitur residentiæ præceptum adimplere, qui etsi a suis ovibus corpus aliquando subducat, animo tamen iisdem adest, & finem obtinet illas pascendi, & regendi, ad quem localis Pastoris præsentia dirigitur. Idem *ibid. num. 4.*

Additiones ex aliena manu.

Notabilis est divisio residentiæ in præcisam, & 24
causativam. Illam adimpleri nequit per alium, obligatque sub pœna amissionis Beneficii, hæc vero potest per alium adimpleri, solumque sub pœna amissionis fructuum obligat; Rigant. *in comment. ad Regul. Cancellar. Regul.* 1. §. 8. *num.* 12. Rot. *in Monasterien. Parochialis* 16. *Februarii* 1748. §. 5. *coram Illustriss. Migazzi*.

Residentia præcisa non debet necessario esse con- 25
tinua, sed potest esse & discontinua. Dummodo enim non residenti pœna amissionis Beneficii sit imposita, residentia dicenda est præcisa, sive sit continua, sive sit discontinua; Leuren. *in For. Benefic. part. 1. sect. 3. cap. 1. quæst. 363. per tot.* Garc. *de Benefic. part.* 11. *c. 5. n.* 90. Loter. *de re Benefic. lib. 3. c. 27. num. 3.* optime Rot. *in dict. Monasterien. Parochial. 16. Februar.* 1749. §. 5. *& sequent. cor. Illustrissimo Migazzi*.

Ex quibus dignosci possit, utrum Beneficio im- 26
posita sit residentia præcisa, an residentia causativa, recte tradit Rigant. *in commentar. ad Regul. Cancellar. dict. Reg. 1. §. 8. a num. 16. ad plur. sequent.* ubi illud notabile, quod pœna amissionis fru-
ctuum a Fundatore expressa in dubio tantum indu- 27
cit residentiam causativam, non item si aliunde constet voluisse eum residentiæ præcisæ beneficium subjicere. Confer etiam Rotam *in Vicen. Beneficii 5. Julii* 1751. *& plur. sequent. cor. Reverendiss. Cortada*.

Im-

(*1) Consulere etiam poteris T. VI. *Thesauri Ecclesiastici* ab Antonio Schmidt editi 1777. Nelleri dissertationem de *varietate residentiarum Canonicalium* primum Treviris an. 1759. excusam.

28 Impetratio Beneficii, quod sit obnoxium oneri residentiæ causativæ, valida est, vel si nihil dictum sit de residentia, vel si negatum sit habere ipsum onus residentiæ; Rota *in Fanensi Beneficii 29. April.* 1735. §. 8. *cor. bon. mem. Peralta*, *in Cæsaraugustana Beneficii* 28. *Junii* 1745. §. 7. *cor. Reverendiss. Molino*, *& in dict. Vic. Beneficii* 5. *Julii* 1751. §. 12. *cor. Reverendiss. Cortada*.

29 Insigne est discrimen, quod intercedit residentiam præcisam a Jure impositam inter & residentiam præcisam præscriptam ab Homine. In illa contra non residentes procedendum est modo ab ipso jure præscripto. In hac servandus haud est modus ille, sed qui per aliquod tempus non resederunt, privari beneficiis possunt; Hericourt. *oper. posthum. tom.* 1. *consult.* 33. *fere per tot.* & signanter §. *A Pegard*.

RESIGNATIO, SEU RENUNCIATIO BENEFICIORUM, ET PERMUTATIO EORUM.

1 Resignatio, seu Renunciatio Beneficii est spontanea Beneficii Ecclesiastici dimissio facta coram legitimo Superiore eam acceptante; *Est*
2 *in re Communis*. Verba *Resignatio*, *Renunciatio*, & *Cessio* inter se confunduntur, & unum pro alio passim sumitur, ut notant Flaminius Parisius *de Resignatione Benefic. lib.* 1. *quæst.* 1. *n.* 70. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *num.* 1. Barbosa *Juris Ecclesiastic. univers. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. & alii communiter, per text. *in cap. Super hoc* 5. *cap. Quod in dubiis* 8. *cap. Nisi cum pridem* 10. §. 1. *de Renunciatione*, *cap. Ex litteris* 10. *de excessib. Prælat. c. Susceptum* 6. *de Rescriptis in* 6. *& cap.* 1. *de Renunciatione in* 6.

3 Resignatio Beneficii, alia est tacita, & alia expressa. *Communis*. Resignatio *tacita* est illa, quæ absque ullo verbo, vel scriptura fit facto aliquo Resignationem significante, vel ex dispositione Juris eam importante; Qui enim facit aliquid, quo posito, ex ipsius Juris dispositione Beneficium amittitur, seu retineri nequit, idem tacite, seu ipso facto renunciare censetur, quamvis nec verbo, nec scriptura id exprimat. Sic Rebuffus *in praxi de Benefic. tit. de tacita Renunciatione num.* 2. Parisius *de Resignatione Benefic. lib.* 1. *quæst.* 1. *n.* 9. *& seq.* Tholosan. *in Institut. rei benefic. cap.* 28. *n.* 4. Azorius *part.* 2. *Institut. moral. lib.* 7. *cap.* 19. *q.* 2. Pirhing *l.* 1. *Decretal. tit.* 9. *num.* 2. Reiffenstuel *ibid. num.* 8. *& seq.* & alii passim.

4 Hujus tacitæ Resignationis varia a supracitatis Doctoribus afferuntur exempla, I. Tacite renunciare censetur priori Beneficio, qui aliud recipit cum illo incompatilibi: *cap. De multa* 28. *de Præbend. & Extravagant. Execrabilis*, *eod. inter communes*, II. Tacite renunciare censetur Beneficio Clericus in Minoribus constitutus Matrimonium contrahens, cum Beneficium Ecclesiasticum statim ipso Jure vacet; *cap.* 1. *&* 3. *de Cleric. conjugato*. III. Tacite renunciare censetur Beneficio Clericus Religionem solemniter profitens; *cap. Beneficium* 4. *de Regular. in* 6. IV. Tacite renunciare censetur Beneficio Clericus, qui fit Miles, vel Joculator, quia talis censetur Beneficium suum habere pro derelicto, juxta Glossam *in cap. Ultimo verb. Redierint*, *de Cleric. non resident.*

Tacita autem Resignatio adhuc magis proprie 5
intervenire censetur, quando Jura non inducunt vacationem Beneficii, sed solum ex facto Beneficiarii apto, & ordinato ad renuntiandum præsumunt hujus voluntatem illud dimittendi. Sic Barbosa *Juris Ecclesiast. univers. lib.* 3. *num.* 40. *& seq.* cum aliis ibi citatis, ubi assignat differentiam inter hanc tacitam Resignationem, & aliam supradictam, quæ potius est privatio, quam tacita Resignatio; Et talis tacitæ Resignationis adducit duo exempla; Primum quod habetur *in cap. Ex transmissa* 2. *de Renunciatione*, ubi Clericus repetens bona, quæ Ecclesiæ suæ contulerat, ex tali repetitione censetur prædictam Ecclesiam voluisse dimittere, quam proinde repetere non potest: Secundum exemplum *in cap. Ex ore* 3. *De his*, *quæ fiunt a majori parte capituli*, ubi litigans super quadam Præpositura, ex eo quod Collitigatori suo reverentiam alias Præposito debitam exhibuerit, Juri suo renunciasse dignoscitur, quia utroque casu ex parte Beneficiarii intervenit factum aptum, & ordinatum ad renunciandum, ex quo Lex, seu Jus talem præsumptionem elicere potuit, & ideo, si non intervenisset, cessabat omnis Resignationis præsumptio. Sic etiam Pirhing *loco cit. num.* 3. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 10. & alii.

Resignatio *expressa* Beneficii est illa, quæ fit ex- 6
pressis verbis, aut scriptis voluntatem resignandi aperte declarantibus coram legitimo Superiore eam acceptante. *Communis*.

Resignatio expressa est duplex, una pura, seu 7
simplex, & absoluta, & alia conditionalis. *Com-*
munis. Resignatio *pura* est illa, quæ fit sine ulla 8
conditione, modo, aut pacto, ut quando quis pure, absolute, & simpliciter dimittit Beneficium in manibus legitimi Superioris, ita ut is possit illud tamquam vacans conferre, cui voluerit; *cap. Ex transmissa* 4. *de Renunciatione*, *cap. Sollicite* 2.
& cap. Accepta 3. *de restitutione spoliator.* Resigna- 9
tio *conditionalis* est illa, quæ fit sub certa conditione, pacto, vel modo. *Communis*.

Resignatio conditionalis fieri solet quinque mo- 10
dis. I. Cum quis resignat Beneficium sub hac conditione, ut conferatur certæ determinatæ personæ, & non aliter. Et hæc dicitur *Resignatio in favorem tertii*. II. Cum quis resignat quidem Beneficium ad alterum transferendum, sed sub conditione, seu reservatione, quod fructus ex toto, vel ex parte sibi quotannis solvantur; Et hæc dicitur *Resignatio sub Pensione*. III. Cum quis resignat Beneficium sub conditione, & reservatione regressus, ut si Resignatarius præmoriatur, possit ipse Resignans ad Beneficium redire. Et hæc dicitur *Resignatio cum regressu*. IV. Cum quis resignat Beneficium sub conditione, & reservatione ingressus, seu accessus, ut si Beneficium conferatur puero, qui ante captam possessionem illud cedat alteri

teri sub pacto, ut post absoluta studia propria auctoritate ipsum recipere possit; Et hæc dicitur *Resignatio cum ingressu, vel accessu*. V. Cum quis Beneficium resignat sub conditione, ut alterius Beneficium simile, vel dissimile sibi conferatur; tunc enim unus Beneficium suum cum alterius Beneficio commutat, & uterque suo se abdicat, ut alterius Beneficium acquirat. Et hæc dicitur *Resignatio cum permutatione*.

11 Quilibet Clericus Beneficiarius potest, regulariter loquendo, ex justa causa renunciare Beneficia sibi quæsita in manibus legitimi Superioris. *Communis*, per text. *in cap. Admonet* 4. *cap. Nisi cum pridem* 10. *de Renunciatione*, *cap. Quoniam* 1. *eod. in* 6. cum similibus.

12 Et hoc procedit non solum in Beneficiariis privatis, & Clericis inferioribus, sed etiam in maioribus, & maximis, ut Episcopis, & Cardinalibus, & Summo Pontifice, cum etiam hic possit libere Papatui renunciare, ut expresse statutum habetur *in cap. Quoniam* 1. *de renunciatione in* 6. ibi: *Omnium concordi consilio, & assensu auctoritate Apostolica statuit, & decrevit, Romanum Pontificem posse libere resignare*, uti de facto libere resignavit S. Cœlestinus Papa V. cujus Renunciationis, seu Resignationis formulam tradit Carillus *in suis Annalibus Chronolog. lib.* 4. *anno* 1294. *fol.* 373.

13 Et ex ipso Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. universal. cap.* 2. *num.* 213. his verbis: *Ego Cœlestinus Papa V. motus ex legitimis causis, idest, causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate populi, & infirmitate personæ, & ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte, ac libere cedo Papatui, & expresse renuncio loco, & Dignitati, Oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem, ex nunc Sacro Cœtui Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat Canonice Universali Ecclesiæ de Pastore*.

14 Non possunt tamen resignare Beneficia Clerici intrusi, & alii similes non habentes canonicum Titulum: Isti enim cum non habeant legitimam possessionem Beneficiorum, nequeunt illa resignare. Nec juvat, quod illa diu pacifice possederint, quia longa possessio illegitima, & injusta non justificat Titulum, alias invalidum; *cap. Dilecto* 35. *de Præbend. cap. Possessor* 2. *& cap. Sine possessione* 3. *de Regul. Juris in* 6. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *num.* 36. Reiffenstuel *ibid. num.* 49. & alii passim.

15 Item Beneficia resignare non possunt Clerici, qui valide Matrimonium contraxerunt, quia per contractum Matrimonium Beneficia Ecclesiastica ipso Jure vacant, *cap.* 1. *&* 3. *de Cleric. Conjugat.*

16 Item Beneficia resignare non possunt Clerici, qui Religionem aliquam approbatam solemniter professi sunt, quia per Professionem Religiosam Beneficia statim ipso Jure vacant; *c. Beneficium* 4. *de Regularibus in* 6.

17 Item Clerici qui ad secundum Beneficium cum priore incompatibili promoti sunt, prius resignare non possunt, quia per adeptionem secundi Beneficii ipso Jure vacat primum, *cap. De multa* 28. *de Præbend. Extravagant. Execrabilis eod. inter communes*; Concil. Tridentin. *sess.* 7. *de reform. cap.* 4.

Item Beneficia resignare non possunt Clerici criminosi, qui ob crimen commissum ipso Jure privati existunt Beneficiis præhabitis, ut sunt Simoniaci. *Extravagant. Cum detestabile, de Simonia inter communes*. Falsificatores Litterarum Apostolicarum, *c. Ad falsariorum* 7. *de Crimine falsi*, & hujusmodi. 18

Item resignare non possunt Clerici Beneficia illa, ad quorum Titulum fuerint ad Sacros Ordines promoti, nisi facta mentione, quod ad illorum Titulum fuerunt Sacris Ordinibus initiati, neque talis Resignatio admitti potest, nisi constito, quod aliunde commode vivere possint, alias facta Resignatio erit nulla. Concil. Tridentin. *sess.* 21. *de reform. cap.* 2. S. Pius V. Constit. 58. incip. *Quanta Ecclesiæ*. 19

Item resignare non possunt Beneficia Clerici infirmi intra 20. dies ante suam mortem; Sic *Regula* 19. *Cancellariæ*, quæ inscribitur *Regula de viginti*, quæ ita: *Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam, aliquod Beneficium simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius Commendæ cesserit; seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni censenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ; & postea infra viginti dies a die per ipsum Resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per Resignationem sic factam, Collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare*. 20

Immo hæc Regula de viginti locum habet etiam in illis, qui dum sani erant, resignaverunt, & postea casu quodam, aut superveniente morbo inopinato intra viginti dies decesserunt. Cochier *ad Regulam* 19. *Cancellariæ de Viginti num.* 16. *vers. Itaque frustra*, id probans ex verbis dictæ Regulæ, ibi: *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ*. Parisius *lib.* 12. *de Resignat. Benefic. quæst.* 6. *num.* 7. testans de communi ita hodie communiter hanc Regulam practicari. Vivianus *de Jurepatronatus l.* 13. *c.* 10. *num.* 86. Rota apud Bichium *decis.* 164. *nu.* 14. & alia Rota *in una Leodiensi Beneficii* 25. *Maii* 1640. *coram Cerro decis.* 11. *num.* 10. asserens, ita declarasse Clementem VIII. 21

Beneficia Jurispatronatus, sive Patroni sint Laici, sive Clerici, nequeunt resignari ad favorem tertii, neque permutari sine consensu Patronorum, *arg. cap. Monasterium* 33. *caus.* 16. *q.* 7. Rota *par.* 1. *recent. decis.* 427. *num.* 1. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar. Glossa* 18. *a n.* 2. *& Glossa* 47. *num.* 20. Gratian. *disceptat. forens. tom.* 5. *cap.* 831. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 15. *num.* 142. cum pluribus ibi citatis; Pirhing. *loc. cit. num.* 13. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 61. Parisius *lib.* 2. *q.* 4. *num.* 4. *& l.* 7. *q.* 15. *num.* 8. & alii passim; Ipsorum enim Patronorum interest, ne ipsis neglectis, aliqui instituantur in Beneficiis forte ipsis infensi, aut inimici. 22

Item Beneficia electiva resignari non possunt in favorem alterius, neque permutari sine consensu illo- 23

illorum, qui Jus habent eligendi. Cardinal. *in Clementin. Unic. n.* 18. *de renunciat.* Flamin. *l.* 8. *q.* 10. *num.* 11. Vivian. *in praxi Jurispatronat. lib.* 13. *c.* 10. *nu.* 28. Garcias *par.* 11. *de Beneficiis cap.* 4. *n.* 72. Barbosa *loc. cit. num.* 145. Reiffenstuel *loc. c. n.* 61. Pirhing *loc. cit. n.* 13. & ipso teste alii communiter.

24 Talis autem Resignatio, vel Permutatio sine consensu Patronorum, vel Jus eligendi habentium facta, non est ipso Jure irritata, sed irritanda solum ad ipsorum contradictionem, & instantiam; &, si eorum consensus post Resignationem superveniat, erit valida, *arg. cap. Quod sicut* 28. *de election. cap. Cum nos* 3. *De his, quæ fiunt a Prælatis*, cum similibus Lessius *lib.* 1. *de Just. & Jur. cap.* 34. *n.* 193. & 198. Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 25. *quæst.* 4. Reiffenstuel *loco cit. num.* 62. Pirhing. *loc. c. n.* 13. & Communis aliorum.

25 Item resignari nequeunt, lite pendente, Beneficia litigiosa, quia talis Resignatio præsumitur fieri in fraudem Collitigantis, *arg. c.* 1. *de alienatione Judicii mutandi causa facta, & cap.* 2. *Ut lite pendente in* 6. Generaliter enim loquendo alienatio rei litigiosæ, dum lis pendet, fieri prohibetur, & facta non tenet, ut expresse habetur ex *toto tit. ff. & Cod. de Litigiosis*; Barbosa *loc. cit. nu.* 147. Parisius *cit. lib.* 2. *q.* 3. *n.* 1. Azorius *cit. cap.* 25. *q.* 3. Pirhing *loc. cit. nu.* 14. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 55. & alii communiter.

26 Item Beneficia unita resignari non possunt, etiam antequam unio sortiatur effectum. Sic si Beneficium a Petro possessum uniatur alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel Seminario, ut post illius mortem effectum sortiatur, non potest Petrus illud Beneficium resignare in alicujus favorem. *Communis*, per text in Concil. Trident. *sess.* 11. *de reform. cap.* 5. *in fine*, ibi: *Quæ uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa Resignationis, aut derogationis, aut suspensionis & sess.* 23. *cap.* 18. *circa medium*, ibi; *Nec per resignationem ipsorum Beneficiorum uniones, & applicationes suspendi, vel ullo modo impediri possint.*

27 In curia Romana non admittuntur Resignationes Parochialium ad fovorem tertii præsertim cum reservatione Pensionis ipsi Resignanti, vel alteri a Resignatario præstandæ, nisi exprimatur per quantum tempus possederit ipse Resignans tale Beneficium, & nisi illud possederit per quinque annos, vel circa, aut saltem tres, quamvis antea requirerentur septem, vel sex: Garcias *de Beneficiis p.* 11. *c.* 3. *n.* 47. Isidorus Masconius *in tract. de Majest. Militant. Eccles. lib.* 1. *par.* 3. *cap.* 2. *rub. de Benefic. fol.* 451. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 63. Prosper de August. *in addit. ad Quaranta in Sum Bul. tit. Resignat. Benefic. ult. vers.* Pyrr. Corrad. *Prax Benefic. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 14. ubi testatur, hunc usum, seu stylum Datariæ Apostolicæ exordium habuisse a Gregorio XIV. qui sic servari mandavit, ex eo quod Innocentius IX. id antea statuerat, nempe ut accipiens Beneficium Curatum, vel simile non possit illud renunciare ad favorem tertii ante triennium.

28 Prædicta tamen praxis procedit solum in Resignationibus, quæ fiunt in curia Romana in manibus Papæ, non autem in illis, quæ pure, seu absque Reservatione Pensionis fiunt in manibus Ordinarii; De his enim Gregorius XIV. nihil de novo statuit. Unde pure, & libere, & absque ullo onere possunt similes Resignationes fieri in manibus Ordinariorum etiam ante annum possessionis; Pyrr. Corrad. *loc. cit. num.* 20. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 65. Parisius *lib.* 3. *q.* 2. *per tot.* & alii.

Quamvis justæ, & legitimæ causæ, ob quæ potest fieri Beneficiorum Resignatio, generatim ad duas reduci possint, scilicet ad utilitatem Ecclesiæ, & salutem propriam, ut dicitur *in cap. Quidem* 12. *de Resignatione*, & notant Barbosa *loc. c. num.* 89. Pirhing *loc. cit. num.* 40. & alii; tamen Innocentius III. *in cap. Nisi cum pridem* 10. *de renunciatione* sex assignat, ob quas potest Episcopus resignare Episcopatum, quæ omnes continentur in his duobus versiculis ibidem in Summario allegatis. 29

Debilis, Ignarus, Male conscius, Irregularis.
Quem mala plebs odit, Dans scandala, cedere possit.

Prima igitur causa designata per ly *Debilis* est Debilitas, seu infirmitas Corporis, ob quam redditur quis impotens ad exequendum suum Officium. *Secunda* designata per ly *Ignarus* est Ignorantia, seu defectus scientiæ necessariæ ad sui Officii executionem. *Tertia* designata per ly *Male conscius*, est Conscientia criminis, non quidem cujuslibet, sed illius dumtaxat, quod post peractam pœnitentiam impedit executionem sui Officii, ex quo irroget infamiam, ipso jure, ut Crimen hæresis, Simoniæ, homicidii, & hujusmodi. *Quarta* designata per ly *Irregularis*, est Irregularitas Personæ. *Quinta* designata per ly *Quem mala plebs odit*, est malitia plebis ita moribus, & personæ ipsius Prælati adversariæ, ut in ea quidquam amplius proficere non valeat: *Sexta* designata per ly *Dans scandala*, est grave scandalum, quod aliter sedari non potest. Sic *cit. c. Nisi cum pridem* 10. *de renunciat.* & *ibi* Glosssa & Doctores communiter. 30

Causæ autem, propter quas possunt Episcopi, & alii facultatem habentes simplices Beneficiorum Resignationes recipere, & admittere, assignantur a S. Pio V. in sua Constitutione 58. incip. *Quanta Ecclesiæ* §. 3. his verbis: *Posthac Episcopi, & alii facultatem habentes eorum dumtaxat renunciationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeant, aut non debeant Ecclesiæ, vel Beneficio inservire, seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri. Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur. Denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui in Constitutione felicis recordationis Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi, sed neque horum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus valeat ullo modo Beneficium vel Officium Ecclesiasticum resi-* 31

signare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari.

32 Hinc ubi dicta S. Pii V. Constitutio est usu recepta, si Resignatio ab Ordinariis admittatur absque ulla ex assignatis causis, est nulla; quia ibi ponitur decretum irritans; Pirhing *loc. cit. nu.* 56. *in fine*, Parisius *lib.* 5. *q.* 6. *num.* 223. *& seq.* Azorius *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *quæst.* 5. Leurenius *in Foro Beneficiali part.* 3. *quæst.* 415. & alii. Sed testatur Zipæus *in Analysi de renunciatione num.* 1. non esse ubique usu receptam; et non esse in usu Hispaniæ asserit Garcias *de Benefic. part.* 11. *c.* 3. *n.* 270. & utrum in Germania, edisserit Card. de Luca *de Benefic. disc.* 65. *per tot.*

33 Facta Resignatione pura, & a legitimo Superiore admissa, non est amplius locus pœnitentiæ; sed Resignans potest compelli etiam invitus ad dimittendam possessionem Beneficii Resignati. *Communis*, textu expresso *in c. quidam* 12. *de renunciatione*.

34 Dicitur autem notanter: *Et a legitimo Superiore admissa*, quia ante ejus admissionem, & ratificationem potest Resignans mutare voluntatem, & revocare Resignationem; Tunc enim res adhuc integra existit, & sic est locus pœnitentiæ, *arg. cap. Lecta* 14. *de renunciatione, & cap. In causis* 30. §. *Quia vero, de election. l. si pecuniam*, §. 1. *ff. de condict. caus. dat.* Unde si Resignans constituisset Procuratorem ad faciendam Resignationem Beneficii coram legitimo Superiore, re adhuc integra, potest pœnitere, & mandatum Procuratorium revocare; *Clement. Unic de renunciation.* Garcias *p.* 11. *de Benefic. c.* 3. *n.* 227. citans Rotam *dec.* 1. *in fine & dec.* 3. *de renunciation. in antiquis*, Sannig. *de renunciatione cap.* 6. *num.* 3. Reiff. *loco cit. num.* 49. Rebuff. *in praxi Benefic. tit. de Resignatione Conditionali num.* 31. & alii passim.

35 Qui Beneficium resignavit, non obstante sua resignatione, potest redire ad idem Beneficium ex novo Titulo superveniente, videlicet si iterum ad illud præsentetur, vel eligatur. *Communis*, textu expresso *in cap. Cum inter* 2. *de renunciation.* juncta Glossa fin. *ibid.* & Glossa *in cap. Susceptum verb. Non morte, de Rescript. in* 6.

36 Resignatio Beneficiorum non potest fieri in manibus Laici, etiamsi esset Patronus, Rex, vel Imperator, nisi habeat Jus conferendi, & recipiendi tales resignationes ex privilegio Apostolico. *Communis*, textu expresso *in cap. Quod in dubiis* 8. *de resignatione*.

37 Neque Resignatio Beneficiorum fieri potest propria auctoritate, sed debet fieri de auctoritate, & assensu, & in manibus legitimi Superioris Ecclesiastici habentis potestatem instituendi, & destituendi respectu talium Beneficiorum. *Communis*, per text. *in cap. Non oportet* 18. *cap. si vero* 23. *cap. si quis Presbyter* 24. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. Admonet.* 4. *de renunciat. & cap. illo* 1. *& cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* cum similibus, juncta Glossa *in Clementin. Unic. de renunciation. verb. Manibus*.

38 Hinc Resignatio ad favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, non potest fieri nisi in manibus Papæ; Sic Barbosa *loc. cit. num.* 58. Pirhing *loc. cit. num.* 77. Reiff. *loc. cit. num.* 110. Engel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 8. citans communem omnium doctrinam, & in praxi observatam, quamvis Covarruvias, Sotus, & alii pauci relati a Garcia *par.* 11. *de Beneficiis cap.* 3. *num.* 153. contrarium senserint. Et ratio est, quia hujusmodi Resignatio, vel continet Simoniam Juris Ecclesiastici, ut docent Glossa *in cap. Dilecto, verb. Resignavit, de Præbend.* Garcias *loc. citat. num.* 152. allegans Rotam *decis.* 146. *l.* 2. *& dec.* 921. *l.* 3. *par.* 3. *diversor. & decis.* 265. P. 2., & decis. 666. *noviss.* Farin. Rebuff. *in Praxi Benefic. t. de renunciat. conditional. n.* 1. Navarr. *c.* 23. *Manual. n.* 107. §. *Ad Decimum*, Parisius *lib.* 13. *de resignat. q.* 3. *num.* 12. asserens, ita scribere omnes fere Doctores, vel saltem aliunde est in Jure prohibita, uti expresse eam prohibuit Hilarius Papa in Concilio Romano relato *cap. Plerique* 5. *caus.* 8. *q.* 1. & S. Pius V. Const. 58. incip. *Quanta Ecclesiæ*. Atqui in Simonia Juris Ecclesiastici, & in Jure Canonico solus Papa de plenitudine potestatis dispensare potest, textu expresso *in cap. Proposuit* 4. *de concession. Præbend.* ergo &c.

Unde Resignatio ad favorem tertii, seu sub ea conditione facta, ut soli Personæ a Resignante nominatæ conferatur Beneficium, ita ut non habeat effectum, nisi conditio impleatur, non potest recipi, & admitti ab Episcopo, vel alio Collatore Papa inferiore, Pirhing *loc. cit. num.* 77. ubi testatur de communi, & de Stylo, & usu Curiæ Romanæ, & communi consuetudine. 39

Potest tamen Episcopus, vel alius Collator Papa inferior per se loquendo, & spectato Jure communi admittere Resignationem simpliciter, & sine ulla pactione, aut conditione obligatoria factam, licet tali Resignationi addatur a Resignante deprecatio, seu recommendatio, ut Beneficium resignatum certæ personæ conferatur; Nec Collatio tali certæ personæ facta ad preces Resignantis erit simoniaca; quia nihilominus liberum est Collatori conferre Beneficium cui voluerit, neque injuriam facit nominato, si alteri conferat, cum ex ea nominatione, seu precum interpositione non sit Jus aliquod acquisitum illi nominato. Covarruvias *l.* 1. *Variar. resolut. cap.* 5. *num.* 5. Zoesius *tit. de Simonia num.* 74. Tholosanus *in Institut. rei Benefic. cap.* 8. *num.* 6. Navarr. *in Manual. cap.* 23. *n.* 107. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 2. *cap.* 17. *n.* 6. Engel *lib.* 1. *Decret. tit.* 9. *num.* 1. Pirhing *ibidem num.* 76. Reiffenstuel *ib. num.* 112. *& seq.* & alii: Et hoc colligitur *ex cap. Cum universorum* 8. *de rerum permutat. & cap. Ex parte* 13. *de Offic. Delegat.* ubi similes Resignationes leguntur, nec tamen ex hoc capite reprobantur, quamvis ex aliis rationibus non tenuerint, ut recte observat Reiffenstuel *loco citat.* 40

Dicitur autem notanter: *Per se loquendo, & spectato Jure communi*, quia S. Pius V. Constit. 58. incip. *Quanta Ecclesiæ* id omnino prohibuit præcisis his verbis. *Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi Beneficiis, & Officiis Successores, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu signentur, aut de his assumendis, pro-* 41

promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat. Unde ubi hæc Constit. S. Pii V. est usu recepta, & viget, non currit data Conclusio, quæ dicit solum *per se loquendo, & spectato Jure communi Canonico*, cui nondum inserta est dicta Constitut. quæ neque ubique recepta est, ut testantur Zipæus *in Analysi Jur. Pontific. tit. de Renunciat. num.* 1. Layman *lib.* 4. *Theolog. moral. tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. Engel *tit. de Filiis Presbyter. num.* 3. Garcias *de Beneficiis par.* 11. *cap.* 3. *numer.* 270. & alii, & jam fuit observatum *supra num.* 31.

42 Neque ibi potest Episcopus, aut alius Collator Papa inferior Beneficia in suis manibus resignata conferre consanguineis, vel affinibus, aut familiaribus suis, aut Resignantium, vel Admittentium Resignationem. Sic expresse S. Pius V. cit. Constitut. incip. *Quanta Ecclesiæ* §. *Ceterum*, ibi: *Ceterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores de Beneficiis, & Officiis resignandis prædictis, aut suis, aut Admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos Collationum audeant providere*. Et sic declaravit etiam Gregorius XIII. ex sententia Sacræ Congregationis Concilii, prout refert Pyrrhus Corrad. *Prax. Benefic. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 51. his verbis: *Episcopus non potest admittere in Parochialibus in suis manibus resignatis consanguineos, vel familiares tam suos, quam Resignantium, ex Bulla S. Pii V. an. ejus tertio, Kal. April. S. D. N. Gregor. XIII. ex sententia Sacræ Congregat. declaravit, & ideo admonendum Episcop. ne hujusmodi consaguineos, vel familiares admittat ad concursum*. Ventriglia *tom.* 22. *Annot.* 4. §. 2. *n.* 10. ubi ex Fusco, Genuensi, Riccio, Garcia, & aliis notat, quod Ordinarius, non solum non potest conferre Beneficia resignata suis, vel, si admissio Resignationis ad alterum spectet, Admittentis Resignationem consanguineis, affinibus, & familiaribus; sed nec etiam ipsius Resignantis.

43 Prædicta tamen Constitutio S. P. V. de non conferendis Beneficiis resignatis consanguineis, affinibus, vel familiaribus Episcopi Collatoris, vel Resignantis, aut Admittentis Resignationem, non habet locum in Beneficiis de Jure patronatus, cum ipsa debeant conferri præsentatis a Patronis, prout declarasse Gregor. XIII. refert Pyrr. Corrad. *l. cit. num.* 54. his verbis: *Nos Hieronymus tituli S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Matthæjus fidem facimus, & attestamur, in libris Sacr. Congregat. Concilii, qui apud Nos asservantur, adnotatum esse, quod fel. rec. Greg. XIII. declaravit, Beneficia Jurispatronatus non comprehendi in §. Ceterum contento in Constitut. San. mem. Pii V. relaxante prohibitionem de non admittendis Resignationibus; quo §. prohibentur Episcopi Beneficia eorum manibus Resignata, eorum, aut Resignantium affinibus, consanguineis; vel familiaribus conferre*.

Hieronym. Card. Matthæjus.

44 Cum autem prædicta S. Pii V. Constitutio sit admodum notabilis quoad Resignationes faciendas, & admittendas, & teste Pyrrho Corrado *loc. cit. n.* 59. maximopere vigeat, juvat hic eam ad omnium commodum per extensum adducere.

PIUS EPISCOPUS &c.

„ Quanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, jam late perspiciant, & cum mœrore expendant Præsules omnes, & Pastores, quando hæc pernicies ceterarum omnium maxima tam multas Orbis Ecclesias impie violarit.

„ §. 1. Quia vero hoc malum cum in ceteris frequens, tum maxime in Beneficiorum Ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet, quod pridem de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri, Officii nostri partes in prohibenda omnibus interim Resignationum hujusmodi receptione paulo severius interposuerimus, omnesque Beneficiorum interim resignandorum dispositiones, quæ fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam decreverimus, nullum per ea in illis jus, neque titulum, vel coloratum, tam in petitorio, quam in possessorio ipsis provisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore: Collatores vero, alias in illorum dispositione, etiam tamquam devolutionis jure sese interponere non posse, sed de eis, ut vere vacantibus, sive per Romanos Pontifices, sive alios Collatorum eorumdem superiores, uti præventum esset, libere provideri.

„ 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo Sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino, persequi, ac simul, quantum in Nobis est cavere, ne Resignationes ipsæ dehinc pro cujusque arbitrio nullisque, vel certe levibus causis passim, & temere admittantur, prohibitionem, & alia prædicta, ac certa omnia nostris super his Litteris contenta eatenus relaxamus.

§. 3. Ut posthac Episcopi, & alii facultatem habentes eorum dumtaxat Resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, Censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel Beneficio inservire, seu qui unum aliud, vel quos aliud contigerit promoveri, Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi si statim postea id re ipsa exequantur, denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione fel. rec. Innoc. Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis, edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi; Sed nec eorum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat ullo modo Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari; Ad hæc Beneficiorum, & Officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur.

§. 4. Ca-

§. 4. Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri hujusmodi Beneficiis, & Officiis Successores ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

§. 5. Ceterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores de Beneficiis, & Officiis resignandis prædictis, aut suis, aut Admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere, quod si secus, ac etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere.

§. 6. Qui vero contrafecerint, ut in eo, quo deliquerint, punientur, a Beneficiorum, & Officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, prout cui competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia Beneficia, seu Officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subjacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere, ausi fuerint, excommunicationis quoad personas, quo vero ad Capitula, & Conventus a Divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus, quibus etiam nullus alius quam ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis, sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Prohibitione, & Litteris nostris prædictis nihilominus in ceteris omnibus perpetuo valituris.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, & specialibus quibuscumque, Episcopis, & aliis Superioribus, ac inferioribus Ecclesiarum Prælatis, nec non Ecclesiis, Monasteriis, & Capitulis, Conventibus, Collegiis, & Universitatibus, eorumque & aliis Personis, etiam Regia, & Imperiali Majestate præditis, sub quacumque verborum forma, & conceptione concessis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodocumque, vel differri, etiamsi de eis, ipsorumque totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, nec non Ecclesiis, Monasteriis, locis, Ordinibus, & Dignitatibus, de quibus, nec non causis, propter quas illa concessa sunt, specialem, & expressam præsentibus fieri oporteret mentionem.

§. 8. Ceterum jubemus, easdem præsentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ publicari, & earum exempla affigi; Volumusque eas sic publicatas, omnes, & singulos perinde afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ.

§. 9. Exemplis quoque prædictis, etiam impressis, manuque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curiæ obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1568. Kal. Apr. Pontificatus nostri Anno tertio.

Resignatio reciproca triangularis, seu quadrangularis, qua scilicet tres, vel quatuor simul resignant sua Beneficia ea conditione, sive pacto, ut primus resignet suum Beneficium secundo, & secundus suum tertio, & tertius suum quarto, & quartus suum primo non potest admitti ab Ordinariis Papa inferioribus, sed solum ab ipso Papa. Conc. Trident. *sess.* 15. *de reformat. cap.* 15. reprobans dictas Resignationes reciprocas. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 14. *num.* 48. Navarr. *Manual c.* 24. *nu.* 10. *& cons.* 43. *de Simonia*; Antonell. *de Regimine Ecclesiæ lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccl. univers. c.* 15. *num.* 120. Pirhing *l.* 1. *Decret. tit.* 9. *n.* 83. Reiffenstuel *ibid. num.* 124. Sanig. *ibid. cap.* 5. *num.* 5. & alii passim. Et ratio est, quia talis Resignatio fit in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, & simul involvit pactionem quamdam præviam, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniæ Jure Ecclesiastico prohibitam; *cap. Quæsitum* 5. *de rerum permutat.* cum similibus: solus autem Papa de plenitudine suæ potestatis potest dispensare supra Jus Ecclesiasticum, & purgare, seu tollere talem labem Simoniæ; *cap. Proposuit* 4. *de concess. Præbend.* & faciunt dicta *supra num.* 38. 45

Resignatio Beneficii Conditionalis, quæ fit cum reservatione perpetua certæ Pensionis in Pecunia, vel parte fructuum, verb. gr. tertia, vel dimidia, non potest admitti ab Ordinario Papa inferiore, sed solum ab ipso Summo Pontifice. Parisius *lib.* 6. *de Resignat. Benefic. q.* 7. *n.* 3. *& q.* 2. *nu.* 1. *&* 2. Azorius *part.* 2. *c.* 1. *lib.* 20. *quæst.* 1. *& cap.* 21. *qu.* 7. Pirhing *loc. cit. n.* 80. ubi testatur de communi: Et ratio est, quia talis Resignatio est Jure communi Canonico prohibita, cum Beneficia regulariter dividi nequeant; *cap. Majoribus* 8. *de Præbend.* & sine diminutione sint conferenda, *cap. Unic. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Beneficium autem dividitur, vel saltem cum diminutione confertur, cum uni Pensio, vel fructus ex Beneficio dantur, alteri vero Jus, & Titulus Beneficii confertur, adeoque &c. Tum quia resignare Beneficia sua sub reservatione Pensionis perpetuæ coram Ordinario Papa inferiore est Simonia Juris Ecclesiastici, ut tradunt Abbas, Covarr. Suarez, Valentia, Bonacina, Castropal. Diana, Barbosa, Leurenius citati & secuti a la Croix *lib.* 4. *num.* 1056. quia est pactum in materia Benficiaria, per text. *in cap. Quæsitum* 5. *de rerum permutat. cap. Super hoc* 6. *de renunciation. cap. Matthæus de Simonia*, *& Extravagant. Detestabile eod. inter communes*, cum similibus: Simoniam autem Juris Ecclesiastici purgare, & tollere potest solus Papa, cum ipse solus possit de plenitudine suæ potestatis supra omne Jus Ecclesiasticum dispensare, *cit. cap. Proposuit* 4. *de concess. Præbend.* 46

Quandonam autem, quomodo, & ex quibus causis possit Episcopus Pensionem imponere (Vide verb. *Pensio a num.* 14. *ad.* 28. 47

Resignatio Beneficii cum reservatione regressus, in- 48

ingressus, vel accessus non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris, sed solum in manibus ipsius Summi Pontificis. Conc. Trid. *sess. 25. de reform. c. 7.* S. Pius V. Const. incip. *Romani Pontificis providentia*, & tenet Communis Doctorum, teste Pirhing *loc. cit. n. 81.* Quid autem sit regressus, & ingressus, vel accessus; Vide *sup. num. 10.*

49 Beneficia reservata, quorum Collatio spectat ad solum Papam, quamvis possint simpliciter dimitti in manibus Ordinarii Papa inferioris; Dummodo hic aliis illa non conferat, tamen nequeunt resignari cuipiam alteri, sive ex causa permutationis, sive in gratiam, & favorem tertii, nisi in manibus Papæ. Sic expresse statuit revocando omnes similes licentias, & facultates Innoc. IV. Constit. incip. *sicut bonus Pastor*, & concordat *Regula tertia Cancellariæ*, & tenent Doctores communiter.

50 Resignatio Beneficii facta cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas factas olim a Resignante in assecutione illius Beneficii, est Simoniaca, unde non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris. Parisius *lib. 14. de Resignation. Beneficiorum quæst. 5. nu. 1.* & ipso teste Communis aliorum; In Beneficiis enim Ecclesiasticis omnis pactio, omnisque conventio debet omnino cessare, *cap. super eo 7. de transactionibus, c. ult. de pactis; c. Quæsitum 4. de rerum permut. cap. Super hoc 5. de renunciat. cap. Matthæus 23. de Simonia* cum similibus, super quibus Juribus Ecclesiasticis solus Papa potest dispensare, *ex cit. c. Proposuit 4. de concess. Præbend.* Vide verb. *Transactio num. 17.*

51 Resignatio facta cum pacto, ut Resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione Resignationis atque expeditione Bullarum ab utraque parte ceteroquin facienda, est simoniaca, nec potest admitti ab Ordinario Papa inferiore. Sic Parisius *cit. quæst. 5. numer. 6.* Suar. *de Relig. tr. 3. lib. 4. cap. 34. num. 19.* Garcias *part. 11. de Benefic. c. 3. num. 148.* Reiffenstuel *loc. cit. numer. 78.* Pirhing *loc. cit. num. 19.* & ipso teste alii communiter per rationem,

52 & Jura adducta *num. anteced.* Ipsi tamen Doctores hoc limitant, nisi talis conventio, & pactio Summo Pontifici declaretur, & ab ipso approbetur, quia cum talis Simonia sit solum Ecclesiastica, potest eam Papa purgare, & penitus tollere, cum ipse de plenitudine suæ potestatis possit supra omne Jus Ecclesiasticum dispensare, *ex cit. cap. Proposuit 4. de Præbend.*

53 Resignatio Beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut Resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, ac Simoniaca, simonia confidentiali expresse damnata a Pio IV. Constit. incip. *Romanum Pontificem*, & a S. Pio V. Const. incip. *Intolerabilis*.

54 Resignatio Beneficii, ut sit licita, & valida, debet esse spontanea, & libera, non vi, aut gravi metu extorta, alias vel ipso Jure erit nulla, & invalida, vel saltem per Judicis Officium ad partis petitionem erit rescindenda. Parisius *de Resignat. Benefic. lib. 13. quæst. 2. numer. 8.* Garcias *part. 11. de Benefic. cap. 3. num. 143.* Aloysius Riccius *part. 2. Praxis resolut. 483. num. 3.* cum Rota ibi citata, & pluribus aliis, Abbas *in c. Ad aures num. 8. & c. Ad audientiam n. 1. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, Azorius *part. 2. lib. 7. c. 27. q. 1. & 3.* Pirhing *loc. cit. num. 84.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 3.* & alii passim, per text. *in c. Abbas 1. c. Ad aures 3. & c. Ad audientiam 4. de his, quæ vi, metusve causa fiunt.*

Resignatio Beneficii ut sit licita, & valida, debet etiam esse pura, & libera ab omni pecunia, & omni pactione, seu conventione dandi aliquod temporale intuitu ipsius, aliter est Simoniaca. *Communis* per text. *in c. Super hoc 6. de renunc. c. Cum pridem 4. & c. ult. de pactis, c. Matthæus 23. & c. Tua nos 34. de Simonia, & Extravagant. Cum detestabile eod. inter communes* cum similibus. 55

Resignatio pura, seu simplex, & absoluta admitti potest ab Episcopo sub justis, & certis causis assignatis a S. Pio V. Constit. 58. incip. *Quanta Ecclesiæ*, & adductis *supra nu. 31.* ex præcisis suis verbis. Vide *ibi*. 56

Permutatio Beneficiorum est reciproca Beneficiorum Resignatio facta adinvicem inter permutantes ex justa causa, & auctoritate legitimi Superioris. *Ita in re Communis.* 57

Justa causa faciendi dictam permutationem coram Ordinario est necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. *Communis*, per text. *in cap. Quæsitum 5. de rerum permutat.* 58

Necessitas, vel utilitas non requiritur ex parte utriusque Ecclesiæ, sed sufficit ex parte unius. *Sic Communis Doctorum* quo ad necessitatem; & quamvis quo ad utilitatem velint aliqui, quod requiratur ex parte utriusque Ecclesiæ, tamen opinio communior tenet, sufficere ex parte unius, per text. *in cit. c. Quæsitum in fine*, ibi: *Ut qui uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Garcias *de Benefic. part. 11. c. 4. n. 46.* Ventriglia *tom. 2. Annot. 4. §. 3. n. 28.* Leurenius *par. 3. q. 869.* La Croix *lib. 4. n. 1101.* & alii plures. 59

Immo non solum utilitas Ecclesiæ, sed etiam utilitas ipsorum Beneficiatorum est sufficiens, & justa causa faciendi permutationem coram Ordinario; *c. Cum universorum 8. de rerum permutat.* ubi legitur: Permutatio Beneficiorum facta eo quod utilitati utriusque permutantium imminere crederetur, ibi: *Quam utilitati utriusque imminere credebant*, & *ibi* Glossa verb. *Utilitati*, & Abbas *n. 7.* Garcias *loc. cit. cap. 4. num. 47.* Barbosa *loc. cit. num. 127.* Lambertin. *de Jurepatronat. par. 1. lib. 2. q. 6. num. 39.* Genuens. *in Praxi c. 65. n. 10. vers. circa*, Ventriglia *loc. cit. num. 19.* Reiffenstuel *loc. cit. nu. 75.* & alii plures contra Parisium, Tuschum, Zerolam, & alios. 60

Permutatio Beneficiorum, ut sit licita, & valida, debet fieri auctoritate legitimi Superioris; Unde si fiat privata auctoritate permutantium, est Simoniaca. *Communis*, per text. *in cit. cap. Quæsitum 5. de rerum permutat.* Hinc permutantes privata sua auctoritate sine consensu legitimi Superioris perdunt sua Beneficia, *cap. Cum olim 7. de rerum permutatione*, juncto ejus Summario, in quo sic expresse habetur: *Beneficia sua perdunt, qui ea propria permutant auctoritate*, & concordat *cap. si* 61 62

quis

quis Episcopus 7. quæst. 1. & cap. Quanto 3. de translat. Episc.

63 An autem sint privati suis Beneficiis ipso Jure, vel privandi sint per sententiam? variant Doctores. Navarrus enim, Lessius, Layman, Castropal. Cochier apud Leuren. *par.* 4. *qu.* 847. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 86. & alii, dicunt, eos, qui Beneficia permutant propria auctoritate non amittere illa ipso jure, ideoque posse propria auctoritate ad illa redire saltem pro foro conscientiæ, quandiu per sententiam non privantur, uti videtur innui *in cit. cap. Olim 7. de rerum permut.* Garcias autem *par.* 11. *de Benefic. c.* 4. *num.* 59. Barbos. *loc. cit. num.* 175. Suarez *lib.* 4. *cap.* 57. *num.* 41. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 19. *num.* 24. Busembaum *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 1. *dub.* 3. *artic.* 3. cum aliis ibi citatis, & plures alii probabilius volunt, quod hodie tales permutantes sint ipso Jure privati suis Beneficiis, simulque excommunicati ante Judicis sententiam, juxta *Extravagant. Cum detestabile, de Simonia inter communes.*

64 Legitimus Superior, qui potest auctoritatem præstare permutationi Beneficiorum, est solus Papa quoad Beneficia majora, & reservata. Beneficia enim reservata, quorum Collatio spectat ad solum Papam, prohibentur resignari, & consequenter permutari coram Ordinario Papa inferiore. Innocent. IV. Constit. incip. *Sicui Bonus Pastor*, *Extravagant. Execrabilis* §. *Quæ omnia*, *de Præbend.* & concordat *Regula tertia Cancellariæ.*

65 Item legitimus Superior pro admittenda permutatione Beneficiorum est Episcopus loci, in quo sunt Beneficia; *c. Quæsitum 5. de rerum permutat. c. Unic. de rerum permutat. in 6.* & Communis Doctorum.

66 Item omnis Ordinarius, seu Prælatus habens Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi, etiam si forte Dignitatem Episcopalem non habeat, quia hæc facultas competit Superiori ratione Jurisdictionis, & non ratione Dignitatis. Abbas *in cit. cap. Quæsitum num.* 4. Garcias *cit. cap.* 4. *num.* 70. cum aliis ibi citatis. Ventriglia *loc. cit. num.* 20. Barbosa *loc. cit. num.* 175. cum aliis ibi adductis, Leuren. *loc. cit. qu.* 852. & alii passim.

67 Item Vicarius Generalis Episcopi, vel alterius Ordinarii, si ad id facultatem specialem habeat, secus vero, si illam non habeat. Garcias *loc. cit. cap.* 4. *num.* 74. Azorius *cit. cap.* 29. *q.* 4. Bellamer. *par.* 1. *qu.* 3. Barbos. *loc. cit. num.* 177. Leurenius *loc. cit. qu.* 480. Ventriglia *loc. cit. num.* 21. ubi dicit hoc esse indubitatum apud omnes.

68 Item Capitulum, seu Vicarius Capitularis, sede vacante, ubi Beneficiorum collatio spectat communiter ad Episcopum, & Capitulum, & ubi Beneficia spectant ad Collationem tertii. Non autem si spectent ad Collationem Episcopi tantum. Garcias *loc. cit. num.* 75. Ventriglia *loc. cit. num.* 13. Barbosa *loc. cit. num.* 176. Leuren. *loc. cit. q.* 849.

69 Item Visitator, seu Administrator Ecclesiæ vacantis a Papa constitutus. Leuren. *loc. cit. q.* 850. La Croix *lib.* 4. *n.* 1094. Cochier, & alii passim.

70 Si permutantes habeant Beneficia in diversis Diœcesibus, requiritur utriusque Episcopi auctoritas, vel utriusque Vicarii Generalis ad id specialem facultatem habentis; Potest tamen unus Episcopus, vel Vicarius totum negotium committere alteri. Garc. *loc. cit. num.* 65. Novar. *Sum. Bull. verb. Beneficior. Resignat. num.* 20. Ventr. *loc. cit. num.* 22. Leuren. *loc. cit. q.* 829. La Croix *loc. cit. num.* 1095. & alii passim.

Ordinarii possunt Permutationes admittere etiam 71
in mensibus Apostolicis, seu Papalibus, quia Beneficia, quæ vacant per Resignationem non reservantur per alternativam, ut excipit Regula 8. Cancellariæ, & sic censuit *Sacra Congreg. Episcop. sub die* 14. *Maii* 1583. apud Barbosam *loc. cit. n.* 174.

Inferior Collator, qui nec est Episcopus, nec 72
Iurisdictionem Episcopalem, nec quasi, habet, non potest præstare auctoritatem pro Permutatione Beneficiorum. Garc. *loc. cit. num.* 68. *& seq.* Barbosa *loc. cit. num.* 175. cum aliis ibi citatis, Ventrigl. *loc. cit. num.* 25. & alii contra Silvestrum, & Angelum.

An Ordinarii, cessante pacto partium, in Per- 73
mutatione Beneficiorum mandare possint quod recipiens Beneficium pinguius solvat aliquam Pensionem alteri suo tempore duraturam ad coæquandos fructus utriusque Beneficii? Vide verb. *Pensio num.* 24.

Quamvis Beneficiorum permutatio non possit 74
fieri propria auctoritate, possunt tamen permutare intendentes inter se tractare, & convenire de permutatione facienda, si accessura sit auctoritas Superioris, in cujus manibus ea resignare intendunt; Abbas *in cit. c. Quæsitum 5. de rerum permutat. n. ult.* Rebuff. *in Prax. Benefic. tit. de Permutat. num.* 52. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 102. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 19. *num.* 21. & alii passim. Et ratio est clara, quia talis prævius tractatus est medium moraliter necessarium ad permutationem faciendam, ne alioquin hanc intendens cæco modo suum Beneficium permutare cogatur cum Beneficio alterius, ignorans, an alter ad hoc sit paratus; Concesso enim fine, scilicet Permutatione Beneficiorum, censentur etiam concessa media, sine quibus finis commode obtineri nequit, *l. Cui Jurisdictio 2. ff. de Jurisdictione*, ibi: *Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictio explicari non potest; cap. Præterea 5. de Offic. Judic. Deleg.* ibi: *Quia ex eo quod causa sibi committitur super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem, cap. Suspicionis 39. eod.* ibi: *Cui sicut Jurisdictio, sic & cetera, sine quibus explicari non potest, intelliguntur esse commissa.* Vide verb. *Pensio num.* 27.

Beneficia Jurispatronatus nequeunt permutari co- 75
ram Ordinario sine consensu Patronorum. Barbosa *loc. cit. num.* 182. Moneta *de commutat. ultim. volunt. cap.* 10. *n.* 369. Stephanus Gratian. *discept. Forens. cap.* 835. Castropal. *tract.* 13. *d.* 6. *par.* 3. §. 2. *num.* 4. Garcias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 3. *n.* 19. Lotter. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 14. *num.* 75. *& seq.* Ventrig. *loc. cit. num.* 27. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 40. *& disc.* 49. La Croix *loc. cit. num.* 1071. Lambertin. *de Jurepatron. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 6. Rota in *Gerunden. Beneficii de Agulana* 8. *Martii* 1627. *&* 21. *Feb.* 1628. *coram D. Pirovano*, quam citat Bar-

Barbosa *loc. cit.* & sic tenent Doctores passim, *arg. cap. Monasterium* 23. *caus.* 16. *q.* 7. Ipsorum enim Patronorum interest, ne ipsis neglectis aliqui instituantur in Beneficiis forte ipsis infensi, & inimici. Vide *supra num.* 22. Unde si permutatio fiat sine consensu Patronorum, & ipso reclament, vacat Beneficium, potestque a Patronis præ-
76 sentari alius post sententiam de nullitate inducente vacationem; Lotter. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 14. *num.* 75. *& seq. & num.* 84. Ventriglia *loc. cit. n.* 27. Geminian. Garcias, Selva, Lambertin. Card. de Luca, & alii; quos citat, & sequitur La Croix
77 *loc. cit. num.* 1091. Si autem sic facta sit Permutatio ob ignoratum Patronum, potest sic permutans redire ad Beneficium, etiam invito Patrono, quia nec contempsit, nec ingratus fuit. Rota *in Gerunden. Permutationis* 5. *Julii* 1595. *coram D. Litta*, quam refert Garcias *de benefic. p.* 11. *cap.* 3. *sub num.* 19. Lotter. *loc. cit.* Leuren. *loc. cit. quæst.* 294. Ventriglia *loc. cit. num.* 27. Bellamer. Gamb. Lambertin. & alii citati, & secuti a La Croix *loc. cit.*
78 *num.* 1091. Verum si Patroni requisiti pro suo consensu illum denegent sine justa causa, potest Episcopus auctoritatem valide præstare sine eorum consensu, si Permutatio petatur in magnam Ecclesiæ utilitatem, cum in tali casu non censeantur contemni Patroni. Felinus *in cap. Cum accessissent num.* 30. *de Const.* Ventriglia *loc. cit. n.* 27. Stephan Gerosa, Rebuff. Abbas, Covarr. Lambert. Garc. Tondut. Cocchier, qui dicunt sic declarasse Sacram Congregationem, ut refert, & sequitur La Croix *loc. cit. num.* 1091.

79 Etiamsi Permutatio fiat coram Summo Pontifice sine consensu Patroni, adhuc dicit Lotter. *loc. cit.* fore irritam reclamante Patrono, nisi Papa derogaret Juripatronatus, quia non aliter censetur consentire. Card. de Luca *de Beneficiis discurs.* 40. *num.* 3. *& a num.* 9. *& discurs.* 49. *num.* 5. La Croix *loc. cit. &* 1091. & alii.

80 Permutatio Beneficii debet fieri cum altero vero Beneficio, nec potest fieri coram Ordinario cum pensione. Barbosa *loc. cit. num.* 178. Reiffenstuel *lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 100. La Croix *loc. cit. num.* 184. Leuren. *part.* 3. *qu.* 821. & alii passim; in jure enim est solum permissum Episcopis ut admittere possint permutationem Beneficii cum Beneficio: Unde non est extendenda hæc facultas ultra proprietatem verborum ad permutationem Beneficii cum Pensione, *arg. c. Cui de non* 27. *de Præbend. in* 6. Cum enim versemur in materia potius odiosa, quam favorabili, utpote contra dispositionem antiquorum Canonum generaliter prohibentium quamlibet pactionem in Beneficiis, nulla est hic facienda extensio, *arg. cap. Odia* 15. *de Regulis Juris in* 6.

81 Ad validitatem Resignationum, & Permutationum Beneficiorum requiritur necessario earum publicatio facta juxta formam indictam a Greg. XIII. Const. 85. incip. *Humano vix judicio*, quæ, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Humano vix judicio ita bene quidquam, & providenter sanciri potest, quin usus sæpe aperiat, doceatque, id quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse, quod in illis Constitutionibus, quas ad prohibendas simulatas, occultasve Beneficiorum Ecclesiasticorum Resignationes diversi Romani Pontifices multifariam ediderunt, & fel. record. Pius V. Prædecessor noster novissime promulgavit, cognoscimus accidisse.

§. 1. *Nos hoc malum, prout occasio, necessitasque postulat, coercere volentes, statuimus, ut posthac omnes, & quæcumque Resignationes, etiam causa Permutationis, ac Commendarum, & etiam Litteris Apostol. non confectis, & possessione non habita, nec non litis, & jurium quorumcumque concessiones, ac retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis in nostris, seu Rom. Pontif. pro tempore existentis manibus, ac etiam coram Notario publico, & testibus fient, & a nobis, vel illo, seu nostro, vel illius mandato admittentur, & super eis provisiones, & quæcumque aliæ dispositiones, sive temporales, sive perpetuæ, ut ad hoc mandata Apostolica sub quacumque forma, & quibuscumque etiam S. R. E. Card. ac piis locis quocumque privilegio suffultis facta publicari debeant cum Litteris Apostol. desuper confectis intra sex menses, si Beneficium circa montes fuerit, ultra vero intra novem, a data concessionis gratiæ, non autem a die præstiti super ea consensus numerandos, etiamsi postea concessio gratiæ hujusmodi ex quavis causa, diversisque subsequentibus datis, ac quotiescumque, & quovis modo reformata, & valida reddita fuerit, pluresque & quotquot in alium, vel alios concessiones, ac etiam in ipsummet primum Resignantem, vel cedentem, retrocessiones, termino prædicto nondum elapso intercesserint, ita ut unicus dumtaxat terminus omnibus his successivis cessionibus, ac retrocessionibus decurrat, ut qui postremus gratiam habuerit, publicationem hujusmodi facere, ceteraque omnia hic præscripta, intra eumdem terminum præstare teneatur.*

§. 2. *Ipsa autem publicatio in Cathedrali, & in Beneficii Ecclesia, vel Ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit, palam omnibus Litteræ Apostolicæ prædictæ, earumque transumptum authenticum exibeatur, claraque, & intelligibili voce Resignatio, seu Cessio hujusmodi, ac Beneficii qualitas, & invocatio, nominaque, & cognomina Resignantis, seu cedentis, ac illius, in cujus favorem gratia hujusmodi facta est, pronuntientur; ita ut hæc omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter pervenire, scriptumque de his omnibus exemplum collatum valvis dictarum Ecclesiarum affixum relinquatur. Si vero Ecclesia Beneficii ruralis sit, aut populo, conventuque careat, eo casu in Parochiali, intra cujus Parochiæ limites Beneficium ipsum consistit, & in Cathedrali Ecclesia, vel si locus bello, seu peste, aliisve manifestis periculis subjaceat, tunc in proxima Parochiali, ac etiam in Cathedrali, vel si aditus ad illas, aut utramvis minime sit secu-*

securus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori periculorum immuni publicatio hujusmodi peragatur.

§. 3. *Jus quoque, in quem disponi, vel mandari de Beneficio etiam litigioso, vel accedente non possesso, sub quacumque forma contigerit possessionem Beneficii intra dictum tempus vigore litterarum Apostolicarum desuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, & si propter litem, aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, saltem Litteras Apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta erit, Judici, seu executori illarum, vel aliis, ad quos pertinet, per se, vel Procuratorem suum legitimum intra idem tempus præsentare, & apud illum, vel illos pro ipsarum Litterarum executione instare, & possessionem hujusmodi instanter petere teneatur.*

§. 4. *Ceterum modus, & forma hic tradita semper, & ubique debeat observari, nec alia, vel æquipollens ullo modo admitti in omnibus hujusmodi Resignationibus, Cessionibus, & retrocessonibus, de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, tam virorum, quam mulierum, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium, Regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de Jurepatronatus Laicorum illustrium, & alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, sive in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio nostro disponi consuevit, seu debet, quæ posthac ex quacumque causa fient, & per nos, ac prædictos Successores, extra tamen dictum Consistorium, administrationis, possessionis, fructuum etiam omnium, ac rerum, & jurium quorumcumque; Ad prædictorum tamen observationem eum, in quem juris sit cessio Beneficii, quod tempore cessionis hujusmodi, & ante illam vigore Litterarum Apostolicarum ut supra, si ad id tenebantur, publicatarum realiter possidebat, nolumus obligari.*

§. 5. *Quod si quidquam prædictorum omnium fuerit, dictis terminis, ut cuique præscripti sunt, elapsis, omnes dispositiones, & gratiæ Resignatorum, & Cessorum Beneficiorum, aut jurium hujusmodi, cum omnibus inde secutis, sive de pacificis, sive de litigiosis, sint irritæ, & inanes, nullaque alia gratia super hujusmodi Beneficio, sive jure cesso, iis, quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles, & incapaces sint ad hujusmodi Beneficia sic resignata, & cessa, quandocumque obtinenda, illaque, sive jura ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiamsi illæ alias nullæ, & invalidæ essent, vacavisse, & vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus, seu concedentibus, si postea in sua possessione remanent, constitutiones de annali, & triennali possessore, nec præsumptæ, aut tacitæ retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatæ possessionis hujusmodi tolerantiam, nec omnino aliud jus, vel Beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa Beneficia sive jura sic a principio vacantia, a Sede Apostolica prædicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi. Illarum vero impetrationes, vel etiam Motu proprio concessiones quibuscumque derogationibus suffultæ, nunquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, & expresse ob non servatam præsentis Constitutionis formam, ac cum declaratione nominum, & cognominum Resignantis, seu Cedentis, & gratiam habentis dispositive, & non conditionaliter fieri omnino debeant, & quicumque sic impetrans, aut gratiam, etiam motu simili habens præfinitum cuique casui tempus prædictum a data concessionis gratiæ sibi factæ hujusmodi, ea omnia, quæ cadens a jure prædicto debebat, præstare teneatur, & si pluribus gratiam hujusmodi fieri contigerit is præ omnibus obtineat, qui primus publicationem suæ impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requisita prædicta adimpleverit, quamvis in data sit postremus, & possessio ab alio publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel petita. Reservationibus omnibus nominis, administrationis, fructuum etiam omnium, ac pensionum, & aliarum rerum quarumcumque, nec non facultatibus, indultis, & aliis concessionibus, tam ipsis Resignantibus, seu cedentibus, qui tamem possessionem ab initio re ipsa dimiserint, quam aliis hujusmodi resignationibus, cessionibus a Sede Apostolica factis nihilominus validis, plenumque effectum sortituris.*

§. 6. *Sed ne in Beneficiis super possessione, vel proprietate litigiosis litis prosecutio turbari valeat, vel differri in causis hujusmodi contra cedentem ad ulteriora, etiam ad sententiam definitivam, & rem judicatam, ac illius executionem quousque ille, qui gratiam ex Resignatione, seu cessione, aut ex omissa forma publicationis hujusmodi obtinuit, ad causam per se, vel Procuratorem legitimum accesserit, litemque hujusmodi susceperit, eodem modo, & Ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessio hujusmodi facta non fuisset; ac quidquid interim sic procedendo decretum, & expeditum fuerit, sive cum cedente, sive contra eum, etiam postquam ipse, vel quivis alius incumbentia sibi secundum prædicta præstiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem, & ipsum Jus, quod cessum est, valeat omnino, & vim obtineat, illumque ipsum, cui gratia facta est, non minus afficiat, quam si ipso legitime citato contra eum decretum, & expeditum fuisset, nec ipse adversus hæc prætextu non acceptatæ gratiæ, vel etiam illius ignoratæ, aut citationis, vel intimationis executioni contra ipsum minime demandatæ, aliave ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiam si in lite, & causa hujusmodi subrogatus non sit quandocumque ad illius prosecutionem, & terminationem venire, & a Judice, coram quo causam ipsam etiam ex delegatione pendere contigerit, in illis ipsis statu, & terminis, in quibus tunc eam esse repererit, etiam absque Rescripto speciali admitti.*

§. 7. *De Beneficiis autem, quæ deinceps in manibus Ordinariorum Collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta, & facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum etiam de Latere, & Delegatorum etiam specialium hujusmodi Sedis extra Romanam Curiam residentium, etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium universum admissionis, vel rejectionis resignationis hujusmodi, & si per eos facienda erit, provisionis resignati Beneficii, juxta Apostolicas, & alias Canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit intra*

intra tres menses, a die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem Beneficii capiat, modo & forma supradictis, alioquin, illis elapsis, nulla sit ejus provisio, & Benficium vacare censeatur eo ipso.

§. 8. *Ordinariique, & alii prædicti, qui hæc, uti eis præscribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis Beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, ut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat modo & forma prædictis concedantur; Decernentes sic per quoscumque judicari debere, nec non irritum & inane, quidquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 9. *Non obstantibus prædicti Pii V. & aliis omnibus aliorum prædecessorum nostrorum Constitutionibus de publicandis Resignationibus hujusmodi hactenus editis, & reformatis, quas omnes omnino abrogamus. Ita tamen quod in publicandis illis Resignationibus, quæ in manibus nostris hucusque factæ, & a nobis admissæ sunt, & tempus ad eas publicandas, juxta dicti Pii prædecessoris Constitutionem nondum effluxit, Constitutio ipsa, quoad eas dumtaxat, integre observetur. Nec non Resignantium, sive Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet Resignationibus, cessionibus, seu Procuratorum Constitutionibus, & mandatis, ac alias etiam ad præservationem suorum jurium, & significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt appositis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione expressis, nec non indultis, privilegiis, & gratiis Apostolicis, etiam prædictis Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiaribus continuis commensalibus, nec non Litterarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceterisque Romanæ Curiæ Officialibus, & ex quibusvis causis quomodocumque concessis, & confirmatis, quæ omnia etiam tollimus, & annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.*

§. 10. *Ut autem præsentes amplius innotescant, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique, in Judicio, & extra illud adhibeatur; quæ adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Mandamusque illis in Librum Quinternum appellatum Cancellariæ ad perpetuam rei memoriam de more referri.*

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1584. *Nonis Jan. Pontificatus nostri anno duodecimo.*

82 Finis autem hujus Constitutionis est, ut tollantur omnes fraudes, & gravia inconvenientia, quæ ex occultis Beneficiorum Ecclesiasticorum Resignationibus, Cessionibus, & Permutationibus in dies
83 oriebantur. Primo, nempe, ut evitentur fictæ Resignationes. Secundo, ne Resignantes, aut Permutantes, remaneant in Beneficiis, & exerceant actus invalidos Jurisdictionis, præsertim in Sacramentorum administratione cum maximis periculis, & incommodis animarum. Tertio, ne occulte Resignantes, aut Permutantes post Resignationem, & Permutationem fructus, decimas, & alia hujusmodi indebite recipiant ex Beneficiis jam resignatis, & permutatis. Quarto, ne Ordinarii Collatores Beneficiorum defraudentur in suis Juribus, nunquam scientes, quis sit verus, & legitimus possessor, aut cujus morte vacaturum sit Beneficium, & ne alia hujusmodi oriantur non parva incommoda. *Sic Doctores Communiter.*

Ex dispositione igitur dictæ Constitutionis pu- 84
blicari debent Resignationes, & Permutationes omnium Beneficiorum, sive ipsa Beneficia sint simplicia, sive Curata, sive Electiva, sive Jurispatronatus, sive Sæcularia, sive Regularia, sive reservata, sive non. *Communis*, per expressa verba dictæ Constitutionis §. 4.

Item publicari debent Resignationes, & Permu- 85
tationes Beneficiorum, etiamsi factæ sint cum reservatione fructuum, Administrationis, Pensionis, regressus, vel accessus. Parisius *lib.* 11. *q.* 5. *n.* 1. *& seq.* Garcias *de Benefic. par.* 11. *cap.* 3. *num.* 273. *& seq.* Azorius *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 24. *qu.* 7. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *q.* 106. La Croix *lib.* 4. *n.* 1070. & alii.

Etiamsi Resignationes essent nullæ, & invali- 86
dæ, si alii Beneficia eo colore obtinuerint, faciendæ sunt publicationes, Garcias *loc. cit. num.* 776. Leuren. *par.* 3. *quæst.* 782. La Croix *loc. cit. n.*1070. & *Communis aliorum* per præcisa verba dictæ Constitutionis *sub* §. 5. ibi: *Etiamsi illæ alias nullæ, & invalidæ essent.*

Item publicari debent Cessiones, & retrocessio- 87
nes litis Beneficialis, & Jurium quorumcumque; *Communis*, per verba præcisa d. Constit. *sub* §. 2. ibi: *Nec non litis, & jurium quorumcumque cessiones, ac retrocessiones.*

Publicari tamen non debent Beneficia majora 88
Consistorialia, sive quæ in Consistorio conferuntur, uti sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatus, Patriarchatus; In ipsis enim cessat ratio fraudis, cum in præsentia Papæ conferantur. *Communis*. Alia minora Beneficia Consistorialia, quæ 89
extra Consistorium providentur, uti sunt Abbatiæ, Prioratus, & hujusmodi, publicari debent; Paris. *loc. cit. q.* 3. *num.* 25. Azorius *loc. cit. c.* 24. *qu.* 5. Pirhing *loc. cit. n.* 102. & alii communiter per expressa verba dictæ Constitutionis §. 4.

Ad hanc publicationem faciendam tenentur om- 90
nes Resignatarii etiam exempti quamvis sint Officiales Curiæ Romanæ, & Cardinales. Item illi, qui impetrant Beneficia vacantia ob non factam a Resignatariis publicationem. Item secundus Resignatarius, quamvis primus publicarit. Paris. *loc. cit. quæst.* 4. Azor. *loc. cit. qu.* 6. La Croix *loc. cit. num.* 1060. Pirhing *loc. cit. num.* 105. & alii communiter. Item publicatio facienda est ab utroque Permutante. Leurenius *loc. cit. quæst.* 776. Parisius, Azor. Cochier, quos citat, & sequitur La Croix *loc. cit. num.* 1109. contra Navar. Barbosa, & Ventrigl. putantes satis esse fieri ab alterutro. Unius 91
tamen negligentia & omissio non nocet alteri. Gonzal. Parisius, Tondut. apud Leuren. *loc. citat. qu.* 871. *num.* 4. & La Croix *loc. cit. num.* 1109. *arg. l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, ibi: *Peccata igitur suos teneant auctores, nec alterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum, cap. Quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*, ibi: *Cum peccata suos auctores tenere debeant &c. cap. Co-*

gnoscentes 2. *de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, & *cap. Non debet* 21. *de Regul. Jur. in* 6. ibi: *Non debet aliquis alterius odio prægravari*.

92 Obtinentes Beneficium non resignatum, sed pure dimissum, v. g. per assecutionem incompatibilis non tenentur ad hanc publicationem. Leuren. *loc. cit. num.* 790. Garc. Barbos. Ventrigl. citati, & secuti a La Croix *loc. cit. numer.* 1070. & alii
93 passim. Item ad hanc publicationem non tenentur obtinentes Coadjutoriam cum futura successione; Leuren. *loc. cit. qu.* 763. 767. La Croix *loc. cit. num.* 1608. & alii communiter.

94 Resignationes, & Permutationes factæ in Curia Romana de Beneficiis intra montes publicari debent intra sex menses; De Beneficiis vero factæ ultra montes intra novem menses numerandos a data concessionis gratiæ, non autem a die præstiti super ea consensus. *Communis* per expressa verba cit. Constitutionis sub §. 1. Factæ autem apud Ordinarios Collatores, etiam Cardinales, publicari debent intra tres menses numerandos a die factæ sibi provisionis. *Communis* per expressa verba citatæ Constitutionis *sub* §. 7.

95 Tale tempus currit etiam contra Minorem 14. annorum, cum quo Papa dispensavit ad obtinendum Beneficium, etiam data ignorantia ex parte minoris, quia Decretum irritans, uti habet dicta Constitutio Gregoriana, ligat etiam ignorantes, Parisius *lib.* 11. *q.* 4. *num.* 62. Prosper de Augustino *in addit. ad Quarant. in Summa Bullar. verb. Beneficiorum Resignatio, & publicatio vers. Tertio amplia*. La Croix *loc. cit. num.* 1071. Ventrigl. *loc. cit. num.* 73. Barbos. *loc. cit. num.* 188. ubi dicit, id esse de communi sententia.

96 Publicatio fieri debet in Ecclesia Cathedrali, & in Beneficii Ecclesia, seu Ecclesiis, si in pluribus illud sit. Et si Ecclesia sit ruralis, aut populo careat, debet fieri in Cathedrali, & in Parochiali, intra cujus limites Beneficium consistit. Et si locus bello, peste, aliisve manifestis periculis subjaceat, debet fieri in Cathedrali, & in proxima Parochiali; Et si aditus ad illas, aut ad utramvis minime sit securus, debet fieri in alia Cathedrali viciniori. *Communis*, per verba expressa dictæ Constitutionis §. 3.

97 Ipsa publicatio debet fieri, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit, palam omnibus Litteras Apostolicas, earumve Transumptum authenticum exhibendo, clara & intelligibili voce pronunciando Resignationem, seu cessionem hujusmodi, ac Beneficii qualitatem, & invocationem, nominaque, & cognomina Resignantis, & Resignatarii, & exemplar omnium, quæ in publicatione facta sunt, in valvis supradictarum Ecclesiarum affixum relinquendo. *Communis* per expressa verba dictæ Constitutionis §. 2.

98 Talis publicatio nequit fieri ante expeditionem Litterarum, quia dicta Constitutio mandat, publicationem esse faciendam cum Litteris ipsis Originalibus, vel cum earum Transumpto. Sic Rota *in una Vercellen, Canonicatus* 23. *Jan.* 1598. *coram D. Corduba, & in Mediolanen. Beneficii* 14. *April.* 1614. *coram Card. Sacrato*, & Doctores communiter. Fieri autem deberet, antequam capiatur possessio, ut notat La Croix *loc. cit. num.* 1072. Ventriglia *loc. cit. num.* 71. & videtur desiderare ipsa Bulla §. 3. At ipse Ventriglia testatur id non servari in praxi.

Publicatio est facienda, etiamsi Resignatio, vel 99
Permutatio esset aliunde notoria, quia cum spectet ad formam, ut patet ex verbis Bullæ §. 2. *Quod si quidquam prædictorum omnium omissum fuerit*, non potest per aliquam publicationem æquipollens, seu æquivalens adimpleri, nec ab ea recedi potest sub prætextu causæ præexistentis; *leg. Cum hi* 8. §. 17. *ff. de Transactionibus*, Lotter. *de re Benefic. lib.* 3. *quæst.* 21. *num.* 2. *& seq.* Gratian. *Discept. Forens. cap.* 596. *num.* 8. *&* 9. Leuren. *loc. cit. qu.* 783. Ventriglia *loc. cit. numer.* 78. & alii passim.

Publicatio fieri potest per Procuratorem, dum- 100
modo speciali mandato sit constitutus; Leurenius *loc. cit. qu.* 799. La Croix *loc. cit. num.* 1077. Parisius, & alii passim.

Item fieri potest etiam per ipsum Resignantem. 101
Leurenius *loc. cit. quæst.* 800. cum Rota, Lotter. *ibi citatis*, La Croix *loc. cit. num.* 1077. & alii.

Ordinarii omnes, etiam Cardinales, ac Legati 102
etiam de Latere, si non admittant, vel rejiciant intra mensem Resignationes, vel Permutationes in suis manibus factas, sunt privati, ea vice potestate disponendi de ipsis Beneficiis, & totalis potestas eo ipso devolvitur ad Sedem Apostolicam, a qua hujusmodi Beneficia concedenda erunt aliis idoneis, modo & forma prædictis. Sic expresse dicta Constitutio §. 7. & 8. & Doctores communiter.

Resignatarii, & Permutantes non facientes in- 103
tra præscriptum tempus, & juxta indictam formam publicationem Resignationis, vel Permutationis, amittunt eo ipso dicta Beneficia, & omnia jura ad illa, & redduntur inhabiles ad illa Beneficia de novo obtinenda, ita ut eis non suffragetur Regula de annuali, & triennali, & ipsa Beneficia censentur vacare in Curia a die Resignationis, seu Permutationis factæ, suntque reservata Papæ, ac possunt a quovis impetrari, exprimendo modum talis vacationis, ac nomen, & cognomen tam Resignantis, quam Resignatarii. Sic expresse dict. Constitutio §. 5. *& Communis Doctorum*.

Reservationes tamen Pensionum, ac fructuum, 104
& aliarum rerum quarumcumque factæ super dictis Beneficiis a Resignantibus remanent validæ, Dummodo Resignantes, in quorum favorem reservationes factæ sunt, possessionem eorumdem Beneficiorum ab initio re ipsa dimiserint. Sic expresse dict. Constitutio §. 5. *in fine*, & Doctores communiter.

Impetrans Beneficium sic vacatum ob neglectam 105
publicationem, debet ipsam publicationem facere, & omnia alia præstare, quæ prior Resignatarius negligens præstare debebat. Et si plures tale Beneficium impetraverint, is præ omnibus debet illud obtinere, qui primus publicationem suæ impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, & omnia alia requisita adimpleverit, quamvis in data sit postremus, & posses-

sio

sio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel petita; Sic expresse dicta Constitutio §. 5. *circa finem*.

106 Impetrans Beneficium vacans ob non factam publicationem a Resignatario tenetur concludenter probare neglectam esse dictam publicationem. Navar. *Summa Bullar. tit. de Benefic. resignat. public. n. 29.* Barbosa *loc. cit. n. 199.* La Croix *loc. cit. n.* 180. Leuren. *loc. cit. qu.* 81c. Ventriglia *loc. cit. num. 86.* ubi
107 testatur de communi. Legitime autem impeditus non dicitur negligens, cum legitime impedito non currat tempus; Impedimentum enim legitimum excusat a tali pablicatione facienda, maxime si impeditus adhibuerit diligentias. Rota *dec. 282. par. 2. in noviss.* Navarr. *Summa Bullar. par. 1. tit. de Benefic. Resignat. public.* Verall. *decis. 2. verb. Impedimentum*; Ventriglia *loc. cit. n. 88.* La Croix *loc. citat. n. 179.* cum aliis ibi adductis, Leuren. *loc. cit. q.* 803. *&* 804. & alii passim.

108 Publicatio facta probatur legitime ex Instrumento ubi Notarius refert se fecisse dictam publicationem in omnibus, & per omnia juxta formam Constitutionis Gregorii XIII. Talis enim relatio sufficit. ut tenuit Rota *in Coloniensi Canonicatus S. Ursulæ 26. April. 1627. coram D. Ubald.* impressa per vivian. post *praxim Jurispatronatus dec. 52. nu.* 1. Parisius *lib. 11. q. 6. n. 51. &* 63. Barbosa *loc. cit. n. 196.* & alii.

109 Et sufficit, quod talis publicatio fiat summarie: Non enim necessarium est Litteras provisionis, sive Papæ, sive Ordinarii, legere de verbo ad verbum, & per extensum, sed sufficit publicare summam dictarum Litterarum, & illarum Transumptum authenticum exhibere; Garcias *de Benefic. par. 11. c. 3. n. 290.* Parisius *lib. 11. q. 6. n. 41.* Ventriglia *loc. cit. num. 66.* Barbosa *loc. cit. nu. 196.* ubi dat sequentem
110 summariam formulam: *Notum sit omnibus, quatenus N. resignat in manibus suæ Sanctitatis Beneficium simplex Ecclesiæ N. hujus Civitatis, seu Beneficium Curatum loci de N. hujus Diæcesis, & de eo facta est gratia N. ut constat ex his Bullis, seu litteris Apostolicis, aut Transumpto authentico, quas in manu habeo.*

111 Supra allata Constitutio Gregoriana quoad Resignationes, & Permutationes Beneficiorum coram Ordinariis factas secundum aliquos non videtur esse usu recepta in pluribus locis, in quibus nunquam fit Publicatio earum. Sic testatur Garcias *p. 11. de Benefic. c. 3. n. 289.* de suis partibus, & signanter de suo Episcopatu Abulensi, & Pirhing *loc. cit. num.* 109. & Reiffenstuel *loc. cit. num.* 135. id testantur de suis partibus Germaniæ. Flaminius tamen Parisius *lib. 11. quæst. 9. numer.* 7. asserit ipsam esse ubique receptam. Et Ventriglia *loc. cit. num. 65.* dicit, prædictam Bullam in hac materia publicationis Resignationum hodie practicari. Et de facto sic servat praxis, & de Stylo Curiæ proceditur ad statutas in ea pœnas contra negligentes, ut sæpius diversis locis vidi.

112 Quoad resignationes Beneficiorum attendenda omnino est novissima dispositio fel. record. Summi Pontificis Benedicti XIV. in Const. incip. *In sublimi*; in qua prohibet resignationem Beneficiorum factam cum reservatione pensionis, & secreto pacto hanc extinguendi, seu cessandi anticipata quadam summa conventæ pecuniæ. Immo quamvis non intervenisset contemporanee ad resignationem Beneficii pactum extinctionis, seu cassationis pensionis reservatæ, vult, quod hæc obtineri non possit a Sede Apostolica, nisi post elapsos sex menses computandos a die captæ possessionis Beneficii a Resignatario, & aliter obtenta debeat judicari ut subreptitia, irrita, & nullius roboris; & in ambobus casibus declarat, tam Resignantem, quam Resignatarium totaliter decidisse ab omni jure dicti Beneficii, & inhabiles ad quodcumque aliud obtinendum. Insuper ad præcludendum aditum omni fraudi comprehendit in eadem constitutione cessionem utilitatis fructuum pensionis, & extinctionem ejusdem pensionis factam intra dictos menses Resignatario, aut alteri Personæ, & etiam ultra dictum tempus, si præcesserit supradictum detestabile pactum.

Resignationes cum reservatione Pensionum, & 113
pacto eas cassandi damnatæ, & prohibitæ iterum declarantur ab eodem tom. 2. Const. 10. incip. *Ecclesiastica*. Resignationum fraudes ad eludendam 114
Gregorii XIII. Constitutionem aperiuntur, nempe eæ sunt; 1. Litterarum expeditio nimium protracta præsidio prorogationum, & restitutionum ad publicandum. 2. Iteratio *Præsentatæ* super una re- 115
signatione identidem captæ. 3. Possessio, & pu- 116
blicatio usque ad obitum Resignantis dilata. Idem 117
ibid. qui ad occurrendum dictis fraudibus confirmat in primis memoratam Greg. XIII. Constitutionem incip. *Humano vix judicio*, de publicandis intra certum tempus prædictarum Resignationum gratiis, & de capienda resignatorum Beneficiorum possessione. Deinde inhibet Notario Datariæ, ne recipiat consensum super Resignationibus, quoties Mandata Procuræ habent datam anteriorem 8. mensibus quoad Citramontanos, vel 12. quoad Resignantes ultra montes degentes. Item mandat signari supplicationem infra duos Menses decurrendos a data Rescripti. Item decernit, ne primam quidem pro- 118
rogationem amplius concedi, nisi docto de Litteris expeditis; Post primam autem, vel secundam ad summum prorogationem hujusmodi, alias ulteriores prorogationes concedi vetat; In casu impedimenti saltem Litteras Executoribus vult esse præsentandas, relicta tamen facultate Datario concedendi alias prorogationes justificato impedimento usque ad illius remotionem. Tandem statuit pœ- 119
nas per inobservantiam supradictorum incurrendas, & præsertim, quod ipsæ resignationum gratiæ, cum omnibus inde secutis, nullæ, irritæ, cassæ & inanes sint, & censeantur, perinde ac si nunquam admissæ fuissent. Et injungit Datario, & aliis ad quos spectat, ut præsentium observantiam diligenter curent. Idem *ibid*.

* Beneficii permutatio, quæ fit coram Ordinariis, 120
interdum potest esse prohibita a Constitut. S. Pii V. incip. *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ; ex quo fit, ut cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium, & familiarium Episcopi, sicut etiam resignatis, ita etiam censentur vetitæ permutationes beneficiorum, cum

cum aliquis permutet beneficium suum pingue, & est jam effœtæ ætatis cum altero, quod est tenue, & obtinetur, sive a suis, sive ab Episcopi consanguineis, vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est juxta canonicas sanctiones. *De Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 24. §. 10. *nov. edit.*

Additiones ex aliena manu.

121 Magna intercedit differentia Conc. Trid. inter & Bullam Pianam quoad resignationem Beneficii, ad cujus titulum fuit quis ordinatus, factam coram Or-
122 dinario sine hac mentione. Attento namque Concilio Tridentino irrita erat Resignatio, & sic Re-
123 signans Beneficia haud amittebat. At spectata Bulla Piana Beneficium vacat, nec potest Resignans ad illud redire, sed illud conferre debet non Ordinarius, sed Papa, aut alius Ordinario superior. Bene vero Ordinarius in pœnam tenetur Resignantem alere, incurritque præterea suspensionem a collatione Beneficiorum; Confer *Parisium de Resignat. lib.* 2. *q.* 6. *n.* 41. *& seq. Boss. de Ordin. quoad titul. Sacr.* §. 12. *n.* 56.

124 Quod si agatur de Resignatione mox dicti Beneficii ita coram Summo Pontifice facta, Resignatio erit nulla, minimeque Resignans amittet Beneficium ad tramites Concilii Tridentini; nam Bulla Piana nihil innovavit de tali resignatione facta coram Summo Pontifice; *Bossius ubi supra.*

125 Num facta dici queat mentio hæc, si facta fuerit per dictionem: *Forsan*, vel similem dictionem dubitativam? Sacra Congregatio Concilii interpres negativam sententiam tenuit *in Lancianen.* 9. *Februar.* 1726. At Rota innixa stylo Datariæ affirmative respondit in *Corduben. Præstimonii* 27. *Novemb.* 1724. §. *Objectum, & in confirmatoria* 18. *Martii* 1726. §. *Ita, coram clar. mem. Corio, & in Nuscana Canonicatus* 2. *Julii* 1745. §. *Frustra, & sequenti*, & in confirmatoria 14. *Martii* 1746. §. 6. *coram bon. mem. Vicecomite*, ubi sibi objicit mox dictam Resolutionem Sacræ Congregationis Concilii interpretis.

126 Bulla Piana prohibens, ne Episcopi conferant beneficia cor. ipsis resignata Consanguineis, Affinibus, & Familiaribus, locum sibi non vindicat quoad Beneficia, quæ resignantur ex causa permutationis, quippe quia in hac Resignationis specie totum operatur consensus permutantium, & Ordinarius recognita actus validitate suum dumtaxat consensum, & auctoritatem interponit; *Rota in Leodien. Scolasticæ* 3. *Jul.* 1748. §. 14. *cor. bon. mem. Matthæio, & Jul.* 1749. §. 11. *cor. bon. mem. Vic.*

127 Quoad beneficia jurispatronatus multum interest, utrum Resignatio facta sit nullatenus requisito consensu Patronorum, an requisito, & non
128 obtento consensu hoc. Priori enim casu non est irrita ipso jure Resignatio, sed irritanda est, ut firmant Doctores allegati ab Auctore *numer.* 24.
129 At posteriori casu irrita ipso jure est Resignatio, ut respondit *Rot. in Aurien. Parochialis* 25. *Jan.* 1753. §. 8. *& in confirmatoria* 26. *Nov. ejusd. anni* 1751. §. 4. *cor. Eminentiss. Bussio.*

RESOLUTIONES SACRARUM CONGREGATIONUM.

Resolutiones Sacr. Congregationum furtive obtentæ, & non expressa facti serie, non attenduntur. Rota *par.* 19. *rec. dec.* 102. *a nu.* 15. Ursaya *Miscellan. Sac. & profan.* 1. *litt. R. numer.* 94. 1

Resolutiones Sacr. Congregationum non attenduntur, quando sunt in terminis diversis. Rota *dec.* 1069. *in fin. cor. Emerix Jun.* Ursaya *loc. cit. n.* 96. 2

Resolutiones Sac. Congregationum, si non publicentur, attendi non debent. Silveira *Opusc.* 2. *de declar. Card. n.* 8. Ursaya *Miscell. Sacr. & profan.* 1. *litt. R. n.* 97. 3

Resolutiones ultimæ Sacr. Congregat. prævalent prioribus. Silveira *loc. cit. n.* 11. Pignat. *tom.* 1. *consult.* 107. *n.* 14. 4

Resolutiones Sacr. Congregationum corruunt corruente fundamento, sub quo emanarunt. Rota *par.* 17. *recent. dec.* 274. *n.* 11. Ursaya *loc. citat. num.* 99. 5

Resolutiones S. Congr. dicuntur constituere rem judicatam. Rota *in Tarentina Canonicatus* 11. *Dec.* 1716. §. *Unde, cor. Foscar.* Ursaya *loc. citat. num.* 100. 6

Resolutiones Sacr. Congr. faciunt Jus, quando non sunt certis circumstantiis restrictæ. Rota *in Spoletana Paramentorum super Breve* 12. *Jun.* 1722. §. *Quoniam usus, coram Crispolto*. Ursaya *Miscell. Sacr. & profan.* 1. *litt. R. num.* 29. 7

Resolutiones Sacr. Congr. approbatæ a Papa dicuntur Constitutiones Apostolicæ. Card. de Luca *de Regalibus disc.* 32. *n.* 5. Ursaya *Miscellan. Sac. & profan.* 1. *litt. R. n.* 98. 8

Resolutionibus etiam particularium Congregationum deferendum est pro causis similibus, rationibus adductis a Rota *par.* 4. *tom.* 2. *rec. dec.* 215. *a n.* 6. *& in Placentina Cathedralit.* 22. *Jun.* 1703. *in fin. cor. Molin.* Ursaya *loc. cit. num.* 101. 9

Hic advertendum superest, quod illa particula, *Et amplius*, quæ sæpe adducitur in fine dictarum Resolutionum, denotat quod omnes Eminentissimi Cardinales in illis fuerunt concordes, & quod cum materia seu causa de se clare pateat, non sit amplius proponenda. Sic Benedict. XIV. volum. 3. notific. 14. 10

Monitum.

Resolutiones, & Decreta tum Sacr. Rituum Congregationis, ab Ann. 1603. tum Sac. Cong. Conc. Trid. Interpretis, ab ann. 1700. habes in Tomo 8. hujus Bibl. Chronologico ordine collecta atque disposita.

RE-

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

1 Restituere in integrum generatim loquendo idem est, ac in pristinum statum reponere, text. expresso *in l. Cum salutatus* 1. *Cod. de sententiam passis*, ibi: *Restituo te in integrum Provinciæ tuæ. Ut autem scias, quid sit in integrum restituere? honoribus, & ordini tuo & omnibus ceteris te restituo*. Et concordat *l. Quod si minor* 24. §. 4. *ff. de Minoribus*, ibi: *Restitutio autem ita facienda est, ut unusquisque in integrum Jus suum recipiat*.

2 Restitutio autem in specie accepta est extraordinarium Juris remedium, quo graviter læsus ex naturali æquitate per Officium Judicis reducitur, seu restituitur in pristinum statum, ac Jus, in quo erat ante læsionem. *Sic in re Communis*, *l. Utilitas* 1. *cum sequentibus*, *ff. De in integrum restitutionibus*, & *in cap. Requisivit* 1. *c. Cum venissent* 2. *c. Auditis* 3. *cum sequentibus*, *de in integrum restitutione*.

3 Ut restitutio in integrum concedatur, varia requiruntur: Primo enim requiritur, quod actus ille, vel contractus, seu quasi contractus ex quo gravis læsio sequitur, de Jure fuerit validus; Si enim nullus fuerit, aut invalidus ipso Jure, non est locus beneficio restitutionis in in integrum; quia tunc læsus communi auxilio, ac mero Jure munitus est, ideoque non debet ei tribui extraordinarium auxilium, seu remedium restitutionis in integrum, quod non nisi in subsidium, seu defectum remedii ordinarii conceditur, *Communis*, text. expresso *in l. In causæ cognitione* 16. *ff. de Minoribus*, ibi: *In causæ cognitione etiam hoc versabitur, num forte alia actio possit competere circa in integrum restitutionem? Nam si communi auxilio, & mero Jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium*. Et ibid. §. 3. subjungitur: *Et generaliter probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Prætorem se non debere interponere*.

4 Secundo requiritur, quod læsio illa sit gravis, seu magna, & notabilis juxta arbitrium boni viri, seu discreti Judicis: Si enim modica sit læsio, non conceditur restitutio in integrum. *Communis*, textu expresso *in l. Scio* 4. *ff. de in integrum restitut.* ibi: *Scio illud a quibusdam observatum, ne propter satis minimam rem, vel summam, si majori rei, vel summæ præjudicetur, audiatur is, qui in integrum restitui postulat*. Et concordant *l. Si ex causa judicati* 9. *ff. de Minoribus*, & *cap. Ad nostram* 11. *de rebus Eccles. non alienand.* & ibi Glossa communiter recepta verb. *Enorme*, ubi expresse dicit, *quia pro levi damno non datur restitutio*, & *in c. Requisivit* 1. *de in integrum restitutione*, *verb. Detrimentum magnum*, ubi sic præcise habetur, *nam pro modica causa non datur restitutio*.

5 Tertio requiritur, quod læsio illa gravis acciderit dolo adversarii, vel inconsulta facilitatæ læsi, aut negligentia sui Procuratoris ex actu, vel contractu cum adversario gesto, idque vel manifeste constet, vel saltem in judicio per læsum rite probetur: Si enim casu fortuito grave damnum evenerit, videlicet, si res empta incendio periit, vel animal mortuum fuit, non conceditur restitutio in integrum, per expressum textum *in l. Verum*, *de dolo* 11. §. *cum sequentibus*, *ff. de Minoribus*, ubi id pluribus exemplificatur, & concordant *cap. Requisivit* 1. *cap. Cum venissent* 2. *c. Ex litteris* 4. & *cap. Constitutus* 8. *de in integrum restitutione*, juncta Glossa communiter recepta *in cit. cap. Verum*, *de dolo* 11. §. 3. *ff. de Minoribus*.

Quarto requiritur, quod restitutio in integrum fiat ex justa causa. *Communis*, per text. *in l. Utilitas* 1. *ff. de in integrum restitutionibus*, ubi enumerantur causæ generales hujus restitutionis, & dicitur, quod per eam *plurifariam Prætor subvenit hominibus*, *vel lapsis* (sui facilitate, ut explicat Glossa ibidem) *vel circumscriptis* adversarii dolo, *sive metu*, *sive calliditate*, *sive absentia inciderunt in captionem*. *Sive*, ut subjungitur *ibid. l. Sive* 2. *ff. eodem*, *sive per Status mutationem aut justum errorem*. Et concordat *l. Hujus edicti* 1. & *l. Hoc Edictum* 2. *ff. Ex quibus Causis Majores viginti quinque annis in integrum restituantur*, & *c. Auditis* 3. *de in integrum restitutione*, ubi Innocentius III. de Ecclesiis læsis loquens ait, *Æquitate pensata utramque restituimus*: Æquitas autem importat justam causam. 6

Beneficium restitutionis in integrum jure communi conceditur ætate Minoribus (idest iis, qui viginti quinque annos nondum compleverunt,) si ex contractu, vel alio actu notabiliter læsi, vel decepti sunt. *Communis*, per textum expressum *in l. Hoc Edictum* 1. *l. Denique* 3. *l. Minoribus* 6. *ff. de Minoribus* 25. *Annis*, ibi: *Minoribus viginti quinque annis subvenitur per in integrum restitutionem*, & *cap. Constitutus* 8. *de in integrum restitutione* cum similibus. 7

Restitutio in integrum conceditur Minoribus utriusque sexus, etiamsi contractus, ex quo notabiliter sunt læsi, celebratus sit cum consilio Patris, Tutoris, vel Curatoris. *Communis*, per text. *in l. Filius familias* 1. *Cod. De Filio familias Minore*, *l. Denique* 3. *ff. de Minoribus*, *l. Minoribus* 2. *Cod. Si tutor*, *vel Curator intervenerit*, ibi: *Minoribus annis* 25. *etiam in his*, *quæ præsentibus Tutoribus*, *vel Curatoribus Judicio*, *vel extra Judicium gesta fuerint*, *in integrum restitutionis auxilium superesse*, *si circumventi sunt*, *placuit*. 8

Item Beneficium restitutionis in integrum conceditur Ecclesiæ. *Communis*, textu expresso *in cap. Requisivit* 1. & *cap. Cum venisset* 2. *de in integrum restitutione*. Cum enim Ecclesia fingatur Jure Minoris, ut expresse dicitur *in cap. Auditis* 3. *de restitut. in integrum*, ideo instar Minoris natu, debet semper illæsa servari, ut expresse habetur *in cit. cap. Requisivit*, juncta Glossa communiter recepta *ibid. verb. Jure Minoris*. 9

Item beneficio restitutionis in integrum gaudent 10 Collegia Clericorum, Monasteria Religiosorum, Hospitalia Episcopi auctoritate fundata, quin & Confraternitates, & Congregationes; Ad hæc enim omnia extenduntur privilegia Ecclesiis concessa, textu expresso *in l. Omnia privilegia* 35. *Cod. de Episcopis*, & *Clericis*, & concordat *cap. Ex litteris* 2. *de*

de consuetudine, ubi Claustra, Ecclesiæ, & qualibet loca Religiosa quoad favorabilia æquiparantur, & sic tenet Communis Doctorum.

11 Item beneficio restitutionis in integrum gaudent Respublicæ, quæ Minorum quoque Jure fruuntur. *Communis*, per textum expressum *in l. Respublica* 4. *Cod. Quibus ex causis Minores in integrum restituantur*, ibi: *Respublica Minorum Jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest*, & concordat *l. Rempub.* 23. *Cod. de Jure Reipublicæ*, ibi: *Rempublicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est*.

12 Nomine autem Reipublicæ veniunt non solum supremæ, quæ Superiorem non recognoscunt, sed etiam inferiores Communitates, ut Civitates, Castra, Villæ, Pagi, si bonorum, seu Jurium communium Administratores habeant. Bartolus *in cit. l. Respublica* 4. *Cod. Quibus ex causis Majores*, Maranta *part.* 6. *Speculi aurei* §. *De appellatione n.* 87. Abbas *in cit. cap. Requisivit* 1. *de restitution. in integrum n.* 15. Molina *tract.* 2. *de justit. disp.* 574. *num.* 4. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 41. *num.* 15. Reiffenstuel *ibid. n.* 37. & alii passim; In Istis enim inferioribus militat eadem ratio, quæ in supremis, cum & inferiores regantur per alios, & multos habeant Minores, Pupillos, Viduas, & miserabiles personas, sicuti Supremæ.

13 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur Minori læso contra Minorem lædentem. *Communis*, per text. *in l. Verum* 11. §. *Item quæritur*, *ff. de Minoribus*, & concordat text. *in l. Ultim.*
14 *ff. Ex quibus causis*. Item conceditur Ecclesiæ læsæ contra Ecclesiam lædentem. *Communis*, per text. *in cap. Cum venissent.* 2. *de restitut. in integrum*, & concordat text. *in cap. Auditis* 3. *eod.*

15 Nec valet objicere, quod privilegiatus non utitur privilegio contra alium Privilegiatum, *l. Assiduis* 12. *Cod. Qui priores in pignore*, adeoque unus minor Privilegiatus non possit uti hoc privilegio contra alium Privilegiatum Minorem; Nec ulla privilegiata Ecclesia contra aliam Ecclesiam privilegiatam. Non valet, inquam, quia Regula procedit, si utriusque par sit causa; Secus autem, si unus certet de lucro captando, & alter de damno vitando: tunc enim is, qui cupit idemnis esse, merito prævalere debet illi, qui ex re aliena lucrum quærit, ut *cit. l. Verum* 11. §. *final. ff. de Minoribus*, ubi Summarium sic habet: *Si sint duo privilegiati pari privilegio, præfertur ille, qui certat de damno vitando; sed si uterque certet de hoc, est potior causa rei: sed si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris præponitur*. Tum quia beneficium restitutionis non conceditur Minoribus, vel Ecclesiis lædentibus, sed læsis; Unde Minor, vel Ecclesia lædens non est privilegiata, & consequenter, si res exacte expendatur, non concurrit Privilegiatus cum Privilegiato. Abbas *in cit. cap. Auditis* 3. *de in integrum restitut. n.* 8. Engel. *l.* 1. *Decretal. tit.* 41. *n.* 6. Reiffenstuel *loc. c. n.* 43. *& seq.* & alii.

16 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur quandoque etiam Majorennibus, idest Majoribus 25. annis completis, si graviter læsi sint; at vero in istis præter gravem læsionem necesse est aliam justam causam intervenire, v. g. absentiæ Reipublicæ causa, detentionis in vinculis, vel hostium potestate, justi erroris, seu probabilis ignorantiæ, vel aliam similem justam causam, ob quam læsus per judicis Officium secundum æquitatem restituendus videatur. *Communis*, per textum *in toto titulo ff. Ex quibus caussis Majores* 25. *annis in integrum restituantur*, & text. *in toto titulo Cod. Quibus ex causis Majores in integrum restituantur*, & signanter *in l. Hujus Edicti* 1. *ff. Ex quibus causis &c.* ubi Prætor tradit hanc generalem clausulam pro justis causis concedendi restitutionem in integrum Majoribus 25. annis, ibi: *Item si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam*.

Item beneficium restitutionis in integrum conce- 17
ditur, nedum ipsis principaliter læsis, sed etiam eorum heredibus, & successoribus universalibus, si modo defunctus in ea conditione fuerit, ut si adhuc superstes esset, restitui deberet. *Communis*, per text *in l. Non solum* 6. *ff. de in integrum restitutionibus*, *l. Minor* 18. §. *de Minoribus*, ibi: *Non solum autem Minoribus, verum Successoribus quoque Minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi Majores*.

Restitutio in integrum petenda est coram Judice 18
illius, contra quem petitur. Nam generale est, quod Actor forum Rei sequatur, *cap. Si Clericus* 5. *& cap. Cum sit generale* 8. *de Foro competent.* & in specie de petenda restitutione in integrum habetur *ex l. Quoniam* 2. *Cod. Ubi, & apud quem cognitio in integrum restit. agitanda*, juncto ejus Summario, & Communi Doctorum.

Restitutio in integrum petenda est intra qua- 19
driennium. *Communis*, textu expresso in *l. Supervacuam* 7. *C. De temporibus in integrum restitutionis*, & concordat *cap. Ecclesia* 1. *de in integrum restitut. in* 6.

Quadriennium istud in restitutione Minorum (qui 20
non solum toto tempore Minorennitatis possunt petere restitutionem in integrum, sed etiam post completam Minorennitatem per continuum quadriennium) incipit currrere a primo die vigesimi sexti Anni inchoati, & durat usque ad annum 29. completum. *Communis*, textu expresso *in cit. l. Supervacuam* 7. *Cod. De temporibus in integrum restitutionis*.

In restitutione vero Minorum, qui veniam ætatis 21
impetrarunt, quadriennium incipit currere a die, quo venia ætatis obtenta, & intimata fuit: *Communis* per text. *in l. Eos qui* 1. *Cod. de his, qui veniam ætatis impetrarunt*, *l. Ea quæ* 5. *Cod. De temporib. in integrum restitut.*

In restitutione Majorum 25. annis quadriennium 22
incipit currere a tempore, quo læsio contigit, simulque cessat justa causa absentiæ, vel aliud legitimum impedimentum, ut colligitur ex *cit. l. Supervacuam*, & docet Glossa *in Clementin. Unica*, *verb. A tempore, de in integrum restitution.* & Barbosa *ibid. num.* 5. citans alios, Pirhing *loco cit. n.* 49. Reiffenst. *loc. cit. n.* 62. & alii.

In restitutione Ecclesiæ (vel Reipublicæ) qua- 23
driennium incipit currere a tempore factæ læsionis, idest a tempore celebrati contractus, vel quasi contractus, aut latæ sententiæ, ex qua Ecclesia læsa est;

cit.

cit. Clementin. Unica, & *ibi* Glossa *verb. A tempore de in integrum restitut.* Franc. *in cap. Ecclesia 1. de in integrum restitut. in 6. n. 2. notabil.* 3. Molina *tract.* 2. *de Iustitia disp.* 574. *in princip.* Reiffenst. *loc. cit. n.* 61. & alii.

24 Quadriennium petendæ restitutionis incipit currere non a die factæ læsionis, sed a die habitæ scientiæ de læsione: Alexander *Consil.* 84. *numer.* 3. *vol.* 1. Cardinal. Tuschus *litter. B. conclus.* 298. *n.* 9. & 16. Baldus *in l. Falsa, Cod. de Fide instrumentor.* Engel *loc. cit. num.* 11. Reiffenstuel *l. cit. num.* 63. Sannig. *de restitut. in integrum cap.* 5. *num.* 3. aliique plures. Et ratio est, quia alias non satis prospectum esset indemnitati Ecclesiarum, & Minorum, si contra occultas suas læsiones nullum haberent remedium; nam tempore ignorantiæ factæ læsionis nequit læsus se defendere, aut beneficium restitutionis petere, *quia qui nescit, is videtur experiundi potestatem non habere, & verius est ex eo annum numerari, ex quo cognovit*, ut expresse dicitur *in l. Annus 6. ff. de Calumniatoribus*. Nec obstat *cit. Clementin. Unica, de in integrum restitutione*, in qua dicitur quadriennium istud a die læsionis esse computandum, quia debet intelligi, quando dies læsionis, & scientiæ ejus coincidunt, ut ita pro favore Ecclesiarum, & minorum jura Juribus concordentur; Arnoldus Rath. *in tract. de Usucapionibus cap.* 5. *assert.* 45. ubi dicit, hanc sententiam communiter sustineri, & in praxi receptam esse. Engel *loc. citat. numer.* 12. Reiffenstuel *loco citat. numer.* 63. & alii.

26 Tempus quadrienni concessum pro petenda restitutione non currit juste impedito: Unde si per dolum, aut vim adversarii, vel ob aliud justum impedimentum, v. g. ob absentiam Reipublicæ causa, non potuit peti restitutio in integrum, debet postea suppleri totum illud tempus, quo duravit illud justum impedimentum, addito ad quadriennium quantum temporis ablatum fuerat; colligitur ex *cit. l. Supervacuam 7. Cod. De temporibus in integrum restitutionis*, & tenet *ibidem verb. Supervacuam* Glossa communiter recepta, & Bartolus *ibidem* §. *Et breviter*, Piring. *loc. cit. num.* 50. Reiffenstuel *loc. c. n.* 59. testans de communi.

27 Ecclesia est restituenda in integrum etiam post lapsum quadriennium a die factæ, & cognitæ gravis læsionis computandum; Dummodo tamen adsit aliqua justa causa, ob quam Superior beneficium restitutionis ei adhuc concedendum arbitretur; Secus non. *Communis* textu expresso *in cap. Ecclesia 1. De restitutione in integrum in 6.* ibi: *Ecclesia, quæ ad retractandam sententiam, vel contractum per beneficium restitutionis in integrum postulat se admitti, si quadriennii spatium post sit lapsum, & negligenter omiserit, non est ad beneficium bujusmodi admittenda; Nisi prævaricationis, vel fraudis manifestæ probetur super hoc intervenisse commentum, aut alia rationabilis causa subsit, quæ Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum.*

28 Causæ autem, ob quas potest Superior post lapsum quadriennium concedere restitutionem in integrum Ecclesiis, & aliis locis piis: sunt sequentes. Primo, si prævaricatio, seu collusio, vel fraus intervenerit, quia scilicet collusum fuit cum Prælato, vel Administratore bonorum Ecclesiæ, vel is fraude circumventus fuit, ne restitutionem intra quadriennium peteret. *citat. cap. Ecclesia 1. de restitutione in integrum in 6.* per adducta verba: *Nisi prævaricationis, vel fraudis manifestæ probetur super hoc intervenisse commentum.* Secundo si læsio fuerit valde enormis; colligitur *ex cap. Ad Ecclesiam 21. de rebus Ecclesiæ non alienand.* ubi legitur ob enorme damnum ex alienatione passum, concessam fuisse talem restitutionem in integrum cuidam Monasterio post quadriennium, immo & decennium ut putat Hostiensis *ibidem*, & sic tenent Glossa final. *in cit. cap. Ecclesia*; Abbas *in cap. Requisivit 1. de in integrum restitut. n.* 2. Covarruv. *lib.* 1. *variar. resol. c.* 3. *num.* 11. cum pluribus aliis ibi citatis, Pirhing. *loc. cit. numer.* 51. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 67. & alii passim. Tertio, si propter inculpatam ignorantiam, vel ob aliud justum impedimentum restitutio in integrum peti non potuit intra quadriennium; colligitur ex *cit. cap. Ecclesia 1. & cap. Si adversus 2. de in integrum restitut. in 6.* ubi dicitur, quod si Ecclesia intra quadriennium restitutionem in integrum *petere negligenter omittat*, postea amplius admittenda non sit; ergo a contrario sensu, si non ex negligentia, sed propter inculpatam ignorantiam læsionis, vel aliud justum impedimentum restitutionem non petierit, etiam post quadriennium restituenda erit, cum ex rationabili causa generaliter post quadriennium Ecclesia ad beneficium dictæ restitutionis admittenda sit, ut expresse cavetur *in cit. cap. Ecclesia*, ibi: *Aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum.*

Restitutione in integrum petita ordinarie suspenditur executio sententiæ, nisi præsumptio malitiæ sit contra petentem. *Communis*, textu expresso *in l. Postulata 1. Cod. In integrum restitutione postulata, ne quid novi fiat*: ibi: *Postulata in integrum restitutione omnia in suo statu esse debere, donec res finiatur, perspicui Juris est, itaque curabit is ad cujus partes ea res pertinet.* 29

Dicitur autem notanter: *Nisi præsumptio malitiæ sit contra petentem*, quia quando ex conjecturis præsumi potest, quod restitutio in integrum malitiose petatur solum ad suspendendam sententiæ executionem, tunc non suspenditur, sed fit ipsius sententiæ executio, cum hoc tamen, quod idonea cautio detur restitutionem petenti, quod si in causa prævaluerit, universa cum fructibus medio tempore perceptis, ipsi restituentur; *Communis*, per textum expressum *in cap. Suscitata 6. de restitutione in integrum.* 30

Regularis, qui legitime fuerit impeditus ad reclamandum contra nullitatem suæ Professionis intra quinquennium sibi concessum a Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus*, allegatis causis dicti sui justi impedimenti, potest restitui in integrum ad reclamandum etiam post dictum quinquennium, *Communis.* Hæc tamen restitutio in integrum non conceditur nisi a Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione Concilii, aut Episcoporum, & Regularium, ut docet praxis, & Stylus Curiæ, & recte observant Barbosa *in Collectan. ad d. cap.* 19. *Concil. Trid. num.* 9. Fagnan. *in cap. Consuluit n.* 35. 31

Qui Clerici, vel voventes Reiffenstuel *loc. cit. n.* 91. & alii passim.

33 Hinc restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii conceditur Moniali reclamanti adversus suam Professionem, quando constat de vi, metuque, quibus mediantibus emissa fuit, *S. Cong. C. in Bisuntina Restitut. in integrum 9. Septembr.* 1713. & *in Januens.* 23. *April.* 1715. & *in Lingonen.* 20. *Septembr. ejusdem anni* apud Ursayam *tom.* 1. *P.* 1. *discept.* 2. & 4. *in Miscellan.* 1. *Sac. & profano litt. R. num.* 124.

34 Item restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii datur Moniali, quæ ex legitima causa reclamare non potuit intra dictum quinquennium. *Sacr. Congreg. Concil. in Mantuana Restitutionis in integrum 7. Decemb.* 1715. & 28. *Martii* 1716. apud Ursayam *tom.* 2. *par.* 1. *discept.* 9. & *in Miscell. loc. c. num.* 128.

35 Item restitutioni in integrum locus est, quando Monialis Professionem per vim, & metum emisit non obstante longo lapsu temporis. *S. Cong. Conc. in Malacitana Nullitatis Professionis* 15. *Maii* 1723. apud eumdem *in Miscellaneo loc. cit. n.* 130.

36 Item restitutio in integrum concedenda est Moniali post quinquennium reclamanti, quando illo durante reclamare non potuit. *Sacr. Congr. Conc. in Pacen.* 19. *Decemb.* 1722. apud eumdem *to.* 5. *P.* 1. *discept.* 17. & *in Miscellaneo loc. cit. n.* 121.

37 Item restitutio in integrum concedenda est Religioso impedito reclamare intra quinquennium, non attenta renovatione votorum vi propriæ Regulæ quolibet Anno facta. *Sacr. Congr. Conc. in Meleviiana Restitutionis in integrum* 29. *Aprilis* 1722. apud eumdem *tom.* 2. *par.* 2. *discept.* 21. & *in Miscellaneo loc. cit. num.* 125.

38 Item restitutio in integrum danda est Religioso, qui Professionem emisit non completo Anno 16. suæ ætatis. *Sacr. Cong. Conc. in Neapolitana Restitutionis in integrum* 10. *April.* 1723. apud eumdem *in Miscellaneo loc. cit. num.* 127.

39 Item restitutio in integrum danda est Religioso profitenti cum aliquo defectu habituali in Religione, cujus Constitutiones mandant, ut illi Religiosi, qui tacent aliquem essentialem defectum ante emissionem Professionis, illo detecto, statim possint ab eorum Superioribus dimitti, *Sacr. Congr. Conc. in Neapolitana Restitutionis in integrum die* 8. *Augusti* 1716. apud eumdem *in Miscellaneo loc. cit. numer.* 123. Et *in alia Neapolitana* 7. *Septembr.* 1718. apud eumdem *tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 6. *numer.* 77.

40 Restitutioni in integrum locus non est, quando non probatur prætensus metus, & vis sibi illata ad professionem emittendam. *Sacr. Congr. in Veneta; seu Brixiensi Restitutionis in integrum die* 7. *Febr.* 1721. & 8. *Augusti ejusdem anni* apud eumdem *tom.* 5. *part.* 1. *discept.* 12. *nu.* 166. Et *in Neapolitana Nullitatis Professionis* 9. *Septembr.* 1723. apud eumdem *in Miscellaneo loco c. n.* 129.

41 Restitutione in integrum obtenta a Sacra Congregatione Concilii, Cæremoniales remanent actus faciendi in Curiis Episcopalibus. Rota *in Januensi Restitutionis in integrum* 9. *Maii* 1702. §. *E converso coram Molines*. Et *Sacr. Congr. Concilii in Mantuana* 21. *Februar.* 1717. apud eumdem *tom.* 2. *part.* 1. *disp.* 8. & *in Miscellaneo loc. cit n.* 131.

Additiones ex aliena manu.

Tametsi jus prætorium induxerit restitutiones in integrum ad corrigendum jus civile; Sunt tamen & restitutiones in integrum, quas exemplo juris prætorii proposuit deinde ipsum jus civile. Habes exempla restitutionis in integrum propositæ a jure civili *in l.* 3. *C. de Rescind. vendit.* ubi læsus ultra dimidium in tantum restituitur, ut, vel causa penitus in priorem statum deducatur, vel iniquitas per supplementum justi pretii emendetur. Alterum exemplum occurrit in *l.* 33. *ff. de re judicat.* ubi in integrum restitutio conceditur illi, contra quem falsis instrumentis lata est sententia. Reipublicæ demum & Civitatibus auxilium restitutionis in integrum concessum est jure civili in *l.* 4. *C. Ex quib. caus. major.* 42 43 44 45

Interest vero an restitutio detur ex jure prætorio, an ex jure civili. Quæ restitutio datur ex jure prætorio, ea temporaria est: Quæ vero datur ex jure civili, est perpetua, & sic intra annos triginta intentari poterit; Stryk. *in us. modern. Pandect. lib.* 4. *titul.* 1. §. 1. contradicente, licet perperam Bohemer *in introduct. in jus digest. l.* 4. *tit.* 4. §. 13. 46

Tempus hoc triginta annorum, licet mox adductam eamque veram rationem ignorent, admittere haud ægre solent Doctores in prioribus duobus exemplis, nequaquam vero in tertio exemplo. At si restitutio Reipublicæ, & Civitatibus jure civili concessa est, necessario debet esse perpetua; Stryk. *in usu modern. Pandect. lib.* 4. *tit.* 4. §. 17. ubi quod non *obest* (sunt ejus verba) *quod Imperatores Rempublicam minoribus comparaverint: Non enim additum, quod præcise tempora minorum observare debeat.* 47 48

Jure Pontificio competit etiam restitutio Ecclesiis, cæterisque piis corporibus jure Ecclesiarum fruentibus; *c.* 1. & 3. *de Restit. in integr.* Quin & Academiis Scholisque vulgo tribuitur; Gales. *ad c.* 1. *n.* 85. *de Restit. in integr. Wiesten. in Decret. l.* 1. *tit.* 41. *n.* 25. 49 50

De tempore vero, quo restitutio proponi debeat ab Ecclesiis, omnes fere conveniunt illud debere esse quadriennium a die cognitæ læsionis, & proinde sentiunt illud non currere durante vita Rectoris male administrantis, sed incipere tempore successoris, ut primum scivit actum Ecclesiæ damnosum; Ziegler. *ad Lancellot. lib.* 3. *tit.* 81. §. 3. Bohemer. *in decretal. dict. lib.* 1. *tit.* 41. §. 9. Cæterum si neque restitutio competit Ecclesiis jure prætorio, sed jure pontificio consentanee ad superius firmata, dicendum est eam proponi posse non intra breve quatuor annorum tempus, sed intra spatium triginta annorum. 51 52

RESTITUTIO.

Articulus I.

Quoad ea, quæ concernunt restitutionis naturam, radices, necessitatem, & obligatos ad ipsam.

1 Restitutio est sic dicta quasi *rei* in statum pristinum *statutio*. *Sic in re communis Doctorum*; seu quasi alicujus in sua possessione, aut dominio *iterata statutio*. *Sic in re Communis*
2 *Doctorum*. Unde restitutio quantum ad propositum est actus Justitiæ commutativæ, quo fit rei alienæ redditio, vel damni injuste illati reparatio. *Est in re Communis*.

3 Dicitur autem notanter, quod restitutio sit actus *Justitiæ commutativæ* ad denotandum, quod obligatio restitutionis oritur solum ex violatione *Justitiæ commutativæ*, in qua servari debet æqualitas rei ad rem, ita ut tantum reddatur, aut reparetur, quantum fuit ablatum, aut damnificatum; Non autem obligatio restitutionis oritur ex violatione *Justitiæ distributivæ*, quia tunc alienum nec aufertur, nec læditur, cum supponatur illos, quibus fit bonorum communium distributio, non habere Jus ad illa, alias violaretur *Justitia Commutativa*.

4 Si enim quis obligatus v. g. Patris Testamento distribuere mille aureos pauperibus suæ Parochiæ juxta cujusque paupertatem, aliquibus minus dederit, quam requireret eorum paupertas, hic peccaret simul, & contra *Justitiam distributivam*, & contra *commutativam*, & teneretur satisfacere, non quia læsit *Justitiam distributivam*, sed *commutativam*, eo quod quilibet pauper haberet Jus ratione Testamenti ad portionem suæ inopiæ proportionatam, quia cum condens tale Testamentum hanc proportionem in distributione servari voluerit, perinde est ac si singulis certam pecuniæ summam assignasset. *Sic Doctores communiter*.

5 Sic etiam Prælatus conferens extra concursum Beneficium digno, omisso digniori, peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem, quia non violat *Justitiam commutativam*, sed solum *distributivam*; Si autem conferat in concursu Beneficium digno, relicto digniori, & peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, quia violat *Justitiam commutativam*; Prælatus enim indicens concursum censetur inire quemdam innominatum contractum, *Do, ut Des* cum Clericis concurrentibus; adeoque Clericus, qui in concursu prævalet suo competitori, acquirit jus strictum ad petendum, ut illi detur, seu conferatur Beneficium, & tale Jus est objectum *Justitiæ commutativæ*, non autem *distributivæ*, sic etiam est dicendum in aliis similibus casibus, ut recte notant passim Doctores.

Radices restitutionis quamvis communiter assignentur tantum duæ, scilicet *ex re accepta*, & *ex injusta acceptione*, tamen majoris claritatis gratia quatuor ab aliquibus recte traduntur. Prima, scilicet *Ex re accepta*. Secunda *Ex injusta acceptione, seu retentione*. Tertia *Ex damno injuste illato*. Quarta *Ex contractu*. Prima, videlicet *Ex re accepta*, seu ex delicto materiali, habetur, cum quis rem alterius bona fide accepit, vel possedit, & dicitur Possessor bonæ fidei, qui statim ac cognoscit rem esse alterius, tenetur restituere, alias incipit esse possessor malæ fidei. Secunda *Ex injusta acceptione*, seu ex delicto formali, habetur, cum quis rem alterius scienter invito rationabiliter Domino surripit, & dicitur possessor malæ fidei. Tertia *Ex damno injuste illato* habetur, cum quis per actionem injustam non lucrativam alteri damnum injuste infert, verb. grat. comburendo Domum, devastando segetes, & hujusmodi. Quarta *Ex contractu* habetur, cum quis verb. grat. Petrus vendit Paulo equum, quem putabat esse suum, erat autem Joannis; Si Joannes hunc equum repetat, & evincat, tenetur Petrus de evictione, & debet non solum restituere pretium equi, sed etiam compensare damnum, quod emersit, & lucrum, quod cessavit Paulo occasione illius venditionis; Pretium quidem tenetur Petrus restituere *Ex re accepta*, sed quod teneatur compensare damna, & lucra, non oritur *Ex re accepta*, cum nihil acceperit, quod illis correspondeat, nec oritur *Ex injusta acceptione*, neque *Ex damno injuste illato*, nam Petrus bona fide procedit, ergo oritur *Ex contractu*, quia nempe ad hoc se obligat vendens pro securitate ementis. Sic expresse La Croix *lib. 3. part. 2. nu.* 18. 6

Qui ibidem insuper quintam radicem restitutionis poni posse subjungit, nempe *Ex Lege positiva*, quæ habetur in certis casibus, in quibus Jus obligat ad restitutionem, quamvis nec sit *Res accepta*, nec *Injusta acceptio*, nec *Damnum injuste illatum*, nec *Contractus*. Jus enim positivum in pluribus statuit, ut quis reparet damnum, quamvis causatum sit absque omni ejus culpa. Sic *Institut. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur & l. Si quadrupes* 1. *ff. eodem*, statutum est, quod si alicujus animal pauperiem fecerit, idest intulerit damnum alteri, teneatur illius Dominus dare illud animal, vel totum damnum reparare. Item *Institut. de Noxalibus actionibus*; *l. Noxales actiones* 1. *cum aliis sequentibus*, *ff. eodem*; *l. Si servi vestri* 2. *Cod. eodem*, sancitum est, quod si mancipium alicujus ex sua propria, & absque culpa Domini intulerit damnum, teneatur Dominus pro noxa tradere mancipium, vel totum damnum reparare. Item *l. Prætor ait* 1. *& l. Hoc Edictum* 6. *ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint*, cautum est, quod si ex Domo, vel navi alicujus absque culpa Domini aliquid sit effusum, vel projectum, quod nocuit transeunti, vel adstanti, si non fuit clamatum, ut caveret sibi, teneatur Dominus reparare in duplum; & idem est, si aliquid e Domo suspensum fuit supra viam, quod nocuit alicui, ut ibidem *l. Si vero* 5. *ff. eodem*, & sic de aliis similibus, ut videre 7

re est *in Institut. & ff. Ad l. Aquiliam*, & sæpe alibi.

8 Restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti. *Communis*; Et habetur clare ex variis Sacræ Scripturæ locis, quibus indicitur tale præceptum; primo ex illo *Levitici 6.* (*) *Qui aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, aut aliquid quidpiam commiserit, omnia integra primum restituat*; Secundo ex illo *Tobiæ 2. Videte ne furtivus sit, reddite illum dominis suis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contigere*; Tertio ex illo *Matthæi 22. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*; Quarto ex illo *Ad Romanos 8. Reddite omnibus debitum, cui tributum &c. nemini quidquam debeatis*; Quinto ex illo *Ezechielis 33. Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam de peccato suo, & fecerit judicium, & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, & ambulaverit in mandatis vitæ, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, & non morietur*, ubi, ut vides, ad pœnitentiam, & salutem æque necessario præcipitur restitutio, ac observantia aliorum præceptorum; Et clare patet etiam ex septimo Decalogi præcepto *Non furtum facies*, in quo cum prohibeatur injusta ablatio rei alienæ, consequenter prohibetur etiam injusta detentio, & præcipitur restitutio, quia ejusdem rationis est furari, & detinere rem alienam invito rationabiliter domino, dum reddi potest; Unde in *cap. Si res aliena 1. caus. 14. quæst. 6.* ex verbis S. Augustini expresse dicitur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest*. Et in *cap. Sæpe contingit 18. de restitutione spoliatorum* expresse habetur, *quod non multum intersit quo ad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum*. Hinc in *cap. Peccatum 4. de Regul. Juris in 6.* expresse concluditur: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*.

9 Non est tamen restitutio necessaria ad salutem necessitate medii. *Communis*. Et ratio est, quia ignorans invincibiliter se obligari ad restitutionem, aut factus impotens ad illam potest salvari sine restitutione, ut concedunt omnes ex expressa doctrina Sancti Augustini in *cit. cap. Si res aliena 1. caus. 14. quæst. 6.* ibi: *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest*; ex quo patet, quod restitutionis incapax possit absolvi, & consequenter salvari sine facta restitutione, quod nullimode posset, si restitutio esset necessaria necessitate medii. Sicuti non potest salvari, qui post commissum peccatum mortale impotens est ad pœnitentiam, vel per Sacramentalem Confessionem simul cum attritione, vel per Contritionem perfectam simpliciter, ob supervenientem plenam dementiam, vel phrenesim, aut
subitaneam mortem. Res enim necessaria ad sa- 10
lutem necessitate medii talis est, ut sine ipsa non possit obtineri salus, etiamsi inculpabiliter omittatur, ut Baptismus in re parvulis, Pœnitentia lapsis, &c. Res vero necessaria ad salutem necessitate præcepti talis est, ut etiam sine ipsa possit obtineri salus, si sine culpa omittatur, ut sumptio Eucharistiæ, restitutio, &c.(*) Vide S.Thomam 2. 2. quæst. 62. art. 2. (*)

11 Ad restitutionem tenentur non solum illi, qui per se immediate, & directe per actionem physicam influunt in damnum alterius, sive actione lucrativa, ut fit in furto, & rapina, sive actione non lucrativa, ut fit in combustione, occisione, mutilatione, præcipitatione rerum in flumen, & hujusmodi, sed etiam illi, qui solum moraliter deliberate, & efficaciter influunt, alios movendo ad damnum illud inferendum. *Communis, argum. cap. 1. num. 32. Epist. ad Romanos*: ibi: *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, cap. Notum sit 10. caus. 2. quæst. 1.* ibi: *Quia facientem, & consentientem par pœna constringit*; *cap. Si culpa tua 9. de injuriis, & damno*, ubi habetur, quod *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videatur, & l. Qui occidit 30. §. 3. ff. ad legem Aquiliam*, ibi: *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur*.

12 Causæ cooperantes, seu influentes moraliter ad injustam damnificationem proximi communiter enumerantur novem in sequentibus versiculis comprehensæ.

Quilibet in solidum reddat prius injuriato.
Jussio Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.
Participans, Mutus, Non obstans, Manifestans.

13 Causæ contentæ sub primis sex nominibus positive cooperantur ad damnum injustum proximo inferendum; tres vero contentæ sub ultimis tribus nominibus negative, idest omittendo id, quod ex Officio, atque justitia facere tenebantur; Et qui aliquo ex prædictis novem modis deliberate, & efficaciter cooperantur ad damnum injustum alterius, non solum incurrunt reatum peccati, sed etiam obligantur ad restitutionem in solidum, seu totum in defectum exequentis, juxta allatum primum versiculum: Unde Innoc. XI. die 2. Martii 1679. merito inter alias damnavit sequentem propositionem 39. in ordine: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

14 Per ly *Jussio* venit omnis ille, qui mandatum dat alteri ad damnificandum, vel lædendum; Unde

(*) Nempe Levitici cap. VI. ver. 2. & seqq. ubi: „ Anima quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, convicta delicti reddet. „

de qui mandat, vel jubet, sive explicite, sive implicite, sive potestatem habeat præcipiendi, sive non, tenetur ad restitutionem totius damni, in quod efficaciter influxit ejus mandatum; Talis enim est vera, & propria causa damni illati, & quidem principalis, & magis influens in damnificationem, quam ipsemet Executor, seu Mandatarius. *Sic Doctores communiter*.

15 Mandans non solum tenetur ad damnum, quod de facto jussit, sed etiam ad illud, quod prævidere poterat ex circumstantiis secuturum; hinc si præcepit famulo, ut combureret Domum Titii contiguam aliorum Domibus, & attentis circumstantiis loci, temporis, venti, incendii, & hujusmodi prævidere poterat, & debebat plures Domos inde comburendas, tenetur ad omnium damnorum restitutionem. *Communis*.

16 Mandans, si sit Superior, tenetur etiam ad restitutionem damnorum, quæ patitur Mandatarius ex sua executione, v. g. si propter crimen mulctetur, in exilium mittatur, & hujusmodi. Jussio enim Superioris continet quamdam vim, & coactionem moralem respectu Subditi, ita ut non tam sponte, quam coacte censeatur operari, & talis Mandatarius sub illa conditione suscipit mandatum, ut Mandans subeat onus oriturum ex executione sui mandati; Secus autem si Mandans non sit Superior, sed mandet alicui vi stipendii, quia tunc Mandatarius omnino voluntarie in se periculum assumit, cum ad id ex contractu sit mercede, seu stipendio conductus. *Sic Doctores passim*.

17 Mandans occidi Petrum, licet Mandatarius per errorem occidat Paulum, adhuc ipse Mandans tenetur ad compensandum totum damnum ex morte Pauli secutum, quia ex ipsius imperio est efficaciter secutum. *Communis*.

18 Si Mandatarius excedat mandatum in damno inferendo, ut si jussus comburere tantum Domum, & ipse volens comburat etiam vineas, segetes, & hujusmodi, tunc excessum illum non mandans, sed Mandatarius excedens compensare tenetur, quia est secutus ex sola malitia Mandatarii, & non ex Mandantis mandato. *Communis*.

19 Si Mandans mandatum suum ante executionem verbo, scripto, vel nuncio vere retractet, seu revocet, & revocatio ad notitiam Mandatarii perveniat, tunc liber est ab obligatione restituendi, quamvis Mandatarius non obstante tali revocatione, adhuc damnum inferat, quia tunc tale damnum non sequitur ex Mandantis mandato, cum fuerit vere revocatum, sed totum sequitur ex mera malitia Mandatarii. *Communis*.

20 Si autem revocatio mandati ante executionem ad notitiam Mandatarii non pervenerit, isque exequatur, & damnum inferat, tunc Mandans tenetur ipse ad restitutionem, quia, non obstante sua revocatione, adhuc damnum secutum est ex vi sui ini-
21 qui mandati. *Communis*. Item tenetur Mandans ad restitutionem, quamvis revocatio mandati pervenerit ad notitiam Mandatarii, si ipse Mandatarius, vel non credens seriam esse revocationem, vel si credita seria, postea invincibiliter illius immemor damnum executus est, quia tunc, non obtante tali revocatione, adhuc damnum vere secutum est ex vi sui iniqui mandati. *Sic Doctores &c.* passim.

Mandans non eximitur ab obligatione restitutionis, quamvis, si ipse non mandasset damnum inferendum, alius ab ipso tale damnum mandavisset, Quia licet, illo non jubente, adhuc damnum fuisset secutum, cum tamen in tale damnum Mandans vere efficaciter influxerit, ipsi tamquam causæ efficaci est imputandum, cum ad causam efficacem sufficiat verus influxus, nec sit necesse, quod sine ipsa damnum non fuisset causatum; Per hoc enim quod licet alius combussisset domum, si ipsam non combussisset Paulus, non tollitur, quod Paulus ipsam non combusserit, si vere eam combussit. Quamvis enim *Matthæi* 18. *num.* 7. dicatur, quod *necesse est, ut veniant scandala*, tamen non obstante tali necessitate gravis comminatio incurritur contra inducentem scandalum, ibi: *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*. 22

Per ly *Consilium* venit omnis ille, qui ad damnificationem aliquem consulit, persuadet, allicit, instruit, movet, rogat, auxilium præbet, facilitatem, & modum ostendit, & hujusmodi; Talis enim contrahit obligationem restitutionis pro damno ex ejusmodi consilio, vel suasione reipsa secuto, cum sic efficaciter consulens tale damnum, sit vere causa illius. *Communis*. 23

Consulens ex stipendio, & ex Officio suo, non solum tenetur de malo consilio ex dolo, vel culpa lata, sed etiam ex levi. Inter consulentem enim, & eum, qui accipit consilium intercedit contractus quidam in utilitatem utriusque, quandoquidem si consultus recipit commodum ex consilio proveniens, consulens recipit utilitatem stipendii: In contractibus autem, qui cedunt in utilitatem utriusque, oritur obligatio etiam ex culpa levi, ut tenet *Communis Doctorum* per textum in *l. Contractus* 23. *ff. de Regulis Juris*. 24

Consulens non ex stipendio, sed quia Jurista, Theologus, Confessarius, si per culpam, negligentiam, ac ignorantiam crassam, male consulendo causam præbet damni, ut si obligatum restitutioni deobliget, aut volentem injustum contractum inire male informet, tenetur ad restitutionem damni secuti ratione sui mali consilii ex ignorantia crassa, & culpa lata, non tamen ex levi: Talis enim consulens culpabiliter præstitit malum consilium, quod fuit causa illius damni secuti: Siquidem actiones, quæ ex ignorantia crassa procedunt in iis, quæ pertinent ad proprium statum, & professionem, maxime si sint damnosæ, imputantur ignoranti, seu consulenti illas ob culpam, cum ex vi proprii status teneretur scire, & in consulendo seu respondendo errorem, vel negligentiam vitare; adeoque si ex ignorantia crassa, vel culpa lata consuluerit, & ex consilio damnum secutum fuerit, tenebitur ad compensationem, seu restitutionem. *Communis*, per textum in *cap. Si culpa tua 9. De injuriis, & damno dato*, ibi: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata ...... aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, Jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam*. 25

Si

26 Si autem consulens non sit persona, quæ ratione status, vel muneris sui peritiam rei consulendæ profiteatur, non obligatur ex malo consilio, nisi doloso, idest nisi scienter, & fraudulenter alterum ignorantem circumveniat. *Communis*, textu expresso in *cap. Nullus* 62. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*; & *l. Consilii* 47. *ff. de Regul. Juris*, ibi: *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est*. Quod omnes intelligunt de consilio libere dato ab amico v. g. non ex Officio debito.

27 Consulens dans consilium falsum, & damnificativum, seu nocivum sine expressione utilitatis inde resultantis, verb. grat. quando consilium dat solum *ad sciendam veritatem*, an aliquis contractus sit illicitus, an talis medicina sit salubris, & hujusmodi? si ante executionem revocet dictum falsum, malum, & nocivum consilium, liberatur ab obligatione restitutionis, quamvis damnum adhuc sequatur; Tunc enim consulens revocans datum falsum consilium fatendo se esse deceptum, aufert totum motivum, totamque causam, quam dederat pro damno inferendo; Unde si non obstante tali revocatione, adhuc alter velit agere contra ipsam revocationem, non erit cur ipse consulens obligatus remaneat ex illa actione, cum tunc non consulentis auctoritate, & motione, sed sua dumtaxat malitia, vel privata sua opinione executor moveatur. *Communis*.

28 Si autem consulens dederit consilium nocivum, seu damnificativum expressa, seu proposita damnificationis facilitate, utilitate, ac securitate, & hujusmodi, tunc licet revocet suum consilium ante executionem, si consultus a tali sibi antea proposita utilitate motus adhuc operetur, & damnum inferat, non liberatur dictus consulens ab obligatione restitutionis; Tunc enim illa utilitas, facilitas, & securitas, quam proposuit, & docuit consulens resultare ex illo opere, prout revera resultat, adhuc pergit movere operantem ad executionem illius operis, non obstante tali revocatione, adeoque cum consilium adhuc maneat causa efficax damni, adhuc consulens manet obligatus ad restitutionem. Sic Communior Doctorum sententia cum Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 21. Lessio *lib.* 2. *de Justit. & Jur. cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 16. Carden. *in* 2. *Crisi dis.* 23. *num.* 135. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *n.* 28. Rosignol. *de restitut.* 1. *prænot. XII. sect.* 2. *num.* 11. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 2. *conclus.* 2. & aliis pluribus contra Petrum Navarrum, Salonium, Filliucium, & alios.

29 Nec valet dicere, quod sicuti revocatio mandati, serio & sufficienter intimata liberat Mandantem ab obligatione restitutionis, ita etiam revocatio consilii debet liberare a tali obligatione Consultorem. Non valet, inquam, propter magnam disparitatem, quia Mandatarius non agit suo, sed Mandantis nomine, & consequenter ubi mandatum revocatum est, non amplius Mandans influit in actionem. At vero qui consilium recipit, non agit Consultoris nomine, sed suo propter motivum utilitatis, commoditatis, vel voluptatis a consulente in opere injusto patrando sibi propositum, verb. grat. propter sibi propositam decoram vindictam in consulto homicidio, propter evitationem infamiæ in consulto abortu, propter utilitatem in consulto facili, & commodo furto, & hujusmodi, & ideo quamvis Consultor millies dixerit alteri, *nolo ut utaris dicto meo consilio*, cum adhuc perseveret propositum motivum dictæ decoræ vindictæ, evitationis infamiæ, utilitatis, & commoditatis furti a consultore alterius menti impressum, ad hoc re ipsa, non obstante tali revocatione, Consultor efficaciter influit in opus injustum patrandum, & damnum tertio inferendum, adeoque obligatur adhuc ad restitutionem, & compensationem.

Consulens furi efficaciter parato auferre a Joanne 30
100. ut ab eodem auferat solum 50. non tenetur ad ullam restitutionem, cum directe non concurrat ad damnum inferendum, sed potius præcise ad gravius damnum impediendum, & commodum Joanni afferendum sic utiliter rem ejus gerendo. *Communis*.

Si autem furi efficaciter parato auferre a Joanne 31
100. consulat, ut auferat 50. a Petro, de quo non cogitaverat, tenetur resarcire damnum Petro illatum per tale suum consilium, quia licet commodum procuraverit Joanni, fecit tamen cum detrimento Petri, cui tale detrimentum non pervenisset, si ipse sic non consuluisset, adeoque tenetur ad ejus compensationem. *Communis*.

Si furi efficaciter parato furari alicui indetermi- 32
nato consulat quis, ut furetur Titio, tenetur resarcire damnum Titio illatum per tale consilium, cum sit vera causa, cur hic determinatus damnificetur.

Si fur determinatus sit furari vel diviti, vel pau- 33
peri, licitum est consulere, ut furetur potius diviti, quam pauperi, non determinando ullum divitem in particulari, quia sic non determinatur voluntas furis ad damnum alicujus, sed tantum avertitur a majori peccato, & damno, cum ceteris paribus majus sit peccatum, & damnum furari pauperi, quam diviti. *Sic Communis Doctorum*.

Item si fur determinatus sit furari vel alicui par- 34
ticulari diviti, vel particulari pauperi, v. g. Titio diviti, vel Cajo pauperi, & non possit nisi alterutrum impediri, licet consulere, ut furetur Titio diviti, & non Cajo pauperi, evitando sic majus malum, peccatum, & damnum; Tunc enim sic consulens directe non cooperatur ad damnum inferendum Titio, sed solum furi explicat veritatem aliquam certam, & utilem, scilicet minus peccatum & damnum esse furari ditiori, quam egentiori. *Ita etiam Communior Doctorum*. *

Per

Notæ Romanæ Theologi.

* Sed in praxi nullo modo hujusmodi consilia sunt danda, sed absterrendi potius perditi homines a quocumque furto.

35 Per ly *Consensus* venit omnis ille, qui consentiendo efficaciter influit in alterius damnum, *Communis*.
36 Hinc consentiens consensu efficaci in damnum alicui inferendum, sine quo consensu alii non possent, vel non vellent tale damnum inferre, tenetur una cum aliis cooperantibus ad restitutionem, & compensationem talis injustæ damnificationis. *Communis*.

37 Consentiens sententiæ iniquæ, bello injusto, electioni personæ indignæ, aut minus dignæ, si in ipsis requirantur vota, seu suffragia omnium, seu plenitudo votorum, tunc omnes tenentur ad compensationem damni ex consensu, & voto suo iniquo secuti: in tali enim casu omnes efficaciter causant illud damnum, & consequenter omnes etiam tenentur ad compensationem. *Communis*.
38 Si autem non requirantur omnium vota, seu suffragia, sed solum vota, seu suffragia majoris partis, ut passim in similibus currit, tunc postremi consentientes per suum suffragium, potsquam sufficiens numerus suffragatus est dictæ iniquæ sententiæ, bello injusto, electioni personæ indignæ, aut minus dignæ, & similibus iniquis, & injustis actionibus, non tenentur ad restitutionem, quamvis peccent sic suffragando. Sic Navarrus *in Manual. cap.* 87. *num.* 21. Lessius *lib.* 2. *de Justit. & Jur. cap.* 13. *dub.* 5. *num.* 23. Cajetanus *in Summa verb. Restitutio cap.* 1. §. *Consensus*; Rosignolus *de restitutione* 1. *prænot.* 12. *sect.* 3. *num.* 2. Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 13. Petrus a Navarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 4. *num.* 33. *& seq.* Molina, Vasquez, Layman, & alii passim contra Medinam, Cordubam, & paucos alios: Et ratio est, quia dicti postremi consentientes non fuerunt causa damni cum jam ante suam suffragationem, & votationem sufficiens, & efficax causa damni fuerit posita.

Si vero dicti postremi consentientes cognoscere non possint, sed dubitent, an suo, vel priorum suffragantium voto fuerit causata talis iniqua & injusta læsio, ex quo vota fuerint secreta, tunc probabilius tenentur una cum aliis ad compensationem damni pro rata dubii; Petrus a Navarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 4. *num.* 38. Rosignol. *loc. cit. num.* 4. Sporer *loco citat. num.* 36. & cum aliis congestis Molina *tract.* 2. *t.* 2. *disp.* 736. *num.* 6. Lugo *disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 22. & alii; Et ratio est, quia ipsi dederunt operam injustæ actioni, ex qua consecuta est illa damnificatio, seu læsio, adeoque, si cognosci non possit, an ab ipsis potius, quam ab aliis suffragantibus completa fuerit illa actio prout damnosa, omnibus ad ratam erit imputanda, & consequenter singuli tenebuntur pro rata parte ad compensationem, cum non sit major ratio de uno quam de alio. 39

Item probabilius tenentur ad compensationem; seu restitutionem postremi consentientes, seu suffragantes post majorem partem, si sperent contradicendo posse sua auctoritate, vel gratia a tali iniqua sententia, vel indigna & injusta electione, seu damnosa actione alios revocare, seu removere. Sporer *loc. cit. num.* 31. Navarr. *in Manual. cap.* 17. *num.* 21. *vers. Ex his sequitur*, Lessius *citat. lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 2. *num.* 24. Rosignol. *loco cit. num.* 7. Layman 3. *lib. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 3. *resol.* 5. & alii plures. Et ratio est, quia in iis, in quibus statur majori parti suffragantium juxta *l. Quod major* 19. *ff. Ad Municipalem*, *& cap. Cum in cunctis* 1. *de his*, *quæ fiunt a majori parte Capituli*, singuli suffragantes tenentur ex Officio proprio, & ex justitia nihil non moliri, ut feratur justa sententia, aut fiat electio dignioris, & damnum omne, quod prævident, 40

Responsio Auctoris.

Vere quidem sunt prius absterrendi perditi homines a quocumque furto. Sed quid, si fur, non obstante quocumque terrore sibi incusso remaneat adhuc obstinate determinatus ad furandum, vel diviti, vel pauperi, & nequeat ab alterutro averti, ut clare supponit mea conclusio? Nonne consulens in tali casu, majus malum esse pauperi furari, quam diviti, gerit utiliter rem Dei & furis, ipsum furem avertendo a majori malo, & a majori offensa Dei? Tunc enim proprie non consulit damnum & peccatum, sed potius imminutionem peccati, & evitationem majoris damni, ad quod fur erat obstinate determinatus, quamvis enim illicitum sit facere malum ut eveniant bona, non est tamen illicitum obstinate determinato ad majus malum consulere minus, cum non possit alterum, seu utrumque impediri. Et hujusmodi consilia tamquam licita absque onere restitutionis admittit etiam Antoine *tract. de Justitia & Jure cap.* 4. *quæst.* 7. §. 2. *resp.* 3. quamvis *ibi* præscindendo a circumstantia divitis & pauperis recte dicat: *At tenetur ad restitutionem, si parato majus damnum inferre Paulo consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non statuerat inferre.* (*) Ut percipiatur quid doceat Antoine, integra ejus verba describenda sunt. Sic igitur habet: „ Qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, si consulit ut minus damnum eidem inferatur, cui inferendum erat majus. Quia per hoc consilium nullum damnum alteri infert; imo majus impediendo, utiliter rem ejus gerit, & tunc proprie non consulit damnum, sed potius imminutionem damni, seu evitationem majoris damni. At tenetur, si parato majus damnum inferre Paullo, consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non statuerat inferre. Quia consilio suo est caussa injusta damni Petro illati, & injuriam infert Petro: nam quivis innocens habet jus ne sibi inferatur damnum; etiam ad avertendum majus alterius. Et vero Petrus tam habet jus ut servetur illæsus a minori illo damno, quam Paullus ut servetur illæsus a majori. Excipe, nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex caritate illud pati ad impediendum majus damnum Paulli, quia tunc non est rationabiliter invitus; „ Ex his autem non sequitur standum non esse sententiæ Censoris Theologi ajentis in praxi nullo modo hujusmodi consilia esse danda, sed absterrendos potius perditos homines a quocumque furto, quibus verbis respicit ad ea quæ Lucius num. 33. & 34. tradit. (*)

dent, impedire si possint, adeoque si id possunt, & non præstent, sed potius per suum suffragium concurrant ad illas actiones, ex quibus damnum consurgit, cum sint causæ partiales illius damni, tenentur pro rata parte ad illius compensationem. *

41 Immo aliqui volunt, quod postremi consentientes, si prævideant priores non esse suffragium retractaturos, adeoque indignum esse promovendum, & hujusmodi, non possint suffragari pro indigno, pro iniqua sententia, & hujusmodi, quia dicunt ipsi, tam postremi suffragantes, quam priores concurrunt ad electionem, seu sententiam iniquam, cum res concludatur, & executioni mandetur non tantum nomine priorum, sed omnium, qui pro illa suffragati sunt. Sic Henno *tom.2. tract.1.disp.4. quæst.3.conclus. 2.* Medina Jo. *de restitution. quæst.7. ad quintum*, Corduba *in Summa quæst. 191.* & alii: Plurimi tamen communius defendunt contrarium. (*) Verum mihi priorum sententia non modo tutior, sed etiam probabilior videtur. (*)

42 Priores ferentes suffragium pro sententia, aut electione iniqua, & hujusmodi peccant graviter, & tenentur ad compensationem, seu restitutionem, quamvis certo sciant alios independenter a suo suffragio talem iniquam sententiam, aut electionem, & hujusmodi esse conclusuros. Sic Sporer *loc. cit. num. 31.* Henno *loc. cit. conclus. 1. resolut. 4.* Cajetanus *in Summa verb. Restitutio cap. 1. §. Consensus*, Lessius *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 13. dub. 3. n.23.* Petrus a Navarra *lib. 3. de restitut. cap. 4. num.36.* Molina *tract. 2. tom. 3. disput.723. num.3.* Rosignol. *loc. cit. num. 6.* Lugo *disput. 19. num. 19.* La Croix *lib. 3. part.2. num. 35. & 49.* cum aliis ibi citatis, & alii plures. Et ratio est, quia ipsi priores de facto influunt ad damnum necdum positum, & quamvis sine suffragio priorum adhuc alii subsequentes conclusissent iniquam sententiam, & electionem, & causassent injustam damnificationem: tamen non tollitur, quin ipsi priores, quantum fuit ex se, causam efficacem contulerint iniquæ sententiæ, & electionis, seu injustæ damnificationis, & concurrerint positive ad eam læsionem, & licet sine ipsis id fieret, tamen sine ipsis non est factum.

43 Nolens suffragari in iis circumstantiis, in quibus prævidet defectu sui voti aliquem esse injuste condemnandum, aut indigne promovendum, peccat graviter, & obligatur ad restitutionem, quia cum possit in iis circumstantiis suo voto impedire dictam injustam condemnationem, aut indignam promotionem, si ipse suum votum non ferat, censetur concurrere, & consentire tali injustæ condemnationi, aut indignæ electioni, per text. *in cap. Qui tacet 43. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Qui tacet, consentire videtur*, & concordat *l. Soluto Matrimonio*, & faciunt dicta *supra num. 40.*

Per ly *Palpo* venit omnis ille, qui laudando, adulando, extollendo, plaudendo, commemorando alicujus nobilitatem, generositatem, excellentiam, vires, & hujusmodi, vel exagerando acceptam injuriam, dedecus, & contemptum, & hujusmodi, aut irridendo, vituperando, exprobrando alterius ignaviam, vecordiam, pusillanimitatem, & hujusmodi, & consimiliter faciendo, alterum efficaciter incitat, & movet ad actionem injustam, vindictam, vel quodvis damnum inferendum tertio, quod sine tali palpatione non intulisset. *Communis*. 44

Hinc taliter Palpans, si efficaciter influat in damnificationem alterius tamquam vera causa actionis injustæ, graviter peccat contra Justitiam, & tenetur ad compensationem, seu restitutionem damni causati per suam iniquam palpationem. *Communis*. 45

Per ly *Recursus*, venit omnis ille, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem hospitio recipiendo, defendendo, protegendo, instrumenta servando, furta, seu prædas emendo, custodiendo, & hujusmodi, præbet securitatem, aut commoditatem ad perpetrationem operis injusti; sicque efficaciter in causa est, ut damnum injuste inferatur, aut injuste illatum non restituatur. *Communis*. 46

Hinc talem recursum præbentes, si ratione illius Recursus, vel receptionis revera damnum sequatur alias non secuturum, peccant graviter contra Justitiam, & tenentur ad restitutionem. Tales enim sunt veræ causæ actionis injustæ, & positive efficaciter cooperantes ad damnum injuste illatum, & injuste non compensatum. *Communis* per text. *l. Quo naufragium fit 3. ff. de incendio §. 3.* ibi: *Non tantum autem qui rapuit, verum is quoque qui recepit, ex causis suprascriptis tenetur, quia receptores non minus delinquunt, quam aggressores*, & concordat *l. Qui vas 48. §. 1. 2. & 3. ff. de furtis*: *l. Eos 14. Cod. de furtis, cap. Si res aliena 1. Caus. 14. quæst. 6.* ubi ex verbis Sancti Augustini sic expresse ha- 47

Notæ Romani Theologi.

* Si damnum possint impedire, & non præstent, utique tenentur ad compensationem in solidum, non pro rata solum parte.

Responsio Auctoris.

At mea conclusio, ut ex *n. præced. & seq.* potest colligi, supponit, quod possint solum impedire pro sua parte, & non in totum; si enim singulorum concursu sublato, adhuc fieret totum damnum, singuli non tenebuntur ad totum, sed tantum ad partem, quia singuli non posuerunt nequidem moraliter vim causativam totius damni, solummodo autem singuli tenerentur in solidum ad totum, si singulis non concurrentibus, damnum non poneretur, quia in tali casu, cum singuli potuissent, & debuissent impedire non dando suum concursum, reipsa singuli essent causa moraliter adæquata totius damni, adeoque tunc singuli tenerentur ad totum in solidum.

betur: *Illud vero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne mala ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis.*

48 Per ly *Participans* venit omnis ille, qui participat in injusta damnificatione proximi, sive ratione rei acceptæ, sive ratione injustæ acceptionis. *Communis.* Participans *ratione rei acceptæ* est, qui partem furti, seu prædæ recipit, aut consumit, & hic si mala fide receperit sciens rem esse furtivam, tenetur illam, si adhuc existat, vel æquivalentem, si non amplius existat, restituere, quamvis non sit inde factus ditior; Si autem bona fide receperit existimans recepisse a vero domino, tenetur rem adhuc existentem restituere, & si res amplius non existat, solum id, in quo factus est ditior. *Com-*
50 *munis.* Participans ratione *injustæ acceptionis*, est qui quocumque auxilio præstito alteri ad damnum inferendum formaliter cooperatur, ut qui ad furtum instrumenta porrigit, scalas defert, claves adulterinas efficit, furem defensionis causa comitatur, excubias agit, portas aperit, aut effringit, prædas, & furta asportat, & hujusmodi; Item Notarius conficiens instrumenta usurarum in gratiam usurarii, vel scribens sententiam aperte iniquam, ex vi cujus facienda sit executio, vel conficiens falsa instrumenta, seu testamenta in gratiam heredum, vel aliorum contra expressam mentem disponentium, seu testantium; Et quilibet istorum, si per actionem injustam, & ab intrinseco malam, concurrerit, tenetur ad restitutionem juxta modum concursus: Sunt enim de facto efficaces cooperatores ad alterius damnificationem. *Communis.*

51 Dicitur autem notanter: *Si per actionem injustam, & ab intrinseco malam concurrerit*, quia in damnificationem duplex actio intervenire potest. Una scilicet injusta per se, & ab intrinseco mala, ut juvare ad ipsam occisionem, vulnerationem, effractionem, ablationem, vel asportationem rei alienæ, & qui sic participat cum injuste damnificante in actione injusta per se, & ab intrinseco mala, inexcusabiliter peccat, & semper tenetur ad resti-
52 tutionem. *Communis.* Alia per se indifferens, & non ex natura sua intrinseca, sed solum ex iniqua intentione, & applicatione alterius mala, ut scalas ferre, prædam asportare, & hujusmodi, & qui participat in tali actione voluntarie, & libere, peccat, & tenetur ad restitutionem; Si autem participet in tali actione coacte, ut ex gravi metu mortis, mutilationis, atrocis verberationis, aut similis mali, aut ob aliam gravem, & justam causam, liber est a peccato, & ab onere restitutionis, quia actionem de se indifferentem exercere ad bonum finem per se licitum est; talis autem exercet dictam actionem ad bonum finem, scilicet ad vitam propriam conservandam, & supradicta gravia damna evitanda, adeoque &c. *Communis.* *

Hinc excusantur a peccato, & a debito restitu- 53
tionis rustici, qui post injustam deprædationem angariantur a militibus, aut prædonibus, ut currus, equos, immo ut se ipsos accommodent ad asportanda spolia; gravi enim metu, & periculo excusati non inferunt dominis formalem injuriam, cum censeantur in tali casu rationabiliter inviti. Item excusantur a peccato, & a debito restitutionis, qui metu mortis, aut alterius gravis mali coacti præbent furibus claves, vel instrumenta ad effringendas fores, vel areas, & hujusmodi; Tales enim actiones de se sunt indifferentes, & ex sola furum malitia alium damnificant. Item excusantur a peccato, & a debito restitutionis Christiani captivi, qui metu mortis remigare, arma, & sarcinas asportare, propugnacula extruere coguntur pro Turcis contra Christianos. Tales enim actiones sunt de se indifferentes, & ex sola Turcarum malitia ad Christianorum damnificationem ordinantur. Non excusarentur tamen dicti Christiani etiam metu mortis, si bellica tormenta contra Christianos exploderent, sagittas emitterent, ipsosque occiderent, quia istæ, & similes actiones sunt per se, & ab intrinseco malæ propter belli injustitiam, unde nullo fine possunt excusari. *Communis.*

Quid dicendum de Officialibus bellicis, & mili- 54
tibus, qui injuste concurrunt, & cooperantur sive mandato, consilio, consensu, conniventia, aut etiam non obstando ad injustas Civitatum, & Oppidorum expoliationes, segetum, & vinearum devastationes, injustas exactiones, & hujusmodi? Vide verb. *Bellum art. 3. per totum.*

Per ly *Mutus* venit omnis ille, qui cum posset, 55
& deberet loqui contradicendo, dissuadendo, prohibendo, clamando ante damnum factum ad illud impediendum, tamen non loquitur, non clamat, non contradicit, non scribit, non prohibet. *Communis.*

Per ly *Non obstans* venit omnis ille, qui cum 56
possit, & debeat ipso facto damnum impedire, tamen non impedit, non defendit, non repellit, aut alia actione non avertit malum, cum de facto infertur. *Communis.*

Per ly *Non manifestans* venit omnis ille, qui post 57
damnum jam illatum, non denunciat, seu non revelat damnificantem, vel locum, in quo reposita est res ablata. *Communis.*

Mu-

Notæ Romani Theologi.

* Licet non peccet, non sequitur semper, non teneri eum ad restituendum; nam si quis auferat rem quam suam esse existimet, non peccat, sed restituere eam debet, cum alterius esse deprehendit.

Responsio Auctoris.

Sed hic nihil contra meum assertum, nedum enim mihi, sed & lippis & tonsoribus notum est, quod si quis auferat rem, quam suam esse existimet, non peccat, sed restituere debet, cum alterius eam esse deprehendit.

58 Mutus, non obstans, non manifestans, si ex Justitia, scilicet, ex Officio, vel contractu obligati sint impedire damnum alterius, & non impediunt, cum possunt, tenentur ad damni secuti compensationem, seu restitutionem; Secus autem si obligati sint solum ex Caritate. *Communis*. Et ratio est clara, quia obligatio restituendi oritur solum ex violatione Justitiæ, & non ex violatione Caritatis; ergo solum illi tenentur ad restitutionem, qui cum possunt, non impediunt alterius damnum, quod tenentur impedire ex Justitia, & non illi, qui illud impedire tenentur tantum ex Caritate.

59 Obligati ex Justitia ad impediendum alterius damnum excusantur a gravi culpa, & ab obligatione restitutionis, si non impediant propter periculum gravis damni proprii majoris, aut æqualis, uti est jactura gravis rei familiaris, famæ, vel honoris, & præsertim vitæ, Scot. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *vers. Illo de quarto*, Covarr. *ad Regul. Peccatum* 2. *part. n.* 5. §. 3. Adrianus *in* 4. *de restit. in communi*, §. *Concurrentibus*; Navarr. *in Manual. c.* 17. *num.* 18. *&* *num.* 135. S. Antoninus *secund. part. tit.* 1.*c.*12. §.7. Angelus verb. *Furtum* §. 26. Tambur. *lib.* 8. *tract.*4. *c.* 2. §. 6. *num.* 6. Molina *loc. cit. disp.* 735. *num.* 1. Sporer *loc. cit. num.* 5. Rosign. *loc. cit. n.* 6. Henno *loc. cit. q.* 5. *conclus.* 1. *circa fin. resol.* 1. & alii passim; Et ratio est, quia ordinarie non assumuntur hæc Officia, nec ineuntur hæc pacta impediendi aliorum damna cum tanto onere, & periculo damni proprii majoris, vel æqualis; Nisi quid amplius speciale pactum exposcat, ut in milite tempore belli, & Parocho tempore pestis, vel subversionis suarum ovium. Unde recte docet Scotus *cit. distinct.* 15. *q.* 2. quod ad restitutionis onus tria requiruntur. I. quod possit quis damnum alterius impedire sine gravi vitæ, & honoris, aut rei familiaris nocumento. II. quod debeat impedire. III. quod ex Justitia.

60 Obligati ad impediendum alterius damnum solum ex Caritate non tenentur ad restitutionem, etiamsi non impediant ex dolo, vel malitia, odio, seu vindicta; S. Antoninus 2. *part. tit.* 1. *cap.* 32. §. 13. Navarrus *c.* 17. *num.* 18. *& n.* 136. Medina Jo. *de restit. quæst.* 9. *vers. Primus modus*; Petrus a Navarra *lib.*3.*de restit. cap.* 4. *num.* 131. Bartholom. Medina *in sua Institut. lib.* 1. *cap.* 14. §. 21. Sporer *loc. cit. num.* 52. Rosignol. *loc. cit. num.* 6. & alii: Et ratio est clara, quia odium non est causa restitutionis, sed injustitia commissa: In tali autem casu nulla est injustitia commissa, quia nulla fuit obligatio impediendi damnum ex Justitia, sed solum ex Caritate, ut expresse loquitur conclusio, adeoque &c.

61 Nec valet objicere textus Canonicos *in cap. Pasce* 21. *dist.* 86. ibi: *Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti*; *cap. Non inferenda* 7. *caus.* 23. *q.* 3. ibi: *Qui enim non repellit a socio, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit*, *c. Sicut dignum* 6. §. *Illi etiam, de Homicidio*, ibi: *Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, eum occidit*.

62 Non valet, inquam, quia relati, & alii similes textus Canonici intelligendi sunt quantum ad æqualitatem culpæ, non vero quoad obligationem restituendi, nisi respectu personarum, quæ ex Justitia tenebantur, ejusmodi mala avertere, & impedire; Personæ autem, quæ ad id tenentur solum ex Caritate, quamvis id omittentes graviter peccent contra caritatem, non tenentur tamen ad ullam restitutionem, cum non peccent contra Justitiam.

(*) Traditam ab Auctore doctrinam de illo qui ex odio non impediat, cum possit, nimirum quod ad restitutionem non teneatur, limitat Cuniliati tract. IX. de VII. Decal. Præcepto cap. V. §. XIV. num.II. I. tom. pag. 398. „ in casu quo qui vult „ damnum inferre, ex quo noverit odium tuum, „ confidens, te non manifestaturum, impeditu- „ rum &c. liberius inferat damnum, quod alioquin, „ te vidente non inferret, aut longe minus; tunc „ nisi clames, impedias, sine tuo damno mani- „ festes, censeris cooperari, non tamquam Mu- „ tus, sed ut consentiens in damnum, quod ex „ odio tuo alii inferunt, alioquin non illaturi: & „ hinc tenereris ad restitutionem. „ (*)

Principes, Magistratus, Gubernatores, Prætores, ac Duces belli, si non impediant damna subditorum, tenentur ad restitutionem omnium damnorum sua culpa, & negligentia secutorum. *Communis*; Ipsi enim obligantur lege Justitiæ commutativæ ad impedienda damna subditorum, cum stipendia, & reditus recipiant ad hunc effectum tamquam conducti a Republica; Unde si non impediant damna, quæ possunt, & debent, non solum violant legem Caritatis, sed etiam legem rigorosæ Justitiæ, adeoque tenentur ad restitutionem. Vide verb. *Bellum art.* 2. *&* 3. 63

Item ad restitutionem tenentur Tutores, Curatores, Administratores bonorum non impedientes damna Pupillis, Minorennibus, Ecclesiis &c. provenientia. *Communis*; Ipsi enim ad id tenentur ratione sui Officii, eo quod a potestate publica, aut consuetudine sic communiter recepta illud onus eorum Officio sit annexum. 64

Item ad restitutionem tenentur Advocati, & Procuratores non impedientes damna suis Clientibus obvenientia. *Communis*; ipsi enim ex vi proprii muneris tenentur suorum Clientum detrimenta impedire, quantum possunt, cum ad id sint conducti, & mercedem, seu stipendia recipiant. Vide verb. *Advocatus*. 65

Item ad restitutionem tenentur Assessores, Canonici, Electores, Consiliarii, qui vel tacendo, vel se absentando, cum possint, non impediunt iniquam Constitutionem, injustam & indignam electionem, & hujusmodi. *Communis*. Ad id enim tenentur isti ratione proprii muneris. Vide dicta *supra n.* 43. 66

Item ad restitutionem tenentur famuli, domestici, seu ancillæ, quibus cura, seu custodia specialis domus, aut rei familiaris commissa est, si non impediant furta, aliaque damna, quæ dominis inferuntur, sive ab extraneis, sive a conservis, vel condomesticis. *Communis*. Ipsi enim ex suo Officio, adeoque ex Justitia tenentur, quantum possunt, talia damna impedire, cum ad id sint conducti, adeoque si non impediant, tenentur ad restitutionem. Vide verb. *Famuli*. 67

Alii famuli, seu ancillæ, quibus ejusmodi specialis 68

lis cura non est demandata, tenentur probabilius ad restitutionem, si non impediant damna, quæ dominis inferuntur ab extraneis. Lugo *disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 106. Rosignol. *loc. cit. num.* 17. La Croix *l.* 3. *par.* 3. *num.* 46. cum Navarr. & aliis ibi citatis, Sporer *loc. cit. num.* 57. cum Petro a Navarra, Lessio, & aliis ibi citatis, Henno *loc. cit. qu.* 5. *conclus.* 2. *resol.* 4. & alii plures contra Molinam, Azorium, Bonacinam, Rebell. & alios; Et ratio nostra est, quia eo ipso, quod in famulatum recipiuntur, censentur obligari ad res Dominorum ab injuriis extraneorum defendendas, & custodiendas, cum sint mercede conducti ad commodum, & utile eorumdem Dominorum, adeoque obligantur ad restitutionem, si cum possint eorum damna impedire, culpabiliter non impediant.

69 Non tenentur tamen dicti famuli, seu ancillæ ad restitutionem, si non impediant damna, quæ Dominis inferuntur a conservis, vel condomesticis. *Communis*; Isti enim cum certa mercede conducuntur a Dominis ad suum famulatum, non censentur se obligare ad custodiendas res Dominorum contra alios conservos, & domesticos, nisi hæc specialis custodia sit eis demandata, & conventa. Cum enim omnes in eadem Domo cohabitent, nimis difficile est, quod unus servus variis aliis curis distractus possit aliorum conservorum furta præcavere; Unde a prudentibus Dominis solet unus ex famulis sibi benevisus ad hoc munus custodiæ specialiter deputari, qui ex dictis *supra num.* 67. tenetur ad restitutionem damnorum sua negligentia Domino illatorum, sive ab extraneis, sive a conservis, seu condomesticis.

70 Custodes conducti ad impediendam venationem, piscationem, lignationem, agrorum, & vinearum damnificationem, Gabellarum defraudationem, & hujusmodi, si non impedierint, vel manifestaverint, tenentur ad compensationem damnorum inde directe secutorum. *Communis*; Isti enim sunt ad id conducti, unde si in hoc suo munere, ad quod ex Justitia obligantur, deficiant, tenentur ad compensationem damnorum suo culpabili defectu Dominis illatorum.

71 Non tenentur tamen dicti Custodes ad restituendas pœnas, seu mulctas, quas Domini accepissent a delinquentibus, si ipsi Custodes eos accusassent, seu denunciassent; Talium enim Custodum Officium non est locupletare Dominos ex lucro pœnarum, seu mulctarum, sed solum defendere, custodire, & servare indemnes res suæ custodiæ commissas, cum initus suus contractus non extendatur ad mulctas procurandas, sed solum ad custodiendas, & indemnes servandas res sibi creditas; Lessius *lib.* 2. *de Justit. & Jure cap.* 13. *dub.* 10. *numer.* 73. Navarrus *cap.* 25. *num.* 34. Lugo *disp.* 37. *num.* 102. Silvester verb. *Restitutio* 2. *quæst.* 5. *dub.* 7. Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 6. *num.* 12. Rosignol. *loc. c. num.* 14. Henno *loc. cit. qu.* 4. *conclus.* 2. La Croix *loc. cit. num.* 48. Sporer *loc. cit. num.* 58. aliisque citatis, Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 64. & alii contra Petrum a Navarra, Joannem Medinam, Bartholomæum Medinam, Salonium, & alios.

Si fur donet alicui partem rei furtivæ ad hoc, ut taceat, tenetur illam Domino restituere, quia non erat furis, sed ejus, cui furatus est. *Communis*. Si autem fur donet ipsi aliquid de suo, non tenetur restituere illi, cui furatus est, quia sine injustitia potuit tacere, ut supponitur, nec tenetur restituere furi, quia turpe lucrum post opus impletum potest retineri, ut recte docet S. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. & Communis aliorum. * 73

Confessarius ex ignorantia crassa, seu ex malitia positive deobligans pœnitentem a restitutione quando tenetur, vel ipsum obligans quando non tenetur, positive suadens, seu docens aliquem contractum esse justum, quando revera est injustus, & usurarius, tenetur omnino ad compensationem damni secuti tertio. *Communis*; In tali enim casu Confessarius positive fuit causa efficax, & injusta dicti damni, adeoque tenetur ipsum compensare, & reparare. Vide dicta *supra n.* 25. 74

Confessarius non positive deobligans pœnitentem a restitutione, sed solum negative in quantum ex negligentia, sive ignorantia crassa, verecundia vel metu taceat, nec injungit pœnitenti restitutionem faciendam, ad nullam obligatur restitutionem; Confessarius enim ex Justitia erga tertium non tenetur admonere, aut positive impedire ejus damnum, sed ad summum ex Caritate: ** Læsio autem solius Caritatis non obligat ad restitutionem, adeoque &c. Ita Sporer *l. c. n.* 62. cum Valentia, Lessio, Sa, Fabro, Tannero, Layman ibi citatis, La Croix *l.* 6. *par.* 2. *num.* 1781. cum Suarez, Valentia, Azor. Sanchez, Filliuc. Rebell. Coninch. Malder. Bonacina, Arriaga, Aversa, Busemb. Lugo, Diana ibi citatis, & alii plures apud Moyam *t.* 3. *ad* 7. *q.* 4. contra Navarrum, Angelum, Rosellam, Molinam, Gabr. Silv. Moyam, & alios volentes Confessarium adhuc in tali casu teneri restituere, & consentit Lessius *l.* 2. *c.* 13. *num.* 77. & Rosignol. *l. c. num.* 18. *& seq.* si Confessarius sit Parochus; quia, dicunt ipsi, ex Officio tenetur Parochus suos Parochianos pœnitentes de tali obligatione admonere, & sic tacendo æquivalenter dicit non teneri restituere, quod maxi- 75

Notæ Romani Theologi.

* Dummodo tamen is tacendo non sit causa influens in furtum.

Responsio Auctoris.

At satis ego *ibi* demonstro, quod is tacendo non sit causa influens in furtum, dum dico expresse: *quia sine injustitia potuit tacere*; si enim is tacendo esset causa influens in furtum, jam non posset tacere sine injustitia.

** Assumpto onere audiendi confessiones, videtur teneri ex officio, ac proinde ex justitia.

maxime valet, si ex malitia studiose ideo taceat, ne pœnitens obligationem sciat, & restituat, quia in hoc casu alter habet Jus, ne per talem dolum fraudetur. * Qua studiosa malitia, & dolo interveniente nec ego ab hac sententia auderem recedere, quia fraus, & dolus, & malitia nemini debent patrocinium impertiri, *c. Ex litteris 2. de dolo, & contumac. c. Sedes 15. & c. Ex tenore 16. de Clericis non residentibus*; *l. In fundo, ff. De rei vindic. l. Cum hi, ff. de transact. l. Si Legatarius, Cod. De Legatis*, cum similibus, quamvis Sporer *loc. cit.* cum aliis excuset eum ab onere restitutionis, etiamsi ex malitia non moneat pœnitentem de tali obligatione restituendi.

77 Confessarius, qui bona fide, & absque culpa deobligat pœnitentem a restitutione, cum ad eam tenetur, vel obligat, quando ad eam non tenetur; per se loquendo non tenetur compensare damna causata, quia ubi culpa non est, neque debet esse pœna, textu expresso *in c. Cognoscentes 2. de Constitutionibus*, ibi: *Res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*: Cognito tamen errore, & comperta veritate tenetur ex Justitia admonere pœnitentem, La Croix *l. 3. P. 2. nu. 362. & lib. 6. part. 2. n.* 1780. Arragonius, Salonius ibi citati, & alii.

78 Testis a Judice vocatus, & interrogatus de damno ab altero illato, si scienter falsum testimonium dicat cum damno innocentis, tenetur ad compensationem damni ipsi causati. *Communissima*; Talis enim falsum dicendo cum damno tertii peccat contra Justitiam, adeoque onus restitutionis incurrit.

Si autem testis a Judice vocatus, & interrogatis, fuga, silentio, vel tergiversatione declinet, dissimulet, veritatem celet, non obligatur ad compensationem damni ex intermissione sui tesimonii parti innocenti, vel læsæ, vel nocenti secuti. Sic ex communi docet Molina *loco cit. disp.* 739. *num.* 6. Lessius *loc. cit. cap.* 30. *dub.* 8. *num.* 57. *& seq.* aliisque citatis, Layman *libr.* 3. *de Justitia tract.* 2. *c.* 5. *num.* 7. *in fine*, Rosignol. *loc. cit. n.* 21. *& seq.* Sporer *loc. cit. n.* 61. & alii passim; Et ratio est, quia in tali casu testis dissimulans, vel tacens veritatem non peccat contra Justitiam commutativam, cum pars læsa, vel innocens nullum habeat Jus cogendi ipsum ad exprimendam veritatem, sed solum peccat contra Caritatem erga innocentem, contra Obedientiam, contra Superiorem, vel Judicem vocantem, & interrogantem, & ad summum contra justitiam legalem, contra Communitatem, quod nullam inducit obligationem restituendi, cum talis obligatio oriatur solum ex violatione Justitiæ commutativæ, ut dictum est *supra n.* 3. ** 78

An ficti pauperes teneantur restituere eleemosynas acceptas? Vid. verb. *Eleemosyna*. 80

An, & quomodo adulteri teneantur restituere damna 81

Responsio Auctoris.

Ast advertendum, quod onus assumptum audiendi confessiones a simplici Confessario, est solum assumptum ex caritate, & non ex justitia: debet enim discrimen intercedere onus a Confessario Parocho assumptum inter & onus assumptum a Confessario simplici. Illud Parochi obligat ex justitia, quia a parochianis accipit ad id tamquam ex contractu decimas, & stipendia, seu præbendam parochialem, ob quæ ipse Parochus tenetur parochianos instruere ex justitia. Simplex autem Confessarius, cum nullum recipiat stipendium, nec ullum inierit ad id contractum cum pœnitentibus, tenetur solum illos instruere ex caritate, propter quam solummodo munus Confessarii libere quando voluerit a se exercendum sine ullo onere assumpsit; adeoque, cum nullimode violet in hoc casu justitiam, ad nullam tenetur restitutionem. Sic etiam ultra *ibi* a me allegatos tenet celeberrimus P. Antoine *de Pænit. cap.* 3. *q.* 10. *resp.* 3. Videatur etiam ad rem toties laudatus Alphonsus de Ligori *c.* 15. *punct.* 6. *num.* 123.

Notæ Romani Theologi.

* Si ex officio, tenetur etiam restituere, licet non ex malitia, quia deficeret in officio.

Responsio Auctoris.

Ast recurrit præcedens responsio. Tenetur quidem ad restitutionem, si deficiat in officio, ut Parochus, assumpto ex justitia, sed non si deficiat ut simplex Confessarius in officio assumpto ex mera caritate.

** Quoties est legitime inductus, videtur obligari.

Responsio Auctoris.

Nequaquam, idque propter solidam rationem *ibi* a me adductam, cum talis testis in dicto casu non violet justitiam, ex cujus solius violatione oritur obligatio restitutionis. Ipse enim testis legitime inductus, non comparendo non constituitur injustus, sed solum inobediens vel contumax, nec citatio illa imponit obligationem justitiæ ad comparendum, sed dumtaxat obedientiæ; ex violatione autem obedientiæ præcise, quando non est aliunde obligatio justitiæ, nemo tenetur ad restitutionem, cujus obligatio oritur solum ex violatione justitiæ. Videatur inter alios ad rem celeberrimus Rosignolus *de restit. num.* 1. *prænot.* 12. *sect.* 7. *num.* 21. & sequentibus, ubi id efficaciter probat, & solvit omnes objectiones.

damna causata ob sua adulteria? Vide verb. *Adulterium art.* 5.

82 An, & quomodo stupratores teneantur ad restitutionem pro stupro? Vide verb. *Stuprum*, *Stuprator*.

83 An parentes exponentes filios suos, sive legitimos, sive illegitimos in Hospitali, vel alio loco ad id deputato, vel in locis, ubi aluntur expensis Reipublicæ, seu Communitatis, vel ad ostium alterius, teneantur ad restitutionem expensarum pro ipsis factarum? Vide verb. *Parentes a numer.* 23. *ad* 31.

84 An inveniens infantem ante ostium suum, & illum ponens ante ostium alterius, teneatur ad restitutionem expensarum inde factarum? Vide d. verb. *Parentes n.* 32.

85 An, & quomodo Emptores, & Venditores teneantur ad restitutionem? Vide verb. *Contractus* Emptionis Venditionis *per tot.* & signanter *art.* 2. 3. *&* 5.

86 An, & quando possessor bonæ, & malæ fidei teneatur ad restitutionem? Vide verb. *Possessor bonæ, & malæ Fidei*.

87 An, & quando defraudantes Gabellas teneantur ad restitutionem? Vide verb. *Gabella*.

88 An, & quando pascentes animalia in alienis pascuis, vel lignantes in alienis Silvis, seu nemoribus teneantur ad restitutionem? Vide verb. *Pascua*.

89 An, & quando impediens aliquem a consecutione boni teneatur ad restitutionem? Vide verb. *Impediens*.

90 An, & quando fur ob furta minuta, & alia gravia teneatur ad restitutionem? Vide verb. *Fur*.

91 An, res inventæ, vel derelictæ restitui debeant. & quibus? Vide verb. *Dominium artic.* 3.

92 An, & quomodo Beneficiati teneantur ad restitutionem fructuum ob non recitationem Divini Officii? Vide verb. *Officium Divinum*.

93 An, & quando Canonici teneantur ad restitutionem fructuum ob non residentiam? Vide verb. *Canonicus art.* 5.

94 An, & quomodo facienda sit restitutio pro fama ablata? Vide verb. *Detractio*.

95 Alia ad rem. Vide verb. *Bellum art.* 2. *&* 3. verb. *Bona art.* 4. verb. *Culpa*, verb. *Damnificatio*.

Articulus II.

Quoad ea, quæ concernunt restitutionem pro homicidio, vel percussione, seu mutilatione.

1 INjustus, & voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenentur restituere omnia damna temporalia inde secuta. *Communis*. Qui enim causam damni dat, damnum dedisse censetur; *cap. Si culpa* 9. *de injuriis, & damno*, *l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. Ad legem Aquiliam*.

2 Hinc injustus, & voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenetur restituere omnes expensas rationabiliter factas ab occiso non statim mortuo, percusso vel mutilato pro cibis extraordinariis, pro Medicis, & medicinis, pro linteaminibus, & aliis in curatione necessariis, deductis tamen iis, quæ ipse, si sanus esset, insumpturus fuisset in suo victu ordinario. *Communis* per textum *in* §. 1. *Institut. de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur, & in leg. Cum liberi* 7. *ff. De his qui effuderint, vel dejecerint; cap. Si rixati* 1. *De injuriis & damno dato*.

Item restituere debet lucrum cessans, & damnum emergens ratione occisionis, vulnerationis, aut mutilationis, ut si interfectus haberet Officium proficuum, Beneficium, censum vitalitium, & hujusmodi, si vulneratus vel mutilatus esset opifex, sutor, sartor, & hujusmodi & pendente curatione, seu stante mutilatione, ver. gr. manus, aut pedis, esset inutilis ad consueta sua opera & lucra pro se, & sua familia sustentanda. *Communis*, per text. *in cit.* §. 1. *Institut. de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur, & in cit. leg. Cum liberi* 7. *ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint, cap. Si rixati* 1. *de injuriis, & damno dato*. 3

Item restituere debet damna omnia realia simul per accidens illata in bonis fortunæ, vel honoris, ut si latro hominem, vel ejus domum spoliasset, graviter diffamasset, si ejus domum effregisset, aliave damna intulisset, ad hoc ut eum occidere, vulnerare, seu mutilare posset. *Communis*. 4

Restituendæ tamen non sunt expensæ factæ pro funere occisi, quia tales expensæ aliquando faciendæ essent, cum aliquando deberet ille mori; Excipe tamen, nisi ratione necis illatæ, v. g. extra patriam in loco alieno majores sumptus fieri oportuisset, tunc enim restituendum erit pro excessu. *Communis* contra Navarrum *in Manuali cap.* 15. *numer.* 22. ubi nimis rigide dicit esse restituendas expensas moderatas juxta defuncti qualitatem, quia earum etiam fuit causa occisor. 5

An autem pro vita, membro, cicatrice sit aliqua facienda restitutio? Variant Doctores. Glossa enim *in cap. Si rixati* 1. *de injuriis, & damno dato*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 23. Vasquez *de restitutione cap.* 2. §. 3. *dub.* 6. Navarr. *in Manual. cap.* 24. *n.* 22. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 4. *c.* 6. *nu.* 2. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *numer.* 2103. Sporer *loco cit. num.* 221. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *numer.* 299. cum 44. aliis Auctoribus ibi relatis, Lugo *tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 1. *numer.* 5. & ipso teste Recentiores communiter tenent de rigore Justitiæ commutativæ nullam faciendam esse restitutionem præcise pro vita, membro, vel cicatrice relicta, cum nunquam sit obligatio restituendi in bono diversi generis. Notum est enim, quatuor esse genera, seu ordines bonorum. In primo genere sunt bona Animæ sive spiritualia. In secundo sunt bona vitæ, & membrorum. In tertio sunt bona famæ, & honoris. Et in quarto sunt bona externa, & temporalia fortunarum. 6

Unde pro hac sententia affertur inter alias hæc ratio a priori, quia Justitia commutativa habet pro objecto formali æqualitatem; respicit enim essentialiter æqualitatem inter Jus, & Jus, inter datum, & acceptum; quare ubi hæc æqualitas poni non potest, cessat tota obligatio Justitiæ commutativæ, & restitutionis. Hæc autem æqualitas nequit poni inter bona diversi generis, & ordinis, sive superioris, sive inferioris, cum solum bona ejusdem generis, & or- 7

& ordinis, secundum æqualitatem inter se commensurari possint, adeoque præcise pro vita corporali, vel membro abscisso nulla fieri debet de rigore Justitiæ commutativæ restitutio, neque per bona spiritualia, cum hæc sint diversi generis, & altioris ordinis quam vita corporalis; neque per bona temporalia cum hæc sint longe inferioris ordinis, quam ipsa vita, & integritas corporalis, quæ nullo pretio temporali est æstimabilis; textu expresso *in l. Præter. 1. §. 5. ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint*, ibi: *In homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest*, *l. Cum liberi 7. ff. eod.* ibi: *Liberum corpus nullam recipit æstimationem*. Et concordant *l. Ex hac lege 3. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, *l. Qua actione 7. & l. Liber homo 13. ff. Ad Legem Aquiliam*, cum similibus, in quibus omnibus aperte supponitur præcise pro vita, aut membro hominis liberi non esse aliquid restituendum. Quod, & clare indicat Sacra Scriptura *Exodi 21. num. 19.* ubi dicitur Percussorem fore innocentem, idest liberum, si percussus non moriatur; dummodo operas solvat, ac expensas in Medicos restituat, ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit, ita tamen ut operas ejus, & impensas in Medicos restituat*. Sic autem absolute non pronunciaretur liber, si de Jure, & in conscientia, ad quam dirigendam potissimum est Sacra Scriptura, teneretur etiam dare aliquid pro vulnere, vel mutilatione, & concordat text. *in cap. Si rixati 1. de injuriis, & damno dato* per eadem fere verba, ibi: *Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille murtuus non fuerit, si jacuerit in lecto, qui percusserit, operas ejus, & impensas in Medicos restituat*, ubi cum nulla mentio fiat de restitutione pro vulnere, sed pro solis operis, & expensis, significatur non esse talem obligationem. Et hanc sententiam ad longum inter alios defendunt, solvendo etiam contraria, Lugo *loc. cit. a num. 5.* & La Croix *loco citat. a num. 299.* ibi videndi.

8 Alii autem, & signanter S. Thomas *2. 2. qu. 63. art. 2. ad 1.* Scotus *in 4. dist. 15. qu. 3. num. 6.* Reiffenstuel *Theol. moral. tract. 9. dist. 3. qu. 4. num. 54.* Cajetanus, Gabriel, Adrian. Major. Angelus, Sotus, Azorius, Beja, Molina, Aloza, Tannerus apud La Croix *loc. cit. num. 299.* Silvester, Mercado, Armilla, Arragon. Corduba, Ludovicus Lopez, Covarruv. & Victoria apud Card. de Lugo *loc. cit. num. 4.* & alii apud ipsos, docent, etiam pro vita, membro, vel cicatrice relicta aliquam esse faciendam restitutionem, quamvis in diverso genere, & ordine bonorum, quam sententiam vere probabilem dicunt etiam Sporer *loco citat. num. 220.* La Croix *loc. cit. num. 299.* & alii plures ex citatis pro contraria opinione.

9 Et ratio hujus sententiæ inter alias est, quia cum non potest reddi æquivalens, debet reddi quod possibile est, ut recte dicit S. Thomas *2. 2. qu. 62. art. 2. ad 1.* *In quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit, quod ibi recompensetur quod possibile est .... & ideo quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquod æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri*. Et idem habet *in 4. dist. 15. qu. 1. art. 5. q. 2. ad 2.* Juxta enim commune scitum impossibilitas excusat a tanto, non autem a toto, nisi totum sit impossibile; Unde qui debet centum, & non potest dare centum, potest autem dare quinquaginta, certe tenetur ad quinquaginta; adeoque licet interfecto non possit pro vita sua reddi æquivalens in eodem genere, & ordine, cum id possit solus Deus, qui occidit, & vivere facit, debet ei reddi id quod est possibile, quamvis in diverso genere, & ordine, maxime aliquid, quod ei utile, vel gratum sit, ut Sacrificia, preces, eleemosynæ, aliaque suffragia, & consequenter homicida obligatur eo casu ex Justitia saltem ad talem restitutionem spiritualem, in quantum in iis potest esse compensatio in commodum occisi.

Tum quia occidens bovem, equum, aut canem 10
alienum, ultra peccatum commissum, tenetur ex Justitia etiam ad restitutionem, ut fatentur omnes, & tamen bona fortunæ sunt longe inferioris ordinis, quam ipsa vita corporalis; ergo multo magis obligatur ad restitutionem qui occidit, vel mutilavit hominem, cum vita, & integritas corporalis hominis sint bona altioris ordinis; alias melioris esset conditionis occidens, vel mutilans hominem, quam occidens, vel mutilans bovem, vel equum, seu canem, cum hic teneatur ad restitutionem, & non teneretur ille. Unde recte dicit Scotus *in 4. dist. 15. qu. 3. num. 6.* *Qui nec tantam restitutionem velit facere, non potest omnino esse immunis a restitutione, sicut quidam fatui faciunt, qui absolvunt homicidas non eis ostendentes restitutionem necessario incumbentem, quasi facilius possit transire homicida, quam (ut dicam) Canicida, vel bovicida, quia si quis occidisset bovem proximi sui, vel canem, non absolveretur sine restitutione; tenetur ergo ad restitutionem spiritualem æquivalentem vitæ, quam abstulit, sicut potest esse æquivalentia* Et Scotum videntur sequi S. Antoninus *2. part. Summæ Theol. tit. 2. c. 2.* ibi: *Quantum ad secundum, scilicet de mutilatione, dicit Scotus, quod pro hujusmodi non est statuta pœna in Ecclesia, nisi pecuniaria*; & S. Bernardinus Senensis *Serm. 36. in feria 3. post Dominicam 4. Quadragesimæ art. 2. cap. 2.* ibi: *Talis mutilans (secundum Scotum) obligatur . . . ad satisfactionem afflictionis illius mutilati; quæ sibi perpetua est, cum vivere sine oculis, aut sine manu triste sit, & maxima pœna; Propterea tenetur ei ad alia superimpendenda, ex quibus onera, & tristitias, quas ex tali læsione incurrit, consolabilius, atque levius ferre possit*.

Et ad hæc faciunt textus in Sacra Scriptura, 11
Exodi 21. num. 22. ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint*, ex quibus verbis patet, quod pro vita prolis occisæ debet fieri compensatio pecuniæ. Item *ibidem num. 26.* *Si percusserit quispiam oculum servi*

vi sui, *aut ancillæ*, *& luscos fecerit*, *dimittet eos liberos pro oculo*, *quem eruit*, ibi enim statuitur, usum oculi eruti esse libertate compensandum. Concordat etiam textus in Jure Civili, *l. Prætor ait*, *ff. de his*, *qui effuderint*, §. 5. ibi: *Cum liber homo periit*, *damni æstimatio non fit in duplum*, *quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest*, *sed quinquaginta aureorum condemnatio fit*; ubi, ut sonant allata verba, homicida propter homicidium condemnatur ad dictam pecuniæ summam solvendam, *l. Prætor edixit* 7. *ff. de injuriis* §. 6. ibi: *Posse hodie de omni injuria*, *sed & de atroci civiliter agi*, *Imperator rescripsit*, ex quo textu patet dari actionem Civilem ad compensandam pecuniis injuriam acceptam. Item *Instit. de obligationibus*, *quæ quasi ex delicto nascuntur* §. 1. ibi: *Ob hominem vero liberum occisum quinquaginta aureorum pœna constituitur*, ubi stat clarum, homicidam propter vitam homini injuste ablatam condemnari ad solvendam quinquaginta aureorum pecuniariam summam. Unde plures Doctores ex citatis pro contraria opinione fatentur, pro damno vitæ, mutilationis, seu cicatricis, ac pro injuria deberi satisfactionem quamdam signis doloris, & petitione veniæ, & interdum adesse obligationem ad aliquam pecuniariam satisfactionem, præsertim si heredes occisi sint pauperes, aut pauperes sint ipsi mutilati, seu percussi.

12 Ad citatos tamen textus tum Sacræ Scripturæ, tum Juris Civilis respondere solent Patroni contrariæ sententiæ, quod illæ leges sunt pœnales, quibus juste potuit imponi occisori, mutilatori, aut percussori mulcta illa in pœnam homicidii, mutilationis, aut percussionis, & sic pro occisione, mutilatione, aut percussione, etiam præscindendo a damno, potest a Judice per Justitiam vindicativam imponi pœna dandi pecunias, quas dando satisfiet, non Juri, quod ratione damni illati habebat occisus, mutilatus, aut percussus, sed Juri novo per sententiam Judicis acquisito: Certum enim est, quod per Justitiam vindicativam possit a Judice imponi, ut quis pro injuria circa bonum unius generis, seu ordinis teneatur præstare aliquid in bonis alterius generis, seu ordinis, faciendo ut læsus acquirat Jus ad hoc bonum alterius generis, seu ordinis: Judex enim juste punit delicta per pœnam, quam censet esse convenientem. Unde hæc compensatio non oritur ex Justitia commutativa, sed solum ex Justitia vindicativa.

13 Quidquid autem sit in hac tam celebri controversia variis validis rationibus, & auctoritatibus pro utraque opinione suffulta, fatentur tamen, & consulunt omnes utriusque sententiæ Doctores, quod sicut Judex in foro externo juste imponit mulctam pecuniariam occisori, mutilatori, aut percussori offenso, vel ejus heredibus applicandam; Ita Confessarius in foro interno, seu foro conscientiæ debet imponere occisori, mutilatori, aut percussori opera spiritualia, sacrificia, preces, eleemosynas, & hujusmodi Animæ occisi, seu profectui spirituali mutilati, aut percussi applicanda in aliqualem compensationem, sive dein ad id teneantur ex Justitia, sive solum ex Caritate, seu naturali æquitate.

Conveniunt pariter omnes, quod si ex mutilatione, percussione, aut cicatrice sit aliquod damnum secutum, ut in puella, quæ ob deformitatem ex mutilatione seu cicatrice contractam non potest nubere pari, debet illi tale damnum juxta prudentis æstimationem compensari. *Communis*, *arg.* §. 1. *Institut. de obligationibus*, *quæ quasi ex delicto nascuntur*, *l. Cum liberi* 7. *ff. de his*, *qui effuderint*, *vel dejecerint*, *cap. si rixati* 1. *& cap. si culpa* 9. *de injuriis*, *& damno dato*; Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, ut expresse dicitur *in citat. cap. si culpa*; & concordat *l. Qui occidit* 40. *ff. ad legem Aquiliam*. 14

Item conveniunt omnes, quod si occisus, vel mutilatus fuerit servus, tunc etiam pro vita, & membris facienda sit restitutio, quia servi vita est pretio æstimabilis, ac proinde tantum debet compensari, quanto pluris sine illa mutilatione, seu cicatrice venderetur. *Communis*, *arg.* §. 1. *institut. de obligationibus*, *quæ quasi ex delicto nascuntur*, *l. Prætor ait* 1. *& l. Cum liberi* 7. *ff. de his*, *qui effuderint*, *vel dejecerint*. 15

Occidens injustum invasorem, vel provocantem, seu voluntarie consentientem in pugnam non tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum, quia tales censentur renunciare Juri suo, & alter Jus habet faciendi, quod in se est ad se indemnem, & illæsum servandum. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 21. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Molina *tract.* 3. *disp.* 82. Sporer *loc. cit. n.* 216. Stephanus a Sancto Paulo *tit.* 4. *d.* 5. *n.* 30. La Croix *loc. cit. nu.* 305. & alii passim. 16

Si vero quis contra injustum invasorem graviter excedat moderamen inculpatæ tutelæ, faciendo nempe plus quam necesse sit ad sui defensionem, verb. gr. occidendo, cum solum vulnerando, vel mutilando se defendere potuisset; probabilius tenetur ad integram restitutionem totius damni, quia qui damnum injuste infert culpa mortali, tenetur ad integram restitutionem; talis enim graviter excedendo moderamen inculpatæ tutelæ in sua defensione occidendo, cum solum vulnerando se defendere potuisset, damnum homicidii injuste intulit culpa mortali, adeoque obligatur ad integram restitutionem totius damni. Ita Navarrus *in Manual. cap.* 15. *num.* 27. Ludovicus Lopez 1. *par. Instructorii novi cap.* 72. Petrus a Navarra *lib.* 4. *de restit. c.* 5. *num.* 99. Vasquez *de restitut. cap.* 2. §. 3. *dub.* 4. Sanch. *lib.* 3. *consil. c.* 4. *dub.* 9. Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 21. Turrian. *disp.* 78. *dub.* 4. Illsung *t.* 4. *disp.* 2. *num.* 83. Sporer *loc. cit. num.* 417. Lugo *tom.* 1. *disp.* 11. *n.* 59. ubi dicit, sic tenere alios Recentiores passim, La Croix *lib.* 4. *par.* 2. *n.* 305. ubi dicit, sic tenere alios communiter contra Silvestrum, Angelum, Sotum, Ledesmam, Arriagam, Salonium, Cordubam, Rosellam, Molinam, aliosque Antiquiores communiter apud Lugo *loc. cit. num.* 51. docentes non esse obligationem restituendi tunc integre totum damnum, sed solum partem damni compensandi secundum portionem excessus moderaminis inculpatæ tutelæ prudentis judicio dimetiendam. Et hæc 17 18

sen-

sententia est vere probabilis, quia multo minus peccat, & injuriam facit, qui sic invasus occidit, quam qui sponte, & non invasus. Sic etiam Lessius *cit. cap. 9. dub. 21. n. 135.* cum aliis ibi citatis, Bonac. *de Restitut. disp. 2. qu. ult. sect. 2. punct. 1. num. 3.*

19 Sporer *loc. cit. n. 217.* Qui insuper *ibid.* cum Tamb. *lib. 6. Decalog. c. 4. §. 2. num. 15.* probabile judicat, ad nullam omnino teneri restitutionem, quia licet invasus graviter excedendo moderamen inculpatæ tutelæ contra injustum invasorem graviter peccet contra Caritatem, non tamen peccat contra Justitiam; Injustus enim invasor censetur remittere totam obligationem, quia cum jam sciat injuste invasum omnia mala contra ipsum tentaturum, & hoc non obstante eum adhuc invadat, convincitur, omnino malis illis, seu damnis consentire; scienti enim, & volenti, seu consentienti non fit injuria; *c. Scienti 27. de Regul. Juris in 6.* & *l. Nemo 145. ff. de divers. Regul. Juris*, adeoque ipse sic adhuc injuste invasus, quamvis moderamen inculpatæ tutelæ graviter excedat, non tenetur ad ullam restitutionem, cum nullimode tunc peccet contra Justitiam, sed solum contra Caritatem. Quæ sententia, dicit Spor. *ibid.* servire potest Confessario, ne se, & pœnitentem in difficili determinatione hujus restitutionis multum torqueat.

(*) Ego vero Sporer assentiri minime possum. Etenim qui injustum invasorem occidit, moderamine inculpatæ tutelæ non servato, non modo contra caritatem, sed etiam contra justitiam peccat. Ita Daniel Concina in Christianæ Theologiæ Dogmatico-Moralis Compendio lib. IX. Dissert. 2. de restitutione cap. V. n. IV. ubi: „ Si provocatus, *inquit*, „ ad pugnam occidat provocantem cum inculpatæ „ tutelæ moderamine, nihil restituere astringitur. „ Si vero graviter limites moderaminis excessisset, „ tum pro rata restituere deberet. Si mutuo se pro„ vocaverint, nihil restituendum est, quia uterque „ cessit juri suo. Si unus alterum provocaverit im„ properando ignaviæ notam, provocatus occisor „ non tenetur ad restitutionem, inquiunt juniores „ plures; quia respuere sine dedecore duellum non „ poterat. Hæc ratio pugnare cum Evangelio mihi „ videtur. Quare mihi falsa est, nisi me fallant „ omnia, sequens opinio P. Viva, qui *Tom. 1. p. 3. q. 7. a. 1. nu. 2.* inquit. Quamvis aliquando non „ fugiendo peccet contra caritatem, si scilicet *sine* „ *dispendio honoris* fugere poterat; at non peccat „ contra justitiam. Ergo non tenetur ad restitu„ tionem. Quid? Peccat Christianus contra cari„ tatem quando *sine dispendio honoris* mundani fu„ gere nequit, non autem contra justitiam peccat? „ At hanc doctrinam quis non improbet? Fugam „ enim arripere tenetur, dum via patet, *cum dis„ pendio honoris*, qui in opinione insanientis mun„ di situs est. „ Concinæ assentitur Cuniliati, cujus hæc sunt Tractat. IX. de VII. Decal. Præcepto cap. VIII. §. 1. numer. VII. tom. 1. pag. 442. „ Qui „ per errorem occidit, vel mutilat Petrum, volens „ occidere, vel mutilare Paulum, similiter patet, „ quod cum voluerit occidere primum hominem „ illum, obnoxius fiat omnibus prædictis restitutio„ nibus. Sicut etiam ille, qui, se defendendo ab „ injusto aggressore, excessit limites justæ de„ fensionis, occidendo, dum poterat dumtaxat il„ lum vulnerare, quia reapse est causa injusta mor„ tis, & damnorum illam consequentium. An au„ tem teneatur fugere, si possit, ne invadentem „ vulneret &c.? Absolute loquendo ad id tenetur, „ ne sit causa injusta damni invasori illati. Si au„ tem qui invaditur sit persona equestris, aut mi„ litaris, cui magnum dedecus fuga sit allatura, & „ plerumque totam rationem suæ substentationis „ sit sublatura; tunc plures dicunt, quod fugere „ non teneatur, sed possit se defendere cum mode„ ramine inculpatæ tutelæ, fuse explicato tract. 9. „ cap. 2. §. 1. Verum hæc opinio videtur non posse „ amplius sustineri, post damnatas a Bened. XIV. „ Theses, quas retulimus in Tract. 4. cap. 9. §. 5. „ de Duello „.

Injuste invasus, licet possit commode, & absque 20
nota, seu infamia fugere injustum invasorem, seu aggressorem, si fugere nolit, & ipsum injustum invasorem occidat, servando in reliquis moderamen inculpatæ tutelæ, probabilius non tenetur ad ullam restitutionem, quia in tali casu peccat solum graviter contra Caritatem, & nullimode contra Justitiam cum injustus invasor nullum habeat Jus, quo obliget injuste invasum ad fugam. Sic Lessius *cit. cap. 9. dub. 21 num. 126.* Julius Clarus *de homicidio numer. 32.* Illsung *loc. citat. n. 86.* Layman *loc. cit.* Molina *disp. 81. n. 2.* Tamburin. *loc. citat.* Perschacher *de restitut. pag. 286.* Sporer *loc. cit. num. 217.* Ubi ex 21
supracitatis testatur de communi. Et tamen contra Silvestrum, Vasquez, Rodriquez, Bonacinam, La Croix, & Card. de Lugo *tom. 1. disp. 10. sect. 8. nu. 170. & disp. 11. sect. 2. num. 55.* qui etiam communem dicit esse hanc suam contrariam sententiam, quæ est revera probabilis, quia tunc solum excusatur occisio invasoris ab injustitia, quando necessaria est ad sui defensionem. In tali autem casu non est necessaria dicta occisio pro sui defensione, cum injuste invasus possit se commode, & facile defendere fugiendo absque nota seu infamia ipsum invasorem, seu aggressorem, adeoque si non fugiat, sed occidat, tenetur ad restitutionem, quia fuga in his circumstantiis est debita Juri invasoris, qui licet passione turbatus se exponat ipsi periculo occisionis; adhuc tamen, si sui occisio non sit necessaria ad invasi defensionem, retinet Jus, ne ab ipso privata auctoritate occidatur. (*) Vide Addit. ad num. superiorem. (*)

Si provocans occidat provocatum, qui metu in- 22
famiæ debuit comparere, provocans tenetur compensare damna inde secuta, quia in tali casu provocatus accessit involuntarie, unde non censetur cessisse Juri suo, ut adhuc servaretur indemnis, & illæsus. Sanchez *in consil. lib. 1. cap. 4. dub. 10.* cum aliis *ibi* citatis, La Croix *loc. cit. num. 305.* Salonius, & alii passim.

Committens occultum homicidium, quod postea 23
per errorem alteri imputatur præter sui intentionem, non tenetur ad compensanda damna ei inde secuta. Molina *tom 4. dis. 86.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 16. n. 111.* Lugo *disp. 8. n. 82.* La Croix *loc. cit. num. 155.* & alii communiter; In eo enim casu homicida

cida non est vere causa nec physica, nec moralis damni, quod innocenti sequitur, sed ignorantia, vel malitia aliorum *.

24 Excipe tamen, nisi homicida aliquid peculiare fecerit moraliter efficaciter influens in imputationem faciendam innocenti, ut si ipso invito, vel inscio ipsius vestibus se induisset, vel usus fuisset ejus gladio, quem adhuc sanguinolentum reposuisset in ejus vaginam, & per hoc ipse innocens fuerit habitus ut verus homicida: tunc enim supradictus committens sic malitiose homicidium, tenetur ad integram restitutionem damni causati ipsi innocenti per talem iniquam & malitiosam fraudem, quia malitia, fraus, & dolus nemini debent patrocinium impertiri, *cap. Sedes* 15. *& c. Ex tenore* 16. *de Rescriptis*, *cap. Ex litteris* 2. *de dolo*, *& contumacia*, *cap. Tuæ* 12. *de Clericis non resident. l. In fundo*, *ff. de rei vindicat. l. Cum his*, *ff. de transactionib. l. si legatarius*, *Cod. de Legatis*, cum similibus.

25 Sic per eamdem rationem, & eadem Jura tenetur ad restitutionem, qui Cadaver occisi ponit ante Domum, vel sepelit in horto innocentis, ut ipsi imputetur homicidium, & ideo patiatur damnum. Per fraudem enim videtur inducere innocentem ad tale damnum, unde sicuti ex dictis sub verb. *Impediens*, qui per fraudem aliquem impedit a consecutione boni, tenetur ad restitutionem, & compensationem, ita multo magis qui per fraudem inducit in aliquod damnum; Sanchez *libr.* 1. *Consil. cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 72. Sporer *loc. cit. num.* 201. Molina *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 86. Rebell. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 2104. & alii passim. Si tamen occisor Cadaver occisi longe 26
a Domo deferat, & reponat juxta Domum innocentis, non ex intentione, ut homicidium imputetur innocenti, sed solum ut amoveat a se omne indicium, & occasionem inquirendi, Lugo *disput.* 8. *n.* 84. Tamburin. *lib.* 6. *cap.* 4. §. 1. *num.* 5. Sporer *loc. cit.* & alii dicunt non teneri ad restitutionem, quia non videtur in tali casu moraliter positive influxisse in imputationem, quia illa non est prudens causa, sed occasio levis inquirendi contra talem innocentem, si alia adminicula non occurrant: potuit enim homo alibi vulneratus lethaliter, & longius progressus casu ibi mori, ut non semel in dies accidit.

Intendens occidere solummodo feram, & adhibita debita cautela, ac diligentia per errorem, ac ignorantiam invincibilem occidens hominem, quem invincibiliter credidit esse feram, non tenetur ad ullam restitutionem, quia homicidium est ei simpliciter involuntarium saltem negative; Secus autem esset, si occisor non adhibuisset debitam cautelam, ac diligentiam: *Communis*, textu expresso *in cap. si culpa* 9. *de injuriis*, *& damno dato*. 27

Qui certo sciens ibi esse hominem, & credens esse Cajum suum inimicum occidit Titium alioquin non occisurus, tenetur ad restitutionem, quia licet talis sufficienter caverit occisionem Titii, non tamen cavit, sed omnino voluit occisionem hominis ut sic, cum certus fuerit ibi esse hominem, adeoque occisio illa fuit injusta in hominem quemcumque attigerit, & consequenter injuriosa Titio, & ob- 28

Notæ Romani Theologi.

* Tenetur quidem; quomodocumque enim res accipiatur, homicida est causa saltem occasionalis damnorum inde secutorum. Idem dicito de deferente Cadaver ante domum alterius, *n.* 26. Et de ebrio, etiamsi ebrietas non fuerit culpabilis, *n.* 29. Occidens aliquem justa morte mox occidendum, ex justitia teneri videtur ad damna, *n.* 32. Vere autem tenentur rixantes, expositi *n.* 36.

Responsio Auctoris.

Si omnia in allegatis numeris a me tradita attente perpendantur, solida ratione, & auctoritate suffulta reperientur: imo ab aliquibus in laxioribus terminis defenduntur, ut est eruditis compertum. Nec absolute verum est, ut prætendit Theologus, quod ad restitutionem teneantur rixantes expositi sub *n.* 36. ut videre est *n.* 37. *sequent.* in quo patet, quid dicendum ad subjunctam notam Theologi sub eodem *n.* 37. (+) Atqui mihi, bona Ferraris venia, quæ ab eodem numeris indicatis tradita sunt, nec solida ratione, nec firma auctoritate niti videntur, ut ab ipso proponuntur. Itaque assentior Auctoribus Additionum ad Theol. P. Cuniliati, qui loc. cit. pag. 443. seq. scribunt: „ Observandum . . . 1. cum Petro Colet *tract. de Just. cap.* 4. *de restit. in particul. art.* 2. *sect.* 1. *in resp. ad Q.* 10. eum qui interficit „ hominem paulo post moriturum ex infirmitate, vel juste a Judice morti tradendum, non teneri ad „ restitutionem nisi pro lucris cessantibus secundum breve illud tempus, quo supervicturus erat, cum „ occisor non sit tunc causa nisi modici illius damni. Secus vero sentiendum foret, si ille ab alio „ injuste necandus erat. In tali casu profecto ad integram adstringeretur restitutionem faciendam. Observandum 2. eum, qui aliquem vulneravit, qui paulo post non ob vulnus, sed ob aliam causam „ ex vulnere nullatenus promanantem e vita excessit, sola, quæ ex vulnere usque ad diem mortis emerserunt, damna resarcire debere; cum horum dumtaxat causa extiterit. Quod si jam vulnerator cum „ vulnerato de certa summa transegisset, standum esset conventioni, ut quæ in incertum peracta sit. „ Idem est, si vulnerator a Judice ad certam summam condemnatus fuerit. Petrus vulneratus a Paulo „ vulnere minime lethali, negligentia Chirurgi moritur, Paulus damna hæredibus compensare tenetur, „ non quæ mortem, sed quæ vulnus dumtaxat consequuntur. Si tamen Petrus ex accepto vulnere moritur, quia non est inventus Chirurgus, qui vulnus sanaret, Paulus vulnerator ad restituenda damna, quæ ex ipsa morte hæredibus obvenerunt, adstringitur. „

& obnoxia restitutioni. *Communis* per text. *in l. Eum qui nocentem* 18. §. 3. ibi: *Si injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Cajus Sejus, prævalet quod principale est injuriam eum mihi facere velle, nam certus ego sum, licet ille putet me alium esse, quam sim, & ideo injuriarum habeo actionem*.

29 Ebrius alium occidens, si ebrietas non fuit culpabilis, & voluntaria, vel si fuit talis, homicidium tamen non prævidit, seu omnem diligentiam debitam adhibuit ad ipsum cavendum, non tenetur ad restitutionem: Tenetur autem, si prævidit, & non cavit. *Communis* per text. *in c. si culpa 9. de injuriis, & damno dato*.

30 Vulnerans injuste alium vulnere non lethali, ad restitutionem tenetur, si occasione talis vulneris, quamvis de se non lethalis, alius morbus, vel inflammatio suborta mortem inferat vulnerato, quia quod est causa causæ, est etiam causa causati, *arg. cap. Presbyterum 7. & c. Ad audientiam 12. de homicid. l. Manumissiones 4. ff. de Justitia, & Iure*. Sic *Communis Doctorum*.

31 Si autem vulneratus vulnere non lethali postea perierit, non ratione vulneris per se, sed solum per accidens, ex propria negligentia, & incuria, seu ex imperitia Medici, vel Chirurgi, vulnerans tenebitur solum ad restitutionem damni causati vivo pro vulnere, non autem ad restitutionem damni causati mortuo, seu ejus heredibus pro homicidio; cum ipsum homicidium nec indirecte, & in causa voluntarium ipsi imputari possit. *Communis*, textu expresso *in l. Qui occidit 30. §. 4. ff. Ad Legem Aquiliam*, ibi: *Si vulneratus... non mortifere; negligentia autem perierit: de vulnerato actio erit, non de occiso*.

32 Occidens hominem, quem certo scit paulo post justa morte occidendum, non tenetur ad restitutionem. In tali enim casu non infert ei grave damnum in bonis fortunæ. La Croix *lib. 3. part. 2. n.* 308. cum Navarr. Vasquez, Bonacina ibi citatis,

33 & alii passim. Occidens autem hominem, quem certo scit paulo post injuste occidendum a latrone, Mandatario, & hujusmodi, tenetur ad restitutionem, quia prior occidens intulit ei injuste grave damnum. Vide dicta *art. 1. n. 22. & 42.*

34 Si Paulus initium, & causa fuit rixæ cum Petro per sola verba contumeliosa, & ideo ab ipso Petro excandescente occidatur, tenetur Petrus ad restitutionem, quia sola verbalis contumelia non dat Jus ad occidendum; unde cum talis occisio sit contra Justitiam, obligat ad restitutionem. *Communis* cum Molina *disp.* 81. *n.* 3. Lessio *lib. 2. c. 6.*

35 *n.* 137. Sporer *loc. cit. num.* 194. Si autem Petrus verbis contumeliosis affectus a Paulo vellet ipsum Paulum occidere, posset Paulus licite se defendere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ ipsum Petrum tamquam jam injustum aggressorem etiam occidere, quando non ei suppetat alius modus se defendendi. Sporer *loco cit.* Tambur. *lib. 6. c. 4. §. 3. n.* 17. La Croix *loco citat. n.* 300. & alii.

Si duobus rixantibus, & strictis gladiis pugnantibus, alii sua sponte accurrant, & horum unus alterum occidat, vel ab altero occidatur: tunc ipsi duo principales rixantes, & pugnantes ad nullam tenentur restitutionem, cum tale homicidium nullo modo intendant, nec in se, nec in sua causa; sola enim eorum pugna non est causa, nisi valde remota, ut alii accurrant, pugnent, vel occidantur, cum ipsi sua sponte accurrerint. *Communis*. 36

Si autem unus ex duobus rixantibus alios amicos, seu conjunctos in sui adjutorium vocarit, & excitarit, & unus ex his postea occidatur, Suarez *de Censuris disp.* 44. *sect. 3. n.* 26. Avila *de Censuris p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 5. conclus.* 4. Navarr. Coninch, Petrus Corucio, Sayrus, Villalobos, & Diana apud Card. de Lugo *disp. 11. n.* 57. videntur supponere esse ipsi excitanti imputandum tale homicidium; dicunt enim evadere irregularem illum, qui consilio, vel aliter induxit Titium, ut Cajum occidat, si ea occasione Titius occidatur ab ipso Cajo, quia per ipsum consilium, seu suasionem fuit causa occisionis, & damni. Vasq. tamen *in 1. 2. disp.* 100. *num.* 45. Turrian. *de Censuris lib. 9. disp.* 63. *dub.* 4. Gaspar. Hurtad. *disp. 2. de Irregularit. difficult. 6. n.* 2. loquentes de irregularitate tenent contrariam sententiam, quam Lugo *loco cit. n.* 58. loquens in terminis de restitutione ob homicidium, dicit esse sibi satis probabilem, idemque docent Tambur. *loco cit. num.* 19. La Croix *loc. cit. n.* 309. & alii. Et eorum ratio est, quia quamvis sic suadens, & excitans peccet contra Caritatem, tamen non peccat contra Iustitiam, cum nec vi, nec fraude aut dolo coegerit ipsum occisum ad subeundum tale periculum mortis, sed sola suasione & precatione, cui ipse occisus omnino consensit; Scienti enim, & volenti, seu consentienti non fit injuria, *cap. Scienti*, 27. *de Regul. Juris in 6. l. Nemo* 145. *ff. de divers. Regul. Juris*. * 37

Si quis a Mandatariis requisitus ostendat Domum Caii, qui inde fuit ab illis occisus, si sine coactione, & sine gravi mortis timore id fecit, tenetur ad restitutionem: Non tenetur autem, si id fecit coactus, & ratione gravis metus mortis sibi alias indictæ. Diana *part. 5. tract. 1. resol.* 63. Tambur. *lib. 6. c. 4. §. 4. num.* 3. Felix Potestas *loc. cit. num.* 2108. & alii passim. 38

Homicida in rigore Juris non liberatur ab obligatione restituendi damna temporalia ex homicidio secuta, quamvis a Magistratu capite plectatur, seu extremo supplicio afficiatur. Sic tenent innumeri Doctores, tum ex antiquis, tum ex recentioribus, quos referunt, & sequuntur Sanch. *l. 1. c. cons. 4. dub.* 6. Mol. *disp.* 84. *n.* 8. Lessius *dub.* 22 Vasquez *de rest. c. 2. §. 3. dub.* 5. Navarr. *c. 15. nu.* 25. Sporer *loc. cit. num.* 236. ubi dicit id tenere Doctores communiter. Tamb. *l. cit. num.* 14. Busemb. *lib. 3. p. 2. de restitutione c. 2. dub.* 39

* *Rotæ Romani Theologi*.

* Videtur hoc casu irregularitatem contrahere; Suasor enim delicti, & exequutor, pari pœna puniuntur.

dub. 6. art. 3. n. 10. Henno *tom. 2. tract. 1. disp. 9. qu. 7. concl. 2. resol. 3.* Felix Potestas *loc. cit. n.* 2107. & alii passim. Et ratio est, quia Homicida per talem capitalem mortem, seu extremum supplicium satisfacit quidem Justitiæ publicæ, & vindicativæ, non autem commutativæ, quam læsit alterum occidendo; Unde adhuc remanet facienda restitutio heredibus proximis occisi, cum damna privata ob publicam punitionem non resarciantur. Tum quia sicuti fur non excusatur ab obligatione restituendi, quamvis capite plectatur, ita nec excusatur homicida ab obligatione restituendi damna injuste illata, cum non minus teneatur restituere homicida pro homicidio, quam fur pro furtis.

40 Notanter autem dicitur *in rigore Juris*, quia practice loquendo excusantur tales homicidæ ab ejusmodi restitutione, eo quod ii, quibus restituendum erat, vel contenti sint talionis pœna illata, vel non curent de tali restitutione, maxime si sint nobiles, & divites, & ad eorum instantiam Judex ad talem mortem condemnaverit homicidam; Isti enim videntur eo ipso omnes alias satisfactiones remittere; Tum quia ea damna sunt necessario conjuncta cum morte occisi, suntque magna causa aggravans homicidium. Unde Judex in sententia ferenda præsumitur considerasse utrumque, scilicet mortem occisi, & damna consequentia: Ideoque lata contra homicidam sententia mortis capitalis, tamquam definitiva totius causæ, nulla facta mentione compensationis, vel restitutionis damnorum, censetur una cum morte omnem prorsus obligationem rei absolvisse, & sic non tantum Reipublicæ, sed etiam parti læsæ satisfecisse. Sic tenent Sotus, & alii apud Lessium *cit. dub.* 22. *num.* 119. qui etiam dicit, hanc sententiam esse vere probabilem, & consentaneam æquitati, & ita fere habere usum, ut heredes occisi pœnæ talionis censeantur acquiescere, & injuria illa videatur sic esse compensata, & sic etiam docent plures alii citati a Lugo *disp.* 11. *num.* 49. Tamb. *loco cit.* §. 3. *num.* 15. noster Marchant. *tom. 2. tr. 6. tit. 1. quæst. 5. dub.* 2. Sporer *loco cit. num.* 236. Felix Potestas *loco cit.* ubi dicit, heredibus occisi divitibus non esse resarcienda damna, quia isti solent esse contenti pœna capitali occisori inflicta, & id insuper docet ipsemet Scotus *in 4. dist. 15. qu. 3.* secutus ab aliis, quia homicida sufficienter satisfecit tolerando pœnam capitalem. (*) His subscribit Daniel Concina licet non generatim. Sic enim habet loc. cit. num. 3. pag. 33. „ Si homicida pœnam lueret talionis, nulli restitutioni obnoxii forent hæredes, quia pœna mortis inflicta omnia remissa censentur: & ita communis obtinet consuetudo. Si alicubi oppositus rationabilis mos vigeat, servandus est. „ (*)

41 Damna secuta ex homicidio sunt compensanda, & restituenda solis heredibus proximis occisi, scilicet filiis, Uxori, & parentibus ita damnificatis. Sic *Communis Doctorum* cum Lessio *cit. cap. 9. dub. 29. num.* 155. Sporer *loc. cit. num.* 230. La Croix *loc. c. n.* 310. Molina, Layman, Marchant. Salonio, Arragonio, Lugo, Corduba, Ledesma, Soto, Angles, & alii passim contra paucos alios. Et ratio est, quia obligatio, & finis restitutionis est compensare damna injuste illata alteri in bonis propriis, vel sibi ex Justitia debitis; Solis autem dictis proximis occisi heredibus inferuntur injuste ista damna in bonis propriis, & sibi ex Justitia debitis, cum eos solos ex Justitia in necessitate positos alere teneretur occisus, ex quo adeo stricte sint ipsi conjuncti, ut moraliter una semper persona censeri debeant cum illo; quod non verificatur in aliis heredibus, eo quod censeantur esse velut extranei se remote habentes, & per accidens damna illa patientes, cum occisus, non ex Justitia, sed solum ex Caritate ipsos aleret.

Sunt tamen talia damna probabilius compensanda etiam Fratribus, & Sororibus occisi, si ipse occisus eos per sententiam Judicis tenebatur alere, quia jam habebant Jus ad illa alimenta, quæ ab ipso occiso vigore Judicialis sententiæ de Justitia accepissent. Ita Lopez 1. *par. Instructor. novi cap.* 72. Sanchez *dict. cap.* 4. *dub.* 3. & alii plures. 42

Item probabilius talia damna compensanda sunt etiam Creditoribus occisi, quia occisus strictiori obligatione Justitiæ tenebatur suis Creditoribus, quam ipsis heredibus necessariis, cum his alimenta, & hereditas non præstantur, nisi deducto ære alieno; adeoque si homicida tenetur talia damna compensare dictis heredibus necessariis, a fortiori tenebitur de rigore Iuris compensare occisi Creditoribus. Sic Molina *tract. 3. disp.* 83. *num.* 8. Layman *loc. cit. cap. 6. n.* 4. Sporer *loc. cit. num.* 230. & multi alii; Quamvis Layman, & Sporer *loc. cit.* notent, id in praxi non observari, Unde contrarium absolute docent Lessius *loco citat. dub.* 26. *numer.* 151. Diana *par. 5. tr. 3. resolut.* 57. & plures alii apud ipsos. 43

Item probabilius damna secuta ex homicidio sunt compensanda, & restituenda etiam aliis remotis heredibus, & extraneis, immo & pauperibus compensandæ sunt eleemosynæ, quas occisus illis elargiri solebat, si homicida, animo illis nocendi, ipsum occidit. Ita tenent Sotus, Navarr. Adrian. Panormit. Roselli, Vasquez, Turrian. & alii apud Lugo *dict. disp.* 11. *num.* 74. qui eos sequitur *ibid. num.* 77. Busemb. *loc. cit. num.* 11. cum aliis ibi citatis, Felix Potestas *loc. cit. num.* 2106. Illsung *tom. 4. d. 4. num.* 74. & alii. Malitia enim, fraus, & dolus nemini patrocinari debent; *cap. Ex litteris 2. de dolo & contumacia, cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de Rescriptis; cap. Tuæ 12. de Clericis non residentibus, leg. In fundo, ff. de rei vindicat. leg. Cum hi, ff. de transactionibus, l. si Legatarius, Cod. de Legatis*, cum similibus. (*) Quæ hoc & superiori numero Auctor noster ut *probabiliora* docuit, alii ut certa docent. Vide Antoine *De justitia & jure* cap. II. quæst. XVI., Cuniliati loc. cit. num. IV. & V. & alios. (*) 44

Obligatio homicidæ ad restituendum pro damnis illatis ex tali homicidio transit ad ejus heredes juxta vires hereditatis, quando ipsemet non fecerat. *Communis*. Est enim illud debitum, & onus reale, cui heredes succedunt, sicuti & succedunt hereditati, cum res transeat cum suo onere, *l. Alienatio, ff. de contrab. emption. l. Pompejus, §. Cum quis, ff. de acquir. possess. l. Via Constitut. §. Quicumque, ff.* 45

de servit. urb. præd. l. 1. §. *fin. & l. seq. ff. si serv. vindic. l. Fiscus, de Jure Fisci*, *Clement. de Casibus*.

46 Si vulneratus ante mortem remittat percussori seu homicidæ omne damnum reale præteritum, præsens, & futurum, tunc valde probabile est, quod nec ipse homicida, nec in suo defectu ejus heredes teneantur ad ullam restitutionem faciendam heredibus etiam necessariis ipsius occisi. Busemb. *loc. cit. art.* 3. *num.* 3. Lessius *cit. c.* 9. *dub.* 26. *n.*158. Molina *disp.* 81. *num.* 4. & 5. Sanchez *loc. cit. dub.* 32. *num.* 5. Salonius *quæst.* 63. *art.* 2. *controvers.* 9. Henno *loc. cit. qu.* 7. *conclus.* 3. *Petes* 1. Bannes, aliisque citatis; Diana *par.* 5. *tractat.* 4. *resol.* 58. Tamb. *lib.* 6. *cap.* 4. §. 3. *num.* 10. Et ratio est, quia sicuti moriturus poterat cedere homicidæ alia Jura, ita & illa, & consequenter onus restituendi extinguere; Tum quia quidquid debetur illis heredibus, totum debetur eis dependenter a voluntate morituri; adeoque non fit eis injuria, nisi quatenus fit contra occisi voluntatem, & consequenter si moriturus totum condonavit, nulla contra ejus voluntatem remanet homicidæ, seu ejus heredibus obligatio Justitiæ de facienda aliqua restitutione.

47 Contrariam tamen sententiam adhuc tamquam probabiliorem docent Lugo *disp.*11. *sect.* 3. *num.*63. Sporer *loc. cit. num.* 225. La Croix *loco cit. n.* 310. Illsung *tom.* 4. *d.* 3. *num.*88. Fel. Pot. *loc. cit. n.*2112. Tanner. *qu.* 6. *dub.* 4. & alii. Et ratio est, quia remissio a morituro facta habet quidem locum in damnis præteritis usque ad ejus mortem, at minime in damnis sequentibus; Moriturus enim licet possit remittere totum Jus suum quoad compensationem sibi debitam pro damnis sibi illatis ante suam mortem, non potest tamen remittere Jus alienum quoad compensationem suis necessariis heredibus debitam pro damnis eis subsequutis post ejus mortem; Hoc enim Jus non pertinet ad occisum, sed immediate ad ejus heredes necessarios, quibus occisus de Jure, & Justitia tenebatur necessaria ad vitæ sustentationem providere, & præstare; adeoque cum ex ejus occisione dicti heredes damnum proprium patiantur, Jus proprium acquirunt ad compensationem sibi faciendam ab homicida, & consequenter non obstante remissione totali ei facta a morituro, tenetur homicida, & ejus defectu ipsius heredes ad compensanda damna dictis heredibus necessariis subsecuta, cum hæc, ut patet, sint damna propria ipsorum heredum, & non damna occisi. (*) Hanc sententiam tamquam unice sequendam tuentur Cuniliati loc. cit. num. III. & Concina in Compendio Theologiæ Christianæ lib. IX. de restitut. cap. V. num. VIII. scribens: „ Si „ vulneratus dominus absolutus sit, & antequam „ decedat, remittat una cum injuria sibi illata, „ etiam damna resarcienda, liber occisor est a re- „ stitutione. Ceterum licet vulneratus astringatur „ remittere omnem injuriam sibi illatam, & dili- „ gere suum vulneratorem, non tamen obligatus „ est dimittere damna inde emergentia; immo si „ uxor, si filii, nepotes, vel parentes graviter in- „ digerent, peccaret contra caritatem, si cum tan- „ to istorum dispendio & detrimento expensas, & „ damna condonaret. „ Confer Antoine loc. cit. quæst. XV. in not. post responsionem I. (*)

Item tenetur homicida compensare damna heredibus subsequuta, quamvis a supremo Principe patrati homicidi plenissimam obtinuerit remissionem, quia Princeps præcise intendit condonare injuriam Reipublicæ factam, & non damna heredibus necessariis subsecuta. Henno *loc. cit. Petes* 3. & alii passim. 48

ARTICULUS III.

Quid, cui, & quando sit restituendum?

EX Justitia Commutativa id, & tantum restituendum est, quod & quantum ablatum, vel damnificatum est. *Communis*, nec indiget probatione, cum clare de se pateat. Generaliter, & per se loquendo restituenda est eadem res in individuo, si adhuc extet. *Communis*, per text. *in l. Manifesti Juris* 17. *Cod. de solutionibus*; Extante enim eadem re, cujus dominium verus dominus in alium non transtulit, semper dominus retinet Jus in illam, adeoque si non sit contentus alia re ejusdem speciei, & bonitatis, est ei restituenda ipsamet res, adhuc extans in individuo. 1

Si eadem res in individuo non amplius extet, facienda est restitutio in æquivalenti, adeo ut tantum restituatur, quantum sufficit ad æqualitatem debiti, vel damni illati. *Communis* per text. *In Authen. Hoc nisi*, *Cod. de solutionibus*. 2

Quid restituere debeat possessor bonæ vel malæ fidei? Vid. verb. *Possessor bonæ, & malæ fidei per tot.* Ubi etiam de fructibus naturalibus, industrialibus, mixtis, & civilibus. Item de expensis, seu meliorامentis necessariis, utilibus, & voluptuosis. Item de incremento, & decremento rerum. 3 4

Quid restituere debeat Commodatarius? Vide verb. *Commodatum*. 5

Quid restituere debeat conductor, & Locator? Vide verb. *Locator*. 6

Quid restituere debeat Mutuatarius? Vide verb. *Mutuum*. 7

Quid restituere debeat Emptor, & venditor? Vide verb. *Contractus Emptionis venditionis*. 8

Quid restituere debeat Emphyteuta? Vide verb. *Contractus Emphyteusis*. 9

Quid restituere debeat Lusor? Vide verb. *Ludus*? 10

Quid restituendum sit in rerum occupatione, alluvione, specificatione, accessione, confusione, commixtione, & fructuum perceptione? Vide verb. *Dominium art.* 3. 11

Alia ad rem. Vide verb. *Bellum art.* 2. & 3. verb. *Culpa*, verb. *Damnificatio*, verb. *Usura*; & notata *supra art.* 1. *a n.* 80. *ad* 94. 12

Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam jam positam non sunt de Jure naturæ restituenda; Unde si mulier etiam uxorata pro concesso usu sui corporis, & Mandatarius pro homicidio patrato pretium acceperit, potest retinere: S. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.*8. *a num.* 52. Lugo *disp.* 18. *a num.* 45. Dicastill. *de restitut. d.* 6. *dub.* 1. Burghes. *Centur.* 3. *cas.* 33. S. Anto- 13

toninus 2. *part. tit.* 2. *c.* 6. *in princip.* Covarruv. *Ad Regul. Peccatum part.* 2. §. 2. Angelus verb. *Restitut.* §. *Turpe*, Rosignolus *de restitut.* 11. *Disquisit.* 1. §. *VI. num.* 9. *&* 10. La Croix *lib.* 30. *part.* 2. *num.* 289. cum Azorio, Molin. Vasquez ibi citatis, & alii passim, per text. *in l. Idem si ob stuprum* 4. §. 3. *ff. de conditione ob turpem, vel injustam causam*, ubi habetur: *Meretricem turpiter facere, quod sit meretrix non turpiter accipere, cum sit meretrix*; Unde S. Thomas 2. 2. *qu.* 31. *art.* 7. *in corpore* ait: *Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra Legem Dei; sed in eo, quod accipit, non injuste agit, nec contra Legem; Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest.*

14 Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam necdum positam restitui debent, quia actio non debet poni, adeoque nec retineri potest pretium pro ea ponenda: Si autem sit quid mere liberaliter donatum ad alliciendum animum, v. gr. Meretricis ad copulam, sive ante, sive post actionem turpem, potest tuta conscientia retineri, paucis solis casibus exceptis; Lugo *loc. cit. num.* 49. La Croix *loc. cit. num.* 291. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *de restitut. quæst.* 7. *conclus.* 1. ubi citat Communem Doctorum per text. *in leg. Affectionis* 5. *ff. de donationibus*, ibi: *Affectionis gratia, neque honestæ, neque inhonestæ donationes sunt prohibitæ; honestæ, erga bene merentes amicos, vel necessarios, inhonestæ, erga Meretrices*, & concordat *lex Donationes* 31. *ff. eodem*. Ubi, ut vides, lex non distinguit, an ad hoc ut sint validæ tales donationes, debeant fieri ante, vel post actionem turpem; Ubi autem *lex* non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa* 22. *de privil. & leg. De pretio, ff. de Publiciana in rem action.* Et ratio conclusionis est, quia potest quilibet rei suæ dominium in alium transferre, ubi per Leges non impeditur: Nulla autem est assignabilis Lex irritans dictam translationem; Non quidem Lex naturæ, quia licet ratio naturalis dictet donationes illas esse illicitas, tam ex parte dantis, quam ex parte accipientis, eo quod incitent ad meretricium, vel inchoandum, vel continuandum; non tamen dictat esse invalidas. Nec etiam id dictant Leges positivæ, cum Leges Civiles potius illa confirment, ut patet ex *cit. l. Affectionis* 5. *& cit. l. Donationis in concubinam* 31. *de donationibus*, *& cit. l. Idem si ob stuprum* 4. §. 3. *ff. De condiction. ob turpem, vel injustam causam*, adeoque &c.

15 Dicitur autem notanter, *Paucis solis casibus exceptis*, quia donata a Filiofamilias, Pupillo, Minorenni, & a Milite retineri non possunt, quia ipsi per Leges inhabilitantur ad donandum, ut patet de Filiofamilias in §. *Filius familias* 7. *ff. De donationibus*. De pupillo §. 7. *Institut. de auctoritate Tutorum*. De Minorenni, *l. Si Curatorem* 3. *Cod. de in integrum restitution.* De Milite, *l. Si ancillam* 2. *Cod. de Donation. inter virum & uxorem*. Pro parvis autem munusculis videtur consuetudinem contrarium induxisse.

16 Item retineri non possunt donationes, si quæ fierent, (quod Deus avertat) ab aliquo Religioso suæ conditionis immemore propter tale infandum commercium, Tales enim donationes essent omnino nedum illicitæ, sed & invalidæ, adeoque Monasterio essent restituendæ, cum Religiosus professus nihil possit expendere sine licentia expressa, aut tacita Superioris, quam in tali casu non haberet, nec posset habere, cum Superior, nec totum Monasterium possit illam concedere in usus turpes, & peccaminosos; Nec etiam ex pecuniis suis personalibus, ac specialibus laboribus acquisitis, cum quidquid acquirit Monachus, acquirat Monasterio; *cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *quæst.* 1. *cap. Abbates* 16. *caus.* 18. *quæst.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 6. *caus.* 19. *quæst.* 3. *cap. In præsentia* 8. *de probationibus*, *cap. Monachi* 2. *de statu Monachor.* cum similibus.

Promissio, seu conventio de danda alicui certa 17
pecuniæ summa, ut aliqua actio turpis, & peccaminosa perpetretur, nullam habet, neque ante, neque post perpetrationem talis actionis turpis, & peccaminosæ, vim obligandi; Unde sic promittens nihil tenetur restituere promissario: Colligitur ex pluribus Juribus, tum Canonicis, tum Civilibus; Eodem Jure Canonico habetur *in cap. Pactiones* 8. *de pactis*, ubi sic expresse statuitur: *Pactiones factæ a vobis .... nullius penitus sunt momenti, quod etiam de aliis est dicendum, quæ observatæ vergunt in Animæ detrimentum; Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis ...... de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit*, *c. In malis promissis* 5. *caus.* 32. *q.* 5. ubi ex verbis S. Isidori sic præcise habetur: *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias; impia est promissio, quæ scelere adimpletur*; *c. Quæ contra Jus* 64. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, *cap. In malis* 69. *de Regul. Juris item in* 6. ibi: *In malis promissis fidem non expedit observari.*

Et hoc Jure Canonico adeo verum est, quod li- 18
cet talis promissio fuisset etiam juramento firmata, nullam importaret obligationem, ut expresse statuitur *in c. Non est obligatorium* 58. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*; Et concordant plures textus in *quæstione* 4. *caus.* 22. & signanter *in cap. Est etiam* 2. *d. quæst.* 5. *caus.* 22. ubi ex verbis S. Ambrosii improbatur Herodes, quod ob servandum juramentum S. Joannem Baptistam occidi jussisset; Unde in ejus Summario sic expresse habetur: *Aliquando non expedit promissum servare Sacramentum*; *c. Quod David* 3. *ead. caus. & quæst.* ubi ex verbis S. Augustini laudatur David, quod sicut juraverat, non occiderit Nabal, ibi: *Quod David juramentum per sanguinis effusionem, non implevit, major pietas fuit*, & in ejus Summario sic dicitur: *Pietas fuit, quod David, Nabal, sicut juraverat, non occiderit*; *c. Juravit David* 4. *ead. caus. & q.* ubi de eodem verbis ejusdem S. Augustini sic repetitur: *Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate ductus.* Et e contra idem Sanctus Augustinus *serm.* 10. *in novis sermonibus de Decollatione Sancti Joannis Baptistæ* improbat Herodem, quod impie adimpleat, quod temere juraverat, ibi: *Temere juratur, & impie, quod juratur, impletur*; *cap. Unusquisque* 8. *ead. caus. & quæst.* in

in cujus Summario de mente Sancti Ambrosii sic habetur: *Tolerabilius est juramentum non implere, quam quod turpe est, facere; cap. Si aliquid* 16. *ead. caus. & quæst.* ubi sic summatur Decretum Soteris Papæ: (*1) *Juramentum, quo malum incaute promittitur, non est servandum; cap. Actione* 18. *ead. caus. & quæst.* ubi sic summatur Decretum Concilii Eliberitani; (2) *Illicitum juramentum non est servandum*, & sæpe in eadem causa, & quæstione in aliis Capitulis, & Summariis consimiliter. Et hoc jure merito, cum Juramentum non fuerit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, textu expresso *in cap. Quando* 18. *de Jurejurando*, ibi: *Cum Juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum, cap. Inter cetera* 21. *caus.* 22. *quæst.* 4. ibi: *Porro Juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis.*

19 Jure Civili habetur sensus nostræ conclusionis in pluribus Legibus, & signanter in *leg. Generaliter* 26. *ff. De verb. obligationibus*, ibi: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti; l. Si flagitii* 123. *ff. eod.* ibi: *Si flagitii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet; l. Juris gentium* 7. *ff. de pactis*, ibi: *Si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda; l. Pacta* 6. *Cod. de pactis*, ibi: *Pacta, quæ contra Leges, Constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati Juris est; l. Ex eo* 4. *Cod. De inutilibus stipulationibus*, ibi: *Cum omnia, quæ contra bonos mores, vel in pactum, vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint.*

20 Suprapositam conclusionem tenent Navarrus *in Manual. cap.* 17. Durand. *in* 3. *distinct.* 39. *quæst.* 4. Medina *Cod. de restitut. quæst.* 2. Comitolus *lib.* 3. *respons. moral. quæst.* 5. Joannes Valerus *in differentiis utriusque fori verb. Promissio, differentia* 8. citati a Diana *tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 4. *miscellaneo resolut.* 40. ubi & ipse hanc sententiam probabilem, & practice tutam reputat, Adrianus, Neessen, Le Droux, & alii, quos citat, & sequitur Henno *loc. cit. quæst.* 4. *conclus.* 1. & sic videtur sentire Sanctus Augustinus relatus *in cap. Qui venatoribus* 8. *dist.* 86. testans non posse Meretricibus pecuniam rependi absque gravissimo peccato, cum nempe in pretium perpetrati criminis tribuitur. Et sic tenet Glossa *ibidem verb. Meretricibus*, & mordicus defendit Pontas *in Dictionario Casuum Conscientiæ verb. Promissio cas.* 8. *&* 9. ubi in fine casus octavi sic expresse habet: *Repudiandam penitus ergo eorum opinionem censemus, qui tuentur, licet hujusmodi promissiones non obligent ante facinus perpetratum, iisdem tamen obligandi vim annecti, eo ipso, quod crimen executioni demandatum est; quinimmo persuasum prorsus animum habemus abhorrendas penitus, atque habendas esse execrationi ejusmodi promissiones, & stipulationes, & tanquam nullas esse considerandas, quemadmodum irritæ re ipsa fiunt omnibus cum Ecclesiasticis, tum Civilibus Legibus, ut modo observatum, ac probatum est.* Et in fine casus noni sic concludit: *At isti laudatorum Auctorum opinioni non possumus subscribere, quando namque quosdam casus sibi fingere amant, in quibus non esse illicitum supponunt, nec promittere, nec dare in pretium turpis alicujus actionis perpetrandæ, falsam omnino hypothesim comminiscuntur, quemadmodum patet ex testimoniis allegatis, quin etiam tamquam certissimum habemus ex eorum opinione fenestram prorsus patefieri ad plurimam nequitiam, quoniam ad audenda quæque, & ad perficienda, quæ fluunt in luxuriam, inde via redditur expeditior.* Hæc ipse: Tum quia datio, & acceptio pro re turpi patrata est novum peccatum, & approbatio peccati commissi. Qui enim dat, vel accipit propter peccatum commissum, videtur de novo approbare, atque in eo complacere, quod utique mortale est; Tum etiam quia promissio illa de re turpi patranda fuit nulla, nec ullo modo obligans, utpote peccaminosa, ut patet ex supra adductis Juribus, ergo nec est ex obligatione servanda.

Immo supracitati Doctores volunt insuper, quod acceptum ob turpem causam ex conventione facta obligante ad operis pravi executionem sit restituendum. Sic expresse Henno *loc. cit. quæst.* 5. *conclus.* 1. cum Navarr. Adriano, Medina, Neessen, Le Droux, & aliis ibi citatis *argum. supra adductis Juribus*. Et eorum ratio est, quia conventio illa ante operis impletionem est nulla, eo quod non possit esse vinculum iniquitatis, ut concedunt omnes, ergo etiam nulla est impleto opere, & consequenter acceptum ratione talis conventionis debet restitui; Probatur consequentia ex *cap. Non firmatur* 18. *de Regul. Juris in* 6. ubi expresse dicitur: *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit;* Atqui ex supra allegatis Juribus conventio illa nulla est ante operis impletionem, ergo etiam nulla erit post operis impletionem; Tum quia conventio illa, utpote contractus onerosus, debet obligare tam promissarium, quam promittentem; alias si obligaret solum promittentem, esset contractus gratuitus; Atqui non obligat promissarium, cum nemo obligari possit ad peccandum; ergo nec obligat promittentem, & consequenter est nulla ex parte utriusque; adeoque acceptum ex tali conventione est restituendum; Et sic videtur sensisse etiam Sanctus Augustinus *Epist.* 163. *alias* 54. *ad Macedonium*, ubi sic expresse habet: *Verum tamen est, si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato: Redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati affuisti, Judicem fellisti, justam causam oppressisti de falsitate vicisti*: Et paulo post explicatam obligationem Advocati in prædicto casu sic ait: *Quis tamen Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe, quod mihi cum tibi male ades-* 21

(*1) Sive Soteri Papæ tributum a Gratiano, quod vetustiores Collectores non ex Sotere sed ex Beda se describere professi sunt. Vide Berardum in Opere cui titulus *Gratiani Canones &c.* part. II. cap. x. pag. 92. seq.

(2) Vel Concilio Eliberitano falso tributi. Adeundus Berardus Oper. cit. part. I. cap. II. pag. 30.

essem, dedisti, & redde adversario tuo, quod, me agente, inique abstulisti; & tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissime pœnitet, etiam hoc facere debet, ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem.

22 Communior tamen Doctorum sententia tenet, quod licet promissio facta feminæ pro usu sui corporis sit illicita, promissum, opere completo, sit conferendum. Nec femina teneatur receptum ob talem usum turpem sui corporis postea restituere; Sic Lugo *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 59. quo ad primam partem cum Vasquez, Turrian. Soto, Arragonio, Cajetan. Covarruv. Molina, Sanchez ibi citatis, dicens hanc esse communem, & veram sententiam, & *num.* 46. quo ad secundam partem cum Lessio, Molina, Cajetan. Alens. Richard. Gabriel. Silvestro, Angelo, Salonio, Silvio, Tannero, Rebel. Villalobos, dicens pariter hanc esse communem, & veram sententiam; Sic tenet etiam cum pluribus aliis ibi citatis, La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 289. & 290. Rosignolus cum aliis ibi citatis *de restitutione* 11. *disput.* 1. §. 6. *num.* 2. & 9. Sporer cum multis ibi citatis *tom.* 2. *tract.* 5. *in VII. & X. Præcept. Decalog. cap.* 5. *sect.* 5. *num.* 135. & 139. Molina, Sanchez, Lessius, Diana, Tamburin. & plurimi alii. Et ratio primæ partis est, quia ille usus sui corporis, quem femina impudica fornicario concessit, est pretio æstimabilis ratione utilitatis, vel delectationis, respectu fornicarii, & ratione periculi, & laboris respectu feminæ concedentis talem turpem usum sui corporis; adeoque si fornicarius pretium promisit, & femina impudica rem pretio æstimabilem, & vendibilem, utpote ei commodam, vel delectabilem posuit, non est unde ab obligatione solvendi promissum liber evadat; Tum quia si Fornicarius negare posset pretium pactum pro tali turpi usu sibi concesso, seu vendito, negare etiam posset Juvenis Matrimonium promissum puellæ sub certa promissione Matrimonii defloratæ; quod omnes negant, & insuper dicunt posse ad id etiam in foro externo compelli, adeoque &c. Ratio autem secundæ partis est, quia femina recepit tale pactum pretium concesso, seu vendito usu sui corporis fornicario, qui usus cum sit commodus, & delectabilis fornicario, & periculosus ipsi feminæ, dignus est pretio; adeoque talis femina licite retinere potest dictum conventum, & receptum pretium, nec tenetur illud restituere, cum non sit receptum contra Justitiam, sed potius secundum illam.

23 Immo Meretrix nedum conventum, & receptum pretium pro concesso turpi usu sui corporis licite recipit, & retinet, sed etiam omni Jure etiam Civili in foro externo illud exigere potest, si non ei a Fornicario solvatur. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *artic.* 5. & plurimis congestis Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. Molina *tom.* 1. *tractat.* 2. *disput.* 34. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *Miscellan. resolut.* 40. Spor. *loc. cit. num.* 136. & ipso teste *Communis aliorum* per text. *in l. Idem* 4. §. 3. *ff. de condict. ob turpem, vel injustam causam*, ibi: *Sed quod Meretrici datur, repeti non potest, ut Labeo, & Marcellus scribunt, sed nova ratione, non eo, quod utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis: illam enim turpiter facere quod sit Meretrix; non turpiter accipere, cum sit Meretrix*; Et ratio est, quia Meretrix ita cum Fornicario convenit de pretio sibi solvendo pro usu ei concesso, seu vendito sui corporis, ex cap. autem *Contractus* 85. *de Regul. Juris in* 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Nec pretium illud exigitur, & accipitur pro ipso peccato formali, quod, cum nihil sit, neque licite possibile, non est vendibile; sed exigitur, & accipitur pro actu ipso materiali, quatenus Fornicario utilis & delectabilis est, & meretrici aliquo modo laboriosus & periculosus, qui actus, cum sit quid naturale, & pretio æstimabile, nec alteri gratis debitum, est veluti conductus a Fornicario, adeoque pretio solvendus.

Femina recipiens munera sibi ab amasio liberaliter oblata ex cognita ejus libidinosa intentione, 24 quamvis graviter peccet, etsi ipsa nihil mali intendat, cum sic foveat impurum ejus amorem, ac desiderium, & spem copulæ aliquando obtinendæ, tamen si nullum pactum explicitum, aut implicitum intercessit, non tenetur restituere, sed licite retinere potest, quia sunt sibi liberaliter data, & sibi imputare debet nimis credulus amator, quod plus speraverit, quam debuerit; Sporer *loco cit. num.* 141. Lugo *loc. cit. num.* 49. Molina *tom.* 3. *disp.* 735. *n.* 3. Rebell. *de Justitia par.* 1. *lib.* 3. *qu.* 7. *nu.* 6. Joannes Valerus *in differentiis utriusque fori verb. Restitutio, differentia* 34. Henno *loco cit. quæst.* 6. *conclus. in fine*, & alii passim.

Si autem femina receperit talia munera ex pacto ex- 25 plicito, vel implicito pro usu sui corporis concedendo, quem postea denegat, tenetur restituere, quia peccat contra Justitiam retinendo pretium absque concessione usus sui corporis, pro quo solum ab amasio datum est munus, seu pretium. *Sic citati Doctores, & alii passim.*

Accipiens pecuniam a Dœmone, si sciat, quod 26 Dæmon eam furatus sit alicui, ut sibi daret, tenetur restituere; Si autem nesciat, spectato Jure naturæ, potest ipsam retinere, cum Dœmon potuerit eam accipere ex fundo maris, aut aliunde, ubi erat derelicta ad nullius spectans dominium. Sic Diana *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 48. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 292. & alii. De Jure autem positivo Civili per sententiam Judicis debet applicari fisco quidquid per artem Magicam, aut Legibus prohibitam acquiritur. Lugo *tom.* 1. *disp.* 6. *numer.* 112. La Croix *loc. cit.* & ipso teste *Communis aliorum*, per text. *in l. Unica, Cod. de Thesauris*. *

Acce-

Notæ Romani Theologi.

* Casus hic est metaphysicus; nec Dæmon furari a Deo permittitur, nec si permittitur, id resciri facile poterit.

27 Accepta per modum pretii pro actione debita ex Justitia, restitui debent; *Communissima*. Et ratio est, quia tale venditum est invendibile, cum solvens Jus habeat ad actionem illam independenter ab omni pretio; & recipiens aliquid per modum pretii pro illa actione vendat id, quod non est suum, sed alterius; Res enim, quæ ex Justitia debetur alicui, perinde est, ac si esset illius; Unde coactus dare pretium pro ipsa, cogeretur emere rem suam, ut redimeret injustam vexationem; adeoque tale pretium injuste acceptaretur, & consequenter esset restituendum ex debito Justitiæ.

28 Dicitur autem notanter *Accepta per modum pretii*, nam accepta per modum gratuitæ, & omnino liberæ donationis non sunt restituenda, cum liceat unicuique per leges non impedito, rei suæ dominium in alium transferre. *Communis*.

29 Hinc Justitiam violant cum onere restitutionis Ministri Principum, Judices, Thesaurarii, Notarii, Tabelliones, & alii similes Officiales, qui pro obeundis suis Officiis, vel ultra taxatum pretium, vel supra constitutum a Principe, vel Republica stipendium, munera exigunt a particularibus, ne vexent, ne alios præferant, ne solutionem, aut expeditionem retardent, & hujusmodi. *Communis*; Dicit tamen Sporer *loc. cit. n.* 128. quod supradicti, si a Republica conducti sint ad ea munera absque sufficienti stipendio, possint juste mercedem proportionatam exigere usque ad sufficiens stipendium secundum circumstantias personarum, locorum &c. prudenter judicandum. (*) Verum hæc opinio ab aliis merito rejicitur, præsertim cum bono communi sit infesta. (*)

30 Item Justitiam violant cum onere restitutionis Uxores pretium exigentes a Maritis, ut Debitum conjugale reddant, ne adulterium committant; Latrones, ne hominem occidant; Depositarii, ut Depositum restituant; Rerum inventores, ut eas suis dominis restituant; Debitores, ut Debitum restituant; Detractores, ut famam, aut honorem ablatum reparent, & alii similes. *Communis*.

31 Quid autem in specie de Judice circa munera recepta? Vide verb. *Judex*.

32 Accepta per modum pretii pro actione debita ex quacumque alia virtute præter Justitiam, non sunt restituenda ex debito Justitiæ, Lugo *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 67. Sotus, Bannes, Diana, Tamburin. Petschacher citati, & secuti a La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 265. Sporer *tom.* 2. *tract.* 5. *in VII.* & *X. Præcept. Decalogi n.* 132. ubi dicit de hoc non posse dubitari; Tunc enim non peccatur contra Justitiam, cum nec dando, nec accipiendo alicui fiat injuria, adeoque id, quod tunc accipitur, non est restituendum ex debito Justitiæ.

33 Dicitur autem notanter *ex debito Justitiæ*, quia licet non sit in tali casu restituendum ex debito Justitiæ, potest tamen esse obligatio restituendi ex debito alterius virtutis; Si quis enim, v. g. ex voto debeat Ecclesiæ Crucem centum aureorum, & nolit votum adimplere, nisi ab ipsa Ecclesia, vel ab alio accipiat viginti aureos, tunc tenetur restituere Danti illos viginti aureos, non quidem ex Justitia, quam non violavit; sed ex virtute Religionis, quæ illum obligat ad totum votum adimplendum, & promissum Deo integre reddendum; quod non faceret, nisi restitueret illos viginti aureos; quia illos retinendo non integre donat, sed partim vendit respectu talis pretii accepti, ut dictam Crucem Ecclesiæ offerat. Similiter, quia ex virtute Religionis tenentur Beneficiarii dare superflua in eleemosynam, si aliquid recipiant, ad hoc ut suo debito satisfaciant, tenentur restituere; quia retinendo illud acceptum non satisfaciunt præcepto dandi eleemosynam integre ex omnibus superfluis, & sic de similibus. Econtra tamen, si quis pretium accipiat, ut audiat Missam, communicet, & hujusmodi, ad quæ obligatur ex eadem virtute Religionis, non tenetur illud receptum pretium restituere; sicuti nec tenetur restituere pretium acceptum, ne se inebriet, ad quod tenetur ex virtute Temperantiæ, & ne fornicetur, ad quod tenetur ex virtute Castitatis, & hujusmodi: In his enim, & similibus non tenetur neque ex virtute Religionis, Temperantiæ, aut aliarum virtutum restituere pretium acceptum pro earumdem observantia, quia tale pretium receptum non impedit, quod opus ex ipsis Virtutibus debitum ponatur secundum integram suam substantiam, & secundum omnes qualitates debitas; sicuti impedit in primis aliis allatis exemplis de emittente votum donandi Crucem centum aureorum Ecclesiæ, & de Beneficiariis adstrictis dare superflua in eleemosyna; Sic recte tradunt Lugo *loc. cit. num.* 70. Sporer *loc. cit. num.* 132. & alii.

Item licet quis non teneatur ad restitutionem talis recepti pretii ex debito Justitiæ, potest tamen obligari ex dispositione Juris positivi inhabilitantis ad acquirendum dominium talis pretii; Jus enim positivum in pluribus obligat ad restitutionem, & signanter ad restitutionem pretii simoniace accepti in materia Beneficiorum Ecclesiasticorum, *c. de hoc* 11. *de Simonia*. Item ad restitutionem pretii simoniace accepti in materia electionum ad Dignitates, & Officia Ecclesiastica. *Extravagant. Cum detestabile* 2. *de Simonia inter Communes*. Item ad restitutionem pretii simoniace accepti pro ingressu in Religionem. *Extravagant. Sane* 1. *de Simonia inter Communes*. Item ad restitutionem pretii simoniace accepti pro administratione Ordinis, aliorumque Sacramentorum, & Sacramentalium; De Jure enim Divino hæc sunt gratis administranda; *Matthæi* 34

Responsio Auctoris.

Quomodo potest a Theologo dici hic casu metaphysicus, cum de ipso passim tractent Auctores, & de acquisitis per artem magicam disponant leges? Quod certe non fieret, si non supponeretur dæmonem furari quandoque a Deo ob sua justa & inscrutabilia judicia permitti, & hoc permittente, posse resciri.

thæi 10. *Gratis accepistis, gratis date*; Unde si pro tali administratione aliquid accipiatur, est restituendum. Item ad restitutionem pretii accepti ab Ecclesiasticis Visitatoribus ratione Visitationis; Ipsi enim graviter peccant, & ad restitutionem tenentur ex speciali dispositione Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* & sic de aliis.

35 Ordinarie loquendo Restitutio est facienda ei, a quo aliquid injuste acceptum est, vel cui damnum illatum est, si adhuc vivus sit, vel ejus heredi, si sit mortuus. *Communissima*, nec indiget probatione, cum satis de se clare pateat.

36 Dicitur notanter *ordinarie loquendo*, quia in pluribus casibus restitutio non est facienda domino, & signanter res accepta a possessore justo, & bonæ fidei, est ipsi restituenda, & non domino. Unde si sit accepta res commodata, depositata, oppignorata, locata, & hujusmodi, restituenda est commodatario, depositario, oppignoratario, locatario, & hujusmodi, quia cum isti juste possideant rem, & eam custodiant, vel ipsa utantur, eisdem proprie infertur injuria per ablationem ejusdem rei; cum injuste priventur sua possessione, & usu ejusdem rei; adeoque est eis restituenda, aliter si restituatur domino, & justus possessor patiatur inde aliquod damnum, est de omni interesse indemnizandus. *Communis*.

37 Item furans a Molitore farinam, a Fullone pannum, a Sartore vestem, & hujusmodi, tenetur ipsis, & non dominis restituere; quia si restitutio fieret dominis, exponerentur illi periculo amittendi pretium laboris, & insuper periculum esset, ne ob præsumptam incuriam in custodiendis rebus sibi traditis eorum Officina desereretur; Unde si ex tali restitutione facta dominis eveniret illis aliquod nocumentum, essent ipsi indemnizandi. *Communis*.

38 Item res ablata a Tutoribus, vel Curatoribus, est ipsis restituenda, & non Pupillis, aut Minoribus, seu furiosis, & amentibus, quia licet isti sint rei restituendæ domini, secundum Jura tamen non habent administrationem. *Communis* per text. *in* §. *Furiosus* 8. *&* §. *Pupillus* 9. *Inst. de inutilibus Stipulationibus*, *l. Obligari* 9. *ff. de auctoritate, & consensu Tutorum & Curatorum*, cum similibus.

39 Item surripiens a Religioso, Uxore, Filio-familias, & similibus res in usum ipsis legitime concessas, tenetur ipsismet restituere, non autem Monasterio, Marito, Patri, & hujusmodi, nisi certus sit reddendas esse postea ipsis usuariis, quia Usuarii injuste privantur Jure, quod legitime habebant ad usum rerum illarum; Si autem a Religioso, Uxore, Filiofamilias, & similibus auferatur aliquid, quod non est ipsis legitime concessum in usum, seu administrationem, tunc non ipsis est restituendum, sed Monasterio, Marito, Patri, & hujusmodi: aliter si supradictis restituatur, & inutiliter dissipetur, esset obligatio restitutionis. *Communis*. *

40 Item non est res ablata restituenda domino, quando prævidetur ipsi, aut alteri in spiritualibus, & temporalibus obfutura; Unde non est ei restituendus gladius, si prævideatur ipse, aut alter occidendus; Non est ei reddenda Clavis adulterina, si prævideatur ea usurus ad furandum, & sic de similibus; Sic non est restituenda pecunia domino volenti cum ea corrumpere mulierem, luxuriose vivere, injuste litigare, simoniam committere, & similia in pernicem spirituali sui, vel alterius perpetrare, sed est differenda ipsi restitutio, donec sint remota talia pericula. *Communis*.

41 Item non est facienda domino restitutio, quando est multum distans, adeo ut non possit res restituenda ad ipsum transmitti, nisi cum expensis excedentibus, vel adæquantibus valorem ipsius rei: Tunc enim expectanda est commodior restitutionis occasio: quæ si desperetur, est facienda restitutio suis propinquis, si habeat, vel in eorum defectu pauperibus, nomine quorum veniunt Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria indigentia, celebrationes Missarum, & alia similia pia opera. *Communis*. **

Quan-

Notæ Romani Theologi.

* Quare non etiam Monasterio, Marito, Patri &c.? id aliquibus non probatur.

Responsio Auctoris.

At *ibi* a me est assignata clara ratio, quare, & quando debeant dictæ res restitui Religioso, uxori, Filiofamilias, & hujusmodi, & quando non ipsis, sed Monasterio, Marito, Patri &c. Videat ibi eruditus Lector, & pronunciet.

** Expectanda quidem commodior occasio; & si hæc desperetur, restitutio facienda est omnimode domino rei ablatæ, aut propinquis.

Responsio Auctoris.

Sed ego jam tradidi, quod si desperetur commodior occasio, restitutio facienda est suis propinquis, si habeat, & solum in eorum defectu pauperibus, vel locis piis, cum hac tamen advertentia, quod adveniente restituendi domino commodiori occasione, seu ipso comparente, & res adhuc extent in individuo, debent a pauperibus, vel loco pio restitui; & si fuerint consumptæ, & pauper, seu locus pius inde factus sit ditior, debet restitui id, in quo factus est ditior, ut in similibus trado ego *ibi* sub *n.* 53. Cum quantis autem impensis teneatur fur restituere rem furatam, cum in hoc variæ sint sen-

42 Quando non constat de vero domino, seu legitimo rei possessore, facienda est ad ipsum inveniendum diligens inquisitio juxta bonorum qualitatem, idest major, vel minor pro gravitate, vel levitate rei, quia antequam sit facta talis inquisitio, non debet haberi dominus pro ignoto; Hinc si res inventa sit magni valoris, v. g. bursa cum 100. aureis, debet fieri inquisitio, non solum in loco, ubi reperta est, sed & in Pagis, & Civitatibus vicinis; immo etiam in remotis, in quibus adest probabilitas ipsum reperiendi, faciendo quod aliquoties promulgetur e Cathedra, quod affigatur scheda ad locorum compita id notificans, aut quod imprimatur in novellis publicis: Si autem res inventa sit parvi valoris, ut annullus ordinarius, bursa cum paucis nummis, sufficit, quod promulgetur in Ecclesiis, seu Scholis, aut vicis loci rei inventæ. *Sic Doctores communiter.*

43 Si pro tali inquisitione essent ab inventore rei faciendæ aliquæ expensæ, desumendæ essent ex ipsis domini ignoti bonis, quia Jus tum Civile, tum Canonicum nullum gravamen imponit bonæ fidei possessori; unde possessor bonæ fidei deducere potest expensas factas pro rei conservatione, & pro ignoti domini inquisitione, ut patet ex *l. Possessor, ff. de petitione hereditatis*. Secus autem dicendum est de possessore malæ fidei, ut si quis non ex inventione, sed ex injusta actione haberet aliena bona, tunc enim expensas pro inquisitione domini deberet facere ipsemet injustus possessor, & debitor, quia Justitia postulat, ut nullum incurrat dominus nocumentum propter alterius injustitiam, cum peccata suos debeant tenere auctores; *l. Sancimus 22. ff. de pœnis, cap. quæsivit 2. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, ut expresse statuitur *in cap. Non debet 22. de Regul. Juris in 6.* & rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, ut præcise habetur *in cap. Cognoscentes 2. de Constitutionibus*.

44 Si dominus reperiatur, tenetur inventor ei restituere. *Communis*, textu expresso *in cap. si quis 6. & c. Multi 8. caus. 14. num. 5.* Vide verb. *Dominium art. 3. num. 17.*

45 Si post factam dictam diligentiam non reperiatur dominus, res, seu pecuniæ inventæ sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicandæ, nisi ipse inventor pauper sit, quia tunc posset sibi reservare in toto, vel in parte, considerata quantitate rei inventæ, ac inopiæ suæ. Vide *dict. verb. Dominium a nu. 18. ad n. 20.* (*). Consulendi tamen sunt prudentes viri, nec nisi ex eorum sententia aut pars, aut tota bona inventa retinenda sunt, ut monet Concina in Compend. Theol. Christian. lib. IX. dissert. 1. cap. V. num. 3. Confer Cuniliati tract. IX. de VII. Decalog. Præcept. cap. II. §. IX. num. IV. (*).

Opposita tamen sententia defenditur a plurimis Classicis Doctoribus. Vide *ibid. n. 20.* 46

Si res inventa derelicta fuerit, fit inventoris, qui primo occupat. Vide *ibid. num. 22.* 47

Si res inventa sit de illis, quæ numquam dominum habuerunt, fit primo occupantis. Vide *ibid. numer. 23.* 48

Merces, aut quævis alia bona reperta in littore maris, aut fluminis post naufragium, non sunt primo capientis, aut Fisci, sed domino restitui debent. Vide *ibid. num. 24.* 49

Piscantes bona naufraga in mari, tenentur restituere domino, sicuti debent domino restitui ea, quæ eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione &c. & etiam oves, aut alia animalia ex lupi faucibus erepta. V. *ibid. num. 25.* 50

Habens ex delicto bona incerta, debet restituere locis sacris, vel pauperibus, uti de pretio usurario definivit Alexander III. *in cap. Cum tu 5. de usuris*, ibi: *Qui sive ante, sive post Interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per pœnam, quam statuimus in Concilio, eas his a quibus extorserunt, vel eorum heredibus restituere, vel his non superstitibus, pauperibus erogare*. Si autem iniquus detentor sit ipsemet æque pauper, & egens, ac alii pauperes, quibus restituere deberet, aut similiter pauperes consanguineos habeat, licite sibi applicare, aut consaguineis conferre potest etiam propria auctoritate sine præscripto Episcopi, vel Parochi, in toto, vel in parte, considerata quantitate bonorum detentorum, & sua, vel consanguineorum inopia; Dummodo tamen talis inopia sit evidens & certa. Sic La Croix *lib. 2. P. 2. n. 94.* cum S. Thoma, Scoto, Navarr. Gabriel. Medina, Layman, Molina, Vasquez, Sanchez ibi citatis, aliique multi cum Illsung *tom. 4. d. 2. n. 250.* Sporer *tom. 2. tract. 4. n. 106.* ubi dicit, quod ex communi sic docent Molina *disp. 617.* & Lessius *lib. 2. c. 14. dub. 6.* Et ratio est, quia inopia certa & evidens, est etiam pro ipso iniquo detentore, vel suis consanguineis sufficiens causa retinendi, cum talis, vel tales non sint deterioris conditionis, quam alii pauperes; insuper Lugo *disp. 20. num. 8.* Ilsung *loc. cit. num. 191.* & alii, addunt, iniquum detentorem posse etiam retinere, & sibi applicare, si debitis ultra vires gravatus esset, quia tunc re ipsa pauper, & inops esset: Cavere tamen debet similis injustus debitor, ut recte monent supracitati Doctores, ne in propria causa cæco judicio decipiatur, & fraus absit; Vix enim sibi retinere poterit, nisi sit adeo evidens ejus necessitas, ac inopia, quæ etiam eum alias a restitutione excusaret: Alioquin enim aperiretur via ad furanda aliena sub iniqua spe, quod domino postea non comparente, prætextu inopiæ non teneretur fur ad restitutionem. (*) Vide addit. ad num. 45. (*) 51

Si facta debita & sufficienti inquisitione, & domino 52

sententiæ Auctorum, attendendæ sunt pro certa regula omnes circumstantiæ, nempe quantitas, seu valor rei furatæ, paupertas, & necessitas tum furis, tum domini rei, distantia, seu mutatio locorum, magnitudo damni tam creditoris, quam debitoris formaliter & comparative ad subjectum: An creditor hic & nunc sit, vel non sit rationabiliter invitus circa omissionem vel dilationem restitutionis, & hujusmodi.

mino non comperto, habens bona incerta, ipsa distribuerit pauperibus, vel sibi æque pauperi retinuerit, quamvis postea compareat dominus, nec ipse, nec alii pauperes teneri videntur aliquid restituere, si ipsa bona fide jam consumpserint, nec ex ipsis ditiores sint facti. Sporer *loco cit. num.* 105. & ipso
53 teste *Communis aliorum*. Si autem, comparente domino talia bona necdum sint consumpta, sed adhuc extent in individuo, debent a paupere, vel loco pio, cui fuerunt applicata, restitui; & si fuerint consumpta, & pauper, seu locus pius inde sit factus ditior, debet restitui id, in quo factus est ditior: & ratio est, quia prior distributio videtur facta hac conditione, si dominus non comparuerit; alioquin negotium ejus esset male gestum, adeoque, si dominus compareat, sunt ei dicta bona restituenda, cum talis distributio evadat invalida, ex quo actus sub conditione celebratus, conditione non completa, nullum operetur effectum, *arg.* §. *Ex conditionali Stipulatione*, *Instit. de verbor. obligatione*; & *l. unica* §. *Sin autem*, *Cod. de caducit. tollend.* Tum quia nemo debet ex re alterius ditescere, *cap. Locupletari* 48. *de Regul. Juris in 6.* ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*. Ita Lessius *l.* 2. *cap.* 14. *dub.* 7. Molina *disp.* 746. Diana *part.* 11. *tract.* 8. *Resolut.* 14. Henno *l. c. q.* 4. *Conclus.* 3. *resolut.* 3. Felix Potestas *l. c. n.* 2718. La Croix *loc. cit. n.* 95. cum Layman, Castropal. Petschacher ibi citatis, & alii contra Sotum, Henriq. Petrum Navarr. Cajetan. Bonacin. & alios cum Lugo *disp.* 31. *n.* 32. dicentes non esse obligationem restituendi, etiamsi res adhuc extaret, quia pauper, vel locus pius acquisivit dominium, cum ei in eleemosynam erogata fuerit, quando dominus non poterat censeri rationabiliter invitus.

54 Si ante distributionem non præcessit debita diligentia pro inveniendo domino, & talia bona adhuc existant apud pauperem, vel locum pium, hi tenentur illa restituere, & in horum defectu ille, qui sine dicta debita diligentia distribuit, quia tunc tranferri non poterat dominium, cum dominus esset rationabiliter invitus, & qui sic distribuit, injuriam fecit vero domino, injuste privando eum spe recuperandi bona sua; Culpa enim sua dominum ignoravit, & ob culpam alterius non debet quis privari suis bonis, *cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris in 6.* ibi: *Non debet aliquis alterius odio prægravari*, *cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*: Peccata enim suos debent tenere auctores, *l. Sancimus* 22. *de Pœnis*, *cap. Quæsivit* 2. *de his quæ fiunt a ma-*
55 *jori parte Capituli*. *Communis*. Et si dicta bona fuerint in tali casu bona fide consumpta a pauperibus, vel loco pio, nec ex eis factus sit ditior, tunc pauper, seu locus pius ad nihil tenetur, sed solus ille restituere tenetur, qui sine debita diligentia distribuit, cum ipse solus injuriam fecerit domino sic culpabiliter distribuendo. *Communis* per Jura adducta.

56 In debitis quibuscumque sive ex delicto, sive ex contractu ex re accepta, vel inventa, quando facta inquisitione sufficienti dubitatur, quis ex duobus, vel tribus sit rei dominus, non est talis res danda pauperibus, sed proportionate ad dubium inter ipsos dividenda; Tunc enim non potest dici simpliciter ignotus dominus, cum cognoscatur unum ex illis esse dominum. Unde si post factam debitam inquisitionem non appareat ratio sufficiens, cur sit potius hic, quam alter, æquitas postulat, ut proportionate ad dubium fiat inter ipsos divisio; Ipsis autem non sic consentientibus res committenda est arbitrio & auctoritati Judicis. *Communis*.

Pro damnis illatis immediate alicui Civitati, Oppido, Communitati, Collegio, & hujusmodi, quæ 57
faciunt unum corpus ex multis, restitutio est facienda imediate ipsi Communitati, non autem particularibus Civibus, aut Personis, quia læsio facta fuit immediate ipsi Communitati, & non particularibus Personis; & sic facta restitutione Administratoribus talis Communitatis, per ipsos providebitur particularibus Personis. *Communis*.

Pro damnis illatis immediate particularibus Per- 58
sonis, ut in minutis furtis panis, vini, olei, carnis, & similium mensura minori, vel statera dolosa, restitutio est facienda ipsis particularibus Personis solitis suas frequentare Officinas, vendendo deinceps viliori pretio, aut meliori pondere, vel mensura, ut sic, quantum fieri potest, compensetur damnum paulatim refundendo, quod paulatim est ablatum. Sporer *loc. cit. num.* 117. Henno *loc. c. quæst.* 5. *conclus.* 2. *resolut.* 2. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 19. Busemb. *lib.* 3. *part.* 2. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 2. Molina, & alii passim; Vasquez, & Escobar cum paucis aliis exceptis dicentibus esse probabile, quod possit dari pauperibus præsertim ejusdem Civitatis. Si autem damna sint illata extraneis 59
omnino ignotis, nec solitis suas frequentare Officinas, tunc revera restitutio est facienda pauperibus, seu aliis piis locis. Henno *loco citat.* & alii communiter.

An, & quibus restituendi sint Thesauri inven- 60
ti. Vide verb. *Dominium artic.* 3. *a numer.* 27. *ad* 45.

Capientes animalia in leporariis, vivariis, sta- 61
gnis, silvis non amplis, & circumdatis, an, & quibus restituere teneantur? Vide *ib. num.* 8.

Animalia domestica, seu naturaliter mansueta, 62
sicut & ferina mansuefacta quandiu redire solent, non sunt primo capientis, etiam si longe aberraverint, sed sunt domino comparenti restituenda. Vide *ibid. n.* 9.

Feram, aut avem lethaliter vulnerans, & eam in- 63
sequens moraliter certo capturus acquirit ejus dominium, & si ab alio capiatur, est ei restituenda. Vide *ibid. n.* 10.

Si vero fera, aut avis sit ita leviter vulnerata, ut 64
adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis, nec tenetur restituere ei, qui eam sic leviter vulneravit. Vide *ibid. numer.* 11.

Si autem dubium foret, an qui vulneravit, ratio- 65
ne talis vulneris esset capturus, nec desiisset prosequi feram vulneratam, tunc de æquitate esset dividenda inter vulnerantem, & capientem. Vide *ib. numer.* 12.

Item si quis animal vagum insequatur, & illud 66
in

in retia alterius incidat, tunc uterque habet Jus illud capiendi; Unde de æquitate esset inter ipsos dividendum. Vide *ib. num.* 13.

67 Si piscis reperiatur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem; Secus si piscis adhuc poterat se eripere illis retibus. Vide *ib. num.* 14.

68 Quando apes ex proprio alveario ita evolant ut illarum reversio, vel apprehensio desperetur, tunc licite possunt a quolibet apprehendi sine obligatione restitutionis, etiamsi forent in fundo prioris domini. Vide *ibidem num.* 15.

69 Si autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, maxime si ipsum apertum retineat etiam ad hunc finem; Unde si quis inde eas eriperet, teneretur ipsi restituere. Vide *ib. n.* 16.

70 Qui pecuniam, vel quamlibet rem alienam ab ipso furatam, vel ab alio fure mala fide acceptam ita cum propria commiscuit, ut discerni amplius nequeat, tenetur resarcire totum damnum domino pecuniæ. Vide *ib. n.* 82.

71 Qui pecuniam furtivam accepit bona fide in solutionem alicujus debiti, & sic bona fide cum sua pecunia commiscuit, postea comparente domino pecuniæ, ad nihil tenetur. Vide *ib. num.* 83.

72 Qui autem pecuniam furtivam accepit bona fide gratis, vel lucratione, & ita commiscuit cum sua licet non teneatur eam restituere in individuo, tenetur tamen restituere domino in æquivalente. Vide *idib. num.* 84.

73 Emens bona fide rem furtivam, seu alienam, tenetur eam restituere domino statim, ac rescit esse suam. Vide verb. *Contractus Emptionis art.* 2. *numer.* 1.

74 Nec talis emens bona fide rem furtivam restituendo eam domino, potest ab ipso repetere expensum pro ea. Vide d. verb. *Contractus Emptionis art.* 2. *numer.* 2.

75 Immo non tantum rem ipsam furtivam, sed & omnes ejusdem rei fructus adhuc extantes, & quos collegit, & consumpsit a tempore cognitæ rei furtivæ, & eos, ex quibus jam antea bona fide perceptis factus est ditior, tenetur Emptor in utroque Foro restituere domino. Vide *ibid. n.* 3.

76 Emens bona fide rem furtivam probabilius non potest eam reddere furi, si prævideat non esse reddendam domino, etiamsi aliter pretium suum recuperare non possit, sed debet eam restituere domino. Vide *ibid. n.* 6.

77 Revera tamen est etiam probabile, quod talis Emptor possit rem furtivam reddere furi ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum. Vide *ibid. num.* 7. (*). Consulantur quæ ad cit. loc. adnotavimus. Hic autem illud unum addimus, ab eo, qui rem furtivam domino restituerit, monendum furem, ne perseveret in peccato, putans se teneri restituere, vel ne iterum restituat cum suo damno. Ita Antoine de Iustitia & Iure cap. V. quæst. 1. (*).

78 Emens rem pecunia furtiva, licet acquirat ejus rei dominium, obligatur tamen ad resarciendum omne damnum, ac lucrum cessans illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam venditori casu, quo pecunia ab ipso evincatur. Vide *ibid. num.* 8.

Venditor autem non acquirit dominium talis pecuniæ furtivæ, sed eam debet comparenti domino restituere, si adhuc in specie extet; non tenetur vero restituere si eam jam consumpsit, vel cum propriis nummis ita commiscuit, ut amplius discerni nequeat. Vide *ib. n.* 9. 79

Alia ad rem. Vide d. verb. *Contractus Emptionis art.* 2. 3. *&* 4. & verbo *Possessor bonæ, & malæ fidei*. 80

Quibus facienda sit restitutio pro rebus in bello captis, & damnis causatis? Vide verb. *Bellum artic.* 2. *&* 3. 81

Bona vacantia, idest quæ relicta sunt a defuncto, qui nec heredes habuit, nec quidem intra decimum gradum, nec de bonis illis disposuit, quamvis Jure naturæ sint primo occupantis, ex quo sint bona derelicta; tamen per *l. Scire* 1. *l. Vacantia* 4. *& l. Si vacantia* 5. *C. De bonis vacantibus, & de incorporatione*, devolvuntur ad Fiscum, & quidem ad sæcularem, si defunctus fuit Laicus, & ad Ecclesiasticum, si defunctus fuit Clericus; Layman *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 6. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 104. ubi notat, quod Amicus *de Justitia disp.* 16. *n.* 6. non putat possessorem ante Judicis sententiam teneri hæc bona Fisco tradere, nam in eadem Lege dicitur intra certum tempus posse præscribere contra Fiscum, adeoque supponitur posse retinere bona fide, cum mala fide nunquam præscribatur; ut expresse cavetur *in Capite Possessor* 2. *de Regulis Juris in* 6. ibi: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. 82

Restitutio ordinarie facienda est statim ac quis cognoscit se esse rei alienæ debitorem, seu injustum detentorem. *Communissima*. Ly autem *Statim* quoad actum internum, seu propositum restituendi sumendum est *Mathematice*, idest in eodem puncto, quo quis advertit se esse rei alienæ debitorem, seu injustum detentorem, debet concipere propositum, & habere verum animum restituendi. *Communis*. Et ratio est, quia præceptum restitutionis ex natura sua simul (& quidem in sententia Scoti *in dist.* 15. *qu.* 2. ac aliorum communiori) principaliter est negativum, scilicet non retinendi rem alienam, ratione cujus reducitur ad septimum præceptum Decalogi *Non furaberis*; Præceptum autem negativum ita obligat semper, & pro semper, ut quocumque momento velle oppositum, peccatum sit, adeoque quocumque momento, & consequenter *Statim Mathematice* tenetur quis nolle retinere alienum, seu quod idem est, velle restituere, vel habere animum restituendi. 83 84

Ly *Statim* vero quoad actum externum executionis, seu quoad realiter externam exequendam, seu faciendam restitutionem, sumendum est solum *moraliter*, idest quamprimum moraliter, & commode quis restituere poterit absque aliquo notabili æquali, vel graviori incommodo proprio, quam sit Creditori proveniens ex dilata restitutione sui debiti; *Communis*. Et ratio est, quia licet præceptum restitutionis, quatenus negativum est, obliget semper, & pro semper non detinere rem alienam, & consequenter quoad actum internum, seu propositum, vel voluntatem internam restituendi obliget statim *Mathematice*, quatenus tamen simul affirma- 85

firmativum est præcipiens actum externum realiter, & effective, seu executive restituendi, obligat quidem semper, sed non pro semper, idest non obligat pro quocumque tempore indivisibili, sed solum pro tempore divisibili, quo attenta opportunitate loci, temporis, & personæ restitutio moraliter commode fieri potest; Nemo enim sanæ mentis potest dicere, quod si quis de nocte in lecto decumbens, seu de die in mensa accumbens recordetur se teneri ad alicujus rei restitutionem, debeat statim *Mathematice*, idest in illo puncto recordationis a lecto, seu mensa surgere, & ad rem illam Domino restituendam pergere, quin possit ad opportunum tempus, & locum restitutionem illam differre.

86 Restitutio debitorum ex delicto formali injustæ acceptionis, vel damnificationis, facienda est statim moraliter quamprimum absque notabili incommodo fieri potest; *Communis*. Et ratio est, quia Debitor ex delicto, si non restituat statim moraliter cum primum commode potest, est iniquus Detentor toto tempore dilatæ restitutionis commode factibilis, ergo ne sit iniquus Detentor, tenetur restituere statim moraliter quam primum absque notabili incommodo restituere potest.

87 Hinc si Debitor ex delicto, habita opportunitate restituendi, seclusa omni legitima excusatione, non statim *moraliter* restituat, sed differat, & peccat mortaliter, quia est in continua moraliter injusta acceptione seu damnificatione, & insuper tenetur in conscientia restituere Domino, seu Creditori omne interesse lucri cessantis, & damni emergentis ipsi ex illa culpabili sua mora restituendi debita ex delicto: *Communis*. Et ratio est, quia Dominus, seu Creditor non solum privatus est injuste ipsa re sua principali, sed etiam passus est injuste illud interesse lucri cessantis, & damni emergentis ex culpa Debitoris ex delicto; ergo Debitor ex delicto, si non restituat statim moraliter quam primum absque notabili incommodo restituere potest, ultra peccatum mortale incurrit etiam onus retsituendi Creditori omne interesse lucri cessantis, & damni emergentis, cum nisi ei restituatur utrumque, non fiat æqualitas Justitiæ cum ipso.

88 Restitutio debitorum ex re accepta tantum a possessore bonæ fidei, facienda est statim *moraliter*, quam primum absque notabili incommodo fieri potest, postquam ipse possessor cognovit rem esse alienam; Tunc enim tenetur dictus possessor statim *moraliter*, cum primum commode potest, restituere ipsammet rem, si adhuc extet; vel si non amplius extet, id in quo ex ipsa factus est ditior; *Communis*. Et ratio est, quia si ulterius rem ipsam, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior, voluntarie detineat, cum commode restituere possit, jam de possessore bonæ, evadit possessor malæ fidei, culpabiliter damnum inferens Creditori, seu Domino; ergo ne evadat culpabilis possessor malæ fidei, debet statim *moraliter* cum primum commode potest, restituere.

89 Hinc si talis Debitor ex re accepta, seclusa omni legitima excusatione, ad longum tempus voluntarie differat dictam restitutionem cum gravi præjudicio Domini, seu Creditoris rationabiliter inviti de tali dilatione, seu mora restituendi, & graviter peccat, & tenetur restituere ipsi omne interesse lucri cessantis, & damni emergentis; *Communis*. Et ratio est, quia sic ulterius detinens rem ipsam, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior, jam ex tunc fit possessor malæ fidei, & injustus Detentor, ergo ratione injustæ detentionis, & moræ graviter culpabilis graviter peccat, & tenetur restituere, nedum ipsam rem adhuc extantem, sed id, in quo ex ipsa factus est ditior, sed etiam omne interesse lucri cessantis, & damni emergentis. Ad talem enim restitutionem tenetur injustus Detentor, & possessor malæ fidei, ut tradunt communiter Doctores, & patet ex dictis sub verb. *Possessor bonæ, & malæ fidei*.

Quanta autem requiratur dilatio in tali Debitore, ad hoc ut peccet mortaliter, & teneatur sub gravi onere ad omnem dictam restitutionem, pendet a prudentis viri judicio, attentis, & bene perpensis variis circumstantiis, videlicet attenta temporis longitudine, restituendi opportunitate, ipsius Domini, seu Creditoris renitentia, & detrimento, & hujusmodi, quæ si prudenter reputentur gravia, gravem inducunt culpam, & obligationem restituendi, & si levia, levem inducunt culpam, & levem restituendi obligationem. *Sic Doctores communiter*. 90

Mora illa, seu dilatio restituendi in tali debitore ex re accepta tantum, ad hoc, ut inducat culpam, & obligationem restituendi Domino etiam interesse lucri cessantis, & damni emergentis, non est computanda a tempore, quo fuit accepta, sed solum a tempore, quo quis cognovit rem esse alienam, & adhuc ulterius eam invito Domino injuste retinuit; Ab isto enim solo tempore incæpit esse culpabilis, & injustus possessor malæ fidei, & non antea, cum supponatur fuisse ab ipso talem rem bona fide & sine ulla culpa acceptam. Possessor autem bonæ fidei pro tempore durantis suæ bonæ fidei ad nihil tenetur, sed ex re accepta, & detenta tenetur tantum ab illo tempore, quo cognovit esse alienam, restituere ipsammet rem, si adhuc extet, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior; si non amplius extet, & si durante sua bona fide eam totaliter consumpsit, nec ex ipsa factus sit ullo modo ditior, ad nihil omnino restituendum tenetur, ut docet *Communis Doctorum*. 91

Item si possessor bonæ fidei etiam a tempore, quo cognovit rem esse alienam aliquanto tempore ob inopiam v. gr. vel impotentiam, non fuit in ulla culpa, seu culpabili mora restituendi, & alio tempore fuit in culpa, seu culpabili mora restituendi, in tali casu tenebitur solum ad restituendum interesse correspondens illi tempori, quo fuit in culpa; non tamen ad restituendum interesse correspondens illi tempori, quo non fuit in ulla culpa. *Communis*. 92

Restitutio debitorum ex contractu, facienda est statim *moraliter*, postquam impletum est tempus inter contrahentes præfixum, seu conventum. *Communis*; Et ratio est, quia, ut expresse dicitur *in cap. Contractus 85, de Regul. Juris in 6. Contractus ex conven-* 93

ventione legem accipere dignoscuntur, adeoque, si inter contrahentes sit tempus præfixum, seu conventum, omnino servandum est, quantum sine notabili incommodo fieri potest, idque etiamsi Creditor non admoneat Debitorem, cum dies præfixa interpellet pro homine, ut expresse habetur *in cap. Potuit* 4. *de Locato*, *& conducto*, ibi: *Non obstante quod ei, ut Canonem solveret, non extet nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet*, & concordat *l. Magnam* 12. *Cod. De contrahenda emptione*.

94 Hinc Debitor ex Contractu, si tempore præfixo elapso sine ulla legitima causa excusante sit in mora mortaliter culpabili restituendi, seu solvendi, & peccat mortaliter, & tenetur restituere etiam omne interesse lucri cessantis, & damni emergentis ipsi Creditori ex tali culpabili mora solvendi. *Communis*. Et ratio est, quia tunc Debitor illa sua culpabili mora injustum damnum causat Creditori; Est enim causa, quod patiatur illud grave interesse lucri cessantis, & damni emergentis, quia, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, *cap. Si culpa 9. de injuriis, & damno dato*, *l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. Ad Legem Aquiliam*, adeoque si sine legitima causa excusante, ex sua mora mortaliter culpabili restituendi, seu solvendi, grave damnum lucri cessantis, & damni emergentis inferat Creditori, & graviter peccat, & graviter tenetur ad totius dicti damni restitutionem.

95 Quilibet Debitor, sive ex delicto, sive ex re accepta, sive ex contractu potens commode solvere simul totum debitum, non satisfacit suæ obligationi restituendo successive per partes. *Communis* per textum *in l. Tutor* 41. §. *Lucius*, *ff. De usuris*, *l. Plane* 3. *ff. Familiæ erciscundæ*. Et ratio est, quia Debitor in tali casu detinet alienum rationabiliter invito domino, adeoque si commode possit totum simul restituere debitum, & sine saltem rationabiliter præsumpto consensu Creditoris restituat solum successive per partes, peccat contra Justitiam graviter, vel leviter, prout gravis, vel levis est materia, & mora solvendi.

96 Debitor habens animum continuatum non restituendi, cum commode potest, manet in continuo peccato mortali, si materia restituenda sit gravis. *Communis* per text. *in c. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *quæst.* 6. ubi ex verbis S. Augustini sic præcise habetur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non admittitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si ut dixi, restitui potest*. Et concordat *cap. Cum tu* 5. *De usuris*, ibi: *Cum juxta verbum Beati Augustini non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum*, *& cap. Peccatum* 4. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*.

97 Immo in hoc voluntario animo non restituendi continuato per longum tempus, seu in hac voluntaria injusta detentione rei alienæ tot committuntur peccata numero distincta, quoties animus, seu voluntas, vel propositum non restituendi formaliter, vel virtualiter interrumpitur, aut reassumitur. *Communis*. Vide dicta sub verb. *Peccatum a n.* 29. *ad* 34. ubi de distinctione numerica peccatorum.

Debitor, qui non vult quam primum commode 98
poterit, restitutionem facere, seu vult solum illam facere per partes, cum possit commode restituere totum simul, seclusa justa causa excusante, non potest a Confessario absolvi. *Communis*; Et ratio est, quia ipse non habet firmum, & absolutum propositum evitandi grave peccatum, quale est, ut supra diximus, non restituere statim *moraliter*, cum primum commode potest, aut restituere solum per partes, cum commode potest totum simul, adeoque seclusa justa causa excusante, talis Debitor non potest absolvi.

Ad absolutionem tamen conferendam non præ- 99
requiritur restitutio realis, seu externa, & executiva, sed sufficit restitutio mentalis, seu interna, idest firmum propositum restituendi cum primum commode poterit. Aliqua enim justa interveniente causa differendi restitutionem, potest Debitor interim absolvi cum solo dicto firmo proposito illam faciendi in proximum. *Communis*.

Debitor autem, qui bis, vel ter, aut pluries in 100
aliis Confessionibus jussus restituere, non restituit, cum facile & commode potuisset, regulariter non est absolvendus, nisi prius re ipsa restitutionem fecerit. *Communis*; Et ratio est, quia talis Debitor est in voluntario proximo periculo iterum culpabiliter omittendi debitam restitutionem, sicque noviter peccandi, adeoque sicut concubinarius, qui sæpius jussus concubinam ejicere, semper promisit, & nunquam ejecit, nequit, nisi vere prius ejiciat, absolvi; ita Debitor, qui sæpius jussus restituere, semper promisit, & nunquam restituit, nequit absolvi nisi prius vere, & realiter restituat, si commode possit. Si autem ex nova superveniente cau- 101
sa, seu circumstantia non posset pro tunc restituere sine maximo suo incommodo, posset, accedente vero & firmo proposito restituendi cum primum commode poterit, iterum absolvi, quamvis prius commode potuisset, & non restituisset; In tali enim casu haberet justam causam differendi dictam sestitutionem, quamvis prius graviter peccaverit non restituendo, quando commode potuit. *Communis*.

Debitor, qui commode potest restitutionem fa- 102
cere in vita, & non vult restituere nisi in articulo mortis, vel post mortem per suos heredes, nec debet, nec potest a Confessario absolvi. *Communis*. Et ratio est quia talis Debitor est simpliciter indispositus ad absolutionem, cum semper sit in actuali continuo peccato, & impœnitens, ut patet ex dictis *supra num.* 96. per Jura ibi allata; Semper enim est in actuali continua injusta detentione rei alienæ, cum ex dictis gravem habeat obligationem restituendi statim moraliter, cum primum commode poterit: Tum quia moribundus, qui potest, salva fama, commode ipse per se restituere, & onus restitutionis vult suis relinquere heredibus, ultra quamquod peccat graviter non restituendo statim moraliter, sicut graviter obligatur, exponit cum gravi injuria, & damno Creditorum dictam restitutionem periculo omissionis, cum ordinarie heredes sint ipso Testatore negligentiores; adeoque cum gravis sit culpa non restituere statim moraliter cum primum commode potest, & etiam

& etiam grave peccatum sit propriam gravem obligationem in alios transferre sine justa causa, maxime accedente gravi damno aliorum, uti in hoc casu, talis moribundus nequit tanquam indispositus absolvi, nisi ipse per se restituat, si commode, salva sua fama, id possit ante suam mortem. Si autem talis moribundus esset Debitor, qui non posset ante suam mortem de per se restituere sine infamia, posset per Testamentum aut Codicillum tantum, quantum debet, suo Creditori legare, aut per Confessarium, vel aliam probæ fidei Personam modo secreto ad suam famam tuendam, debitam facere restitutionem. *Communis*.

Articulus IV.

Ubi, quomodo, & quo ordine facienda sit restitutio?

1 Restitutio ex delicto, seu ratione injustæ acceptionis, detentionis, vel damnificationis facienda est in loco, in quo dominus, seu Creditor rem suam haberet, si ei injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset. *Communis*: Et ratio est, quia obligatus ex delicto rem domino, seu Creditori restituere, tenetur ita restituere, ut dominum, seu Creditorem servet omnino indemnem; cum justum non sit, ut quis innocens ex alterius culpa sentiat damnum, & pœnam, *c. Cognoscens 2. de constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, *cap. Non debet 22. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Non debet aliquis alterius odio prægravari*; Atqui dominus, seu Creditor non servatur omnino indemnis, nisi debitor ex delicto faciat ei restitutionem in loco, in quo rem suam haberet, si injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset, quandoquidem teneretur pati damnum translationis cum expensis, & incommodis ad ipsam necessariis, ergo &c.

2 Hinc ut dominus, seu Creditor servetur omnino indemnis, restitutio in tali loco facienda est expensis ipsius Debitoris, sive ad alium locum migraverit ipse Debitor, sive Creditor, si rem suam secum asportasset. *Communis*. Et ratio est, quia qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media, sicuti concesso fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur, *cap. Præterea 5. & c. Suspicionis 39. de Officio Delegati; & l. Cui jurisdictio 2. ff. De Jurisdictione*; Unde cum Debitor ex delicto teneatur rem restituere in loco, in quo Creditor fuisset eam habiturus, seu translaturus, tenetur etiam ad talem locum rem mittere propriis expensis, cum tales expensæ sint medium per se necessarium ad talem finem.

3 An autem, si dominus fuisset rem illam alio transportaturus, possit iniquus debitor detrahere expensas, quas dominus debuisset facere in tali rei suæ transportatione; & sic detrahendo tantum v. gr. retinere de bonis domini, quantum ad ea transferenda necesse fuisset? Variant Doctores. Affirmant Sporer *loc. cit. tr. 4. c. 3. sect. 4. n. 156.* Henno *loc. cit. tract. 1. qu. 3. conclus. 2.* Bonacina cum aliis, quos tacito nomine citat *disp. 1. de restit. q. 5. n. 8.* quibus favere videntur Vasquez *c. 19. de restitut. dub. 1. num. 19.* Dicast. *de restit. d. 11. n. 104.* & alii, quia, dicunt ipsi, Debitor iniquus solummodo tenetur servare dominum indemnem; adeoque in restituendo potest detrahere ex bonis domini expensas, quas ipse dominus facere debuisset in transportatione ipsorum, cum sic adhuc servetur indemnis, ex quo adhuc tantum recipiat, quantum haberet, si injuriam passus non fuisset; Non enim debet dominus ex tali restitutione lucrum reportare; Rebellus autem *de restit. par. 1. lib. 2. qu. 13. sect. 2. n. 8.* & alii negant posse iniquum debitorem tales expensas detrahere ex bonis domini, seu Creditoris, quia non debet iniquus debitor ex suo delicto lucrum reportare, per text. *in cap. Intelleximus 7. de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*; *l. Non fraudantur 134. ff. De Regul. Juris §. 1.* ibi: *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*.

Circa quantas expensas facere debeat Debitor ex delicto pro restituenda re aliena in loco, in quo Creditor, seu dominus illam haberet, si injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset? tres sunt Doctorum sententiæ. Prima rigidior sententia docet, quod Debitor ex delicto tenetur rem alienam restituere cum quantiscumque suis expensis, etiam valde superantibus valorem rei restituendæ, & transmittendæ. Sic tenet Cajetanus, Navarr. Medina, Armilla, & alii apud La Croix *loc. cit. num. 365.* & apud Lugo *disp. 26. sect. 8. n. 184.* quia, dicunt ipsi, Dominus, seu Creditor habet Jus ad rem suam, nec justum est, ut propter alterius delictum careat ipse sua re; Debitor autem debet malitiæ suæ imputare, quod sine tantis expensis, & excessivo damno nequeat restituere. 4

Secunda benignior sententia defendit debitorem ex delicto non teneri ad restituendum immediate Domino, seu Creditori, si longe majores sint necessario faciendæ expensæ, quam valeat res restituenda; at in tali casu si res sit alicujus momenti, posse differre restitutionem quousque superest spes commodioris occasionis ad restituendum; ablata autem omni spe commodæ occasionis restituendi Domino, rem esse restituendam ejus proximis consanguineis, vel heredibus, & in horum defectum pauperibus: Sic S. Thomas (*) *2.2. q. 62. art. 5. ad 3.* Scotus *in 4. dist. 15. qu. 2. art. 4. loc.* 5

(*) S. Thomas loc. cit. hæc tantum: „ Si ille cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus: præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus cui est restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans, debet sibi transmitti quod ei debetur & præcipue si sit res magni valoris, & possit commode transmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, & domino significari.

loc. cit. num. 162. cum aliis ibi citatis, & plurimi alii, quos congerunt, & sequuntur Molina *disp.* 752. Layman *libr.* 3. *de Justitia tract.* 2. *cap.* 10. *de restitut. numer.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 8. Bonacina *disp.* 2. *de restitut. qu.* 5. Vasquez *de restitut. cap.* 10. *dub.* 1. *num.* 27. Tamburin. *libr.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 8. *n.* 4. & alii, quibus & nos subscribimus; Et ratio est, quia Justitia non adversatur Caritati, nec rectæ rationi, cum Caritas sit finis omnium virtutum, & recta ratio omnem virtutem dirigat; Atqui Caritas, & recta ratio dictat, quod Dominus, seu Creditor non debeat, nec possit rationabiliter velle restitutionem sibi fieri cum tanto longe majori, & intolerabili damno Debitoris, scilicet per expensas in triplo, quadruplo, quintuplo, & amplius excedentes ipsum debitum: Quis enim rectæ rationis dicat Justitiam ex se obligare, ut qui unum aureum furatus est, & potest illud ad Dominum mittere, nisi decem, viginti, & triginta millia aureorum expendat, adhuc debeat hæc omnia expendere, nisi Dominus liberaliter consentiat, quod alio modo restituat, dando proximis ejus consanguineis, vel heredibus, & in horum defe-
6 ctum pauperibus? adeoque &c. Si tamen expensæ necessariæ pro facienda restitutione sint tantum semel majus damnum, quam summa restituenda, tunc Debitor ex delicto tenetur cum talibus expensis restituere: Unde qui furatus est v. g. centum Florenos, tenetur ipsos restituere, quamvis pro ipsis restituendis, & transmittendis ad Dominum deberet expendere alios centum Florenos e suis, quia æquum est, ut ille potius, qui injuriam fecit, quam ut innocens patiatur damnum æquale centum Florenorum. Sic Vasquez, Lugo, Illsung cum La Croix *loc. cit. num.* 368. Sporer *loc. cit. num.* 161. ubi concludit certum esse apud omnes, quod si Debitor ex delicto in expensis faciendis, pro restitutione rei alienæ patiatur solum damnum æquale, vel quasi æquale, aut aliquando majus, quam patiatur Dominus ex carentia rei suæ, sine dubio adhuc obligatur ad restituendum.

7 Tertia sententia media est, & docet, quod quando, omnibus consideratis, Debitoris damnum in expensis faciendis superat solum in duplo damnum Creditoris, tunc adhuc tenetur Debitor ex delicto restituere Domino, seu Creditori immediate. Sic Lugo *cit. disp.* 20. *sect.* 8. *num.* 190. La Croix *loc. cit. num.* 368. & alii, quæ sententia, ut dicit Sporer *loc. cit. num.* 160. est speculative omnino probabilis, quia, dicunt ipsi, cum Debitor sit nocens, & Creditor innocens, duplo major est ratio, ut patiatur nocens Debitor, quam innocens Creditor; adeoque, ne patiatur Creditor innocens, non solum debet nocens Debitor pati in expensis necessariis pro restitutione facienda damnum æquale, sed etiam duplo majus, si tantum sit necessarium pro restitutione facienda immediate ipsi Creditori innocenti.

8 Pro definienda tamen quantitate damni tam Creditoris innocentis, quam Debitoris nocentis, seu injusti, non est attendendum damnum utriusque absolute materialiter, & arithmetice, computando scilicet expensas faciendas cum ipso debito, ut si aliter restitutio fieri non possit, tantum Debitor teneatur expendere, quantum est Debitum, v. gr. mille expendere, ut restituat mille debita ex delicto, sed solum formaliter, & comparative, attendendo scilicet ad damnum utrivis secuturum, si restitutio fiat, vel non fiat ex circumstantiis personarum magis, vel minus divitum, aut egenarum: Fieri enim potest, ut damnum mille Florenorum respectu Debitoris pauperis sit longe majus, quam damnum mille Florenorum respectu Creditoris divitis, & vice versa, eo quod unus per damnum, seu jacturam Florenorum mille sit conjiciendus in miseriorem statum, quam alter per damnum, seu jacturam Florenorum decem millium: Unde si creditor sit dives, Debitor autem sit pauper, non tenetur Debitor pauper restituere immediate ipsi Creditori diviti, quamvis multo minores expensas facere debeat, quam debitum valeat, cum expensæ verbi gr. centum Florenorum sint majus damnum debitori pauperi, quam Creditori diviti damnum, seu jactura totius debiti, verbi gr. mille Florenorum. E contra autem si Creditor sit pauper, Debitor vero sit dives, Debitor dives tenetur restituere immediate ipsi Creditori pauperi, quamvis multo majores expensas facere debeat, quam debitum valeat; cum expensæ v. g. mille Florenorum sint minus damnum Debitori diviti, quam Creditori pauperi jactura sui Crediti solum centum Florenorum. Quod est valde in similibus observandum, ut recte observant Lugo *cit. disp.* 20. *n.* 188. Illsung *tom.* 3. *d.* 4. *n.* 223. La Croix *loc. cit. nu.* 373. Sporer *loc. cit. num.* 163. & alii.

Restitutio ex re accepta debet fieri in loco, ubi cognoscitur esse aliena; Et si transferenda sit res ad dominum rei absentem, debet transferri expensis ipsius domini. *Communis*, quoad utramque partem; Et ratio primæ partis est, quia nec Jus Civile, nec Canonicum ullam aliam obligationem imponit possessori bonæ fidei, quam restitutionem rei bona fide possessæ, ubi cognoscit esse alienam, adeoque suæ obligationi satisfacit, si eam restituat in loco, ubi cognoscitur esse aliena. 9

Ratio autem secundæ partis est, quia possessor bonæ fidei debet restituere solum tantum, quantum ex re aliena possidet, ne sine culpa cogatur subire pœnam contra expressum textum *in cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*; cogeretur autem plus restituere, quam bona fide possideat, & sine culpa subire pœnam, si teneretur rem hactenus bona fide possessam suis expensis mittere ad cognitum dominum. Tum quia possessor bonæ fidei deducere potest expensas, quas fecit pro rei conservatione; *l. Si quis* 2. *ff. de negotiis gestis*, *l. si quis possessor* 31. §. 2. & 3. *ff. De hereditatis petitione*, cum similibus, ergo, & illas, quas fecit pro ejusdem restitutione. 10

Possessor autem bonæ fidei, postquam intellexit rem esse alienam, debet ejusdem inquirere dominum, &, eo cognito, ab ipso per epistolam, vel nuncium exquirere quid de re sua fieri velit. Quod si inquirere dominum negligat, aut, eo cognito, incipiat esse in mora culpabili restituendi, tunc 11
cum

cum eo ipso incipiat esse possessor malæ fidei, adeoque debitor ex delicto, tamquam Debitor ex delicto tenebitur deinceps rem domino restituere propriis expensis. *Communis*.

12 Si facta debita, & sufficienti inquisitione pro inveniendo domino, non inveniatur, vel ita distans inveniatur, ut conveniri non possit, aut res ad ipsum transferri non possit sine æquali, vel majori sumptu, quam ipsa valeat, tunc si supersit adhuc aliqua spes ipsum inveniendi, & conveniendi, & res sit notabilis momenti, debet ipsa res eousque servari in se, vel si servari non possit in se, saltem in suo pretio, donec affulgeat spes dominum ipsam rem, seu ejus pretium aliquando obtenturum; Si autem nulla talis supersit spes, aut res sit parvi momenti, debet dari ejus proximis consanguineis, & in horum defectum pauperibus, & probabiliter poterit etiam sibi retinere ipsemet possessor bonæ fidei, seu dare suis consanguineis, si vere pauperes sint, cum in tali casu sit discurrendum de ipsa re, tamquam de re incerta, & ignoti domini juxta dicta *articulo antecedenti a num. 51. ad 55.*

13 Debita ex contractu restitui, aut solvi debent in loco, de quo expresse, vel tacite conventum est inter contrahentes. *Communis*, per text. *in cap. Contractus 85. de Regul. Iuris in 6.* ibi; *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*; & concordat *l. Contractus 23. ff. de Regul. Juris, & l. Alio loco 1. & l. Is qui certo loco 9. ff. De eo, quod certo loco dari oportet*, cum similibus.

14 Si de loco restitutionis, vel solutionis nihil sit expressum in Contractu a contrahentibus, tunc solutio, seu restitutio facienda est in loco, ubi secundum praxim, & consuetudinem Regionis solet fieri restitutio, seu solutio pro aliis similibus contractibus, quia talis censetur esse tacita conventio inter partes contrahentes. *Communis, arg. cap. Cum tanto 11. de consuetudine, l. Præses 1. l. Consuetudinis 2. Cod. Quæ sit longa consuetudo.*

15 Debita ex contractu oneroso, sive transferente rei dominium, ut in emptione, mutuo, censu, & hujusmodi, in quibus non eadem res, sed pro una re accepta, altera reddi debet, sive non transferente rei dominium, ut in deposito, commodato, locato, & hujusmodi, in quibus eadem res accepta reddi debet, generaliter loquendo, nisi aliter inter partes sit conventum, restituenda sunt in loco, ubi res tradita, & accepta est. *Communis*. Et ratio est, quia attenta contractus Justitia, ac contrahentium voluntate, non potest assignari convenientior locus, quam locus, in quo factus est Contractus; Si enim alium locum contrahentes intendissent, procul dubio id in contractu apposuissent; *arg. c. inter corporalia 2. de transl. Episcop. §. Sed neque istud; c. ad audientiam 12. De Decimis; c. Quia circa 22. de privilegiis.*

16 Debita ex contractu gratuito, v. g. Donationis, Institutionis Testamentariæ, Legati & hujusmodi restituenda, seu solvenda sunt in loco, ubi erant res, quando fuerunt donatæ, vel relictæ ex Testamento, & id sumptibus Donatarii, Legatarii, & hujusmodi; nisi aliud fuerit dispositum per Donatorem, Legantem, vel Testatorem. *Communis*; Et ratio est, quia qui alicui rem gratis donat, vel legat, non præsumitur, nec se, nec suum heredem velle ad quid amplius obligare, quam ad rem donatam, vel legatam, adeoque nec ipsius heres tenetur propriis expensis alio illam transmittere ad Donatarium, vel Legatarium, sed tenetur ipse Donatarius, vel Legatarius propriis expensis illam a loco, in quo fuit donata, vel legata ad se transferre.

Si pro restitutione facienda sit res alio transpor- 17
tanda, id fieri debet expensis illius, in cujus gratiam, vel utilitatem potissimum initus est contractus; Unde in contractu inito in gratiam, & utilitatem solius accipientis, ut in commodato, mutuo gratuito, & hujusmodi, translatio rei ad dominum debet fieri expensis commodatarii, mutuatarii, & hujusmodi; quia æquum non est, quod dominus subeat expensas pro præstando alteri beneficio: Si enim dominus rem non commodasset, vel non mutuasset, illam secum transtulisset sine, vel cum paucis expensis; adeoque sine ulla sui expensa debet sibi restitui sua res in loco, ad quem se transtulit, deductis solum illis paucis expensis si quas fecisset in ea transferenda. In contractu autem inito in gratiam, vel utilitatem solius dantis, ut in Deposito translatio rei ad dominum debet fieri expensis ipsius domini, quia Depositarius favorem ei præstando, non debet inde gravari, & damnum pati ex suo præstito beneficio. *Communis*.

Restitutio facienda est tali modo, quo res suf- 18
ficienter perveniat ad manus domini, seu Creditoris. *Communis*: Quocumque enim modo res perveniat ad manus domini, adimpletur finis præcepti restitutionis, & Justitiæ commutativæ intendentis æqualitatem, ut scilicet dominus habeat tantum, quantum habere debet; adeoque Debitor satisfacit obligationi restituendi, si restituat tali modo, quo res perveniat ad manus domini, seu Creditoris, nihil referens an per se, vel per alium restituat; *arg. Qui facit 72. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum.*

Restitutio ex delicto occulto facienda est occul- 19
te, & per tertiam fidelem & secretam personam, & signanter per Confessarium ad evitandam propriam infamiam *Communis*, cum S. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 6. ad secundum*, ubi expresse dicit, quod *homo, etsi non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen crimen suum detegere Deo*) *in Confessione, & ita per Sacerdotem, cui confitetur, potest restitutionem facere rei alienæ*, & Scoto *in 4. dist. 15. qu. 2. n. 34.* ubi sic habet: *Quando ablatio fuit occulta, tunc non tenetur ablator se prodere, nec per consequens per se ipsum restituere, sed per aliam Personam secretam & fidelem, & expedit, quod per Confessarium, quia sibi est crimen detectum in Confessione &, de ejus fidelitate, quod restituat, fidei suæ commissum*), *satis debet credi.*

Restitutio ex delicto publico, seu manifesto, 20
verb. gr. per rapinam, & violentiam publicam facienda est nedum per redditionem accepti, sed etiam cum petitione veniæ de tali publica injuria, & offensa. Rosign. *de restit. 11. prænot. 5. num. 5.* Petrus a Navarra *lib. 4. cap. 5. num. 53.* ubi citat etiam D. Thomam 2. 2. *q. 66. art. 9.* Glossam, & Ray-

Raymundum *in Summa Confess. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 24. & Mercadum *c.* 3. Et ratio est, quia per rapinam, & violentiam publicam non solum alicui infertur damnum in rebus, sed etiam ignominia quædam in persona læsa, adeoque nedum fieri debet restitutio per redditionem accepti, sed etiam per submissionem, & petitionem veniæ restituendo honorem per illam ignominiam læsum: Immo restitutio ex delicto publico est etiam facienda publice ad emendandum scandalum, & offensam aliorum, ut contingit in publicis Usurariis, qui licet non ex Justitia, tenentur tamen ex Caritate, & a Confessario urgendi sunt ad faciendam restitutionem publice ad tollendum scandalum; Si tamen ab ipsis jam esset facta restitutio secrete, non tenerentur iterum ad illam faciendam publice, sed solum ad reparandum publicum scandalum ostendendo se jam restituisse. Rosignol. *loc. cit. num.* 5. Bartholomæus Medina *lib.* 1. *Summæ cap.* 14. §. 30. Sporer *loc. cit. cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 3. & alii.

21 Quicumque Debitor, sive ex delicto injustæ acceptionis, sive ex re accepta, sive ex contractu transmittens debitum per personam a Creditore delegatam, seu designatam, liberatur ab onere ulterioris, seu iteratæ restitutionis, quamvis illa tertia persona non restituerit, seu res quomodocumque perierit. *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu res perit Creditori, & non Debitori; eo enim ipso quo Debitor tradidit rem debitam personæ missæ, & delegatæ a Creditore, transtulit totum dominium ejusdem rei in Creditorem, cum perinde sit, ac si tradidisset ipsimet Creditori, ex quo persona missa, seu delegata eumdem Creditorem repræsentet; adeoque quomodocumque post factam consignationem res illa pereat, Creditori, & non Debitori perit, & consequenter liberatur Debitor ab onere reiteratæ restitutionis.

22 Idem est dicendum in casu, quo Debitor, & Creditor communi consensu statuerint aliquod signum ex pacto, quod per omnem personam exhibentem tale signum res debita sit mittenda; Tunc enim si aliqua persona alio tali signo falso exhibito rem sibi traditam non reddat Domino, seu res quocumque modo sine culpa Debitoris pereat, Domino perit, quia vi pacti Debitor consignando rem debitam personæ tale signum conventum exhibenti, censetur consignare ipsimet Creditori, adeoque liberatur ab onere ulterioris & reiteratæ restitutionis. *Communis*.

23 Quicumque Debitor transmittens inconsulto Domino, seu Creditore rem debitam per Personam non satis fidelem, seu per viam non satis tutam, si res ipsa aut a nuntio detineatur, aut in itinere a latronibus auferatur, tenetur ad iteratam restitutionem. *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu res perit Debitori, & non Creditori; cum enim ex culpa, & imprudentia mittentis perierit inconsulto Creditore, non debet inde Creditor damnificari; *arg. cap. Cognoscentes* 1. *de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*.

24 Debitor ex contractu, seu re accepta transmittens inconsulto Creditore rem debitam per Personam fidelem habitam, si Debitum sit determinatum in individuo verb.g. hoc vas argenteum, hic equus locatus, vel commodatus, hæc res deposita, & hujusmodi, & malitia illius Personæ fidelis habitæ, vel quocumque casu ad Dominum non perveniat, aut pereat, tunc perit ipsi Domino, seu Creditori, & non Debitori. Unde Debitor liberatur ab onere ulterioris & reiteratæ restitutionis. *Communis*. Et ratio est, quia talis res ita in individuo debita, ut in Deposito, Commodato, Locato, & hujusmodi, spectat ad actuale dominium Domini; omnis autem res, quæ perit, Domino suo perit; adeoque talis Debitor sic transmittens dictam rem debitam liberatur ab onere ulterioris & reiteratæ restitutionis, uti de Commodato habetur expresse *in l. Argentum* 20. *ff. Commodati*, ibi: *Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum, detrimentum erit, si id mali homines intercepissent*.

Secus autem si Debitum ex contractu, vel re 25 accepta non sit determinatum in individuo, sed solum in specie, aut æquivalenti, ut si Debitori fuerit mutuata pecunia, mutuatum triticum, venditum vinum, & hujusmodi; Tunc enim si Debitor inconsulto Creditore transmittat tale debitum per personam etiam fidelissimam habitam, si ejus malitia, quocumque casu ad Creditorem non perveniat, aut pereat, perit Debitori, & tenetur iterum restituere. *Communis*. Et ratio est, quia ubi non idem numero, seu in individuo, sed solum idem in genere, aut specie reddendum est, ut fit in mutuo, emptione, & hujusmodi, rei transmissæ dominium manet sub dominio Debitoris tandiu, quousque perveniat secure ad manus Creditoris; adeoque si antequam perveniat ad manus ipsius Creditoris pereat, perit ipsi Debitori, cum omnis res, quæ perit, suo Domino pereat, & consequenter talis Debitor tenetur iterum restituere.

Hinc ad plene percipiendum, quare, ubi resti- 26 tuendum est idem numero, seu in individuo, res transmissa pereat Creditori, & ubi restituendum est solum idem in genere, aut specie, res transmissa pereat Debitori, pone quod Debitor per Personam fidelem habitam transmittat Creditori equum commodatum, seu vas argenteum apud se depositum, & simul pecuniam ex mutuo, seu ex emptione debitam, si talis Persona fidelis habita cum omnibus supradictis aufugiat, aut omnia in itinere perdat, tunc Debitor tenetur solum ad iteratam restitutionem pecuniæ, non autem ad iteratam restitutionem equi, seu vasis argentei, quia pecuniæ dominium erat adhuc apud ipsum Debitorem, Dominium autem equi, seu vasis argentei erat adhuc apud Creditorem, cum in Commodato, Deposito, & hujusmodi restituendum sit idem numero, & ideo res commodata, deposita, & hujusmodi remaneat semper sub dominio Creditoris, & consequenter ipsi tamquam Domino pereat, & e contra in Mutuo, Emptione, & hujusmodi restituendum sit solum idem in genere, aut specie, & ideo pecunia

cunia ex Mutuo, seu ex Emptione debita remaneat semper, donec secure reddatur sub dominio Debitoris, & consequenter ipsi tamquam Domino pereat.

27 An autem Debitor ex delicto, seu injusta acceptione teneatur iterum restituere, si res transmissa per Personam fidelem habitam, uti per proprium Confessarium, quocumque causu Domino non reddatur, aut pereat? Duæ sunt contrariæ sententiæ. Prima affirmat, talem Debitorem iterum obligari ad reiteratam restitutionem, sive res sit debita in individuo, & eadem numero, sive solum eadem in genere, aut specie, vel æquivalenti. Sic Molina *tom.3. disp.* 754. *num.* 2. §. *Quando per Confessarium,* Lugo *tom.* 1. *de Justitia disp.* 21. *sect.* 5. *a num.* 59. Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 6. *num.* 65. cum aliis ibi citatis, Hennò *t.* 2. *tract.*1. *disp.* 2. *quæst.*3.*conclus.*2. Navarr. Tolet. Rebell. Layman, Faber, Silv. citati, & secuti a Sporer *loc. cit. c.* 4. *sect.* 1. *num.* 15. ubi dicit esse communem contra paucos, Illsung *tom.*4. *d.* 3. *num.* 305. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *num.* 364. ubi citat communem, & sic alii plures. Et ratio est, quia in tali Debitore ex delicto adhuc remanet radix obligans ad restitutionem, nempe injusta acceptio, nec Creditor debet damnum pati ob delictum Debitoris, cum non debeat aliquis alterius odio prægravari, ut expresse statuitur *in cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris in* 6. & rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat; ut præcise dicitur *in cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, & peccata suos debeant tenere auctores, *l. Sancimus* 22. *ff. de pœnis*, *cap. Quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*. Tum quia, ut Debitor ex delicto, seu ex injusta acceptione debite restituat, debet ponere æqualitatem realem inter injuste acceptum, & redditum; sed quandiu res injuste accepta, seu ablata non pervenit ad manus Domini, non ponitur dicta æqualitas: ergo si antea pereat, talis Debitor tenetur ad iteratam restitutionem, ut sic ponat dictam æqualitatem. Tum etiam quia si res illa injuste accepta periret inter manus Debitoris, periret ipsi Debitori, ut fatentur omnes; atqui ipsa Persona habita fidelis, ut Confessarius, gerit in tali casu Personam Debitoris, ergo &c. Neque potest dici, quod Creditor in tali casu tacite consentiat, quod res sua sibi transmittatur per Personam fidelissimam, uti censendus est Confessarius, quia licet tacite consentiat quantum ad hoc, quod potius per fidelem, quam per infidelem transmittatur, non tamen tacite consentit quantum ad hoc quod si res transmissa pereat, sibi pereat, cum non censeatur tacite consentire nisi sub conditione, quod cum effectu vere & realiter sibi res transmissa reddatur. Et pro hac opinione adducitur *cap. Significante* 7. *de Pignoribus*, ubi Papa Innocentius III. determinat, quod, qui per certum & fidelem nuncium pecuniam debitam Creditori remisit, si nuncius perfide egerit, non eximatur ab onere iteratæ restitutionis, & Glossa *ibid. verb. Certum nuncium*, cum aliis Juribus ibi adductis.

Secunda sententia negat talem Debitorem in dicto casu amplius ad aliquid obligari. Sic teste Rosignolo *de restitutione* 11. *prænotione* 5. *num.* 9. sentire videntur Sanctus Thomas (1) 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *ad* 2. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *art.* 4. *quæst.* 2. §. *De quarto*, Gabriel *in* 4. *dist. ead. q.* 2. *dub.* 2. Immo Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 1. *num.* 179. dicit id Scotum expresse sentire *loc. cit.* per ejus verba supra adducta *num.* 19. quem ipso teste sequuntur Diana *par.* 2. *tr.* 17. *resolut.* 2. *& part.* 10. *tract.*16. *resolut.*97. Rodriquez, Filliuc. Cenedo, & alii apud Tambur. *tom.* 1. *lib.* 8. *tract.* 4. §. 5. *num.* 7. & apud Dianam *loc. cit.* quam sententiam non improbabilem censet etiam Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 6. *num.* 67. & Diana *loc. cit.* dicit, hanc sententiam esse tutam in praxi, & eam absolute docent Petrus Navarra (mutata priori sententia) Rodriquez, Reginaldus, Filliuc. & alii apud Sporer *loc. cit. n.*19. ubi cum Tamburin. *loc. cit. num.* 7. *in fine* non audet hanc sententiam damnare, & pro ea dat efficacem probationem; Et ratio est, quia cum talis Debitor eximatur ab onere restitutionis per se ipsum ob periculum infamiæ sibi secuturæ, fideliter, & prudenter gerit negotium Creditoris transmittendo ipsi rem debitam per Confessarium, qui non solum ratione proprii muneris Sacerdotalis, & Judicis spiritualis, quo fungitur, habetur pro fidelissimo, & maxime idoneo, sed etiam communi praxi suadente communius eligitur ad tales faciendas occultas restitutiones. Unde Creditor ipse non potest esse quo ad hoc rationabiliter invitus, & debet saltem implicite consentire, & consequenter sicuti fur, & debitor, ad nihil amplius tenetur, cum ex consensu expresso Creditoris rem restituendam tradit intermediæ Personæ fideli habitæ, quamvis postea quocumque casu ad manus Creditoris ipsa res non perveniat, ita ad nihil amplius tenetur, si id faciat ex consensu tacito Creditoris, quoniam taciti, & expressi consensus eadem est virtus; *l. Cum quid* 3. *ff. de rebus creditis*: *cap. Ex parte* 2. *de Rescriptis*. Tum quia talis Debitor fecit quantum in se potuit, & debuit; Non enim tenebatur restituere cum sui infamia, ut omnes concedunt, cum fama sit bonum superioris ordinis; atqui reiteratam restitutionem non posset facere personaliter sine periculo infamiæ, & si ad evitandam infamiam restitueret per Confessarium, recurreret idem periculum, quod res non perveniret ad manus Domini, ergo dicendum est, quod talis Debitor liberetur ab onere iteratæ restitutionis, cum semel eam fecerit per Confessarium reputatum fidelem, quamvis ipsius malitia, vel quocumque casu ipsa restitutio ad manus Domini non pervenerit. Ad textum autem *c. Significante* 7. *de Pignoribus* adductum pro prima sententia respondetur, quod ibi non est sermo de pecunia restituenda ex necessitate per interpositam personam ad evitandam infamiam, cum sit ibi conventio de eadem restituenda inter Creditorem, & Debitorem interveniente juramento respectu istius, adeoque nihil officit, cum quo ad hoc idem 28

(*1) Non aliud cit. loc. S. Thomas docet, quam restitutionem fieri per Confessarium posse. Vide ejus verba supra num. 19.

idem sit dicendum, quod de restitutione palam facienda, & non idem quod de restitutione occulte facienda ad evitandam propriam infamiam. Unde hæc secunda sententia est vere probabilis, & in praxi tuta, quamvis prima sit jam communior, & inter recentiores probabilior. (*) At si prima est non modo communior, sed etiam probabilior; secunda sententia *vere probabilis* esse non potest. Ex quo illud quoque sequitur, eamdem *tutam* non esse. Et sane qui ratione injuriæ tenetur restituere, tenetur dominum prorsus indemnem servare, & *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputatur* cap. ult. de deposit. Vide Antoine de Justitia & Jure cap. v. quæst. iv. resp. 1. & alios. (*)

29 Ordine restitutionis, ceteris paribus, debita certa præferenda sunt incertis, ita ut habens plura debita prius restituere debeat certa Debitoribus notis in totum, & postea de reliquo residuo debita incerta, quousque se extendunt facultates. *Communis*, cum S. Antonino 2. *part. tit.* 2. *cap.* 3. *in princip.* Cajetan. verb. *Restitutio cap.* 8. Silvestro verb. *Restitutio 6. quæst.* 5. Lessio *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 1. Layman *lib.* 3. *de justit. tract.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. Lugo *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 3. Navarro *in Manual. cap.* 17. *num.* 47. Sporer *loc. cit. sect.* 2. *num.* 24. aliisque plurimis congestis Vasquez *opuscul. de restitut. cap.* 11. *num.* 9. Et ratio est, quia Debita certa sunt magis proprie, & specifice debita, quam sint incerta; incerta enim, cum non habeant certum Dominum, eroganda sunt vel in Ecclesiam, vel in pauperes; Atqui Ecclesia, & pauperes non habent tantam actionem, & Jus ad bona Debitoris, quantam habent Creditores certi, nam actio pauperum, & Ecclesiæ est generica, adeo ut si pauperibus dentur, & non Ecclesiæ, non inferatur præjudicium Ecclesiæ, nec econtra inferatur præjudicium pauperibus, si Ecclesiæ dentur, & non ipsis; Actio autem Creditorum certorum specifica est naturalis, & civilis, adeo ut debita certa debeant eis necessario dari,
30 & non aliis, adeoque &c. Dicitur autem notanter *Ceteris paribus*, quia si bona incerta extent in sua specie, & non sic bona certa, debent restitui prius incerta, quam certa; Bona enim incerta adhuc extantia, si vero Domino restitui non possunt, potius Ecclesiæ, vel pauperibus tribuenda sunt, quam ut ex ipsis satisfiat aliis certis Creditoribus, quia Creditoribus certis Debitor est solum obligatus ex bonis propriis solvere, non vero ex alienis: Bona autem incerta adhuc extantia in sua specie apud iniquum possessorem, vere sunt aliena, non enim facta sunt propria ipsius, sed manserunt sui veri Domini, quamvis ignoretur, adeoque &c. *Communis*, cum supracitatis.

31 Debita realia præferenda sunt personalibus in totum; Unde cum res aliena adhuc existit in individuo apud Debitorem, cujus proinde Dominium apud Creditorem, seu Dominum adhuc manet, ut sunt res commodatæ, depositæ, oppignoratæ, locatæ, res inventæ, bona fide acceptæ, acquisitæ per furtum, & hujusmodi, talia debita certis, ac propriis Dominis integra restituenda sunt, priusquam reliquis debitis personalibus satisfiat, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis Creditoribus satisfiat, *Communis*, per text. *in l. Deposui* 30. *ff. de Pecul. l. Procuratoris* 1. §. *Sed si dedi*, *ff. De Tribun. act. leg. Cum fundus* 31. *ff. de rebus creditis*; Et ratio clara est, quia Debitor debet solvere de bonis propriis, & non de alienis, cum Creditores quantumvis hypothecarii non habeant aliquod Jus, nisi in bona propria Debitoris, & nullatenus in bona, quæ sunt aliorum; Supradicta autem bona quousque perseverant in individuo apud Debitorem, remanent sub dominio proprii Domini, seu Creditoris, adeoque alii Creditores nullum Jus habent ad illa, & sic integra restituenda sunt certis, ac propriis Dominis, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis Creditoribus satisfiat.

Venditor rei præferendus est aliis Creditoribus, 32
quando res vendita adhuc extat apud Emptorem, nec transiit in ejus dominium. *Communis*; Cum enim res semper clamet ad Dominum suum, stat clarum, quod ubi non est translatum Dominium, Domino proprio sit reddenda præferenter ad alios Creditores, cum alii Creditores non habeant Jus, nisi in bona, quorum Dominium habet ipsorum Debitor.

An autem venditor rei præferendus sit aliis Cre- 33
ditoribus, quando res vendita adhuc extat apud emptorem, sed jam transiisse videtur in ejus dominium per Fidei habitionem ipsius venditoris, qui emptoris fidem secutus est, vel pretium pro soluto habuit, quamvis vere, & realiter pretium nondum fuerit persolutum? Duæ sunt contrariæ sententiæ. Prima sententia affirmat, eamque docent Cajetan. Silvester, Fumus, Medina, Navarrus, Archidiaconus, Bald. & alii, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 2. *n.* 11. Rebellus *lib.* 2. *q.* 19. *num.* 2. Bonacina *disp.* 1. *de restitut. quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 8. Sporer *loc. cit. num.* 28. ubi dicit hanc esse communiorem, & sic plures alii. Et ratio est, quia venditor, seu Creditor fidem habens pretio promisso, videtur habere tacitam hypothecam in re vendita, donec ei solvatur pretium; *L. Julianus* 13. §. 8. *ff. de actionibus empti*, *l. Hereditatis* 22. *ff. de Hereditate, & actione vendita*, *l. Quod si* 31. §. 8. *de Ædilitio edicto*, ideoque in re ipsa restituenda, vel ejus pretio solvendo aliis Creditoribus præferri debet, tum quia repugnat Iuri naturæ, seu æquitati naturali, quod res a venditore tradita Emptori, nondum soluto pretio, & in individuo perseverans, aliis assignetur, & Creditor, seu venditor re sua, & pretio ejusdem fraudetur in concursu aliorum Creditorum anteriorum: Tum etiam quia in tali venditione transfertur dominium solum sub tacita conditione pretii solvendi, ergo ubi pretium non solvitur, res ad Dominum redit.

Secunda sententia negat, eamque docent Co- 34
varruv. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 7. *num.* 3. Molina *tom.* 2. *disp.* 536. Petrus Navarr. *l.* 4. *de restit. cap.* 3. *num.* 39. & alii, quos refert, & sequitur Vasquez *cap.* 11. *de restitut. dub.* 1. *num.* 19. Turrian. *de restitut. disp.* 19. *dub.* 1. *num.* 6. Layman *loc. cit. cap.* 11. *num.* 2. Rosignol. *loc. cit. num.* 4. Henno *loc. cit. disp.* 2. *quæst.* 1. *conclus.* 2. Lugo *disp.* 20, *sect.* 2. *numer.* 17. & alii plures. Et ratio est, quia res sic vendita est sub dominio emptoris non aliter atque res aliæ suæ; Neque verum est, ut præten-

tendunt Auctores primæ sententiæ, quod talis venditor habeat tacitam hypothecam in re vendita, donec ei solvatur pretium, nisi expresse sit de hoc conventum; sed res sic vendita transit statim in dominium emptoris sine reali onere rem afficiente: Jura enim pro prima sententia allata non satis clare loquuntur in terminis suæ conclusionis, sicut clare loquitur pro hac secunda sententia textus *in* §. *Venditæ vero res* 41. *Institut. de rerum divisione*, ubi sic expresse habetur: *Venditæ vero res, & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, aut alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissione, aut pignore dato, quod quamquam cavetur ex lege duodecim tabularum, tamen recte dicitur, & Jure gentium, idest Jure naturali id effici; sed si is, qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem Emptoris fieri*. Nec valet dicere, quod ex hoc textu videatur inferri, quod in ea hypothesi, qua emptor, vel vere, vel fictione Juris non satisfecerit, si non ratione hypothecæ, potiori tamen Jure dominii Creditor, seu venditor sit aliis quo ad illam rem præferendus. Non valet inquam, quia licet id videatur inferri ex primis verbis textus, ex ultimis tamen clare habetur, quod si venditor fidem emptoris sequitur, transfert statim dominium rei venditæ in emptorem, ibi: *Sed si is, qui vendiderit, fidem emptoris secutus est, dicendum est statim rem emptoris fieri*. Tum quia emptor ante solutum pretium potest rem alteri vendere, sicque absolute dominium transferre, quod certe non posset, si ipsemet absolutum dominium non haberet, adeoque &c. Unde hæc secunda sententia negativa est æque probabilis, ac prima sententia affirmativa, ut recte concludit Sporer *loc. cit. num.* 28. (*) Hanc quæstionem tractans Antoine loc. citat, quæst. v. resp. 1. scribit: „ Res in rigore justitiæ „ credito vendita extans apud debitorem non vi„ detur reddi debere venditori præ aliis creditori„ bus, si is aliunde non habeat jus prælationis. „ Ita multi, præsertim jurisperiti, qui apud Co„ varruviam asserunt hanc esse communem sen„ tentiam. Quia res vendita non est amplius ven„ ditoris, secuta traditione & habita fide de pre„ tio ejus: nam tunc translatum est ejus domi„ nium; neque manet illi obnoxia jure hypothe„ cæ; nulla enim inducitur hypotheca, nisi vel ex „ conventione, vel jure positivo, & nulla ex hoc „ utroque capite reperitur inducta. Et vero si illa „ res ab emptore alteri revendita esset, hic habe„ ret dominium in eam omnino liberum. Tamen „ res venditæ, quæ adhuc extant apud emptorem, „ possunt & debent ex quadam æquitate reddi ven„ ditori. Ita indicarunt multæ supremæ curiæ in „ Gallia, & colligitur ex l. procuratoris §. *de tributis*, quod intellige, nisi obstet consuetudo „ loci. „ (*)

35 Debita ex delicto, v. g. ex furto, rapina, usura, contractu fraudulento, & hujusmodi, non sunt preferenda debitis ex contractu justo si amplius non extent in sua specie, sed sunt æqualiter solvenda. Ita Lugo *disp. num.* 36. cum Silvestro, Petro Navarra, Molina, Vasquez, Lessio, Bannes, Arragon. Azorio, Turrian. Reginald. Bonacina ibi citatis, Rosignol. *loc. cit. prænot.* 8. *num.* 6. Henno *loco cit. quæst.* 1. *conclus.* 3. Sporer *loc. cit. num.* 40. ubi dicit, hanc sententiam jam esse communem. Herincx *de Justitia d.* 6. *num.* 101. Illsung *titul.* 4. *d.* 3. *num.* 214. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 379. ubi plurimis citatis dicit, sic sentire alios communiter contra paucos alios, inter quos affertur S. Thomas *opusc.* 73. *c.* 18. Sanctus Antoninus, Rebell. & alii dicentes, Debita ex delicto prius esse restituenda, quam debita ex contractu, & inter debita ex delicto, prius quæ ex graviori delicto, quam quæ ex minus gravi, & sic prius quæ ex rapina, quam quæ ex furto, deinde prius quæ ex furto, quam quæ ex usuris, & sic de aliis, quamvis tamen quo ad S. Thomam Silvius, quem refert, & sequitur Henno *loc. cit. conclus.* 3. dicat, opusculum illud non esse ipsius S. Thomæ, cum in editione Romana habeatur litteris distinctis. (1)

Unde ratio nostræ conclusionis est, quia talis prælatio nec ex Jure positivo, nec ex Jure naturæ colligi potest: Non ex Jure positivo, cum Jus positivum nullibi distinguat inter debita ex delicto, & debita ex contractu justo, ubi autem Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: *cap. Quia circa* 22. *de privileg. & l. De pretio, ff. de Publiciana in rem actione*. Non etiam ex jure naturæ, nam de Jure naturæ debitum unum non fortius obligat, quam aliud, ex quo utriusque generis debita æqualiter sunt ex Justitia; Tum quia si Debitor requisitus, & a Creditore habente Jus ex delicto, & a Creditore habente Jus ex contractu justo, alteri solverit prius petenti, non solum juste, & licite solvit, sed etiam hoc præstare tenetur per textum *in l. Pupillus, ff. Quæ in fraudem Creditorum*, ubi dicitur, quod diligentia posterioris Creditoris facit eum potiorem, sicuti hypotheca, vel privilegium, & hoc habetur etiam ex *l. Quod autem 6. §. 7. ff. eod.* ibi: *Sciendum Julianum scribere, eoque Jure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur* (idest, explicat Lessius *lib.* 2. *de Justit. & Jure cap.* 15. *dub.* 5. *numer.* 41. cum aliis communiter, antequam auctoritate Judicis ab aliis occupentur) *quamvis sciens, prudensque solvendo non esse recipiat, non timere hoc edictum, sibi enim vigilavit;* Atqui hæc non possent verificari, si ex necessitate deberent prius solvi debita ex delicto, quam debita ex contractu justo, ergo &c. 36

Nec obest id, quod afferunt adversarii, nempe quod Creditor habens Jus ex delicto Debitoris sit magis invitus sibi debitum suum, seu rem injuste ablatam non reddi, quam Debitor habens Jus ex justo contractu, cum ipse voluntarie rem suam alienaverit. Non obest, inquam, quia licet Creditor habens Jus ex delicto Debitoris sit forte magis invitus 37

(*1) Ita plane: consulito Cl. Jo. Franc. Bernardum Mariam de Rubeis *De gestis ac scriptis S. Thomæ* dissert. xx. cap. v. ubi Opusculum illud post Echardum & Barbavarium S. Thomæ fœtum esse negat.

vitus ex parte subjecti, obligatio tamen Justitiæ non oritur ex illa majori, vel minori repugnantia, quam Creditor ex parte subjecti habet, sed ex illa, quæ in objecto fundatur. Justitia enim quantum ad restituendum non respicit alterius, scilicet Creditoris, animum, magis ne, an minus invitus sit, sed solum respicit alterius Jus, & quantum ipsi debeatur. Utrique autem Creditori, scilicet & Creditori ex contractu justo, & Creditori ex delicto debetur res sua simpliciter. Unde inter debita ex delicto, & debita ex contractu justo nullus ordo prælationis ex genere suo in restitutione est de necessitate servandus.

38 Debita hypothecata, sive realia, præferenda sunt debitis non hypothecatis, seu personalibus, quamvis hæc fuissent anteriora. *Communis*, textu expresso *in l. Eos, qui 9. Cod. Qui potiores in pignore*, ibi: *Eos, qui receperunt pignora cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri constat*; Per hypothecatum enim debitum non solum debitor, seu persona ipsa, sed etiam res ipsius est obligata, & quasi inchoative facta est Creditoris. Per Debitum autem non hypothecatum solum ipsius Debitoris persona, & non ipsius res est obligata; adeoque Debita hypothecata præferenda sunt Debitis non hypothecatis.

39 Inter Creditores hypothecarios illi sunt præferendi, ordinarie loquendo, qui sunt priores. *Communis*, per textus in *cap. Qui prior 54. de Reg. Juris in 6.* ibi: *Qui prior est tempore, prior est Jure*, & concordat *l. Quotiens 98. ff. de Reg. Juris*; & habetur expresse ex *l. 2. 4. 5. 6. 7. & 8. Cod. Qui po-*

40 *tiores in pignore*. Et hoc verum est sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis. Henno *loc. cit. q. 2. conclus.* 1. Vasquez *opusc. de pignoribus, & hypothecis cap. 5. n. 6.* Lugo *citat. disp. 2. a n.* 41. ubi pluribus citatis dicit sic sentire Doctores communiter contra paucos; Ratio enim posterior non potest tollere Jus alteri jam prius ac-

41 quisitum. Quænam autem sit hypotheca tacita, quæ expressa, quæ generalis, & quæ specialis? Vide verb. *Hypotheca num.* 7. & 8.

42 Dicitur autem notanter *Ordinarie loquendo*, quia in Jure excipiuntur certi casus, in quibus ex privilegio hypothecæ quædam posteriores præferuntur, seu anteponuntur prioribus non privilegiatis, quia ut dicitur *in c. Privilegia 32. ff. de rebus auctoritate Judicis possidendis*: *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa*.

43 Primo igitur præferendi, & solvendi sunt sumptus funeris ante alia credita habentia anteriorem hypothecam. *Communis*, per text. *in l. Scimus 22. §. 9. C. de Jure deliberandi, l. & si quis 4. & l. Impensa funeris 44. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*, ibi: *Impensa funeris semper ex hereditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, cum bona solvendo non sint*.

44 Pro sumptibus autem funeris venit quidquid ratione corporis erogandum est. *Communis*, textu expresso *in l. Funeris sumptus 36. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*.

45 Sumptus funeris præferuntur etiam tacitæ hypothecæ anteriori, quam habet mulier pro Dote. Joannes Angelus Bossius *de Dote c. 18. nu. 87. vers. Communis vero sententia*, Negusantius *de pignore 2. membr. part. 5. n.* 28. Gomez *ad l. 30. Tauri vers. Item*, Angelus de Aret. *Inst. de Leg. Falcid. §. final. in 1. not.* Amator Rodriq. *de Concursu Creditor. P. 1. art. 3. n. 2.* Rosignol. *Contract. XI. de pignore, & hypotheca prænot. 5. sect. 5. num. 56.* & alii per text. *in cit. l. Scimus 22. §. 9. Cod. de Jure deliberand. l. Et si quis 14. & l. Impensæ funeris 45. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*, ubi dicitur, quod *impensa funeris omne creditum solet præcedere*. Ly autem *Omne* nihil excludit, *cap. Solitæ 6. §. Nobis, de major. & obedient.* ibi: *Nihil excipiens qui dixit quodcumque*, & Glossa *ibid. verb. Quodcumque*: *Qui dicit omnia nihil excipit*; & concordat *cap. Si Romanorum 1. d. 19. l. Præses 3. ff. de Officio Præsidis, l. A. Procuratore 13. C. Mandati*.

Immo sumptus consueti, & moderati funeris probabilius præferendi sunt cuicumque hypothecæ anteriori expressæ, & etiam ex causa Dotis; Sic sentire videntur Gomez *ad l. 30. Tauri* Jacob. Cancerius *variar. resolut. tom. 1. cap. 9. n. 9.* Antonius Piccardus *in §. Cum autem ratio, Instit. de leg. Falcid.* Amator Rodriquez *de concursu Creditorum part. 1. art. 3. num. 4. vers. Ceterum contrariam sententiam*, & expresse Rosignolus *loc. cit. num.* 4. a quibus non videtur dissentire Joannes Angelus Bossius *de Dote cap. 18. n.* 87. & alii contra Negusantium *loco citat. membr. 2. par. 5. num.* 28. & alios; Et ratio est, quia naturalis pietas pro præstandis spiritualibus obsequiis erga Defunctorum corpora, ipsa natura impellente, prævalere debet omni Juri positivo, adeoque sumptus moderati, & consueti funeris probabilius præferendi sunt cuicumque hypothecæ anteriori etiam expressæ, & etiam ex causa Dotis. 46

Secundo, ante alia Credita habentia anteriorem similem hypothecam solvenda sunt debita tempore ultimæ infirmitatis apud Pharmcopæos, Medicos, & Chirurgos contracta. *Communis*, per text. *in l. In restituenda 4. C. de Petitione hereditatis, l. Legatum 3. Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum*; Et ratio ex æquitate, & pietate consurgit, ne scilicet infirmi variis gravati debitis defectu medicinalium, & Medicorum necessario mori debeant, ex quo Pharmacopæi, Medici, & Chirurgi, si hanc non haberent prælationem, auxilium, & remedia eis denegarent prævidendo se non esse solvendos. 47

Dicitur autem notanter *Tempore ultimæ infirmitatis*, quia debita in aliis anterioribus infirmitatibus contracta cum dictis Pharmacopæis, Medicis, & Chirurgis non gaudent privilegio ullo prælationis; Ipsi enim sibi imputare debent, quod satisfactionem sibi inde debitam non prius exegerint. *Communis*. 48

Tertio, ante alia credita habentia anteriorem similem hypothecam solvendæ sunt expensæ factæ pro confectione Inventarii, vel pro aperitione, & insinuatione Testamenti, vel pro aliis necessariis causis hereditatis: *Communis*, per textum *in l. Sancimus 22. §. 9. Cod. de Jure deliberandi*; Tales enim expensæ sunt ita necessariæ, ut sine ipsis nequeat adiri hereditas, neque ab ipsis anterioribus Credito- 49
tori-

toribus, adeoque cum sint factæ etiam ad commodum ipsorum, debent præferri, *arg. l, Hujus 6. ff. Qui potiores in pignore*.

50 Quarto, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia mutuata pro re hypothecata conservanda, & reparanda: sic enim mutuans præferendus est omnibus aliis habentibus in eadem re hypothecam qualemcumque; *l. Interdum 5. ff. Qui potiores in pignore*, *& l. Creditor 25. ff. de creditis*, *& si certum petatur*; Et ratio efficax assignatur *in l.Hujus 6.ff. Qui potiores in pignore*,ibi: *Hujus enim pecunia salvam fecit totius Pignoris causam*.

51 Quinto, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia mutuata pro vectura mercium, & conductione ædium in quibus asservarentur; Tunc enim ipsæ merces manent hypothecatæ mutuanti cum omnimoda prælatione ad alios Creditores hypothecarios; *leg. Hujus 6. ff. Qui potiores in pignore*.

52 Sexto, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia mutuata pro constructione, seu emptione domus, seu alterius rei cum pacto expresso, quod talis domus, seu alia res maneat sibi hypothecata, *l. Quamvis 17. Cod. de pignoribus*, *l. Licet 7. Codic. Qui potiores in pignore*.

53 Septimo, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia data a Tutore nomine Pupilli, seu impuberis ad emptionem prædii, domus, & hujusmodi, etiamsi non paciscatur in hypothecam, & hoc ex speciali privilegio status pupillaris, *l. Idemque est 7. ff. Qui potiores in pignore*, ubi in titulo sic loquitur: *In re empta per Tutorem pecunia pupilli præfertur pupilli anterioribus Creditoribus, quatenus ex ejus pecunia sit solutum*.

54 Octavo, ante alia Credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia data pro causa militiæ, nempe pro sustentatione in Castris, pro emptione armorum, equorum, & hujusmodi, reservata sibi per instrumentum a testibus subscriptum hypotheca. *Novella 97. cap. 4.*

55 Nono, ante alios Creditores habentes specialem, vel generalem hypothecam anteriorem in bonis eorum, qui cum Fisco contraxerunt, & in bonis ejusdem Officialium, & Administratorum, præferendus est Fiscus quo ad alia bona, quæ fuerunt ab ipsis acquisita post obligationem cum eodem Fisco contractam, textu expresso *in l. Si quis 28. ff. de Jure Fisci*, ibi: *Si quis mihi obligaverat, quæ habet, habiturusve esset, cum Fisco contraxerit; sciendum est in re postea adquisita fiscum potiorem esse debere Papinianum respondisse, quod & constitutum est, prævenit enim causam pignoris Fiscus*.

56 Decimo, ante alios Creditores habentes anteriorem tacitam hypothecam in bonis Mariti solvenda est Dos uxoris, bona enim Mariti sunt ita obligata suæ uxori, ejusque filiis descendentibus ex eodem Matrimonio, ut dicta Uxor, dictique ejus filii, ac descendentes præferantur Creditoribus habentibus tacitam hypothecam, *l. Assiduis 12. Cod. Qui potiores in pignore*; & concordat *l. Unic. de rei uxoriæ action*.

57 Quamvis autem Uxor habeat Jus, seu privilegium prælationis ante Creditores habentes anteriorem hypothecam tacitam, non tamen illud habet ante Creditores habentes anteriorem hypothecam expressam; Licet enim stando in severo rigore Juris videretur hoc privilegium prælationis competere Uxoribus etiam quoad habentes anteriorem hypothecam expressam ex *Novella 91. cap. 1. Novella 97. cap. 3. & 4. Novella 109. cap. 1.* Glossa tamen communiter recepta *in cit. l. Assiduis 12. Cod. qui potiores in pignore*, & ibi Bartolus, Alexander *consil. 18. in causa mota n. 6. vel 8.* Negusantius *membr. 4. par. secunda n. 98.* Faber *l. 8. Cod. tit. 9. Def. 16.* Fontanella *claus. 4. gloss. 8. part. 7. numer. 69.* Petrus Barbosa *par. 6. num. 4.* Rosignol. *controv. 11. de Pignor. & hypothec. prænot. 5. sect. 4. n. 32.* & alii passim, tenent, absolute tale privilegium prælationis non extendi ad anteriorem hypotecam expressam. Hinc Joannes Angelus Bossius *tract. de Dote cap. 18. n. 45.* asserit ita in praxi servari, & ab ea nec in consulendo, nec in judicando esse recedendum; Durius enim esset, quod Creditores anterioritate Matrimonii supervenientis perderent Jus, quod ex conventione, seu hypotheca expressa anteriore habebant in bona Mariti; Ubi vero talis adesset consuetudo, quod Uxores gauderent privilegio prælationis etiam quo ad anteriorem hypothecam expressam, esset servanda, cum videretur inniti citatis Juribus.

58 Inter Fiscum autem, & Uxorem ratione Dotis quoad prælationem regulariter servatur prioritas, & posterioritas temporis, textu expreso *in l. Quamvis 2. Cod. de Privilegio Fisci*, ibi: *Quamvis ex causa Dotis vir quondam tuus tibi sit condemnatus, tamen si priusquam res ejus tibi obligarentur, cum Fisco contraxit, Jus Fisci causam tuam prævenit. Quod si post bonorum ejus obligationem rationibus meis cœpit esse obligatus, in ejus bona cessat privilegium Fisci*.

59 Undecimo, ante alios Creditores habentes anteriorem hypothecam Locator quoad invecta, & illata bona mobilia a Conductore in Domum conductam est absolute præferendus pro pensione conventa; Locator enim ex speciali privilegio Locationis dicitur pro pensione conventa possidere invecta, & illata in Domum suam a conductore; *l. Possessio 1. §. 21. ff. De acquirenda possession. l. Qui pignoris 46. ff. eodem*, *l. Pomponius 2. ff. In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur*. De jure autem melior est conditio possidentis, *c. Ad aures 6. de præscriptionibus*, *c. Quod autem 5. de Jure patronatus*, *c. In pari 65. de Regul. Juris in 6. l. Nemo 126. §. 2. & l. In pari causa 128. ff. de Regul. Juris* adeoque &c.

61 Duodecimo, Creditores instrumentarii hypothecarii quamvis posteriores præferuntur aliis Creditoribus hypothecariis anterioribus habentibus solum privatam scripturam sui crediti, nisi a tribus fide dignis, & ab ipsis contrahentibus sit subscripta, text. expresso *in l. Scripturas 11. Cod. Qui potiores in pignore habeantur*, ibi: *Si autem Jus pignoris, vel hypothecæ ex hujusmodi instrumentis vindicare quis sibi contenderit, eum, qui instrumentis publice confectis nititur, præponi decernimus, etiamsi posterior is contineatur, nisi forte probatæ, atque integræ opinionis trium, vel amplius virorum subscriptione eisdem idiochiris contineantur, tunc enim quasi publice confecta accipiuntur*.

Gene-

61 Generaliter loquendo solutio, seu restitutio est facienda prius Creditoribus hypothecariis, quamvis posterioribus, quam Creditoribus solum Chirographariis licet anterioribus; *l. Eos qui 6. C. Qui potiores in pignore*, *l. Creditor* 14. §. 1. *eodem*, cum similibus.

62 Post Creditores hypothecarios solutio, seu restitutio est facienda prius Creditoribus Chirographariis, seu personalibus privilegiatis, quam Creditoribus non privilegiatis, seu mere personalibus. *Communis*.

63 Inter Creditores autem Chirographarios seu personales privilegiatos numerantur sequentes. 1. Respublica Creditrix: *l. Bonis venditis* 38. *ff. de rebus auctoritate Judicis possidendis*, *seu de Privilegiis Creditorum*, ibi: *Respublica Creditrix omnibus Chirographariis Creditoribus præfertur*. 2. Sponsa de futuro pro repetitione Dotis traditæ sponso non secuto Matrimonio; *leg. Quæsitum* 17. *ff. eodem* §. *Si Sponsa*, ibi: *Si Sponsa dedit Dotem*, *& nuptiis renunciatum est*, *tametsi ipsa Dotem condicit*, *tamen æquum est hanc ad Privilegium admitti*, *licet nullum Matrimonium contractum est*. 3. Deponens pecuniam ad nummularium publicum, seu Depositarium a Republica constitutum, nullo inde percepto lucro; *l. Si ventri* 24. *ff. eodem* §. 2. ibi: *In bonis Mensularii vendentis post privilegia potiorem eorum causam esse placuit*, *qui pecunias ad mensam fidem publicam secuti deposuerunt*; *Sed enim qui depositis nummis usuras a Mensulariis acceperunt*, *a ceteris Creditoribus non separantur*, *& merito*, *alïud est enim credere*, *& alïud deponere* 4. Mutuans in solutionem Creditoris personalis privilegiati; *cit. l. Si ventri* §. 3. ibi; *Eorum ratio prior est*, *quorum pecunia ad Creditores privilegiatos pervenit &c.* 5. Pupillus contra Debitorem ex amicitia gerentem ejus negotia; *leg. Si negotium* 23. *ff. eodem*, ibi: *Si negotium impuberis aliquis ex Officio amicitiæ gesserit*, *debet*, *bonis ejus venditis*, *privilegium pupillo conservari*.

64 Post creditores Chirographarios, seu personales Privilegiatos restitutio, seu solutio facienda est creditoribus Chirographariis, seu mere personalibus nullum privilegium prælationis habentibus. *Communis*.

65 Et quidem sunt prius ipsis restituenda, seu solvenda in totum debita ex contractu oneroso, ut ex emptione, mutuo, locato, censu, & hujusmodi, quam debita ex contractu gratuito tantum, ut ex promissione, donatione, legato, & hujusmodi, *Communis*. Nec indiget probatione.

66 Tota difficultas est, an inter debita mere personalia, paria, & ejusdem generis, scilicet nec hypothecata, nec privilegiata, nec ex contractu oneroso, vel gratuito diversa, solvenda, seu restituenda sint prius debita tempore priora, quam debita tempore posteriora? Plurimi enim, & gravissimi Doctores partem affirmativam tuentur. Sic S. Thomas *Opuscul.* 83. *c.* 8. (1) Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 3, *dub.* 6. Joannes Medina *quæst.* 2. *de restitutione* §. *Quintum dictum*, Major *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 50. Suarez *in opusculo de Justitia sect.* 3. *num.* 7. Valentia *de restitutione quæst.* 6. *punct.* 10. Toletus *lib.* 6. *Summæ cap.* 25. Viguerius *in Institut. cap.* 5. §. *Primo*, Salonius *quæst.* 62. *art.* 8. *ad finem*, Emmanuel Sa *verb. Restitutio num.* 61. Rebellus *part.* 1. *de oblig. Justitiæ lib.* 2. *quæst.* 19. *nu.* 11. Bartholomæus Medina *in sua Instructione* §. 33. *ad finem*, Lugo *disp.* 20. *sect.* 7. §. 2. *num.* 146. *& seq.* & alii per text. *in c. Qui prior* 54. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Qui prior est tempore*, *potior est Jure*, per quam Regulam dicunt a Jure Canonico esse in hoc correctum Jus Civile infra citandum aliter sentiens.

Partem autem negativam sustinent Baldus *in l. Pro debito 6. Cod. de bonis auctoritate Judicis possidendis*, S. Antoninus 2. 2. *part. t.* 2. *cap.* 7. §. 3. Navarr. *in Manuali cap.* 17. *num.* 51. Angelus *verb. Restitutio* 2. *num.* 16. *versus finem*, Vasquez *de restitutione cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 49. Turrian. *disp.* 19. *dub.* 4. *num.* 4. Silvester *verb. Restitutio 6. quæst.* 5. Molina *tom.* 2. *disp.* 536. §. *Quando Creditores*, Lessius *l.* 2. *cap.* 15. *dub.* 6. *num.* 44. Layman *l. tertio de Justitia tract.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. Azorius, Reginaldus, Bannes, & Arragonius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 1. *de restitutione quæst.* 8. *punct.* 2. *n.* 18. *&* 19. Reiffenstuel. *lib.* 2. *Decret. tit.* 23. *num.* 92. Gailus *Observat.* 25. *num.* 13. Pontas *verb. Debitum casu* 12. *&* 17. Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *sect.* 2. *num.* 43. ubi dicit, hanc sententiam esse communem, & eam tenere Recentiores communiter fatetur Lugo *loc. cit.* vocans ipsam procul dubio probabilissimam, quamvis ipse sequatur sententiam contrariam, & sic plures alii. 67

Et quidem pars negativa satis communis expresse supponitur, & habetur *in l. Privilegia* 32. *ff. de rebus auctoritate Judicis possidend.* ibi: *Privilegia non ex tempore æstimantur*, *sed ex causa*, *& si ejusdem tituli fuerint*, *concurrunt*, *licet diversitates temporis in his fuerint*; *l. Sciendum* 1. §. 2. *ff. de separationibus*, quam legem pro hac sententia adducit S. Antoninus *loc. c. l. Si hominem* 7. §. 3. *ff. depositi*, ibi: *Item quæritur utrum ordo spectetur eorum*, *qui deposuerant*; *an vero simul omnium Depositariorum ratio habeatur? Et constat simul admittendos*; *Hoc enim Rescripto Principali significatur*; *l. Pro debito 6. Cod. de bonis auctoritate Judicis possidend.* ibi: *Æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus Creditoribus consuli potest*. 68

Nec hæc Jura Civilia videntur esse correcta a Jure Canonico per citatam Regulam 54. *Juris in 6. Qui prior est tempore*, *potior est Jure*; quia talis Regula locum habet solum inter illos, qui habent Jus ad eamdem rem determinatam sibi ex pacto obligatam, ut in venditione ejusdem rei absque traditione pluribus facta, prior emptor præferri debet posteriori; sic in locatione ejusdem domus, primus Conductor præferri debet posteriori habenti parem hypothecam, & sic de aliis similibus, quia prior Creditor verb. gr. prior Emptor, seu prior Conductor, & hujusmodi, Jus habet ad determinatam rem emptam, conductam, & hujusmodi, quæ cum esset ei debita, non potuit alteri vendi, seu locari, quia venditor, seu locator non potuit se obligare ad id, quod sine peccato implere non po- 69

(*1) Vide num. 35.

poterat; adeoque merito Jus prioris præferri debet Juri posterioris: Non sic autem in debitis mere personalibus, quia cum in istis prior creditor ad nullam rem determinatam Jus habeat, sed solum sicuti quilibet alius posterior Creditor indifferenter Jus habet ad petendum suum debitum, ideo Debitor potuit valide se obligare secundo Creditori quia promisit id quod sine peccato servare poterat; supponitur enim, quod tempore contractus potens fuerit utrique satisfacere; adeoque si Debitor ad inopiam vergat, nec sit amplius potens omnibus Creditoribus personalibus satisfacere in totum, debet omnibus satisfacere pro parte rata secundum proportionem Debitorum, & facultatem ipsius Debitoris, dividendo in partes majores, & minores proportionaliter respondentes Debitis ipsis majoribus, & minoribus, ita ut qualis est proportio debiti ad debitum, quo ad quantitatem, talis sit proportio ejus quod quisque accipit, ad id, quod alii accipiunt, nulla habita ratione utrum tempore priora, vel posteriora sint talia debita, cum Jus prioris Creditoris personalis præjudicare non possit Juri posterioris ad exigendum suum debitum mere personale, quia Creditores debitorum mere personalium habent æquale Jus in personam Debitoris immediate, & in ejus bona mediate, & indeterminate tantum, adeoque Debitor debet Creditoribus mere personalibus æqualiter satisfacere pro rata parte secundum proportionem Debitorum, & facultatem ipsius, ita ut cui plus ab ipso debetur, plus attribuatur, cum æquitas postulet, ut ille majorem partem accipiat, qui majorem partem debet perdere, nulla interim habita ratione ad anterioritatem, vel posterioritatem temporis Creditorum; Et hæc pro secunda sententia negativa, quamvis sit vere probabilis, & æquitati satis consona etiam prima sententia affirmativa; Unde dicerem, quod in similibus casibus recurrendum esset ad Leges, aut consuetudines locales legitime introductas.

70 Certum est autem apud omnes utriusque sententiæ Doctores, inter Creditores mere personales posse aliis præferri illum, qui prius debitum in judicio petit, sententiamque Judicis ad id obtinuit; Talis enim Creditor vigilando, & juridice exigendo meliorem suam conditionem fecit; Jus enim Civile vigilantibus scriptum est, & ideo vigilantiæ, & diligentiæ prius postulantis præferentia adscribitur, per text. *in l. Quod autem 6. §. 7. ff. Quæ in fraudem Creditorum*, ibi: *Sciendum Julianum scribere, eoque Jure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona Creditoris possideantur* (idest, ut explicat Lessius *lib. de Justitia, & Jure cap. 15. dubit. 5. num.* 41. cum aliis communiter, antequam auctoritate Judicis ab aliis occupentur) *quamvis sciens, prudensque solvendo non esse recipiat, non timere hoc Edictum sibi enim vigilavit, l. Pupillus 24. ff. eod.* ibi: *Vigilavi, meliorem meam conditionem feci, Jus Civile vigilantibus scriptum est, ideo quoque non revocatur id, quod*
71 *percepi*. Immo per dictos textus probabilius est, quod aliis Debitoribus mere personalibus possit præferri etiam ille, qui prius petit Debitum suum extra Judicium, quamvis sit tempore posterior; sua enim diligentia, & vigilantia facit ipsum inter Creditores Jure potiorem, sicut hypotheca, aut privilegium, quia, ut dicit textus *in cit. l. Pupillus, Jus Civile vigilantibus scriptum est*; Ita Navar. in *Manual. cap. 17. num.* 52. Busemb. *libr. 3. part. 2. tract. 5. cap. 2. dub. 7. art. 2. vers. Quæres num. 2.* cum Silvestro, Bonac. ibi citatis Illsung *t. 4. num.* 219. Henno *tom. 2. tr. 1. d. 2. q. 2. concl.* 3. ubi testatur de praxi communi, Sporer *l. c. n.* 45. Layman, & alii, quibus adhærere videtur La Croix *lib. 3. part. 2. num.* 404. Contra Molin. Vasquez, Castrop. Lugo dicentes posse talem Creditorem aliis præferri solum, quando ad id intervenit sententia Judicis.

Non potest autem Debitor sciens se non habere unde possit solvere omnibus, præferre aliis Creditoribus aliquem suum amicum, seu familiarem non petentem. *Commun.* Et ratio est, quia cum ille suus amicus, seu familiaris non sit aliis potior in Jure, ita nec debet esse aliis potior in solutione, cum sola amicitia, seu familiaritas non sit legitimus hujus prælationis titulus, Jusque exigat, ut si non sufficiant Debitoris bona ad solutionem omnium Creditorum, inter illos eadem bona proportionaliter dividantur, prout fert Lex, vel legitima consuetudo; Unde Debitor contrafaciens teneretur omne damnum, quod per hoc aliis inferret, resarcire, si ad pinguiorem fortunam perveniret. 72

An pauper Creditor hoc solo titulo, quia pauper est, præferri debeat Creditori diviti, si debita personalia sint paria? Variant Doctores. Sententiam affirmativam tenent Sanctus Thomas (1) *Opusc.* 73. *c.* 18, Silvester, Layman, Joann. Medina, Sa, Rebellus, & alii, quorum sententiam Lessius dicit esse probabilem, & Illsung valde probabilem: Et istorum ratio est, quia pauper, si non ei solvatur, longe gravius patitur damnum, quam dives, cum multo plus indigeat, adeoque cum prius recedendum sit a graviori damno, prius restituendum est pauperi, quam diviti. Sententiam autem negativam sustinent Azorius, Vasquez, Lessius, Turrianus, Lugo, Illsung, Castropal. Bonacina, & alii passim cum La Croix *loco cit. num.* 406. Henno *loco cit. quæst. 1. conclus.* 5. ubi testatur de communi contra paucos, Suarez *loco cit. n.* 46. & plurimi alii. Et ratio est, quia ceteris paribus Creditor pauper hoc solo titulo, quia pauper est, nullo Jure, neque naturali, neque positivo gaudet hac prælatione, & Creditor dives habet æquale Jus, ac habeat Creditor pauper ad rem suam, adeoque in solutione sunt æquiparandi; Per accidens enim est, quod ex parte Creditoris pauperis sit majus damnum, seu nocumentum: Fateor tamen, quod præferendus esset Creditor pauper, si reperirietur in maxima, seu gravi necessitate, in quantum necessarium esset ad subveniendum dictæ ejus necessitati; At non ex Justitia, sed solum ex Caritate, qua tenemur quibuslibet in simili necessitate succurrere; Et in hoc 73

(1) Vide num. 35.

hoc conciliari possunt Doctores utriusque sententiæ.

Articulus V.

Quoad ea, quæ concernunt causas excusantes, vel non excusantes a restitutione, ut, vel differri, vel omnino omitti possit.

1 Causæ excusantes a restitutione, ut quamdiu durant, licite differri possit, generaliter sunt istæ tres, scilicet ignorantia, damnum creditori ipsi, vel tertio secuturum ex restitutione, & impotentia ipsius debitoris. *Sic in re Communis.*

2 Ignorantia tunc excusat pro restitutione differenda, quando est inculpabilis, & cum bona fide conjuncta, sive sit ignorantia Juris, sive sit ignorantia Facti; Durante enim tali ignorantia Debitor excusatur a restitutione facienda, cum pro tunc sit possessor bonæ fidei, ut expresse dicit S. Aug. *lib. de Fide, & operibus cap.* 7. ibi: *Bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.*

3 Quando autem, & quid teneatur restituere possessor bonæ fidei? Vide verb. *Possessor bonæ, & malæ fidei.*

4 Quænam vero sit ignorantia Juris, & ignorantia Facti; Vide verb. *Ignorantia.*

5 Damnum Creditori ipsi, vel tertio secuturum ex restitutione excusat pro restitutione differenda, quando prævidetur ipsi Creditori, vel alteri in spiritualibus, aut temporalibus obfutura; Unde non esset restituenda pecunia Creditori, si prævideretur ipsam fore exponendam ad corrumpendam mulierem, ad luxuriose vivendum, ad simonias committendas, ad se inebriandum, & hujusmodi. Item non esset Creditori restituendus gladius, si prævideretur ipse, aut alter occidendus. Non esset ei reddenda clavis adultera, si prævideretur, ea usurus ad furandum, & hujusmodi; quia tunc cooperaretur ad malum, adeoque esset ipsi differenda restitutio, donec essent remota talia pericula. *Communis.*

6 Impotentia ipsius Debitoris excusat pro restitutione differenda, quando Debitor habet veram impotentiam physicam pro tunc restituendi, nempe quando nihil penitus pro tunc habet, unde solvat, seu restituat; quia impossibilium nulla est obligatio, & ad impossibile nemo tenetur, textu expresso *in l. impossibilium* 185. *ff. de Reg. Juris, & cap. Nemo potest* 6. *de Reg. Juris in* 6. ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari.* Unde S. Augustinus relatus *in cap. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *quæst.* 6. sic expresse dicit: *Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet, unde restituat. Huic certe non possumus dicere: Redde quod abstulisti.*

Immo non solum Debitor excusatur pro restitutione differenda, quando hebet dictam impotentiam physicam, sed etiam quando habet impotentiam moralem, nempe, quando non potest restituere, nisi cum suo notabili, & majori detrimento, quam patiatur Creditor ex restitutionis dilatione, ut cum non potest restituere sine damno, vel periculo salutis animæ, corporis, famæ, libertatis, sine mutatione status honesti, & juste acquisiti, & sine longe majori suo damno in bonis temporalibus, quam sit damnum Creditoris ex restitutionis dilatione. *Sic in re Communis.* 7

Hinc potest Debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine damno, seu periculo salutis animæ, ut si omnibus suis bonis traditis in restitutionem, cogeretur mediis illicitis propriam, & suorum sustentationem procurare, v. gr. se, & filios latrones efficiendo, uxorem, & filias prostituendo, & hujusmodi, *Communis.* Et ratio est; quia cum restitutio fieri debeat ad ponendam æqualitatem, non est facienda cum jactura boni altioris, seu superioris ordinis, ut est salus animæ respectu aliorum temporalium bonorum cum sic non poneretur æqualitas. 8

Item potest Debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine damno vitæ, seu sanitatis corporalis, ut si omnibus suis bonis traditis in restitutionem, fame esset periturus, morbos gravissimos defectu comparandæ medicinæ toleraturus, & hujusmodi. *Communis* propter eamdem rationem; Vita enim, & sanitas corporalis est bonum superioris ordinis, quam sint bona fortunæ Creditori debita. 9

Item potest Debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine jactura famæ, vel libertatis, ut si pro nunc restitutione facienda veniret in suspicionem gravis occulti criminis, indeque esset inevitabiliter diffamandus, aut ad comparandum pretium pro restituendo deberet se vendere, sicque propriam libertatem perdere. *Communis* propter eamdem rationem; Fama enim, & libertas est bonum superioris ordinis, quam sint bona externa temporalia Creditoribus restituenda. 10

Item potest debitor differre restitutionem si ob ipsam statim faciendam deberet notabiliter cadere a statu suo honesto, & juste acquisito. *Communis;* Debitor enim in tali casu reperitur in gravi necessitate, qua proinde durante Creditor non potest rationabiliter velle sibi debitum solvi cum tanta proximi jactura, cum talis notabilis mutatio status sui honesti, & juste acquisiti non posset fieri sine infamia, & gravi dedecore Debitoris, & suæ familiæ; Unde licet Debita contraxerit, & in tali necessitate reperiatur ex propriis delictis, verb. gr. quia luxuriose & sumptuose vixit, lusit, & hujusmodi, tunc ne notabiliter cadat a suo honesto, & juste acquisito statu, potest restitutionem differre, si res aliena in individuo non extet; nam si adhuc in individuo extaret, tenetur statim eam restituere, ut notant communiter Doctores. * 11

Quam-

Notæ Romani Theologi.

* In praxi tamen expendendæ sunt serio circumstantiæ, quia debitor præsertim luxuriose vivendo non debet ex aliena re commodum recipere cum illius detrimento.

12 Quamvis tamen Debitor ob restitutionem faciendam non teneatur notabiliter cadere a suo honesto, & juste acquisito statu, ver. gr. non teneatur nobilis dimittere omnes quadrigas, vendere totam pretiosam supellectilem, omnes pretiosas suæ conditioni competentes vestes, & hujusmodi, nec teneatur artem mechanicam, aut actiones suo statui indecentes exercere, tenetur tamen mensæ abundantiam, vestium superfluitatem, quadrigarum, equorum, & famulorum multitudinem ad honestam mediocritatem reducere. Item tenetur a ludis, & conviviis, a superfluis dispendiosis itineribus, aliisque superfluis expensis abstinere, & statum suum quoad pompam, & splendoris apparatum moderare; Unde debitores hæc non facientes nequeunt a Confessariis absolvi, cum sic nimis injuste alienum detineant, non curantes modo præfato paulatim restituere; Nimis enim irrationabile, intolerabile, injustumque est, quod Debitis obstricti ex mercatorum, & operariorum sudore, & sanguine luxurientur, pompose vestiantur, delicate nutriantur, & hujusmodi. Sic communiter Doctores serio quoad hæc monentes & Debitores, & Confessarios, ut sibi caveant.

13 Debitor qui notabilem statum sibi comparavit injuste, ver. gr. Mercator, aut alius, qui statum splendidum, vel nobilem sibi acquisivit ex usuris, furtis, rapinis, & hujusmodi, non potest restitutionem differre, ne notabiliter cadat a tali statu, sed tenetur restituere etiam cum totali jactura talis status injuste de alieno acquisiti, cum hoc non sit de suo statu cadere, sed ab eo, qui non erat suus, ad suum descendere, nec minor sit iniquitas ex alienis statum conservare, quam ex alienis illum sibi comparare: hinc nihil habens, nisi injuste acquisita, tenetur totum restituere, quantum citra extremam necessitatem carere potest, etiam usque ad mendicitatem, nisi periculum infamiæ excuset. *Communis* per text. *in cap. Cum tu 5. de usuris*: ubi Pontifex expresse mandat, quod Usurarii etiam sub pœna Excommunicationis compellantur ad restitutionem, & ob id debeant vendi etiam eorum domus, ac possessiones ex usuris acquisitæ.

14 Sicuti Debitor, qui injuste sibi comparavit talem statum, ita etiam ejus heres malæ fidei v. gr. filius Usurarii, vel mercatoris injusti, qui mala fide cœpit possidere bona injuste acquisita a suo Patre, tenetur restituere etiam cum mutatione talis status relicti, & inique acquisiti a suo Patre, cum talis possessio malæ fidei nihil ipsi suffragetur, & mala fides possessoris defuncti noceat etiam immediato heredi vivo, *arg. leg. ult. Cod. Communia, de usucapionibus, l. Cum heres, ff. de diversis & temporalibus præscriptionibus, & §. Diutina, Institut. De usucapionibus*.

15 Si autem talis heres bona fide possidere cœpit, & exinde cognoscat talem statum fuisse a suo Patre injuste acquisitum ex bonis alienis; tunc non tenetur notabiliter cadere a tali statu bona fide accepto ob restitutionem statim faciendam, sed poterit differre sicuti supra *numer. 11. & 12.* dictum est de Debitore, qui statum suum honeste, & juste acquisivit. Sic cum aliis Tamb. *lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 9. num. 5.* Sporer *loc. citat. num. 68.* & alii passim.

Debitor potest etiam differre restitutionem, si ob ipsam statim faciendam deberet pati in propriis bonis temporalibus aliquod notabile, & majus damnum, quam patiatur Creditor ex dilatione restitutionis, v. gr. Si Debitor non possit statim restituere debitum, nisi vendat Domum, Villam, & hujusmodi multo minoris, quam valeant, & aliunde affulgeat spes faciendi postea ipsam restitutionem commodius, & sine tanto detrimento. Tunc enim Creditor non potest esse rationabiliter invitus pro tali sibi dilata restitutione ob dictum justum finem. *Communis*. 16

Si Debitor, & Creditor reperiantur in æquali necessitate gravi, ut si ex dilata restitutione æquale damnum emergat Creditori, tunc Debitor tenetur restituere. *Communis*, teste La Croix *lib. 3. part. 2. num. 430.* & ratio est, quia in pari causa potior est conditio Creditoris habentis strictum Jus ad exigendum sibi Debitum, quam Debitoris non habentis strictum Jus, sed solum licentiam Caritatis ad debiti restitutionem differendam; Quod verius est, ubi Debitum contractum est ex delicto, cum ratio dictet potius favendum esse innocenti, quam nocenti; Iniquum enim est, quod Debitor ex sua malitia commodum reportet contra innocentem pari necessitate gravatum; *arg. cap. Intelleximus 7. de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare, l. Non fraudantur 134. ff. de Regul. Jur. §. 1.* ibi: *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*. 17

Quando Debitor, & Creditor reperiuntur in æquali necessitate extrema, si Debitor prius in dictam extremam necessitatem inciderit, non tenetur restituere Creditori postea similem extremam necessitatem incurrenti, quia Debitor in puncto extremæ necessitatis prius acquisivit dominium rei necessariæ Jure poli; Tum quia si Debitor prius reperiretur in extrema necessitate, Creditor, quamvis non esset talis, teneretur eidem subvenire, ergo a fortiori ipso Debitore existente prius in extrema necessitate, non potest Creditor ab eodem Creditum exigere, *Communis*. 18

Econtra si Creditor prius inciderit in extremam necessitatem, tenetur Debitor statim restituere ipsi Creditori rem suam duplici Jure, nempe & Jure dominii ad illam rem, & Jure poli ob dictam extremam necessitatem; Tum quia si Debitor, quamvis nihil deberet Creditori, teneretur eidem in extrema necessitate subvenire, quando ipse non esset 19

Responsio Auctoris.

Satis a me sunt & serio expensæ circumstantiæ, ut patet *ibi*, & sub *num. sequ.* ubi post multa adducta contra tales debitores advertenda, ita concludo: *Sic communiter Doctores serio quoad hoc monentes & debitores & confessarios, ut sibi caveant*.

esset in illa constitutus, ergo a fortiori tenetur eidem restituere rem suam, si prius ipse Creditor inciderit in extremam necessitatem. *Communis*.

20 Item si Creditor conjectus sit in illam extremam necessitatem per subtractionem illius rei, cujus est Creditor, tenetur Debitor illam statim restituere, quamvis etiam ipse in tali necessitate extrema reperiatur, quia non licet in extrema necessitate rem alienam usurpare quando dominus est in pari extrema necessitate, cum in pari causa necessitatis melior sit conditio possidentis per text. *in cap. Ad aures 6. de præscriptionibus*, *cap. Quod autem 3. de Jurepatronatus*, *cap. In pari 65. de Regul. Juris in 6. l. Nemo 126. §. 2. & l. in pari causa 128. ff. de Regul. Juris*, adeoque &c. Ita Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 5.* Lessius *lib. 2. de Justit. & Jure cap. 16. dub. 1. numer. 13.* Silvester verb. *Restitutio 5.* & alii communiter, teste Lugo *disp. 21. numer. 4.*

21 Quando Debitor & Creditor simul, & eodem tempore incidunt in parem necessitatem extremam, tunc Debitor tenetur restituere, saltem si Debitor habeat in specie rem Creditoris, neque talis res restituenda maneat adhuc sub dominio ipsius Creditoris. Ita Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4.* Richardus, Paludanus, aliique gravissimi Doctores, præsertim antiqui, Vasquez *cap. 1. de eleemosyna dub. 9.* Lugo *disp. 21. num. 4.* Reiffenstuel *Theol. Moral. tract. 9. dist. 5. quæst. 1. num. 11. & dist. 6. num. 105.* Henno *tom. 2. tract. 1. disp. 5. quæst. 1. conclus. 3.* & alii plures contra plures alios præsertim recentiores fere communius tenentes vere probabiliter contrarium: Et ratio nostræ conclusionis est, quia in tali casu Creditor, seu dominus illius rei nunquam cecidit ab ejus dominio; ante necessitatem enim habuit rei dominium, & in puncto necessitatis acquirit novum Jus poli ad illam rem. Unde duplici Jure res illa ei debetur, primo propter rei dominium a quo numquam cecidit, & secundo propter æqualem necessitatem extremam; adeoque Debitor in eo casu rem injuste detinet, & restituere tenetur; Tum quia, quando quis est dominus, & alter extraneus respectu rei hic & nunc extreme sibi necessariæ, dominus præferendus est extraneo; In nostro autem casu Creditor est vere dominus dictæ rei, cum nunquam ab illius dominio ceciderit, & Debitor est extraneus, cum illius rei dominium nunquam habuerit, adeoque &c. Tum etiam quia si teneret sententia adversariorum, reus reportaret commodum ex suo delicto, cum, patrato furto, esset Domino præferendus, & illo secluso, postponendus: hoc autem nequit dici, quia iniquum nimis est, quod Debitor nocens ex sua malitia commodum reportet contra Creditorem innocentem pari extrema necessitate gravatum; *arg. cap. Intelleximus 7. de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*; *l. Non fraudantur 134. ff. de Regul. Juris*, §. 1. ibi: *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*.

22 Nec valet objicere, quod in extrema necessitate omnia sunt communia, & ideo Debitor in illa constitutus possit tuta conscientia rem illam alienam sibi extreme necessariam retinere, & consumere, cum ratione talis extremæ necessitatis sit jam facta communis, & non sit plus alterius, quam sui. Non valet, inquam, quia licet in extrema necessitate sint omnia communia, quando cum alterius necessitate non concurrit par extrema necessitas Domini; Secus tamen, quando concurrit; In tali casu Dominus, seu Creditor duplex habet Jus ad illam rem, nempe & Jus extremæ necessitatis æqualis ad illam Debitoris, & Jus Domini illius rei, quod non habet Debitor, adeoque &c.

Nec valet instare, quod melior est conditio possidentis, adeoque cum Debitor possideat, præferri debet Creditori non possidenti. Non valet, inquam quia licet sit melior conditio possidentis ubi Dominus est dubius, & possessor est malæ fidei; Secus tamen, ubi possessor est malæ fidei, & Dominus est certus, ut in nostro casu, cum Jus Dominii prævaleat Juri possessionis etiam justæ, & a fortiori injustæ. 23

Nec etiam valet urgere, quod quisque tenetur magis servare vitam propriam, quam alienam, adeoque Debitor habens in extrema necessitate rem alienam, media qua una sola vita, vel sua, vel Domini rei potest servari, non tenetur rem illam restituere Domino ad servandam ejus vitam, si inde necessario perdat suam. Non valet, inquam, quia licet quisque teneatur magis servare vitam propriam, quam alienam mediis licitis; Secus tamen mediis illicitis, uti est privare Dominum re sua ipso totaliter invito; Sicut enim v. g. reus juste condemnatus ad mortem non potest ad servandam propriam vitam carnificem occidere, quia carnificis mors est injusta, & rei justa, ita nec injustus Debitor habens rem alienam, media qua una sola vita, vel sua, vel domini rei potest servari, non potest rem illam adhibere ad servandam propriam vitam, si exinde necessario perdatur vita domini ipsius rei, quia conservatio vitæ domini rei, media ipsa sua re est justa, & conservatio vitæ talis Debitoris, media dicta re non sua, est injusta: Concurrente enim pari extrema necessitate domini, seu Creditoris non licet alteri rem ipsius usurpare, aut retinere, quamvis reperiatur in extrema necessitate, quia in concursu paris extremæ necessitatis res domini non fit communis alteri; quamvis extra talem concursum in extrema necessitate omnia sint communia, ut dictum est *supra num. 22.* 24

Notanter autem *supra num. 21.* fuit dictum: *Saltem si Debitor habeat adhuc in specie rem Creditoris, sicque talis res restituenda maneat adhuc sub dominio ipsius Creditoris*, quia si res illa fuisset jam a Debitore consumpta, sicque non amplius maneret sub dominio ipsius Creditoris, videtur, quod præferendus esset in tali casu Debitor, quia tunc non possideret alienum, sed proprium, cum solo onere restitutionis, ubi opportunitas aderit. Et forte pro illo casu intelligendi sunt plurimi Auctores contrariæ sententiæ, ut notat Henno *loc. c. in fine*, & alii. 25

Causæ omnino excusantes a restitutione, ut etiam omitti possit, generatim sunt quatuor, scilicet Interitus rei in specie debitæ sine ulla culpa Debitoris bonæ fidei: Remissio Creditoris expressa, vel 26

vel tacita; Compensatio facta, & Auctoritas superior. *Est in re Communis*.

27 Prima igitur causa omnino excusans a restitutione est Interitus rei in specie debitæ sine ulla culpa Debitoris bonæ fidei; Quomodocumque enim pereat res in specie, seu potius philosophice loquendo, in individuo debita sine ulla culpa Debitoris bonæ fidei, Debitor bonæ fidei liberatur ab omni onere restitutionis, si ex ipsa nihilo factus sit ditior. *Communis*, per tex. *in cap. Cognoscentes 22. de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Cum enim sine ulla culpa Debitoris bonæ fidei contra Justitiam, res illa perierit, non est caput, unde oriatur aliqua obligatio restitutionis.

28 Dicitur autem notanter: *Si ex ipsa in nihilo factus sit ditior*, quia si possessor, seu Debitor bonæ fidei advertat ex ipsa re aliena se in aliquo factum esse ditiorem, debet id restituere domino. *Communis*, per text. *in leg. Item veniunt 20. §. 6. ff. de hereditatis petitione*, ubi expresse dicitur: *Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos*, scilicet ad restitutionem. Ubi Glossa ait: *Hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in Jure, ut bonæ fidei possessor ad id tantum, quod ad se provenerit, teneatur*. Et ratio est, quia, sicuti possessor, seu Debitor bonæ fidei deberet reddere, seu restituere ipsam rem, seu partem ejus, si extaret, ita loco ipsius absumptæ restituere tenetur id, in quo ex ipsa factus est ditior, quia æquum non est aliquem divitem fieri ex alieno, textu expresso *in cap. Locupletari 49. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*.

29 Secunda causa omnino excusans a restitutione est Remissio Creditoris expressa, vel tacita; Dummodo tamen talis remissio habeat requisitas conditiones. *Communis*. Et ratio est, quia restitutio fieri debet, ne Dominus injuriam patiatur; libere autem remittens, seu condonans non patitur injuriam, *c. Scienti, & consentienti 27. de Regul. Juris in 6. & l. Nemo 145. ff. de Regul. Juris*, & unusquisque potest libere Juri suo renunciare, textu expresso *in cap. si de Terra 6. de privileg. l. si quis in conscribendo 29. Cod. de pactis*, adeoque &c.

30 Tacita remissio fieri censetur a Creditore, si instrumentum Debiti laceret, aut ante solutionem voluntarie, & libere ultro ipsum reddat Debitori; Tunc enim censetur id facere animo totaliter condonandi, nisi ex indiciis, & circumstantiis aliud constet. *Communis*. Item tacita remissio præsumitur in Creditore sufficiens ad liberandum Debitorem ab onere restitutionis, si ipse Debitor putet, quod si per se, vel per alios manifestaret Debitum suum Creditori, seu ipsum rogaret, talis Creditor liberaliter condonaret, vel nollet obligare (1) ad restitutionem. Burghaber *centur. 3. cas. 85.* La Croix *lib. 3. part. 2. num. 462.* cum Reginald. Sa, Lessio, & aliis ibi citatis, Dicastill. *d. 1. num. 113.* Lugo *disp. 21. sect. 4. num. 53. & 54.* cum S. Antonino, Rosella, Silvestro, Angles, Tabiena, Arragonio, Sayro, & aliis ibi citatis, qui addunt, non teneri restituere, qui accipit rem non petitam, quam si petiisset, dominus dedisset. Et ratio est, quia tunc adest voluntas præsumpta domini sufficiens, ut retentio non fiat illo quoad substantiam invito; Si tamen Debitor dubitet, an Creditor, seu dominus, si sciret, esset remissurus? tenetur petere, ut remittat, vel restituere, quia dominus est in possessione. 31

32 Fuit dictum supra *num. 28. Dummodo tamen talis remissio habeat requisitas conditiones*, quia ut remissio omnino excuset a restitutione, requiruntur tres conditiones. *Communis*. 33 Et quidem prima conditio requisita est, ut remissio debiti fiat libere, & sine vi, vel fraude, seu dolo; Remissio enim est species Donationis, quæ essentialiter debet esse liberalis & gratuita, & liberæ, & nullo modo coactæ voluntatis. Unde invalida est Debiti remissio quacumque vi, aut fraude, seu dolo extorta; Ut si Debitor præpotens extorqueat a Creditore partialem Debiti remissionem ei dicendo, seu minando, quod si non remittat partem, perdet totum; Si Debitor dolose simulet se impotentem restituere, aut fingat se pauperiorem, quam sit, seu alia fraudulenta, vel violenta via partialem Debiti remissionem obtineat, alias non obtenturus, ex quo Creditor, secluso illo metu perdendi totum, non fuisset partem illam remissurus, tunc talis Debitor non liberatur ab onere restitutionis; quia dicta remissio non est Creditori voluntaria, & Juridice libera; Tum quia partem sine onere debitam cogitur acceptare cum onere; scilicet non exigendi totum, quod utique Creditor voluisset exigere, si simili vi, fraude, vel dolo ad ipsam involuntariam

(*1) In Edit. Rom. hæc adnotatio legitur: „ Quisque posset a restitutione excusari; nam facile „ est sibi persuadere conniventiam Creditoris: „ Hinc multis sententia illorum qui ad remissionem seu condonationem debiti satis esse virtualem domini voluntatem existimant, minime probatur. Ex his est Petrus Colet, qui in Institutionibus Theologicis tract. de justitia & jure cap. III. art. v. tom. III. pag. 123. „ Sufficitne, *inquit*, ad condonationem virtualis domini voluntas? Affirmant plures modo ex „ conjecturis vere probabilibus de eadem voluntate constet: unde a restituendo eximunt tum filiosfamilias, qui aliquid non ita magni momenti furantur parentibus, quibus sunt charissimi; tum ut „ plurimum famulos & dominorum amicos qui poculenta & esculenta arripiunt, sibi concedenda, si „ postulare auderent. Hæc doctrina videtur mihi plena periculi, & in praxi admodum dubia; certe „ non idem est, *condonassem*, & *condono*: itaque vel petenda est condonatio, vel restituendum, nisi „ res tam levis sit momenti, ut ex quodam usu condonata censeatur. Profecto præsumpta dominorum voluntas innumera quotidie furta parit: sic Capitanei qui milites vix 60. habent, ex præsumpta „ Regis voluntate pro militibus centum stipendium accipiunt. „

riam partialem debiti remissionem non fuisset inductus. Hinc securi non sunt in conscientia Mercatores illi, seu alii Debitores, qui prætextu impotentiæ solvendi totum concordias exigunt a Creditoribus, qui metu amittendi totum debitum, partem remittunt, & solam partem recipiunt, cum revera Debitores totum, seu plura possent solvere, & id totum, quod superest, sibi retineant ex alienis; adeoque in conscientia remanent semper obligati ad restitutionem, cum remissio illa fraude, vel dolo extorta nulla sit. Lugo *cit. disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 46. Sporer *loc. cit. c.* 4. *sect.* 4. *num.* 84. Dicastill. *d.* 10. *num.* 102. La Croix *loc. cit. num.* 457. & alii passim.

34 Conditio secunda requisita est, ut remissio non fiat in Casibus a Jure exceptis: Varii enim casus excipiuntur in Jure, in quibus non potest fieri debiti remissio, & si fiat, est nulla. Ac primo, nulla est remissio facta Judici Ecclesiastico, qui ultra id, quod sibi Jure permissum est, aliud recipit, *cap. Statum* 11. §. 7. *de Rescriptis in* 6. Secundo, nulla est remissio facta Episcopis ratione illius, quod ultra sumptus ad sustentationem necessarios receperunt in Visitatione Ecclesiarum, *cap. Exigit* 2. *de Censibus in* 6. Tertio, nulla est remissio pecuniæ ratione Officii extortæ ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis. *Clementin. Nolentes* 2. *de hæreticis*. Quarto, nulla est remissio distributionum facta Canonicis absentibus a residentia. Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. Supradictæ enim factæ remissiones, & aliæ consimiles nihil suffragantur, unde, ipsis non obstantibus, tenentur supradicti adhuc ad integram respective restitutionem.

35 Conditio tertia requisita est, ut remissio, seu condonatio fiat a potente condonare, defectu cujus nulla est condonatio debiti facta a Filiofamilias, Impubere, Pupillo, Religioso, & hujusmodi. Item nulla est remissio, seu condonatio facta Debitoribus de creditis domini, ab Uxore de Creditis Mariti, a Fratre de Creditis Sororis, ab Exactore vectigalium de creditis Principis, & hujusmodi; Omnis enim talis, & similis remissio, seu condonatio debiti non liberat Debitorem ab onere adhuc integre restituendi, nisi sit facta ex consensu remittere potentis.

36 Tertia causa omnino excusans a restitutione est compensatio facta; Dummodo tamen interveniant conditiones requisitæ, ad legitimam compensationem. *Communis*. Compensatio enim solutionis instar censetur in Jure, *l. si Debitor* 4. *ff. Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur*, ibi: *Dicendum est, perinde haberi debere, ac si priori Creditori pecunia soluta esset; Nec enim interesse solverit, an pensaverit*, idest, an compensaverit? *l. Ideo compensatio* 3. *ff. De compensationibus*, ibi: *Interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere*. Quænam autem sint conditiones requisitæ ad legitimam & justam compensationem? Vide verb. *Compensatio*. 37

38 Quarta causa omnino excusans a restitutione generaliter est Auctoritas Superior, seu dispositio Superioris potestatis, per quam Debitor ab obligatione restituendi, seu solvendi omnino liberatur. *Communis*.

39 Et quidem primo Debitor liberatur omnino ab onere restituendi, seu solvendi per Legem præscriptionis, quia publica auctoritate dominium rei alienæ ab antiquo domino ad possessorem bonæ fidei, & legitimi temporis ita plene transfertur, ut deinceps Debitor etiam cognito domino ab obligatione restituendi remaneat penitus liber etiam in foro conscientiæ. *Communis* per Jura tum Civilia, tum Canonica adducta sub verb. *Præscriptio a num.* 7. *ad* 9. Vide *ibi per tot.* ubi abunde de omnibus ad legitimam Præscriptionem pertinentibus. (*)

40 Secundo Debitor liberatur omnino ab onere restituendi, seu solvendi per justam sententiam Judicis, & ad id afferuntur gravia exempla, ut si quis per Judicis sententiam cogatur resarcire alteri damnum sine culpa gravi Theologica ei causatum, ad quod resarciendum ante sententiam in conscientia non tenebatur, tunc qui id accipit, restituere non tenetur, quia Legis, & Sententiæ Juridicæ auctoritate id accipit; Et Legis, & Judicis auctoritate justis de causis ob bonum commune transferri potest Dominium unius in alterum. Item si Judex secundum allegata, & probata juste, sed reipsa injuste aliquem privet suo Beneficio, & conferat alteri, qui bona fide illud accipit, hic alter, quamvis postea cognoscat illum injuste privatum fuisse, non tenetur dimittere, vel aliquid restituere, quia illud accepit a potente legitime conferre, & propter bonum commune aufertur vere ab eo, qui prius habebat, & adjudicatur alteri. Item si Judex in pœnam injuriæ alteri illatæ, & ex præsumptione vera imponat alicui mulctam pecuniariam ipsi alteri injuriato solvendam, potest ille injuriatus, cui debetur mulcta, non solvere aliud debitum ei, a quo mulctam illam habere debet, & a fortiori non tenetur mulctam sic acceptam restituere, quia per ju-

Notæ Romani Theologi.

* In utroque hoc casu consultius existimo, benignam hanc opinionem abjicere.

Responsio Auctoris.

At non solum non est abjicienda hæc opinio ut benigna, sed omnino est tenenda, ut recta, vera & justissima. Legitima enim præscriptio est valida, & licita nedum in foro externo, sed etiam in foro interno seu conscientiæ, ut tradunt communiter Juristæ, Canonistæ, & Moralistæ per jura tum Civilia, tum Canonica a me adducta sub verb. *Præscriptio a num.* 6. *ad* 9. Vide *ibi* per tot. ubi abunde de omnibus ad legitimam præscriptionem pertinentibus, & ubi leges civiles leguntur ad id canonizatæ per leges canonicas.

justam sententiam Judicis res sua facta est. Sic Lugo *disp.* 21. *num.* 553. Lessius *lib.* 2. *c.* 7. *dubit.* 8. *cap.* 17. *dubit.* 17. *cap.* 29. *dub.* 10. Sporer *loc. cit. num.* 91. La Croix *loc. cit. num.* 451. & alii passim.

41 Huc spectat compositio Summi Pontificis, qua Papa Debitori indulget, ut major quantitas Debiti incerti, idest, cujus dominus ignoratur, mutetur in minorem, statim ad pias causas restituendam, reliquum autem sibi retineat. Et talis compositio facta cum Pontifice super debitis incertis liberat Debitorem ab onere restitutionis. Lessius *lib.* 2. *de Justit. & Jur. cap.* 16. *num.* 83. Medina *Cod. de reb. restituen. quæst.* 3. *caus.* 631. *vers. Verum si alia motiva*, Lugo *disp.* 6. *num.* 150. *& disp.* 24. *a n.*91. Rosignol. *de restitut. III. prænot.* 9. *num.*1. La Croix *loc. cit. num.* 410. Sporer *loc. cit. num.* 93. Molina *disp.* 748. & alii: Et ratio est, quia Debita incerta ex communiori, & tutiori Theologorum consensu sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicanda; *cap. Cum tu* 5. *de usuris*, & patet ex dictis sub verb. *Dominium a num.* 18. *ad* 20. adeoque cum talia debita incerta debeantur pauperibus solum de Jure positivo, ut pluribus probat Lessius *lib.* 2. *de Justit. & Jure cap.* 13. *Dubit.*6.*n.*36.*& seq.*& alii communius, & Pontifex sit supra quodcumque jus positivum, *cap. proposuit* 4. *de concession. Præbend.* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare*, poterit Pontifex facta compositione dispensare, ne illa pauperibus distribuantur, sed possint a Debitoribus retineri absque onere restitutionis; Tum quia Papa habet Jus indirecte in res temporales, quando id necesse est ad bonum spirituale, ut fuse demonstrant Diana *tom.* 1. *post part.* 20. *resolut.* 5. *& seq.* Moya *tom.*1. *tract.* 6. *d.* 3. *quæst.* 3. & alii passim, & patet de bonis, quæ relicta sunt Religionibus secundum se incapacibus Dominii, quæ quoad Dominium transeunt ad Romanum Pontificem tamquam caput universalis Ecclesiæ, ut expresse de bonis relictis Fratribus Minoribus definitum est *in cap. Exiit* 3. §. *Ad hæc*, *de verbor. signific. in* 6. adeoque &c.

42 Quamvis Papa non concedat de facto talem compositionem super bonis certis, ubi scilicet certus est eorum dominus, loquendo tamen de possibili talis legitima causa intervenire posset, ut eam compositionem concederet, & consequenter Debitorem liberaret ab onere restitutionis. Lessius *lib.* 2. *de Justit. & Jure cap.* 16. *dub.* 11. *num.* 83. Medina *Cod. de reb. restit. quæst.* 3. *caus.* 11. Silvester *verb. Restitutio* 7. *quæst.* 2. *dist.* 5. Lugo *cit. disp.* 21. *n.*96. Rosignol. *loc. cit. num.* 3. Dicastill. *d.* 10. *num.* 175. & plurimi alii; Et ratio est, quia sicut Leges Civiles propter bonum publicum media præscriptione legitima auferunt dominium a vero Domino, & concedunt illud possessori bonæ fidei post legitimum possessionis tempus, ut patet ex dictis sub verb. *Possessor bonæ fidei*, & verb. *Præscriptio*, ita posset Lex Ecclesiastica propter bonum spirituale commune idem facere contra certum Dominum, vel Creditorem, & hoc præsertim contra Creditores hæreticos, quorum Debitoribus potest Papa dictam compensationem concedere, quia cum hæreticorum bona per Leges applicari debeant Fisco, *c. Vergentis* 10. *de hæreticis*, *c. Cum secundum* 19. *de hæreticis in* 6. *& Authentic. Gazaros*, *Cod. de hæreticis*, licet nunc ob impotentiam non applicentur, poterit Pontifex optimo Jure eorum Debitoribus condonare debita, imposita eis aliqua compositione ob causam piam. Ita etiam si aliqui Creditores graviter, & enormiter deliquerint, poterit Pontifex in pœnam delicti eosdem privare Juribus suis, & postea cum Debitoribus super illis bonis certis componere.

Dictam compositionem concedere non possunt Episcopi, neque pro Debitis incertis, Sic Lugo *cit. disp.* 21. *num.* 107. Molina *disp.* 748. *num.* 7. Turrian. *disp.* 41. *dub.*2. *num.* 12. Illsung *tom.* 4. *d.*3. *num.* 297. La Croix *loc. cit. num.* 413. Rodriquez, Silvester, Corduba, & alii plures, sic docente etiam communi praxi; Episcopi enim nec habent Jus altum in res temporales, nec potestatem indirectam disponendi de rebus temporalibus subditorum, quæ soli Romano Pontifici competit; *arg. Clementin. Contingit* 2. *de Religiosis Domibus*, ibi: *Cum ea*, *quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium*, *ad illum debeant*, *non ad alium* (*salva Sedis Apostolicæ auctoritate*) *converti*. Henriquez tamen, Villalob. Trullench. & Diana apud Lugo *loc. cit. num.* 106. tenent contrarium. 43

Debitor solvens Creditori sui Creditoris ex rationabili causa, si debita sint ejusdem rationis, nec sit alius Creditor præferendus, liberatur in conscientia ab alia restitutione facienda. Molina *tom.*3. *d.* 741. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* 3. *quæst.* 4. *conclus.* 2. Angelus verb. *Solutio num.* 13. Silvester verb. *Solutio num.* 4. Sporer *loc. cit. num.* 79. & alii communiter. Et ratio est, quia tali modo adhuc servatur æqualitas, ut nimirum quilibet habeat quantum habere debet; Nec Debitoris Creditor debet, vel potest esse rationabiliter invitus, quod ex rationabili causa ipsum præveniendo solvat ejus creditori, quia ratione talis rationabilis causæ censetur Creditor ratam habere dictam solutionem, adeoque Debitorem liberari ab alia restitutione facienda, ac si eidem Creditori solvisset, per text. *in l. Invito* 12. *Cod. de solutionibus*, ibi: *Quod si hoc*, *vel mandante*, *vel ratum habente eo*, *fecerit*, *non minus liberationem consequitur, quam si eidem Creditori solvisset*. 44

Immo Debitor solvens Creditori sui Creditoris ex rationabili causa, non solum liberatur ab alia restitutione facienda in conscientia, seu foro interno, sed etiam in foro externo, quando Debita sunt æque privilegiata, procedunt ex eadem causa, suntque ejusdem rationis, ut si conduxi domum a Joanne, qui eam conduxerat a Francisco, satisfacio in utroque Foro dando solutionem Francisco, *l. Utrum præsente* 27. *ff. de pecunia constituta*; & concordat *l. Si liber homo* 36. *ff. de negotiis gestis*. Sic tenent Rosignol. *de restitut.* 3. *prænot.* 4. *n.* 2. Lessius *lib.*2. *de Justit. & Jur. cap.* 16. *dubit.*5. *n.*60. Angelus verb. *Restitutio num.* 13. Medina *Cod. de reb. restit. quæst.* 3. *caus.* 5. Silvester verb. *Solutio num.* 4. Lugo *disp.* 21. *num.* 146. Molina, Henno, & Sporer *locis citatis*, & alii passim. Quinimmo Rosignolus, Silvester, Angelus, Medina, Lessius, *locis citatis*, & alii docent, talem Debitorem liberari ab alia restitutione in foro interno, & externo, etiamsi debita procedant ex diversa causa, quia dicunt, sicut debita proveniunt ex diversa causa, dum- 45 46

dummodo sint æqualia in quantitate, merito adinvicem compensantur; Bartolus tamen *in l. Solutum, ff. de pignoratitia actione* contrarium sentit pro foro externo, quando debita sunt ex diversa causa.

47 Debitor autem solvens Creditori Creditoris absque ulla rationabili causa, & invito rationabiliter suo immediato Creditore, non liberatur in foro externo ab alia restitutione facienda, textu expresso in *l. Invito* 12. *Cod. de solutionibus*, ibi: *Invito, vel ignorante Creditore, qui solvit alii, se non li-*
48 *berat obligatione*. Et id jure merito statutum est pro foro externo contentioso ad evitandas lites, quæ inde nascerentur. Pro foro tamen interno conscientiæ, quamvis talis restitutio facta Creditori Creditoris absque rationabili causa, & invito rationabiliter immediato Creditore sit illicita, ut de se patet, nihilominus est valida, dummodo inde nullum damnum, aut præjudicium patiatur Creditor immediatus. In tali enim casu Debitor nullum damnum infert Creditori immediato, cum per hoc liberetur a restitutione, quam debuisset ipsemet facere tali suo Creditori. Unde cum Debitor restituendo Creditori Creditoris æquivalenter censeatur restituere ipsi immediato Creditori, liberatur in foro conscientiæ ab alia restitutione facienda. Henno *loc. cit.* & alii passim.

49 Per cessionem bonorum suorum, & Jurium liberatur quidem Debitor in foro externo a pœna carceris; At non liberatur in foro interno conscientiæ ab onere restitutionis, nisi sit vere impotens. *Communis*, per text. *in l. Qui bonis cesserint* 1. *Cod. Qui bonis cedere possint*, ibi: *Qui bonis cesserint nisi solidum Creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem*.

50 Hinc si bonis cedens deveniat postea ad pinguiorem fortunam, tenebitur ad integram restitutionem, tam in foro interno, quam in foro externo. Colligitur expresse ex *c. Odoardus* 3. *de solutionibus*, *l. Cum & filii familias* 7. *Cod. Qui bonis cedere possunt*, *l. Is, qui* 4. *ff. de cessione bonorum*; *&* §. *Cum eo* 40. *Institut. de actionibus*, ibi: *Cum eo quoque, qui Creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere potest, Creditores experiuntur, inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis in solidum damnari*. Et ratio est, quia tota ratio privilegii cessionis bonorum ducta est ab impotentia Debitoris, per illam enim cessionem non intelligitur Debitum extinctum, sed sopitum, adeoque cum deveniendo ad pinguiorem fortunam cesset impotentia Debitoris, tenebitur ipse Debitor tunc ad integram restitutionem, cum cessante causa cesset effectus: *cap. Cum cessante 6. de appellat.* & cessante ratione, & causa Legis, cesset ipsa Lex, *l. Adigere 6.* §. 2. *ff. de Jur. patron.* Unde *in cit. cap. Odoardus* 3. *de solutionibus* obligatur sic bonis cedens ad præstandam cautionem de integre solvendo, si devenerit ad pinguiorem fortunam.

Immo sic bonis cedens tenetur in conscientia, 51
& in foro externo compelli potest quantum conditio, seu status personæ permittit ad faciendum totum id, quod facere potest, & ad laborandum & acquirendum, unde solvat integre. Sic teste Sporer *loc. cit. num. 96.* habet Communis, & solida sententia Sanchez, Molin. aliisque citatis, Layman *cit. c.* 12. *num.* 5. Lugo *tom.* 2. *de Justitia disp.* 22. *sect.* 3. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *c.* 1. §. 9. *num.* 10. & idem tenet Henno *loc. cit. tract.* 1. *disp.* 5. *qu.* 3. *conclus.* 1. & alii per text. *in cit. l. Is, qui* 4. *ff. de cessione bonorum*, ibi: *Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest, convenitur*, & *cit.* §. *Cum eo* 40. *Institut. de actionibus* per verba adducta *numero antecedenti*, ibi. *Ex integro in id, quod facere potest, Creditores experiuntur*. Si enim Debitor laborando juxta conditionem, & statum suum acquirere possit, unde integre solvat; & ad id tenetur, cum obligatus ad finem obligetur etiam adhibere media saltem ordinaria ad illum finem necessaria; Nisi enim hoc dicatur, ansa daretur fraudulentis cessionibus bonorum in maximum damnum Creditorum, & præjudicium totius Reipublicæ.

Cedens bonis si venerit in pinguiorem fortunam, 52
tenetur, quantum potest, ad integram restitutionem, etiamsi bonis cesserit in loco publico cum quibusdam actibus ignominiosis a Lege statutis: Ignominia enim illa non extinguit obligationem naturalem solvendi debita, cum per ipsam nullum Creditoris damnum resarciatur; sed est pœna propter culpam præsumptam contrahentis debita supra suas vires, & ad terrendos alios, ne prodigalitate & negligentia ad similem statum deveniant. Sic Covarruvias 2. *variar. resolut. c.* 1. *num.* 6. Lessius *de Justitia & Jure cap.* 16. *dub.* 3. *num.* 49. Molina *disp.* 572. §. *Quamvis qui bonis*, Filliucius *tom.* 3. *tract.* 32. *cap.* 5. *num.* 153. Turrian. *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 2. Rosignol. *loc. cit. prænot.* 3. *num.* 7. Bonacina *disp.* 1. *de restit. qu. ultima punct.* 1. *n.* 38. Lugo *cit. disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 40. & ipso teste alii communiter.

Qui omnibus bonis cessit, si post cessionem ali- 53
quid acquisierit, non potest in foro externo de eo conveniri, nisi prius extractis pro sua, suorumque sustentatione necessasiis secundum decentiam sui status, & conditionis. Est enim hoc privilegium ei concessum a Jure, quod si post cessionem omnium bonorum aliqua alia bona acquisierit, non possit spoliari omnibus iis bonis, sed solum conveniri in quantum commode facere possit, & relicta ei congrua sui, & suorum sustentatione secundum suum statum, & conditionem. Sic *l. Is qui* 4. §. *Sabinus*, *& l. Qui bonis 6. ff. de cessione bonorum*; *l. Ex contractu* 3. *Cod. de bonis auctoritate Judicis possidendis*: *&* §. *Cum eo* 4. *Institut. de actionibus*. Et hoc locum habet etiam in foro conscientiæ, cum sit privilegium a Jure concessum, & contractus juxta Leges sint celebrati, adeoque justi etiam in foro conscientiæ. *Communis*. *

Ex

Notæ Romani Theologi.

* Privilegium est pro foro externo, pro interno autem quandocumque quis potest, restituere debet domino rem alienam.

54 Ex bonis autem adquisitis ante cessionem de rigore Juris non relinquitur Debitori congrua sustentatio, sed ad evitandas fraudulentas cessiones cogitur Debitor in foro externo omnibus omnino bonis cedere, nihilo penitus sibi retento, ut patet ex citatis Legibus: Nec attendendus est Lessius, qui *cit. c. 16. dub. 3. num. 49.* dicit, etiam ex Jure colligi, quod debitor possit etiam ex bonis ante cessionem habitis congruam sustentationem reservare, cum *in l. Qui bonis 6. de cessione bonorum.* dicatur expresse: *Nec etiam fraudandus est alimentis quotidianis*. Non, inquam, attendendus est, quia dicta verba immerito ad hoc propositum adducta sunt, cum in dicta Lege, ut clariasime legenti patet, expresse sermo sit, de eo, qui alia bona acquisivit post jam factam cessionem, ut recte ex ipsis clarissimis textus verbis observat Lugo *cit. disp. 21. sect. 2. num. 37.* & alii passim. Unde merito tenent Doctores communiter, quod Debitor ex contractu, qui bonis cessit, possit quidem de rigore Juris sibi retinere necessaria ad sui, suorumque sustentationem secundum suum statum, & conditionem ex bonis acquisitis post cessionem factam, non autem ex bonis habitis ante cessionem: sic clarissima citata Jura loquuntur.

55 Quamvis autem non possit Debitor ex bonis habitis ante cessionem sibi retinere congruam sustentationem in foro externo, & de rigore Juris, potest tamen id facere in foro conscientiæ; Omnes enim Doctores concedunt, quod Debitor ex infortunio cedens bonis possit de bonis etiam antea habitis licite occultare, & retinere quantum satis est, ut parce vivat secundum suum statum juste acquisitum; Quisquis enim Jus habet ad propria alimenta, quibus carens est vere in gravi necessitate constitutus, adeoque in foro conscientiæ potest retinere ex bonis etiam ante cessionem habitis necessaria ad tenuem suam sustentationem juxta suum statum juste acquisitum, cum ad ipsum statum juste acquisitum conservandum possit Debitor differre restitutionem, donec commode ipsam facere possit, absque eo qood notabiliter cadat ab ipso, ut ex communi fuit dicum supra *num. 11. & 12.* *

Hinc Debitore defuncto ejusque bonis non suf- 56
ficientibus ad solvenda omnia Debita, ejus uxor, & filii possunt in foro conscientiæ ob adductam rationem tantum occulte detrahere, & retinere, quantum ei sufficiat ad vitam suam, & statum honeste & parce conservandum. Et si in Judicio requirantur, possunt cum æquivocatione congrua jurare se nihil occultasse, seu sdbtraxisse intelligendo: *Nihil ipsis non debitum Jure naturali*, & sic ob eamdem rationem non incurrunt excommunicationem forte latam contra dicta bona occultantes, ** ut pluribus citatis docent Diana *p. 5. tract. 14. resolut. 57.* Tamburin. *lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 9. num. 9.* Sporer *loc. cit. num. 98.* & alii.

Quæ

Responsio Auctoris.

Sed si attendantur & concurrant omnia tradita a me a *cit. num. 53. ad 57.* inclusive, facile percipietur, *ibi* adducta locum habere etiam in foro conscientiæ ratione impotentiæ ortæ infortuniis sine sua culpa incursis; Jura enim nedum Civilia, sed & Canonica benigne consulunt infortuniis debitorum, quos calamitates, naufragium, bellum, aliusve malus eventus sine sua culpa depressit; *cap. Cum percussio 2. caus. 7. q. 1. cap. ex parte 5. de Cleric. ægrot.* cum similibus. Qua tamen impotentia cessante tenebitur ad restitutionem, cum revera pro foro interno quandocumque quis potest, restituere debeat domino rem alienam.

Notæ Romani Theologi.

* Potest ne quis furari, ut provideat suæ honestæ in posterum sustentationi? Hæc nonnisi in gravissima necessitate pro quotidiana sustentatione permittitur, tunc enim omnia sunt communia.

Responsio Auctoris.

Theologus noster hic, bona venia, canit extra chorum: Ego enim loquor non de bonis furatis, sed de juste, & licite acquisitis, & quidem de ipsis solummodo tantum occultare, & retinere quantum sat est, ut parce vivat secundum suum statum acquisitum. Et sic expresse declaro infra *n. 57.* dicens: *quæ huc usque dicta sunt de debitore respectu beneficii cessionis bonorum, intelligenda solum sunt de debitore ex contractu, quem licet honeste viventem, aut licite negotiantem sine sua culpa, adversa fortuna depressit; non autem de debitore ex delicto &c.* Vide ibi.

Not. Rom. Theolog. ** Duo hic sunt improbanda; & detractio bonorum in fraudem creditorum, & æquivocatio, seu restrictio mentalis in judicio; utraque enim asserio est falsa.

Responsio Auctoris.

Sed quantum ad occultam detractionem bonorum pro tanto solummndo quantum eis sufficiat ad vitam suam, & statum honeste & parce conservandum, intelligendo de debitis ex licito contractu, & non ex delicto contractis, mea assertio non est falsa, sed vera per solida fundamenta, & jura tum civilia, tum canonica mox supra adducta. Quantum autem ad æquivocationem, seu restrictionem mentalem, pro tali casu non esse falsam meam assertionem, sed veram, & licitam, satis & abunde id tra-

57 Quæ hucusque dicta sunt de Debitore respectu beneficii cessionis bonorum, intelligenda solum sunt de debitore ex contractu, quem licet honeste viventem, aut licite negotiantem sine sua culpa adversa fortuna depressit: Non autem de Debitore ex delicto, qui ex aliorum bonis plura congessit, & prodegit sciens non fore solvendo: Immo nec etiam de Debitore ex contractu, qui sua culpa v. g. ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa, & hujusmodi factus est impotens ad solvendum. Sic contra Lopez, Guttierez, Covarruviam, & paucos alios docet communior Doctorum cum Molina *tom.* 2. *disp.* 572. §. *His ita constitutis*; Lugo *citat. disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 43. Layman *cit. c.* 12. *num.* 5. Sporer *loc. cit. num.* 68. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *num.* 439. Henno *loco cit. tract.* 1. *disp.* 5. *qu.* 4. *conclus.* 3. Medina *Cod. de reb. rest. quæst.* 3. *vers. Tertia causa*, Rosignol. *de rest. III. prænot.* 2. *n.* 2. & alii passim, per text. *in l. Si fraudatur* 25. *in fine*, *ff. Quæ in fraudem Creditorum*, cum similibus: Jura enim benigne consulunt infortuniis Debitorum, quos calamitas, naufragium, aliusque malus eventus sine sua culpa depressit, non autem malitiæ injustorum Debitorum, qui ex aliorum bonis plura congesserunt, & ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa, & hujusmodi, facti sunt impotentes ad solvendum, cum non sit credibile, quod Jura velint beneficium cessionis concedere illis, qui potius pœnæ severitatem merentur; Hinc caveant tales injusti debitores, seu falliti, & banchæ ruptores, qui ut se eximant ab onere Creditorum, se decoctos simulant cum marsupio, ut vulgo dicitur *Dietro le spalle*: Isti enim merito possunt in carcerem conjici, donec integre persolvant, & si non sic detrudantur in carcerem temporalem, detrudentur sine dubio in carcerem æternalem.

Debitor illius, qui bonis cessit, tenetur suum 58
Debitum manifestare, & solvere Officialibus Justitiæ, ut inde restituatur Creditoribus secundum æquitatem, non enim tutus est in conscientia, nisi debitum solvat. Silvius *in resolut. cas. par.* 2. *verb. Restitutio cas.* 3. & alii communiter.

Quamvis Debitor principalis bonis cesserit, adhuc 59
ejus Fidejussor tenetur ad integram solutionem pro ipso; Cessio enim prodest solum Debitori, & non Fidejussori, qui ideo datur, ut solvat ipse, cum non est solvendo Debitor principalis. *Communis*, textu expresso *in* §. *Exceptiones* 4. *Instit. de replicationibus* cum similibus.

An ingressus, ac Professio Religionis liberet De- 60
bitorem ab obligatione restituendi, seu solvendi Debita antea contracta, sive ex contractu, sive ex delicto? Tres sunt Doctorum sententiæ. Prima absolute affirmat, quia absolute tenet, quod debitis obstrictus, quibus nunc solvendo non est, facta cessione bonorum, quæ habet, possit statim licite Religionem ingredi, licet manendo in sæculo lucrari, & creditoribus satisfacere posset. Sic S. Thomas (1) 2. 2. *qu.* 189. *art.* 6. *ad* 3. S. Antoninus 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2.

id tradidi ego in verb. *Accusatus a num.* 10. *ad* 43. & in verb. *Juramentum a num.* 13. *ad* 26. ubi *n.* 23. assero, quod id etiam clare constat ex celebri responsione ab omnibus ut licita admissa, prout data a S. Athanasio eludente Satellites Juliani eum ad necem quærentes, & a S. P. N. Francisco, qui cum a Ministris justitiæ esset requisitus: *An illac transiisset quidam homicida?* Positis intra manicas manibus respondit: Isthac non transivit, intelligens, non transiisse per suas manicas, & sic plenam, & veram responsionem ex verbis, & illa actione externa componens. Videatur ad rem Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 3. & Mastrius *Theolog. moral. disp.* 6. *quæst.* 2. *artic.* 3. *&* *disp.* 11. *quæst.* 9. *art.* 2. cum pluribus aliis ibi citatis. (*) Ex duabus opinionibus, pro quibus in hac responsione Auctor certat, secunda nec vera est, nec licita, ut Lucius asserit, neque ab iis, quæ affert, exemplis ullum pro eo argumentum duci potest, ut illa expendenti patet, ac demonstratum est ab Orsi in Operibus adversus Catanei opinionem editis, quæ in Addit. ad verb. *Juramentum.* art. 1. indicavimus. De prima autem consulantur, ubi res postulat, Theologi, qui accuratius quæstionem illam tractarunt. (*).

(*1) S. Thomas loc cit. „ Ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud prætermittere facultate existente; & ideo si aliquis sit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite prætermittere, ut religionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat unde reddatur, tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res; quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ: unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare; nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret unde debitum solvat. „ Jam vero „ Postrema hæc S. Thomæ verba accurate expendit Cl. Sylvius supra *cit. art.* & in quo sensu sint intelligenda, luculenter exponit. Asserit in primis, apud B. Thomam constare, quod qui habet debita, non possit eorum solutionem sibi possibilem prætermittere, ut Religionem ingrediatur. Dicit enim quod *ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud prætermittere facultate existente*: tum addit: *ideo si aliquis sit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite prætermittere, ut Religionem ingrediatur*. Accedit, B. Thomam non diffiteri illud Apostoli *ad Rom.* 13. *Reddite omnibus debita* esse juris naturæ. Quod si quispiam, *subdit*, non possit omnibus suis debitis nunc satisfacere, possit autem postea, si in sæculo maneat; debet manere, & creditoribus, quantum potest, satisfacere: cum æquitas non ferat, ut Religionem amplectatur cum damno aliorum. Si vero tantis sit oneratus, ut illis exsolvendis, neque tunc sufficiat, neque verisimilis spes appareat, quod aliquando sufficiet, vel omnia solvere, vel eorum partem notabiliter majorem, quam nunc possit, quamvis in sæculo maneret; tunc (quod attinet ad jus naturæ) licebit ei Religionem ingredi, bona fide cedendo suis omnibus bonis in utilitatem creditorum; quandoquidem sive maneat in sæculo, sive non maneat,

cap. 2. §. 1. *& part.* 3. *tit.* 15. *cap.* 2. §. 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 36. *quæst.* 3. *art.* 2. *conclus.* 7. Cajetanus *in* 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 6. Silvester verb. *Religio* 2. *q.* 4. Angelus *ibid. num.* 6. Rosella, Tabiena, Armilla, Viguerius, Aragonius, Pedrazza, & alii apud Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 7.

61 Secunda sententia, quam uti probabiliorem sequor, absolute negat, quia absolute tenet, quod debitis obstrictus non possit licite Religionem ingredi, si possit manens in sæculo, licet per longum tempus, Creditoribus fatisfacere. Sic Joannes Gerson. 2. *parte tractatus*: *An liceat gravato debitis intrare Religionem? Alphabeto* 39. *littera X. & V.* ubi refert multos Doctores Parisienses ita sensisse. Gabriel *in* 4. *q.* 1. *art.* 5. *dub.* 2. *Corollar.* 2. Medina *Cod. de restitutione qu.* 2. *caus.* 8. Valentia 2. 2. *q.* 6. *punct.* 6. Castropal. *tract.* 16. *d.* 1. *punct.* 7. §. 4. Angles, & Carbon. apud Sanchez *l. c. n.* 7. aliisque congestis Molina *tom.* 3. *disp.* 785. Sporer *loc. c. n.* 200. cum Layman, & aliis ibi citatis, Henno *loc. cit. tract.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *conclus.* 1. ubi dicit, hanc sententiam fuisse approbatam a Sixto V. & Gregorio XIV. ut videre est apud Emmanuelem Sa.

62 Tertia sententia media est, quia tenet, quod si debitis obstrictus speret brevi tempore manendo in sæculo v. g. uno, vel altero anno, posse debita in toto; vel in majori parte solvere, tunc non possit licite statim ingredi Religionem, sed debeat eousque differre ingressum; Secus autem, si deberet ad longum tempus expectare; tunc enim facta cessione bonorum posset statim ingredi. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dubit.* 8. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *qu.* 5. Ludovicus Lopez *in instructione P.* 1. *cap.* 29. Navarrus *Comment.* 1. *de Regularibus n.* 8. Navarra *lib. de restitut. cap.* 4. *difficult. ultima n.* 78. *&* 79. Lugo *disp.* 21. *sect.* 6. *num.* 76. Diana *tom.* 2. *tract.* 2. *de dubiis Regul. resolut.* 41. & aliis citatis Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 8. Dicastill. *d.* 10. *a num.* 129. & cum aliis La Croix *loco citat. n.* 441.

63 Probatur igitur primo secunda sententia, quam, ut dixi, probabiliorem censeo, quia, non sunt facienda mala, ut eveniant bona; *argum. cap. Super eo* 4. *de usuris*, *& cap. Ex tuarum* 2. *de sortilegiis*. & concedunt omnes etiam adversarii; atqui prætermittere debita malum est, cum adversetur legi naturali, ergo Debitor, antequam Debita solvat, nequit licite ingredi Religionem, cum ingressus religionis sit solum consilii, & obligatio solvendi debita sit præcepti Juris naturalis.

64 Probatur secundo. Servus perpetuus, seu mancipium non potest Religionem ingredi, Domino contradicente, eo quod debeat ipsi operam suam, & prælati recipientes subjacent excommunicationi, textu expresso *in cap. Qui vere* 12. *caus.* 16. *qu.* 1. ibi: *Neminem servorum suscipi in Monasterium, ut sit cum eis Monachus, nisi cum Domini proprii licentia. Prætereuntem vero hæc decernimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur*; ergo nec Debitor Religionem ingredi potest, contradicentibus Creditoribus, eo quod debeat ipsis pecuniam, aut æquivalens. Item gravati, seu obligati ratiociniis, priusquam se iis expedierint, nequeunt licite ingredi Religionem, nec a Superioribus ad ipsam recipi, textu expresso *in cap. Legem* 1. *dist.* 53. ibi: *Qui militiæ, vel ratiociniis sunt publicis obligati.... Quod si etiam tales quoque Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a ratiociniis absoluti fuerint*, & docet late S. Raymund. *in Summa lib.* 3. *tit. de Curial. & obligat. ad ratiocin.* §. 4. *vers. Sequitur ut videamus*, Silvester verb. *Religio* 2. *quæst.* 6. Immo Sixtus V. Constit. incip. *Cum de omnibus* expresse prohibuit, ne debitis gravati, & ratiociniis obligati, antequam debita solverint, & a ratiociniis se expedierint, possint Religionem ingredi, & ad ipsam a Superioribus admitti sub pœna nullitatis admissionis, Professionis, & sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, & omnium Officiorum, & dignitatum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque respectu Superiorum illos ad habitum, & Professionem admittentium. Et quamvis Clemens VIII. Constit. incip. *In suprema* talem nullitatem Professionis sustulerit, tamen prohibitionem, & pœnas non sustulit; & sic quamvis tales Debitores valide, illicite tamen ad habitum, & Professionem admittuntur, adeoque &c.

Unde relictis brevitatis gratia aliis satis efficacibus rationibus, & probationibus solum adducuntur, & solvuntur potissimæ adversariorum rationes, & objectiones. Primo igitur objiciunt, quod homo liber propter debita non obligatur quoad personam, sed tantum quoad bona, adeoque inferunt, quod cedendo bonis, persona libera maneat, ut possit amplecti quemcumque statum, & præsertim perfectissimum Religionis. Sed ad id respondetur distinguendo antecedens; Homo liber propter debita non obligatur quoad ipsam personam in se, ita ut propter debita solvenda deberet se ipsum vendere, vel se Creditori in servitutem tradere, conceditur antecedens, quia hoc Jura vetant: Non obligatur quo ad personam in ordine ad bona sua, ita ut si de facto non habeat, unde solvat, non teneat, plenior solutio sit ei impossibilis; nemo autem possit ad impossibile obligari, juxta *regulam 6. juris in 6.* Et secundum hæc intelligendus est S. Thomas, ut verborum ejus hic sit sensus: Propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, ita nimirum, ut propter debitum pecuniarium possit aut vendi, aut in servitutem rapi, sed solum res. Unde licite potest exhibitis rebus suis Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat; quando videlicet neque habet bona, ex quibus possit integrum debitum solvere, neque verisimile est, quod haberet, quamvis in sæculo maneret, operamque daret illis conquirendis. Dixi *quod attinet ad jus naturæ* quia jure positivo inhibitum est, ne gravati ære alieno recipiantur in aliquam Religionem. Huc usque præcitatus Sylvius „ Ita in Addit ad Theolog. Moralem P. Cuniliati tract. IX. de VII. Decal. Præcepto cap. V. §. XVIII. num. II. Tom. II. pag. 408. seq.

teneatur pro posse pecuniam acquirere, unde solvat, & non se reddere impotentem ad id acquirendum; uti in nostro casu fieret per ingressum, & Professionem in Religione, negatur absolute antecedens, & id, quod sequitur, quia id Juri naturali repugnat, cum solutio debitorum sit Juris, & Justitiæ naturalis, ad quod Jus adimplendum nequit quis se mere voluntarie reddere impotentem ingrediendo, & profitendo Religionem absque necessitate; cum Religionis ingressus, & Professio non sit præcepti, sed meri consilii, & libertatis, & solutio debitorum sit præcepti, & necessitatis.

66 Secundo objiciunt, quod nemo tenetur solvere debitum cum detrimento boni sui majoris, seu altioris ordinis, adeoque cum bonum status Religiosi sit majus, & altioris Ordinis, quam bonum pecuniarum Creditoribus debitarum, sequitur, quod non teneatur abstinere a statu Religioso, ut debita solvat. Sed ad id respondetur distinguendo antecedens, si illud majus bonum sit necessarium ex præcepto, conceditur antecedens, si solum sit utile ex consilio ut in casu nostro est ingressus, & Professio Religionis, negatur antecedens, & id, quod sequitur: Immo voluntaria omissio ingressus, & Professionis Religionis non ita præjudicat saluti æternæ, sicuti præjudicat voluntaria omissio solutionis debitorum; quia ingressus, & Professio Religionis est solum de consilio, & sine statu Religioso etiam voluntarie omisso non desunt sæcularibus viæ ad salutem æternam securæ; At solutio debitorum est de præcepto Legis naturalis, & sine ipsa solutione, voluntarie, cum possit commode fieri, omissa, non patet via ad salutem æternam secura: quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; *cap. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *qu.* 6. *cap. Cum tu* 5. *de usuris*, *c. Peccatum* 4. *de Regul. Juris in* 6. adeoque &c.

67 Tertio objiciunt, quod sicuti Sponsus immo Maritus Matrimonio rato tantum, non obstante obligatione Sponsalium, vel Matrimonii rati, Religionem licite, & sancte ingredi potest, ita a pari etiam Debitor non obstante obligatione solvendi Debita: Sed ad id respondetur negando consequentiam, & paritatem, quia Sponsi, & conjugis Matrimonii tantum rati obligatio ex traditione Ecclesiæ est solum conditionata, idest: *Nisi voluero fieri Religiosus*, *seu Religiosa*, & talis conditio in neutrius injuriam cedit, cum in ea utraque pars æquali Jure gaudeat, & uterque sponsus, invito altero, Religionem ingredi, & profiteri possit; Obligatio autem Debitoris, sive ex contractu, sive ex delicto, est omnino absoluta, cum nullo Jure possit censeri inesse talem conditionem: *Debita solvam*, *nisi voluero fieri Religiosus*, *vel Religiosa*, & dato etiam, & non concesso, quod talis conditio posset censeri inesse, quia cederet in solum præjudicium Creditorum non valeret, adeoque &c.

68 Unde si Debitor Religionem fuerit ingressus, & Professus, cum ejus Professio jam sit valida *ex cit.* Constitut. Clementis VIII. incip. *In suprema*, si alia bona ad Religionem attulerit, tenetur omnino Religio solvere prædicta debita juxta vires allatorum bonorum. *Communis* per text. *in cap. Si qua mulier* 9. *caus.* 19. *quæst.* 3. & *l. Deo nobis* 56. §. 1. *Cod. de Episcop. & Clericis*: Bonorum enim successor adstringitur debitis ejus, cui successit; *cap. In litteris* 5. *de raptoribus*, quia qui sentit commodum, sentire debet & incommodum; *l. Si merces* 25. §. 6. *ff. Locati*, *cap. Qui sentit* 55. *de Regul. Jur. in* 6. cum similibus.

Si autem Debitor nulla bona ad Religionem attulerit, quia nihil habebat, Religio ex hoc capite ad nihil tenetur, quia Religio, seu Monasterium se habet ut heres; heres autem non tenetur ultra vires hereditatis, præsertim si hereditatem adierit cum beneficio Legis, & Inventarii. Julius Clarus *in* §. *fin. quæst.* 35. *num.* 45. Donatus *prax. rer. Regularium tom.* 2. *tract.* 3. *q.* 12. Sporer *loc. cit. n.* 106. & alii communiter. 69

Si vero post ingressum, & Professionem occasione ejus Monasterium acquireret aliqua bona v. gr. per successionem hereditariam, per Legatum, Donationem, & hujusmodi, tunc Monasterium teneretur ex illis satisfacere pro debitis prius contractis; *argum. cit. cap. Si qua mulier* 9. *caus.* 19. *q.* 3. *l. Deo nobis* 56. §. 1. *Cod. de Episcop. & Clericis*, Donat, *loc. cit. num.* 14. Sporer *loco cit. num.* 105. Sanchez *lib.* 7. *Decalog. tom.* 2. *c.* 31. *num.* 4. Lugo *loc. c. n.* 79. & alii passim; Bona enim Religiosi, vel Jura ad ea, quæ obveniunt, ita transeunt in Monasterium media persona Religiosi, ut transeant cum onere, quo ea habuisset Religiosus: habuissent autem annexum onus restituendi, si mansissent in potestate, & dispositione Religiosi; adeoque Monasterium tenetur ex illis satisfacere pro debitis prius ab ipso Religioso contractis; cum qui sentit commodum sentire debeat & incommodum; *l. Si merces* 2. §. 6. *ff. Locati*, *cap. Qui sentit* 55. *de Regul. Juris in* 6. 70

Item propter eamdem rationem tenetur Monasterium solvere dicta debita prius contracta ex eis quæ Religiosus Monasterio acquirit docendo, concionando, laborando, & hujusmodi, deductis tamen expensis. Sanchez *loco cit. num.* 4. Lugo *loc. cit. num.* 79. La Croix *loc. cit. n.* 447. 71

Hinc Religiosus Debitor, si salva Ordinis Regula, possit artificio aliquo, vel manuum labore aliquid lucrari, tenetur sic laborare operibus suo statui, & conditioni præsenti convenientibus, ut pretium laboris impendat ad solutionem suorum debitorum; dummodo per hoc non negligatur Divinum obsequium; *c. Clericus dist.* 91. deductis tamen expensis, ne sit onerosus Monasterio *c. de lapsis* 5. *caus.* 16. *q.* 6. S. Raymundus *l.* 3. *Sum. in titul. de Curialibus*, *& obligatis ad ratiocinia* §. 5. *vers. Pone aliquem*; Sporer *loc. cit. num.* 106. Lugo *loco cit. num.* 81. Henno *loco cit. disp.* 5. *qu.* 5. *concl.* 2. cum aliis ibi citatis, La Croix *loc. cit. n.* 448. cum Navarr. Medina, & aliis ibi citatis, Layman *cit. c.* 12. *n.* 5. & alii contra alios. 72

Religiosus Debitor excusatur, si Superior neget ei licentiam ad id laborandi; Nec tunc tenetur egredi e Religione, quamvis sit spes probabilis sic satisfaciendi, v. g. per provisionem Beneficii, Parochiæ, & hujusmodi, ut tenet probabilior, & communior sententia cum la Croix *loc. cit. n.* 449. Lugo *loc. cit. n.* 107. & aliis contra alios. 73

Superior autem tenetur concedere licentiam honeste 74

neste laborandi Religioso Debitori, ut sic possit sua debita solvere, si scienter debitis gravatum ad Religionem admisit, quia ex tunc censetur sibi illam obligationem imposuisse; Secus autem si ignoratis ejus debitis, ex quo ea occultasset, vel negasset, ad Habitum, & Professionem admisit; tunc enim non teneretur talem licentiam concedere ex justitia, quia Superior nihil debet Creditoribus, & potest pro libito de Religioso tamquam totaliter suo disponere abstrahendo, an opera, quibus ipsum applicat, impediant solutionem nec ne. Immo si subditus ex laboritio occulto, sine licentia saltem præsumpta Superioris satisfaceret Creditoribus, fur esset, & latro, cum restitueret ex alieno, quia quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio; *cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *qu.* 1. *c. Abbates* 16. *caus.* 18. *quæst.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 7. *caus.* 19. *qu.* 3. *cap. In præsentia* 8. *de probationibus*; Si autem Superior possit concedere talem licentiam sine ulla indecentia, & incommodo Religionis, videtur ad id teneri ex Caritate, ne Creditor careat suo debito. Henno *loc. c. conclus.* 2. La Croix *loco cit. n.* 450. cum aliis ibi citatis.

75 Excommunicatio Creditoris, vel Debitoris non excusat a restitutione facienda. *Communis* contra paucos; Et quidem non excusat Excommunicatio Creditoris, quia licet negetur ei actio judicialiter petendi; *cap. Pia* 1. *de exceptionibus in* 6. tamen permittitur privatim petere, nec prohibetur communicare cum aliis, si id exigat necessitas, vel magna utilitas, ut patet ex *c. Quoniam multos* 103. *caus.* 11. *q.* 3. sicut enim potest ipse libere communicare cum domesticis suis; *cit. c. Quoniam multos c. Inter alia* 31. *&* *c. Si vere* 34. *de sent. excomm.* ita etiam communicare potest cum suis Debitoribus, & ideo *in cit. cap. Si vere* permittitur ipsi absolvere contractus inchoatos. Nec etiam excusat a restitutione facienda excommunicatio ipsius debitoris, textu expresso *in cit. c. Si vere.* Excommunicatus cogi potest comparere in Judicio per Procuratorem, ne videatur de sua malitia commodum reportare; *c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, *l. Non fraudantur* 134. *ff. de Regul. Juris* §. 1. adeoque &c.

76 An, si Debitor morte plectatur, excusentur ejus heredes a restitutione damni causati per delictum, ob quod fuit ultimo supplicio punitus? Vide supra *art.* 2. *n.* 39. *&* 40.

Additiones ex aliena manu.

77 Agit *Auctor* licet caute legendus in quinque hisce articulis de *materia restitutionis* accomodate magis ad *forum Poli*, quam ad *forum Fori* ut ajunt. At si cupias, qui de hac ipsa materia utiliter ad forum fori agat, consule opus *De eo quod interest*, quod nomine *Gasparis Manzii*, *&* *Friderici Martini* Ingolstadii anno 1705. typis Francisci Strans evulgavit *Philippus Jacobus Krazer*. Totam enim materiam hoc in libro adeo solide tractatam invenies, ut nihil fere ad ipsam spectans desiderare possis.

RESTRICTIO MENTALIS.

Restrictio mentalis est duplex. Una *pure mentalis*, & alia *non pure mentalis*, & quæ sit utraque? Vide verb. *Juramentum art.* 1. *numer.* 14. 1

Amphibolia, seu æquivocatio proprie est locutio, quæ sua significatione generat in audiente conceptum diversum ab eo, quem loquens retinet in mente. *Est in re Communis.* 2

Restrictio pure mentalis, & amphibolia, seu æquivocatio facta per restrictionem pure mentalem non excusat a mendacio, seu perjurio. *Communis*, & habetur clare ex tribus sequentibus propositionibus 26. 27. 28. in ordine justissime damnatis ab Innocent. XI. die 2. Martii 1679. Propositio 26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.* Propositio 27. *Causa justa utendi amphiboliis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Propositio 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* 3

Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, & amphibolia, seu æquivocatio per verba, aut signa externa per se æquivoca excusat a mendacio, & perjurio in omnibus casibus, in quibus in justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandum secretum. Vide verb. *Juramentum art.* 1. *num.* 13. verb. *Mendacium n.* 21. *&* 22. * 4

Hinc

Notæ Romani Theologi.

* Nihil unquam excusat a perjurio; quare nec etiam admitterem, posse secretarium Regni juramento uti in casu proposito *n.* 6. idem dicito de casibus *n.* 7. 8. *&* 9. enodatis.

Responsio Auctoris.

Sed hic recurret pro me responsio mox *num.* 56. data, ut videantur scilicet pro dictis meis assertionibus allata solida fundamenta sub verb. *Accusatus a num.* 10. *ad* 43. & sub verb. *Juramentum a num.* 13. *ad* 26. & Sco-

5 Hinc Confessarius, quamvis interrogetur a Tyranno, an aliquid sciat ut Confessarius, & scientia Sacramentali de peccato Pœnitentis, poterit etiam cum juramento asserere se nihil scire, etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente *ad dicendum*. Vide verb. *Juramentum art.* 1. *n.* 15.

6 Sic Secretarius Regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphibolia, aut æquivocatione, vel restrictione mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de Uxore adultera a Marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, & sic de aliis similibus casibus. Vide *ibid. num.* 16.

7 Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur a Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessa, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur, nec negando cum juramento pejerat. Vide *ib. n.* 17.

8 Item qui juramento interrogatus, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur infectus? jurare potest se inde non venire subintelligendo *eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto*. Immo secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet, se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset, non transisse utendo eadem restrictione. Vide *ibidem num.* 18.

9 Item si Clericus, vel Religiosus sit coram sæculari Judice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt eum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, *ut coram tali incompetente Judice deponi debeat*. Item si Clericus vel Religiosus, aut alia persona exempta a Gabellis solvendis interrogetur a Gabellario, an habeat, seu portet aliquid Gabellæ obstrictum? jurare potest se nihil habere seu portare, utendo hac restrictione, *Nihil habeo, seu porto, ex quo Gabellam solvere debeam*; Vide *ib. n.* 19.

10 Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione. Vide *ib. n.* 20.

11 Quomodo excusentur Mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? Vide *ib. n.* 21.

12 Reus an, & quando teneatur, vel non, fateri veritatem Judici ipsum interroganti sub juramento? Vide verb. *Accusatus a num.* 10. *ad* 43.

13 Affertur, & solvitur instantia. Vide d. verb. *Juramentum art.* 1. *n.* 23.

14 Affertur & solvitur alia instantia. Vide *ib. num.* 24. *&* 25.

Monitum Romani Censoris.

Facilem se præbere Auctorem nostrum in æquivocationibus, restrictionibusque mentalibus indulgendis, mediis quibusdam distinctiunculis eo dumtaxat tendentibus ut propositionum hac de re damnatarum censura eludatur, ex variis locis hujusce Bibliothecæ ingenuo Lectori plane constabit. Nos ne muneri nostro deesse videremur, ubicumque hanc doctrinam christianæ simplicitati minime consentaneam tradi perspeximus, illis debitis animadversionibus occurrere studuimus, ut verbo *Accusatus* a n. 18. ad n. 24. ac in notis ad n. 28. & ad calcem Articuli, necnon verbo *Juramentum* in not. ad num. 26. itemque verb. *Mendacium* in not. ad n. 21. Eamdem doctrinam adstruere conatur idem Auctor in universo fere hoc articulo, quem si emendare aggrederemur, totum illum reformaremus oporteret, opus sane supervacaneum. Lectores itaque dumtaxat præmonemus, ut caveant a sententiis ibi expositis a num. 4. ad n. 9. nec minori cautela legendum esse sciant sequentem articulum *Reus*.

RETRACTUS GENTILITIUS. Vide verb. *Contractus Emptionis art.* 4. *n.* 26. *ad* 42.

R E U S.

Reus dicitur a re, quæ petitur, textu expresso *in cap. Forus* 10. *de verbor. significatione*, ibi: *Reus a re, quæ petitur, nuncupatur, quia quamvis conscius sceleris non sit, Reus tamen dicitur, quamdiu in judicium pro re aliqua petitur*. 1

Reus non tenetur probare, quod negat, sed Accusator; *cap. Quod autem* 1. *cap. Accusator* 2. *caus.* 6. *quæst.* 5. *cap. Bonæ memoriæ* 22. *de electione*; *l. Et incumbit* 2. *ff. de probationibus*, *l. Actor* 23. *Cod. de probationibus* cum similibus. 2

Reo potius favendum est, quam Actori, si Jura sunt obscura, textu expresso *in cap. Cum sunt* 11. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori*, *l. Favorabiliores* 125. *ff. de diversis Regulis Juris*, ibi: *Favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur*. 3

Reus non tenetur dare Actori suas scripturas contra se, textu expresso, *in cap.* 1. *de probationibus*, *l. Qui accusare* 4. *C. de edendo*. Non enim Juris, aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnetur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur; *l. Nimis grave*, *Cod. de testibus*. Vide verb. *Probatio a n.* 61. 4

Reus non est, qui non ex voluntate, sed ex necessitate peccavit, *cap. Aliquos* 5. *& cap. Illa cavenda* 6. *caus.* 15. *quæst.* 1. cum similibus. 5

Reus in foro audiendus est, & hunc sequi debet Actor, *cap. Si quis* 2. *& cap. Pulsatus* 3. *qu.* 6. *cap. Sane* 3. *de foro competenti* cum similibus. 6

Si Reus non potest inveniri, sufficit ponere citatio- 7

& Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 3. & cum aliis Mastrius *Theol. Moral. disp.* 10. *in q.* 9. *art.* 1. *n.* 171. *&* 172. *& disp.* 6. *quæst.* 2. *art.* 3. (*) Atqui fundamenta, quæ Ferraris pro usu restrictionum mentalium affert, solida non esse & a Romano Theologo, & a nobis sæpe, ac præsertim ad *verb. cit.* animadversum fuit. (*)

tationem in Ecclesia rei, *cap. Venerabilis* 10. *de dolo & contumacia*.

8 Reo convicto de delicto non admittitur probatio negativa; seu Reo probante, quod non deliquit, si probatum sit deliquisse, ei non creditur; *cap. Ad nostram* 12. *de probationibus*.

9 Reus non potest alium accusare, nisi prius se purget, *cap. Neganda* 1. *cap. Non est credendum* 3. *q.* 11. cum similibus.

10 Reus accusatus, & non sufficienter convictus damnari non potest, nec pœna ordinaria affici, Lugo *de Justitia disp.* 37. *sect.* 12. La Croix *lib.* 4. *n.* 1496. Lessius, Sanchez, & alii passim; nec indiget probatione, cum de se pateat. Unde Reus accusatus, & non sufficienter convictus absolvitur a nota infamiæ. Concil. Lateranens. III. *in Appendic. part.* 50. *c.* 65.

11 Reus, si juste damnatus sit, ut fame, vel siti pereat, potest victum, aut potum oblatum rejicere, Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. Lessius *de Justitia lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 25. Gobat *in Quin. tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 68. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 779. & alii contra alios. Et ratio nostra est, quia, si sententia sit justa, non tenetur Reus cibum, & potum oblatum sumere, cum Reus possit executionem justæ sententiæ in se admittere, v. g. venenum bibere, venam sibi aperire, in ignem se injicere, scalas ascendere, funem collo circumligare, & hujusmodi, si illa præcipiantur; uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut docent Azorius, Sotus, Malderus, Lessius, & alii apud Dianam *part.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 41. *

Reus licite fugit ante, & post sententiam v. gr. 12
mortis, vel triremium, aut carceris perpetui. Quilibet enim habet tam magnum Jus ad suam vitam conservandam, ut nulla humana potestate possit præpediri, cum commode conservari potest; Nisi bonum publicum aliud postulet. Lessius *lib.* 2. *c.* 31. *dub.* 5. Busemb. *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 8. *art.* 2. La Croix *ibidem n.* 1525. & alii passim. Immo regula- 13
riter

Notæ Romani Theologi.

(*) Falsum est, posse reum oblatum cibum rejicere, licet morti sit damnatus.

Responsio Auctoris.

Ast mea conclusio non dicit generice, licet morti sit damnatus, sed specifice, *si juste damnatus sit, ut fame, vel siti pereat*, quod certe non est falsum, ut falso asserit *Theologus*. Si enim reus damnatus ad aliam mortem, potest ex amore justitiæ permittere illius in se executionem, uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut tradunt passim Auctores, & inter alios etiam clarissimus P. Antoine *tract. de obligationibus*, §. 4. *de reo quæst.* 2. *resp.* 5. expresse dicens: *Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiæ: immo mortem commerito licet se Judici ultro sistere, & occasionem justitiæ exercendæ offerre*; Et celeberrimus Colet *tom.* 3. *tract. de Decalogo*, *cap.* 5. *art.* 1. *concl.* 2. ubi expresse sic asserit: *Quartus casus est, cum quis, ut Deo, & justitiæ faciat satis, non arripit media, quibus incolumem se præstet; sic licet ei, qui juste ad mortem condemnatus est, ea, quæ ad mortem præambula sunt, facere; ut 1. se offerre Judici, secundum S. Thomam: 2. Non egredi e carcere, etiamsi se offerat opportunitas, & noverit paratam sibi esse mortem. Et reipsa Martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cum patentibus portis, e carceribus non exierunt*. Eccur igitur non poterit reus juste damnatus, ut fame, vel siti pereat, victum aut potum sibi oblatum rejicere, ut Deo, & justitiæ faciat satis, cum talis ad mortem suam non concurrat active, sed passive tantum se habens, ut justitiæ amore eam fortiter tamquam promeritam perferat? Nonne in tali casu potest reus ex zelo & amore justitiæ, & ad justam punitionem suorum scelerum se velle conformare judicis justæ sententiæ, fame vel siti pereundo, sicut potest velle non conservare vitam ex motivo alterius virtutis v. g. pro caritate amicorum, & hujusmodi. Videatur ad rem inter alios Roncaglia *tom.* 2. *tract.* 15. *quæst.* 9. Alphonsus de Ligorio *lib.* 4. *dub.* 7. *art.* 2. *num.* 283. Sporer *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 29. & ultra *ibi* citatos, alii plurimi in sensu meæ conclusionis. (*) Ceterum Antoine loc. cit. in resp. ad quæst. 2. ubi statuit licere reo ponere actiones necessarias saltem moraliter ad executionem pœnæ justæ, quæ aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexæ cum morte, subdit: „ Non licet tamen reo exequi „ pœnam mortis aut mutilationis, v. gr. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se præ„ focare, se projicere e scala; quia seipsum directe occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutila„ re; & ista crudelitatem in seipsum sapiunt, ac repugnant juri naturali.,, Colet etiam loc. cit. cum sibi objecisset. „ Non magis reus venenum ex Judicis imperio hauriens, se ipsum occidere censetur, quam „ cum scalas ascendit, aut collum extendit abscindendum: atqui in posteriori casu semetipsum occi„ dere non censetur; ergo nec in priori: Resp. neg. maj. Actiones enim, quæ mortem violentam præ„ cedunt duplicis sunt generis; aliæ per se & directe mortem procreant, ut se ex scalis dejicere, bibere „ venenum, venas abscindere, cum eas statim occludere non licet; aliæ licet ad mortem facilius recipien„ dam disponant, eam tamen per se & immediate non pariunt, unde non ex ipsis sed ex actione ministri „ consequitur mors: in hoc ordine sunt scalam ascendere, linguam extrahere amputandam, &c. Actus „ prioris generis a Judice non possunt imperari reo; alioqui poterit etiam homo atrocis sceleris reus, „ jubente Judice sclopum in se explodere; quod nemo admiserit: nihil vero obstat quominus Judex actus „ secundi generis præcipiat, quia nec naturæ repugnant, nec ex se mortem inferunt. Ita ferme Sylvius „ ubi supra.,,

riter potest Reus licite fugere, quamvis Custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juraverit se mansurum: Reus enim utitur Jure suo, & nulli facit injuriam. Lessius *loc. cit. n.* 31. Busemb. & La Croix *locis cit.* Filliucius *tract.* 40. *num.* 274. & alii plures.

14 Reus potest licite saltem in foro conscientiæ (præcisa vi, & injuria) Custodes decipere, vincula, & carceres effringere. Cum enim sit licitus finis, licita debent esse etiam media; quia concesso fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur, *cap. Præterea* 5. *& c. Suspicionis* 39. *de Offic. Delegati*, *l. Cui Jurisdictio* 2. Sic Doctores citati, & alii plures.

15 Reus, qui carcerem effregit, probabiliter non tenetur de damno, quamvis etiam per effractum parietem fugiant alii carcerati, quia ipse utitur Jure suo, & solum per accidens est causa talis damni. Sic citati Doctores, & Bannes, Valer. Reginald. & alii contra alios; Ipse enim non tenetur ex re accepta, neque ex injusta acceptione, cum licite id fecerit utendo Jure suo.

16 Nec valet objicere, quod *l. De his* 1. *ff. de Effractoribus*, *& Expilatoribus* expresse statuitur graviter puniendos esse illos, qui effractis carceribus aufugiunt, ibi: *De his, qui effracto carcere evaserunt, sumendum suplicium Divi Fratres Æmilio Titoni rescripserunt. Saturninus etiam probat eos, qui de carcere eruperunt, sive effractis foribus, sive conspiratione cum ceteris, qui in eadem custodia erant, capite puniendos.* Non valet, inquam, quia vel id fit, ex quo ibi Jurisconsultus secutus sit contrariam sententiam, quam defendunt etiam aliqui Theologi vel ea præsumptione, quod Rei carcerati vim intulerint Custodibus; Vel ex quo propter bonum publicum ea pœna statuta sit. Filliucius *loc. cit.* Busemb. & La Croix *loco cit.* Tanner. *d.*4. *qu.* 4. *dub.*5. ex aliis multis Merbesius *Summ. Christian. t.* 2. *qu.* 763. *concl.* 6. Henno *tom.* 2. *tr.* 2. *qu.* 5. *Conclus.* 5. Cajetanus, Sotus, Bann. Salon. Azor. citati, & secuti a Silvio *in* 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 5. *qu.* 2. ubi sic habet: *Quia reus carcerem effringens utitur Jure, quod habet ad fugiendum, & nulli fecit injuriam, neque enim carceres, neque compedes sunt injuriæ capaces, ipsis autem injuriæ ministris nibil, ut supponitur, facit.*

Qui non sunt ministri Justitiæ possunt licite, non 17
solum consilio, sed etiam instrumentis, v. g. funibus, lima, & hujusmodi, Reum juvare, ut fugiat, quia licet suadere alteri finem ipsi licitum, & ad eumdem finem media applicare, *arg. cit. Juribus supra sub n.* 13. Tanner. *loc. cit.* Henno *loc. cit.* Lessius *loc. cit. n.*40. Turrian. Vasquez, & alii cum Busemb. & La Croix *loco cit.* * Non possunt tamen licite ip- 18
sum juvare ad effringendum carcerem, quia executio ipsa effractionis est licita soli Reo propter Jus vitæ conservandæ. Sic Doctores citati, & alii passim. Dicastillus autem *l.* 2. *tit.* 1. *d.* 6. *n.* 88. & alii 19
tenent, quod liceat etiam proximis consanguineis, ut Patri, Conjugi, Fratri Rei ipsum juvare ad effringendum carcerem, quia censentur una cum ipso persona. Et idem licere dicunt illi, qui certissime ti-

Notæ Romani Theologi.

* Nullo modo est licitum; & si quis id faceret, justa pœna mulctaretur.

Responsio Auctoris.

Ast esse licitum ultra Auctores a me allegatos, sustinent doctiss. P. Fulgentius Cuniliati *tr.* 11. *in* 7. *decal. præcept. de ordine judiciali*, *num.* 10. sic expresse dicens: Respondeo, *Cajetanum, Bannez, Salonium, Sylvium docere non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, & ministrare instrumenta ad illa exequenda &c.* & dict. clariss. P. Antoine *loco cit. resp.* 3. Roncaglia *tract.* 15. *de* 8. *Decal. præcept. cap.* 2. *qu.* 16. *resp.* 4. & alii passim. Neque per hoc, quod si quis id faceret, pœna mulctaretur, infertur, quod mortaliter peccaret, ut de reo infringente carceres tradunt Antoine, & Cuniliati *locis cit.* & alii passim, quia leges id vetantes sunt mere pœnales, obligantes solummodo in foro fori, & non in foro Poli. (*) Antoine tamen, & Cuniliati ex aliorum tantum sententia loquuntur. Referunt enim quid hac de re Cajetanus, aliique censeant. Quamquam, cum horum opinionem proponant, nec improbent, eamdem approbasse censeri possunt. Illorum autem sententiam, qui putant fas esse aliis adjuvare reum sua opera suoque facto ad carcerem effringendum, plane rejiciunt. Sic enim Antoine: „ Negant omnes, teste „ Delugo, licere aliis reum juvare effringendo exterius carceres seu portas, effodiendo parietes, vel alia „ similia faciendo, quia custodiam publicam violarent; & alias nihil posset esse satis firmum ac tutum „ ad custodiam reorum, quod cederet in maximum reipublicæ detrimentum. Si enim non licet effringere „ portas, vel parietes domus privatæ, minus licebit domus publicæ, per quod publica potestas offenderetur. Et quamvis id liceret reo ipsi, propter naturale jus conservandi vitam, non tamen hoc licebit aliis, quibus id non est necessarium ad sui conservationem. „ Cuniliati vero: „ Respondeo Cajetanum, Bannez, Salonium, Sylvium docere, non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, „ & ministrare instrumenta ad illam exequendam: nemini autem licere adjuvare reum suo facto, suaque opera ad effringendum, aut ad fugiendum, puta funibus extrahendo, scalas sustentando &c., „ quia id, quod licet reo ex juris naturalis indulgentia, idem jus aliis vetat; nam perturbaretur omnis ordo justitiæ, & judicum jura nimis offenderentur: si enim non licet effringere fores domus privatæ „ ulli, qui non sit in necessitate salvandi propriam vitam, multo minus licebit præstare operam ad effringendas fores domus Publicæ Potestatis, quod idcirco a publica justitia dissimulatur in condemnato „ ad mortem, ob vim urgentissimam inclinationis naturalis ad propriam vitam tuendam; quod motivum „ aliis deest.

timet, ne a Reo prodatur, & similiter incarceretur; quia sic liberando Reum, censetur liberare seipsum.

20 Reus emissus ad tempus e carcere, si juravit ad ipsum redire, tenetur stare juramento, si carcer sit justus, etiamsi esset periculum mortis, Suarez, Vasquez, Sanchez, Castropal. Tambur. Gob. aliique passim cum La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *numer.* 334. Si autem carcer sit injustus, Vasquez, & alii multi apud Dianam *part.* 9. *tract.* 8. *resolut.* 64. & alii apud Castrop. *d.* 2. *punct.* 4. *num.* 24. & apud Sanch. *in Decal. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 26. negant teneri stare juramento: Immo alii dicunt, posse etiam fugere, licet juravit se non fugiturum, quia temerarium est se sine causa morti objicere, eo vel maxime, quod status rerum mutatus sit, cum pro illo tempore quo juravit, non fuerit præsens & commoda occasio sic mortem fugiendi, & evitandi, quæ postea talis est. Suar. vero, Laym., Lessius, Bonac. Gob., & alii dicunt, teneri non fugere, & etiam redire, si sic juravit, quia juramentum est causa gravissima, ne dicatur temere vitam morti exponere, cum exponat in reverentiam juramenti facti: Placet tamen limitatio Sanch. *loc. cit. num.* 34. Castropal. *loc. cit. num.* 16. Tamb. *lib.* 3. §. 5. *numer.* 53. & plurium aliorum, quod scilicet possit fugere, seu non teneatur redire si quando juravit, non prævidit mortem, vel alia gravia pericula, quæ postea prævidet, quando est occasio fugiendi, aut non redeundi; Immo Covarruv. & alii absolute tenent peccare tunc Reum, si non fugiat, vel si redeat in talia pericula.

21 Reo non licet occidere Ministros Justitiæ, nec illis vim inferre vulnerando, percutiendo, ut se ab illis liberet, quia non sunt iniqui aggressores. Layman *libr.* 3. *tract.* 3. *pag.* 3. *cap.* 2. & *Communis aliorum*.

22 Reus non tenetur veritatem fateri Judici, etiamsi interrogetur sub juramento, quando non servato Juris ordine interrogat. Vide verb. *Accusatus numer.* 10. *

23 Assignatur conveniens modus ad evitandum perjurium in occultanda veritate Judici non legitimo, seu non servanti Juris ordinem. Vide *ibid. num.* 11. (*) Confer Romani Theologi ad Art. illum animadversionem, & novas Additiones. (*)

24 Reus tenetur fateri crimen Judici legitimo, & servato Juris ordine interroganti, & præcipienti sub juramento de dicenda veritate, maxime loquendo de confessione delictorum non inferentium pœnam capitalem, & alias similes gravissimas pœnas, alias non excusabitur a peccato mortali, & perjurio. Vide *ibid. n.* 12. 13. & 14.

25 Loquendo vero de confessione, & manifestatione delictorum inferentium pœnam capitalem, vel alias gravissimas pœnas, sunt duæ extremæ sententiæ. Prima sententia absolute sustinet, teneri semper sub mortali Reum legitime interrogatum fateri veritatem, etiamsi propter talem Confessionem esset morte plectendus, & sine tali confessione haberet fundatam spem mortem evadendi. Vide *ibid. n.* 15. & 16.

Secunda sententia sustinet, non teneri Reum fateri suum delictum, si propter illud plectendus sit pœna capitali, vel triremium, aut alia simili, si nullum grave damnum Reipublicæ timeatur, & dicit excusari a perjurio celando veritatem per restrictionem, aut æquivocationem externam. Vide *ibid. n.* 17. *ad* 23. 26

Advertendum tamen est, quod tunc Judex non potest a Reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter uti principales examinantur, alias examen, & acta omnia nulla sunt eo ipso, & irrita, omnique carent contra Reos effectu. Sic novissime statuit Benedictus XIII. *in Concilio Romano tit.* 23. *de Jurejurando cap.* 2. præcisis is verbis: *Reprehensibile judicari non debet, si secundum temporum varietates, ubi id necessitas vel utilitas exposcat, consuetudines, & leges quandoque varientur humanæ; Ipse enim Deus, & Dominus, æternus Legifer noster, ex iis, quæ veteri in Testamento statuerat, multa postmodum mutavit in novo. Stylum itaque in quibusdam Curiis Sæcularibus, & Ecclesiasticis nullo unquam jure præceptum, inolevisse perpendimus, ut Judices, sive eorum Notarii, aut Scribæ, Reos criminali facinore accusatos examinaturi, juramentum ab his præstari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana sicuti est experientia compertum, nec in Fisci favorem, nec contra Reos ipsos, qui ut plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur: adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse præbetur, immo potius, ne illa penitus exigantur, sacri ipsa juramenti ratio postulet, ac suadeat: hinc est, quod Nos, rationibus utrinque perpensis, & quamplurium inhærentes insignium Tribunalium praxi, juramentum ipsum, per Reos sic criminaliter inquisitos, præstandum, consulto, dum uti Principales tantummodo constituuntur, tollendum, & submovendum ducimus: prout Sacro etiam approbante Concilio, præsenti hac Constitutione omnino tollimus, ac submovemus: nec juramentum hujusmodi ullatenus a Reis eisdem, nisi tamen ut testes quo ad alios examinentur, in futurum per quoscumque Judices, & Ministros, sub quovis prætextu, causa, & quæsito colore volumus, exigatur; alias examen, sive constitutum,* 27

Notæ Romani Theologi.

* Si interrogetur juris ordine haud servato, non tenetur verum fateri, haudquaquam dicere falsum.

Responsio Auctoris.

Ast hæc est ipsissima mea conclusio, qui insuper ibidem *n.* 23. *seq.* assigno modum ad evitandum perjurium in occultanda veritate Judici interroganti, juris ordine non servato.

tutum, & omnia nulla sint eo ipso, & irrita, omnique careant contra Reos effectu.

28 Reus, qui crimen semel negavit injuste, & cum juramento, non tenetur illud confiteri post latam sententiam. Vide verb. *Accusatus num.* 24.

29 Immo probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, donec iterum interrogetur, nisi immineat damnum tertio. Vide *ibidem num.* 25.

30 Quinimmo probabilius est, nec teneri ad se publice retractandum, nec posse ad id obligari a Confessario in articulo mortis, quando, non obstante delicti negatione, Reus convictus est, & damnatus ducitur ad patibulum, vel jam in ipso patibulo moriturus existit. Vide *ibidem num.* 26. *ad* 28.

31 Reus, qui metu, vel vi tormentorum mentitus sibi falsum crimen imposuit, ob quod sit morte plectendus, tenetur se retractare, si tali retractatione impediri possit mors ipsius, vel infamia, aut quodlibet aliorum damnum, ob quod negare tenebatur; Secus vero si ad hæc nihil prodesset sua retractatio. Vide *ibid num.* 29.

32 In tali casu quid esset Reo consulendum. Vide *ibid. n.* 30.

33 Præsumptus Reus ex præsumptione falsa a Judice interrogatus non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessa, condemnandus esset in foro externo de crimine, aut debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur. Vide *ibid. num.* 31. *ad* 42. ubi adducuntur rationes, & exempla, & solvuntur instantiæ.

34 Reus interrogatus a Judice, ut sub juramento dicat quantum mercis v. g. apud se retineat, excusatur a perjurio, etiamsi cum juramento neget partem mercis, ne solvat Gabellam evidenter injustam, supposito quod in iis circumstantiis non interrogetur legitime. Vide *ibid. num.* 43.

35 Non potest Reus falsum crimen testi imponere, ut ejus testimonium eludat, quia ultra mendacium injuste famam alterius destruit. Unde Innocentius XI. die 2. Martii 1679. merito damnavit sequentem propositionem 44. in ordine: *Probabile est non peccare qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

36 Reus ultimo supplicio afficiendus tenetur sumere
Viaticum. Unde dari ei debet tempus, & commoditas sumendi Communionem pro Viatico. *Communis*, per text. *in cap. Quæsitum* 30. *& c. Fures*
37 31. *caus.* 13. *q.* 2. Hinc ab Episcopis per excommunicationem cogendi sunt Judices, ut permittant communicari ultimo supplicio afficiendos. Sic statuisse S. Pium V. testatur La Croix *lib.* 6. *part.* 1.
38 *num.* 607. Et tali Reo debet dari Viaticum, non solum si una hora post sit occidendus, sed etiam licet statim post sit occidendus. Sic La Croix *loco cit.* cum Diana, Pace Jordan. Gobat, Lonher, *ibi citatis* per text. *in cap. Is qui* 8. *caus.* 26. *qu.* 6. ibi: *Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eu-*
39 *charistia.* Potestque illi dari Viaticum, quamvis non sit jejunus, nec Judex tenetur differre executionem, ut Reus jejunus communicet. La Croix *loco cit. num.* 607. & alii communiter. Reus asso- 40
cians Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, seu ad ilum confugiens gaudet Immunitate Ecclesiæ. *Sacr. Congreg. Immun. in Beneventana* 30. *Sept.* 1638. *lib.* 3. *Decret. Pauluc. fol.* 14.

Reo ultimo supplicio afficiendo non est admini- 41
stranda Unctio, quia non est infirmus, ut vult textus *Epistolæ Canonicæ Divi Jacobi cap.* 5. *n.* 14. ibi: *Infirmatur quis in vobis &c.* Sic *Communis* Doctorum.

Reus an, & quando teneatur, ac possit fateri, 42
seu revelare complicem? Vide verb. *Complex peccati a num.* 10. *ad* 12.

Reus capi dicitur in fragranti crimine, quando 43
in ipso actu delinquendi deprehenditur. Ursaya *Institut. crimin. lib.* 1. *tit.* 4. *num.* 35.

* Reus juridice interrogatus in judicio criminali 44
tenetur veritatem manifestare, ut innuit Benedictus XIV. tom. 3. Constitut. 34. incip. *Paterna Caritas.*

De favore Rei in Jure, vid. Jacob. Gothofred. 45
in Commentar. ad l. 125. *ff. de Regul. Juris.*

Novæ Additiones.

(*) Ut Lector, quæ sibi in hoc Articulo maxime 46
a num. 22. ad 35. cavenda sint, facile intelligat, quid de quæstionibus his numeris ab Auctore propositis probatiores Theologi statuant, summatim indicabimus.

Si reus non interrogetur legitime, seu juridice 47
non tenetur fateri suum crimen; sed potest judicem eludere absque tamen mendacio. Antoine tract. de Obligationibus cap. v. §. iv. quæst. 1. resp. 1.

Reus a legitimo judice juridice interrogatus te- 48
netur sub mortali aperte veritatem & crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit, alioqui eam vitaturus; Ibid. resp. 2.

Non potest absolvi reus, nisi veritatem aperue- 49
rit saltem ante sententiam: nam quamdiu judicium durat, censetur eadem interrogatio judicis durare, ideoque eadem fatendæ veritatis obligatio, & negatione illa injusta caussam injustam tuetur. Ibid.

Reus interrogatus tenetur etiam complices seu 50
socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, & bonum commune exigat ut detegantur: nam tunc legitime interrogatur de illis. Secus, si ista omnia desint, quia tunc non interrogatur legitime, ex *l. ult. cod. de accusat.* & cap. 1. *de confessis*, nisi crimen exceptum sit, & in publicam perniciem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, publicum latrocinium, veneficium, falsatio monetæ, vel comittendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emendatos, alioqui non absolvendus: quia hoc saltem caritas exigit. Item tenetur complices detegere, dum legitima consuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis, quæ detegi reipublicæ interest, reus de complicibus interrogetur; quæst. ead. resp. 3. pag. 374. seq.

Reus,

51 Reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter. Quia est directe & positiva caussa moralis injustæ suæ mortis, cum falsa sui infamatione directe moveat judicem ad injustam sui occisionem, estque tam sui homicida, quam qui alteri falso testimonio mortem infert, est illius homicida. Cum autem homo non sit dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injuste caussam destructionis ejus. Quare non potest absolvi, nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi. Quæst. ead. resp. 4.

52 Innocenti injuste, seu contra ordinem juris damnato licet resistere sicut licet resistere latronibus, nisi propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur. Ibidem.

53 Innocens vero damnatus per sententiam justam in foro exteriori, utpote latam secundum allegata & probata, licet carentem veritate, tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistentia publica & scandalo: nam semper talis resistentia est illicita, quando sententia justa est secundum allegata & probata: tunc enim judex utitur legitime potestate legitima, cui non licet resistere, & habet jus exequendi sententiam. Ita Sot. Malder. Covarr. Vasquez, Sanchez, Lessius dicens esse fere communem sententiam. Quod si damnatus posset sine violenta resistentia & scandalo pœnam effugere, tunc non tenetur ad illam sustinendam, cum sit vere innocens. §. cit. quæst. III. resp. 4.

54 Ex communi sententia damnatus ad exilium, vel ad pœnam carceris saltem non valde molesti, tenetur eo se conferre, & manere in exilio vel in carcere. Ita S. Thomas, Sanchez, Suarez asserens esse communem sententiam. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad effringendum carcerem. Item damnatus ad mulctam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam antequam exigatur, si judex expresse jubeat, ut sine alia monitione reus eam solvat. Quia hæ pœnæ non habent injustitiam nec crudelitatem ex hoc præcise quod a reo executioni mandentur. Reus autem tenetur per seipsum exequi pœnam justam non nimis acerbam, ad quam a judice damnatus est, præsertim cum talis pœna, ut est carceris, exilii, & mulctæ, non egeat executione alterius; nam quisque tenetur parere justæ sententiæ, & obedire superiori justa & mortaliter possibilia præcipienti. Quæst. citat. resp. 6.

55 Porro si reus ante solutam pecuniam moriatur, tenetur hæres eam solvere: nam succedit in eodem onere bonis affixo. Cum autem jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna, quæ nondum fuit debita vivente reo. Ibid.

56 Non pauci censent, damnato ad triremes licere fugere, nisi data fuerit fides, præsertim jurata remanendi. Quia non tam damnatur, ut ibi maneat, quam ut detineatur; & quia nimis esset grave reum obligari in conscientia ad sponte manendum, quando fugere potest, cum in triremibus manere sit res durissima, quod extendunt ad perpetuum carcerem valde molestum. Nisi sit Religiosus: nam is ex communi sententia tenetur manere, quia ex voto obedientiæ tenetur parere prælato in hac pœna justa ibi præcepta. Ibid.

Non potest licite reus juste condemnatus petere 57
a custodibus, & multo minus illos pecunia inducere, ut illum fugere permittant, quia cooperaretur peccato lethali eorumdem contra strictam obligationem, qua tenentur ad custodiam inclusorum. Quod diximus de carceri mancipato, dicendum ducimus de perpetuo triremibus condemnato, cum hæc pœna forte superet pœnam perpetui carceris. Cuniliati tract. XI. de VIII. Decal. Præcepto cap. unic. §. III. num. XI.

Quod autem attinet ad Eucharistiam damnatis 58
capitali supplicio impertiendam, Benedictus XIV. De Synodo Diœcesana lib. VII. c. XI. n. III. scribit: „ In hac eadem materia, nimirum administrationis sanctissimæ Eucharistiæ, non abs re erit aliquid dicere de eo, quod alicubi in dubium revocatur, an scilicet concedenda, vel deneganda sit Communio Corporis Christi iis, qui ob grave delictum ultimo supplicio damnati sunt. De hac quæstione fuse egimus in nostro Tractatu *De Sacrificio Missæ sect.* 2. §. 175. ubi, indicatis variis locorum consuetudinibus, eam sequendam esse insinuavimus, quæ in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur, tametsi innuere non omisimus, Christianæ pietati magis conforme esse, ut vivifici Sacramenti participatio iis etiam, qui ob grave delictum sententia capitali damnati sunt, petentibus, & alioquin recte dispositis, non denegetur. Nunc autem addendum merito censemus, Episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis diœcesibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo supplicio afficiendis Eucharistia præbeatur, idque in Synodalibus Constitutionibus inserere; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontifice S. Pio V. qui in epistola ad Archiepiscopum Rossanensem, suum in Hispaniis Nuntium, quam videre licet inter collectas a *Francisco Goubau lib.* 2. *n.* 2. id ipsum ab eo cum Catholico Rege agendum, eique suadendum mandat. Quodque earum regionum Judices prohibere solebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis Communio ministraretur, id aperte improbat sequentibus verbis: *Id nos*, Sacramentum nempe Eucharistiæ, *minime esse denegandum censemus, cum Christianæ charitatis magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacra Communione muniri, ut, perituro corpore, saluti animæ, quantum fieri potest, subveniatur.* „ (*)

R I T U S.

Super Ritibus Ecclesiæ eorumque observantia, 1
nemini licet dispensationem concedere, inconsulta S. Sede. Benedict. XIV. tom. 1. Const. incip. *Omnium solicitudinum*, §. 14. Ritus pagano- 2
rum permittere, seu convertere in ritus, & consuetudines Christianæ Religionis, inconsulta S. Sede, nemini licet. Idem *ibid.*

3 Conjuges Catholici diversi ritus, unusquisque
proprium sequi possunt, idem Constitut. 57. in-
4 cip. *Etsi Pastoralis* §. 8. Conjux Latinus ritum Con-
jugis Græcæ sequi non potest. At e contra Conjux
5 Græcus sequi potest ritum conjugis Latinæ. Idem
ibid. Matrimonia inter conjuges diversi ritus, quo-
modo, & coram quibus contrahi debeant? Vide *in
supplem. ad verb. Matrimonium*.

6 Ritus Latinus semel a quocumque susceptus de-
7 seri amplius non potest; Idem *ibid.* §. 7. & 8. Dis-
pensatur cum Græcis de præterito Ordinatis ab Epi-
scopis Latinis animo retinendi Græcum ritum, ut
in hoc permanere valeant. Et, ut id fiat, requi-
ritur dispensatio Apostolica. Idem *ibid.* §. 7.

8 Ritus Latinus suscipi non intelligitur per Baptis-
mum susceptum a Latinis in casu necessitatis.
9 Idem Const. 88. incip. *Demandatam* §. 18. Græco-
Melchitis Latino ritu baptizatis de præterito, per-
10 mittitur electio ritus. Idem *ibid.* §. 16. Ritus Ec-
clesiæ Orientalis, qui Fidei, & bonis moribus non
adversantur, conservandi sunt, & ab omnibus to-
11 lerandi. Idem cit. Constit. *Etsi Pastoralis*, §. 9. Ri-
tus Ecclesiæ Orientalis observari debent a Mona-
chis Ruthenis Ordinis S. Basilii. Idem Constit. 89.
12 incip. *Inter plures* §. 24. Sublata cuilibet dispen-
sandi facultate. Idem *ibid.*

13 Ritum Græcum sequi tenentur ii ex Græcis, qui
in casu necessitatis Latino ritu baptizati fuerint.
14 Idem citat. Constitutione *Demandatam*, §. 18. Ritus
Græcus in Missis, & Divinis Officiis observari de-
bet a Græcis Italiæ, & insularum adjacentium.
15 Idem citat. Constit. *Etsi Pastoralis*, §. 9. Functio-
nes solemnes Latino ritu in Ecclesiis Græcorum
fieri prohibentur absque licentia Ordinarii, & vi-
ceversa. Idem *ibid.* §. 9.

16 Ritus Græco-Latinus in Ecclesia Sanctæ Mariæ
del Graseo vigens perpetuo servari jubetur. Idem
Constitution. 81. incip. *Romana Ecclesia*, §. 1. & 2.
17 Ritus Græcorum Melchitarum conservari jubentur,
& innovationes in illis inductæ reprobantur & an-
18 nullantur. Idem cit. Constit. *Demandatam* §. 3. A
ritu Græcorum Melchitarum transitus non permit-
titur ad ritum Latinum inconsulta Sede Apostoli-
19 ca. Idem *ibid.* §. 15. Item nec ad ritum Maroniti-
cum. Idem *ibid.* §. 12.

20 Ritus Malabarici in nuptiis, & Matrimoniis, in gestatione *Taly*, & funiculorum ex certo filorum numero, croco delibutorum, in fractione fructus cocco, in separatione mulierum menstruatarum, & plebejorum, vulgo *Parreas*, in celebratione primæ puellarum purgationis, in lavacris, & ablutionibus, in usu cinerum præter modum & tempus ab Ecclesia receptum, & omnia signa superstitiosa damnantur, & prohibentur. Idem citat. Constitution. *Omnium sollicitudinum*, §. 13. & 14.

21 Ritus Sinenses sæpe ad examen fuerunt vocati, & præsertim a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, An. 1645. sub Innocentio X. a Congregatione S. Inquisitionis 1656. sub Alexandro VII. 1669. sub Clemente IX. ac sub Innocentio XII. quo interim mortuo, Clemens XI. ejus successor reassumpto examine omnium dubiorum coram se anno 1704. confirmavit, & Apostolica auctoritate comprobavit Congregationis responsiones ad omnia, & singula quæsita proposita, quibus ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur, mandavitque, præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham Commissarium, & in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus, & singulis Missionariis, pœnis quoque Canonicis in refractarios indictis, præciperet.

Clemens XI. anno 1714. iterum omnia confir- 22
mat, & mandat servari Decretum editum a Cardinali de Tournon; Rejicit appellationes ad S. Sedem interpositas. Declarat eo Decreto nihil additum vel detractum Responsionibus datis anno 1704. Vetat publicari scripta super Ritibus Sinensibus absque licentia S. Sedis. Publicata vero prohibet sub pœnis, & Censuris in Regulis Indicis librorum prohibitorum contentis. Idem Clemens XI. 23
præfatas responsiones edita Constitutione incip. *Ex illa die*, confirmat, & præcepto arctissimo sub censuris, & pœnis mandat ejusdem Decreti executionem, de qua Missionarii juramentum præstare jubentur, & donec illud præstiterint, eisdem suspenduntur facultates, & juramenti præstiti exempla authentica ad S. Sedem statuit transmitti, demandata Superioribus Regularibus, cujusvis Ordinis, & Instituti, eorum omnium plenissima executione.

Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Ale- 24
xandrinus, & in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimisque Regnis, & Insulis Commissarius, & Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de Latere, vix Sinarum Regnum ingressus, in iis angustis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere permissiones octo circa Ritus Sinenses, prohibita tamen eorum promulgatione, & versione in linguam Tartaram, aut Sinicam sub pœna excommunicationis, latæ sententiæ, quibus permissionibus nihilominus contra expressam adeo Patriarchæ ipsius voluntatem evulgatis per binas suas Pastorales ab Episcopo Pekinensi mandante universis Diœcesis suæ Missionariis, ut observarent, & observari præciperent Constitutionem Clementis XI. incip. *Ex illa die* juxta dictas Permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quæ in præcitata Constitutione fuerant solemniter interdicta, hinc Clemens XII. anno 1735. binas illas Epistolas Apostolico promulgato Brevi damnavit, ac reprobavit, commisso interim examine dictarum Permissionum Congregationi S. Inquisitionis, auditis Missionariis, aliisque.

Deinde Benedictus XIV. die 11. Julii 1741. audi- 25
tis Cardinalibus, & Sacræ Inquisitionis Consultoribus examen hujusmodi coram se, & respective per se ipsum absolvit, & declarat Permissiones illas nunquam a S. Sede approbatas fuisse, immo ejus decisionibus adversari, ac easdem Permissiones reprobat, & annullat, earumque praxim damnat. Quæcumque a Clemente XI. definita sunt, aliter explicari vetat. Præsentium observantiam, & executionem omnibus, & singulis injungit, atque demandat sub gravissimis pœnis. Missionarios inobedientes in Europam revocari jubet, comminatis in Su-

Superiores Ordinum pœnis, si huic præcepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint. Præscribit novam juramenti formulam ab omnibus Missionariis omnino observandam, ipsamque tradit in tom. 1. Const. 19. incip. *Ex quo*, in qua plurima ad rem merito observanda.

26 De ritibus Sinensibus Constitutio, non obstantibus quibuslibet rationibus, aut subterfugiis observari debet, ut expresse mandat, ac præcipit idem Benedictus Constitut. 114. incip. *Reddita Nobis*.

27 Sacrorum Rituum Congregatio distinguitur in Generalem, & Ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum Cardinalibus quotquot eidem Congregationi adscripti sunt, omnibusque ipsius Congregationis Consultoribus, atque in ea agitur de Servorum Dei virtutibus, Martyrio, aut Miraculis recognoscendis, & approbandis. Ordinariam vero constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis Secretario, cum Protonotario Apostolico, & Promotore Fidei; atque in hac, præter cætera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur. Benedict. XIV. tom. 2. Constitution. incip. *Postulatum*.

28 In Congregatione Sacrorum Rituum unus Consultoris locus perpetuo tribuitur Presbyteris Societatis Jesu. Idem tom. 2. Constitut. 29. incip. *Constantem*.

29 Item in eadem Congregatione unus Consultoris locus perpetuo tribuitur Ordini Clericorum Regularium Theatinorum. Idem tom. 1. Const. 125. incip. *Insignem*.

30 Consultores Congregationis Sacrorum Ritum eliguntur a Summo Pontifice ex cætu Prælatorum Romanæ Curiæ, & ex Clero Seculari, & Regulari, Bened. XIV. de *Servorum Dei Beatificat. & Beatcr.*
31 *Canonization. lib.* 1. *c.* 16. *num.* 13. Consultores Congregat. Sacr. Rituum aliqui dicuntur nati, quia statim ac quoddam determinatum Officium assequuntur, intelliguntur etiam facti consultores dictæ Congregationis; Et isti sunt Episcopus Apostolici Sacrarii, vulgo Sacrista, Protonotarius Congregationis Sacrorum Rituum, Tres antiquiores Rotæ Auditores, Auditor Summi Pontificis, Assessor Sanctissimæ Inquisitionis, Magister Sacrii Palatii, Secretarius Congregationis, & Fidei Promotor. Idem *ibidem*.

32 Item licet electio Consultorum Regularium ex una potius, quam ex alia Familia assumendorum a Summi Pontificis arbitrio dependeat, ex quo tamen electio prædicta fieri consuevit, semper aliquis assumptus est ex Familia Patrum Dominicanorum, ex
33 Familia Minorum Observantium, & ex Familia Patrum Societatis Jesu; Præter quos Summus Pontifex Benedictus XIII. *per suas litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die* 7. *Augusti*, *& die* 1. *Octobris* 1725. *& die* 8. *Augusti* 1726. statuit perpetuis futuris temporibus unum Consultorem Congregationis Sacrorum Rituum esse assumendum ex Familia Minorum S. Francisci Conventualium, alterum ex Congregatione Clericorum Regularium Barnabitarum, & alium ex Ordine Servorum B. M. V. idem *ibid. num.* 14.

34 Consultores Regulares ex Decreto Clementis XIII. *edito* 11. *Maii* 1733. exceptis Personis in Dignitate Episcopali constitutis, & Magistro Sacri Palatii, non possunt interesse Congregationibus, quando agitur de Causis Servorum Dei ejusdem Instituti Regularis. Idem *ibid. num.* 14.

Consultores Congregationis Sacrorum Rituum 35 non possunt esse Postulatores in quibuscumque causis Beatificationis, & Canonizationis ex citato Decreto Clementis XII. 11. Maji 1733. Idem *ibid. numer.* 24.

Officium Consultorum est. Primo diligenter legere Informationes omnes, Summaria, Scripturas 36 tum facti, tum juris, Animadversiones Fidei Promotoris, Responsiones, & Replicationes, quæ in causis exhibentur. Secundo, tenentur verbales 37 audire informationes Procuratorum, Advocatorum, & Postulatorum. Tertio, tenentur accedere statutis diebus ad Congregationes quando coguntur, & 38 in illis ferre suffragium. Quarto, tenentur inviolabile servare secretum sub pœna excommunicationis 39 latæ sententiæ, a qua absolvi nequeunt, nisi a Summo Pontifice, excluso quoque Majori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo. Quinto, 40 debent manifestare, an oretenus, vel in scriptis sibi fuerint causæ Beatificationum, & Canonizationum commendatæ. Sic expresse idem *cit. c.* 16. *n.* 15. ubi *num.* 16. tradit formulam juramenti ad id ab ipsis præstandi.

Dicti Consultores uti non possunt adjutorio alicujus Familiaris pro studio causarum, nisi id eis a 41 Summo Pontifice concedatur ex gratia, quæ sæpe sæpius ratione veræ Indulgentiæ concessa est, ita tamen, ut nec iis, nec quotquot aliis, qui uti possunt consimili adjutorio, licitum sit adhibere operam alicujus, qui sit Advocatus, Procurator, aut Postulator Causarum Beatificationis, & Canonizationis, ex cit. Decreto Clementis XII. die 11. Maii 1733. edito. Idem *ibid. num.* 18.

Consultores possunt Procuratoribus, & Advocatis in verbali informatione proponere difficultates 42 absque timore violandi Secretum. Idem *ibid. n.* 19.

Debent si absunt a Congregatione, suum suffragium in scriptis transmittere in eadem Sacra Congregatione legendum. Idem *ibid. num.* 21. & rursus 43 *in lib.* 4. *addition. ad caput* 16. *Libri primi ex Decreto Clementis XII. edito* 7. *Septemb.* 1735.

Consultores sedent cum suffragium præstant in 44 Congregationibus Antepræparatoria, & Præparatoria; stant autem cum suffragium ferunt in Congregatione Generali coram Summo Pontifice, & postquam omnes suffragati sunt, exeunt ex aula Congregationis, remanentibus in ea Summo Pontifice, Cardinalibus Sacræ Congregationis, Secretario ejusdem, Fidei Promotore & Magistris Cæremoniarum. Idem *ib. numer.* 22.

Rituale Romanum illud tantum habendum, quod 45 jussu Pauli V. editum, & ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos directum est. Bened. XIV. Constit. incip. *Cum ut recte* §. 24.

Ritus Orientales non modo convellere numquam 46 studuerunt Romani Pontifices, sed tueri, ac servare pro viribus adlaborarunt. Benedict. XIV. Const. incip. *Allatæ sunt* §. 6. Unde Missionarii relaxare non possunt præscripta ritu Orientalium. Idem *ibid.* §. 3. Ritus enim tam in Latina, quam in Orientali Ecclesia

clesia corrigere, permittere, vel interdicere Apostolicæ Sedis est; Et proinde Ritus in Ecclesia recepti, ab inferioribus, inconsulta Apostolica Sede, non modo tolli penitus, sed nec ex parte quidem immutari possunt. Idem *Ibidem* §. 27.

47 Ritus confusio non inducitur, ex quo Græcus in Latina, vel Latinus in Græca Ecclesia, retento proprio ritu, Sacra peragat. Idem *ibid.* §. 33. & 35. Id vero contingeret, si Græcus modo Græco ritu, modo Latino, vel Latinus nunc Latino, nunc Græco ritu, Sacra perageret. Idem *ibid.* §. 34.

48 Purificationis præceptum *Levitici cap.* 12. propositum, brevius, longiusque tempus præfinivit, prout mulier masculum, vel feminam enixa esset; Benedict. XIV. Constit. incip. *Ex quo primum*, §. 69.

49 Similis lex viguit quoque primis sæculis in Ecclesia, licet jamdiu in latina abrogata fuerit. Idem *ibid.* §. 70. Voluntarius ideo plane est ritus, hactenus a pauperibus in latina Ecclesia servari solitus, & in Rituali Romano descriptus; Hæc enim benedictio mulieris post partum in Ecclesia latina nullo jure præcipitur, eamque prætermittens minime peccat, nisi forte id ageret per spretum atque contemptum. Idem *ibid.* §. 70. Ista tamen lex de puerperio vim coactivi præcepti adhuc obtinet apud Græcos, & exacte custoditur. Idem *ib.* §. 71. & 72. qui subinde §. 73. licitam ipsis ejusmodi observationem demonstrat.

RIXA. Vide verb. *Bellum num.* 2. & verb. *Virtus num.* 86.

ROGATIONES.

---

1 Rogationes, ut vult Sidonius Apollinaris *l.* 5. *Epist.* 41. relat. *in Theatro vitæ humanæ t.* 6. *verb. Rogation. lit. B.* fuerunt primo inventæ, & institutæ a S. Mamerto, seu Mamerco Episcopo Viennensi in Delphinatu, qui easdem eo fine induxit, ut quæ dictæ Civitati videbantur portendi ex horribili, ac sæpius iterato terræ motu, ex ululatibus, atque nimium horrificis vociferationibus, & ex spectris; quæ omnibus ac singulis Oppidanis terrorem incutiebant, ac trepidationem, precibus iracundia Divina flecteretur.

2 Alii autem, quos tacito nomine refert Pontas *tom.* 3. *verb. Rogationes*, volunt S. Leonem ductum consilio dicti S. Mamerti jussisse anno 442. ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis, eadem ratione, qua Romæ servabatur, atque eidem annecteretur parvarum Litaniarum cantus, atque tandem voluisse S. Gregorium Magnum, ut in istis supplicationibus magnæ Litaniæ cantarentur, atque Sacra Effigies S. Lucæ in iisdem deferretur propter gravem pestilentiam, qua tunc temporis Urbs Roma opprimebatur. Et revera S. Alcimus Avitus Viennensis Episcopus in Delphinatu *homilia de Rogationibus*, quæ extat in tomo tertio Bibliothec. SS. Patrum, ut refertur *in Theatro vitæ humanæ loc. cit. sub litteris E. S.* Cæsarius Arelatensis *serm.* 37. & S. Gregorius Turonensis *lib.* 2. *histor. cap.* 34. testantur, jam labente quinto sæculo in omnibus fere Ecclesiis obtinuisse usum prædictarum supplicationum, atque solemnium obsecrationum (1).

Quamvis autem S. Mamertus dicatur Rogationum Auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse Auctorem, quam Instauratorem, & reparatorem; 3
hoc enim manifeste patet ex his citati Sidonii Apollinaris verbis: *Erant quidem prius (quod salva fidei pace dictum sit) vagæ, tepentes, frequentesque, utque sic dixerim oscitabundæ supplicationes &c. In his, quas supradictus Summus Sacerdos nobis, & protulit, & contulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur.* Ex iis Sidonii verbis apparet, inquit Cardinalis Baronius in notis Martyrologii ad 25. Aprilis, Sanctum Mamertum Episcopum non tam instituisse, quam restituisse, & in meliorem formam reduxisse Sacras Rogationes. Sane quidem S. Augustinus, qui tempore præcessit S. Mamertum, de eiisdem Rogationibus, quæ præcedunt celebritatem Ascensionis Dominicæ, non obscure meminit *serm.* 174. *de Temp. in Vigilia Ascens. tom.* 10. *pag.* 338. *edition. Lovan.* Est ejus exordium hujusmodi: *Scire debemus & intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis, & pænitentiæ celebramus &c.* Circa finem autem sic: *Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de Ecclesiæ conventu subducat, sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus, jejunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non inquirit &c.* Quibus quidem eumdem de Sacris Rogationibus verba facere nullum est dubium. Hæc Baronius *loc. cit.* & Theatrum vitæ humanæ *loc. cit. sub litt. G.* (2).

Rogationes per triduum ante Ascensionem cum jeju- 4

(*1) Vide quam hæc falsa sint. Rogationes *Romæ* ante Pontificatum Leonis III. qui nonnisi anno DCCXCV. sedere cœpit, receptas non fuisse, testis adest Anastasius Bibliothecarius in ejus vita, ubi ait: *ipse vero constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ Litaniæ celebrentur, scilicet feria* 11. *egrediente Pontifice cum omni Clero, & cuncto populo, cum hymnis, & canticis spiritualibus ab Ecclesia dei Genitricis* ad Præsepe *pergendo ad Ecclesiam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana; feria tertia vero exeuntes ab Ecclesia Sanctæ Sabinæ Martyris, & pergentes ad B. Paulum Apostolum; feria quarta exeuntes ab Ecclesia Hierusalem, & pergentes ad Ecclesiam B. Laurentii Martyris.*

(2) Frustra hæc sunt, ut Mamertus solum Rogationum *instaurator* dici debeat: neque enim, inquit Zaccaria *Onomast. Ritual. T.* 11. *p.* 124., quæstio est, an is primus Litaniarum usum in Ecclesiam invexerit, quem constat multo antiquiorem fuisse; sed an eas instituerit, quæ ante Ascensionem domini celebrantur, Rogationesque propria jam voce nuncupantur: in quo consentiunt fere omnes, & Sidonii ep. XIV. lib. V. verba *invenit, instituit, invexit*, dubitari non sinunt. Sermo autem ille 174. de tempore suppositius est, atque in appendicem sermonum qui Augustini non sunt, a Patribus S. Mauri

Serm.

jejunio celebrandas esse olim statuit Concilium Aurelianense I. trigintatrium Episcoporum anno Christi 551. sub Symmacho Papa tempore Clodovei I. Francorum Regis Christiani *cap.* 29. præcisis his verbis, quæ referuntur etiam *in cap. Rogationes* 2. *dist.* 3. *de consecrat.* ibi: *Rogationes, idest Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari: ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur, per quod triduum servi, & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.*

5 Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejunandum non est, nisi Mediolani, quia Mediolanenses Quadragesimam incipiunt triduo post quam alii; & alii fideles in illo triduo non jejunant pro Rogationibus, quia tempore Paschali non jejunatur. Concil. Mediol. I. (1)

6 In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto etiam extra Chorum Litaniæ Sanctorum, quæ non duplicantur, cum suis precibus. *Communis*. Sunt enim pars Officii. Vide verb. *Litaniæ num.* 16. Et quidem recitandæ sunt proprio respe-
7 ctive mane, nec possunt recitari Vesperi pridie statim post Matutinum, & Laudes Officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de Officio Defunctorum die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra Chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari in Vesperis ex Decreto *Sac. Congregat. Rituum* 1. *Septembris* 1607. (* Nota tamen, Decretum hoc revocatum fuisse ab ead. Sac. Congr. Rituum alio Decreto in una Ratisponen. 4. *Septembr.* 1745. Quare nunc licet privatim recitare Officium defunctorum die antecedenti Commemorationem omn. fidel. Defunctorum; atque hinc ruit fundamentum a simili hic allatum.) Et sic docent Tamburin. *in Decalog. lib.* 2. *capit.* 5. §. 5. *numer.* 7. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *numer.* 417. Merati *t.* 2. *sect.* 6. *cap.* 16. *numer.* 5. cum pluribus ibi adductis, & alii; Unde caute legendi sunt Doctores contrarium sentientes, ignorantes fortasse prædictum Decretum Sacræ Congregationis; Tum quia ipsæ Litaniæ sunt loco assistentiæ ad Processionem quæ assistentia non potest anticipari, sed ipso proprio respective die Rogationum observari debet.

8 Triduanæ Rogationes ab universali Ecclesiæ quotannis celebrari præcipiuntur, ut propitietur Deus peccatis nostris, & a nobis flagella iræ suæ dignetur avertere, pacem, & aeris salubritatem concedat, ut fructus terræ dare, & conservare dignetur, & omnibus nostris necessitatibus benigne prospiciat, ut constat ex Ordin. Romano *titul. de Rogationibus*, & confirmant Amalarius *lib.* 1. *cap.* 37. Gemma *lib.* 3. *cap.* 139. Cæsarius Arelatensis *homil.* 37. & alii passim.

9 Quid circa commemorationes Rogationum, si in diebus hujusmodi Officium occurrat primæ classis, puta Titularis, Patroni, vel Dedicationis Ecclesiæ. Vide verb. *Vigilia*.

ROMANI PONTIFICES.

---

* De Romano Pontifice plura quidem extant in hac Bibliotheca, tum ex *Auctore* verb. *Ecclesia*, verb. *Papa*, verb. *Regimen*, tum *ex aliena manu*, ad calcem hujus articuli, sub tit. verb. *Romanus Pontifex*; sed quoniam desiderari adhuc videbatur Romanorum Pontificum completa Series; idcirco ea hic adducitur ex celebriorum Chronologorum tabulis deprompta.

Sæculum I.

ANno Æræ vulg. 33. *S. Petrus* Primus Christi in terris Vicarius, Jerosolymis primum, deinde Antiochiæ ad An. usque 41. diversatus, inde Romæ sedit annos 25. Martyrii palmam sub Nerone consecutus die 29. Junii An. Chr. 66. 1

66. S. *Linus* Hetruscus, jam Petro Coadjutor ab An. 55. post ipsum Ecclesiam rexit per Annum circ. Martyr occubit 23. Sept. An. Chr. 67. 2

67. S. *Clemens* I. Rom. Ecclesiam rexit ad An. usque 76. Cessit Pontificatui, & Martyr. Obiit 23. Nov. An. 100. 3

77. S. *Cletus* Rom. Ob. Martyr 23. Apr. An. 83. 4

83. S. *Anacletus* Græcus. Ob. Martyr 13. Julii An. 96. 5

96. S. *Evaristus* Græcus. Ob. Martyr 26. Octobris An. 108. 6

Sæculum II.

108. S. *Alexander* I. Roman. Obiit Martyr 3. Maii An. 117. 7

117. S. *Sixtus* I. Roman. Ob. Martyr 3. Aprilis An. 127. 8

127. S. *Telesphorus* Græcus. Ob. Martyr 5. Januar. An. 138. 9

138. S. *Hyginus* Græcus. Ob. Martyr 8. Januar. An. 142. 10

142. S. *Pius* I. Aquilejensis. Ob. Martyr 11. Julii An. 150. 11

150. S. *Anicetus* Syrus. Ob. Martyr 17. Aprilis An. 161. 12

162. S. *Soter* Campanus. Ob. 22. Apr. An. 171. 13

171. S. *Eleutherus* Græcus. Ob. 26. Maii An. 185. 14

185. S. *Victor* I. Afer. Ob. 28. Julii 197. 15

197. S. *Zephyrinus* Roman. Ob. Martyr 26. Julii An. 217. 16

Sæcu-

Serm. 175. rejectus, idque vel ista Rogationum Augustini tempore nondum institutarum mentio suadet.

(*1) Idem mos in Melitensi insula viget.

Sæculum III.

17 217. S. *Calistus* I. Roman. Ob. Martyr 14. Octobris 222.

18 222. S. *Vrbanus* I. Roman. Obiit Martyr 25. Maii 230.

19 230. S. *Pontianus* Roman. Ob. Martyr 30. Octobris 235.

20 235. S. *Anterus* Græcus. Ob. Martyr 3. Januarii 236.

21 236. S. *Fabianus* Roman. Ob. Martyr Kal. Martii 250.

22 250. S. *Cornelius* Roman. Ob. Martyr 14. Septembr. 252.

Schisma I. *Novatianus* Antipapa.

23 252. S. *Lucius* I. Roman. Ob. Martyr 3. Martii 254.

24 254. S. *Stephanus* I. Roman. Ob. Martyr 2. Augusti 257.

25 257. S. *Sixtus* II. Græcus. Ob. Martyr 6. Augusti 259.

26 259. S. *Dionysius*. Ob. Martyr 29. Decembris 268.

27 269. S. *Felix* I, Roman. Ob. Martyr. Kal. Januarii 274.

28 274. S. *Eutychianus* Hetruscus. Ob. Martyr 8. Decemb. 283.

29 283. S. *Cajus* Dalmata. Ob. Martyr 22. Aprilis 295.

30 295. S. *Marcellinus* Roman. Ob. Martyr 26. Aprilis 304.

Sæculum IV.

31 304. S. *Marcellus* Roman. Ob. Martyr 16. Januar. 310.

32 310. S. *Eusebius* Græcus. Ob. Martyr 17. Augusti 310.

33 310. S. *Miltiades* Afer. Ob. Martyr 15. Januarii 314.

34 314. S. *Silvester* I. Roman. Sub ipso pax reddita Ecclesiæ a Constantino M. celebratumque Concilium Nicænum I. Oecumenicum I. contra Arianos An. 325. Rexit Ecclesiam An. 21. m. 11. Ob. die 31. Decemb. 335.

35 336. Sanctus *Marcus* Roman. Obiit 7. Octobris 336.

36 337. S. *Julius* I. Roman. Ob. 12. Apr. 352.

37 352. S. *Liberius* Rom. Ob. 24. Septemb. 366. Vide Hist. Eccles.

38 358. *S. Felix* II. Rom. a *Constantio* Imperatore Ariano in locum *Liberii* jam in exilium acti subrogatus fuerat, qui tamen Pontifex factus Catholicam Fidem propugnavit, & Martyrium passus est, dum adhuc *Liberius* sedem Romanam obtineret.

39 366. S. *Damasus* Hispanus post obitum *Liberii* Pontifex electus, contra quem Schisma II. in Ecclesia conflavit *Vrsicinus*. An. 381. habitum est Concilium Constantinopolitanum I. Oecumenicum II. contra Macedonianos. S. *Damasus* Ob. die 11. Decembris 384.

40 385. S. *Siricius* Roman. (cujus sanctitatem novissime asseruit Benedictus XIV. Vide Epistol. de nova Martyrol. editione ad Regem Portugalliæ, quæ extat in Bullar. *tom.* 2. *num.* 54.) Ob. 19. Septembr. 399.

399. S. *Anastasius* I. Roman. Ob. 3. Novembr. 401. 41

Sæculum V.

401. S. *Innocentius* I. Albanus. *Pelagium*, *Cœlestinum*, & *Julianum* Hæreticos proscripsit Sanctissimus Pontifex. Ob. 14. Febr. 417. 42

417. S. *Zosimus* Græcus. Ob. 13. Decemb. 418. 43

418. S. *Bonifacius* I. Roman. Ob. 4. Sept. 422. 44

Schisma III. *Eulalius* Antipapa.

422. S. *Cœlestinus* I. Campanus, sub quo An. 431. habitum est Concilium Ephesinum I. Oecumenicum III. contra Nestorium. Obiit SS. Pontifex 21. Julii 432. 45

432. S. *Sixtus* II. Roman. Ob. 22. Julii 440. 46

440. S. *Leo* I. Hetruscus cognomento Magnus, sub quo an. 451. celebratum est Concilium Chalcedonense Oecumenicum IV. contra Dioscorum & Eutychem. Ob. doctissimus æque ac Sanctissimus Pontifex 3. Novemb. 461. 47

461. S. *Hilarius*, Sardus. Ob. 21. Februar. 468. 48

468. S. *Simplicius*, Tiburtin. Ob. 2. Mart. 483. 49

483. S. *Felix* III. Roman. Ob. 25. Febr. 492. 50

492. S. *Gelasius* I. Afer. Ob. 19. Novembr. 496. 51

496. S. *Anastasius* II. Roman. Ob. 17. Novembris 498. 52

498. S. *Symmachus*, Sardus, contra quem Schisma in Ecclesia IV. conflavit *Laurentius* Roman. Antipapa, Ob. 19. Jun. 514. 53

Sæculum VI.

514. S. *Hormisda*, Campanus. Ob. 9. August. 523. 54

523. S. *Joannes* I. Hetruscus. Ravennæ Martyr occubuit die 27. Maii 526. 55

526. S. *Felix* IV.... Ob. 25. Septembr. 530. 56

530. *Bonifacius* II. Roman. Ob. 8. Novemb. 532. 57

Schisma V. *Dioscorus* Antipapa.

533. *Joannes* II. Roman. Ob. 28. Maii 535. 58

536. S. *Agapetus* Roman. Ob. 22. April. 536. 59

536. S. *Silverius*, Campanus, Hormisdæ filius, Martyr occubuit 20. Junii 538. 60

Schisma VI. *Vigilius* Sedem invadit.

538. *Vigilius* Roman. qui in Sedem *Silverii* legitimi Pontificis favente *Bellisario* irrepserat, mortuo *Silverio* agnitus est & ipse legitimus Pontifex. Ob. 11. Januar. 555. sub ipso habitus est An. 553. Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum V. contra Origenistas &c. 61

555. *Pelagius* I. Roman. Ob. 2. Mart. 560. 62

560. *Joannes* III. Roman. Ob. 13. Jul. 573. 63

584. S. *Benedictus* I. Roman. Ob. 25. Jul. 578. 64

578. *Pelagius* II. Roman. Ob. 12. Febr. 590. 65

590. S. *Gregorius* Magnus, Roman. post interpontificium ab obitu *Pelagii* II. mensium sex & dierum 25. electus est Pontifex. Donatistas in Africa coercuit, & *Joannis* Patriarchæ Constantinop. se *Oecumenicum* Episcopum inscribentis fastum cohibuit. Angliam ad Fidem convertit, & Ecclesiæ Latinæ Sanctissimus Doctor habetur. Sedit 66

dit annos 13. m. 6. dies 10. migravit ad Dominum die 12. Martii An. 604.

Sæculum VII.

67 604. *Sabinianus* Volater. Ob. 2. Febr. 606.
68 607. S. *Bonifacius* III. Roman. electus post interpontificium mensium XI. & dier. 17. Ob. 20. Octobris 607.
69 608. *Bonifacius* IV. Marsus. Obtinuit a *Phoca* Imperat. Templum Pantheon, illudque eliminatis ethnicorum superstitionibus, dicavit B. *Mariæ* semper Virgini, & sanctis omnibus Martyribus. Ob. 7. Maii 615.
70 615. *Deusdedit* Roman. Ob. 7. Novemb. 618.
71 618. S. *Bonifacius* V. Campanus, post interpontificium anni unius, mens. 1. d. 17. electus Pontifex. Ob. 24. Octob. 624.
72 625. *Honorius* I. Capuanus. Ob. 12. Octob. 638. Hic Pontifex perperam ab Hæreticis Monothelitarum hæreseos insimulatur, & ab ea tam vere, quam pie vindicatur.
73 640. *Severinus* Roman. post interpontificium mensium circiter 20. creatus Pontifex, sedit tantum menses duos.
74 *Joannes* IV. Dalmata. Ob. 12. Octobris 642.
75 642. S. *Theodorus* Græcus. Ob. 13. Maii 649.
76 649. S. *Martinus* I. Tudertinus. An. 4. sui Pontificatus missus est in exilium ab Imperatore *Constante* Hæretico Monothelita, ibique morbis, & ærumnis confectus migravit Martyr ad Christum, 16. Septembr. 655.
77 654. S. *Eugenius* I. Roman. vivente adhuc in exilio *Martino* I. eoque, ad præcavendas Hæretici Imperatoris *Constantis* insidias, consentiente, a Clero Roman. electus Pontifex. Ob. 2. Junii 657.
78 657. S. *Vitalianus*, Signin. Ob. Jan. 672.
79 672. *Adeodatus* Roman. Ob. 17. Jun. 676.
80 676. *Donus* I. Roman. Ob. 11. Aprii. 679.
81 679. S. *Agatho*, Siculus. Præfuit per suos Legatos sextæ Synodo Oecumenicæ, Constantinop. III. contra Monothelitas celebratæ An. 680. Ob. 10. Jan. 682.
82 682. Sanctus *Leo* II. Siculus. Ob. 3. Jul. 683.
83 683. S. *Benedictus* II. Roman. Ob. 8. Maii 685.
84 685. *Joannes* V. Antiochen. Ob. 2. August. 686.
85 686. *Conon*, Thrax. Ob. 21. Septemb. 687.
Schisma VII. *Petrus*, & *Theodorus* Antipapæ.
86 687. S. *Sergius* I. Antiochen. Ob. 8. Sept. 701.
Schisma VIII. *Theodorus* Archipresbyter, & *Paschalis* Archidiaconus, Antipapæ.

Sæculum VIII.

87 701. *Joannes* VI. Græcus. Obiit 11. Jan. 705.
88 705. *Joannes* VII. Græcus. Ob. 18. Octobr. 707.
89 708. *Sisinnius*, Syrus, Ob. 7. Febr. 708. post dies 20. Pontificatus.
90 708. *Constantinus*, Syrus. Ob. 9. Apr. 715.
91 715. S. *Gregorius* II. Roman. Ob. 12. Febr. 731.
92 731. S. *Gregorius* III. Syrus. Ob. 28. Nov. 741.
93 741. S. *Zacharias*, Græcus. Ob. 15. Mart.
Nota. Post obitum *Zachariæ* electus est Pontifex *Stephanus* hujus nominis II. qui subita morte quarta die ab electione interceptus, ordinari ac consecrari non potuit; atque idcirco a quibusdam inter Pontifices non recensetur. Post ipsum vero electus est.
752. *Stephanus* III. Roman. Ob. 26. April. 757. 94
757. S. *Paulus* I. Roman. Prædefuncti *Stephani* III. germanus Frater. Ob. 29. Jun. 767. 95
Schisma IX. *Theophylactus* Antipapa.
768. *Stephanus* IV. Siculus electus post interpontificium 13. mensium. Ob. 1. Febr. 772. 96
Schisma X. *Philippus*, & *Constantinus* Antipapæ.
772. *Adrianus* I. Roman. cujus Pontificatus diuturnissimus omnium hucusque fuit; Rexit enim Ecclesiam An. 23. Mens. 10. Dies 18. Anno 787. habitum est Concilium Oecumenicum VII. Nicænum II. contra Iconomachos. Ob. die 26. Decembris 795. 97
795. S. *Leo* III. Rom. Ob. 18. Jun. An. 816. 98

Sæculum IX.

816. *Stephanus* V. Rom. Obiit 22. Jan. 817. 99
817. S. *Paschalis* I. Rom. Ob. 11. Maii 824. 100
824. *Eugenius* II. Rom. Ob. 27. Aug. 827. 101
Schisma XI. *Zinzinius* Antipapa.
827. *Valentinus* Rom. Ob. die 40. ab electione. 102
828. *Gregorius* IV. Rom. Ob. 11. Jan. 844. 103
844. *Sergius* II. Rom. Ob. 27. Jan. 847. 104
847. S. *Leo* IV. Rom. Ob. 17. Jul. 855. 105
855. *Benedictus* III. Rom. Ob. 10. Mart. 858. 106
Schisma XII. *Anastasius* Antipapa.
858. *Nicolaus* I. Rom. Ob. 12. Nov. 867. 107
867. *Adrianus* II. Rom. Ob. 25. Novemb. 872. 108
Anno 869. habitum est Concilium Oecumenicum VIII. Constantinopol. IV. contra *Photium* Schismaticum Patriarcham C. P.
872. *Joannes* VIII. Rom. Ob. 15. Dec. 882. 109
882. *Martinus* II. seu potius *Marinus*, patria Gallesinus. Ob. 23. Februar. 884. 110
884. *Adrianus* III. Rom. Ob. 8. Jul. 885. 111
885. *Stephanus* VI. Rom. Ob. 7. Aug. 891. 112
Schisma XIII. *Anastasius* Antipapa.
891. *Formosus*, Episc. Portuen. Ob. 4. Apr. 896. 113
Schisma XIV. *Sergius* Antipapa.
896. *Bonifacius* VI. Hetruscus. Sede pulsus quintodecimo ab invasione die. A quibusdam ceu legitimus Pontifex non computatur. 114
896. *Stephanus* VII. Rom. post tres menses Pontificatus in carcere extinctus. 115
897. *Romanus*, Gallesin. Ob. 8. Febr. 898. 116
898. *Theodorus* II. Rom. Ob. vicesimo die P. 117
898. *Joannes* IX. Rom. Ob. 26. Mart. 900. 118

Sæculum X.

900. *Benedictus* IV. Rom. Obiit 20. Octobr. 904. 119
904. *Leo* V. Ardeat. Ob. quadragesimo die P. Schisma XV. contra *Leonem* conflavit *Christophorus* Rom. qui post illius obitum Sedem invasit ac retinuit per 7. menses, inde abrenunciare coactus. 120
905. *Sergius* III. Rom. Ob. An. 912. 121
913. *Anastasius* III. Rom. Ob. 914. 122

123 914. *Lando*, Sabinus. Ob. 915.
124 915. *Joannes* X. Roman. Ob. 928.
125 928. *Leo* VI. Rom. Ob. 929.
126 929. *Stephanus* VIII. Rom. Ob. 931.
127 931. *Joannes* XI. Rom. Ob. 936.
128 936. *Leo* VII. Rom. Ob. 939.
129 939. *Stephanus* IX. Rom. Ob. 943.
130 943. *Martinus* III. Rom. Ob. 946.
131 946. *Agapetus* II. Rom. Ob. 956.
132 9956. *Joannes* XII. Rom. Ob. 963.
Schisma XVI. *Leo* Antipapa.
133 964. *Benedictus* V. Rom. ejectus paucis diebus ab electione.
134 964. *Leo* VIII. Rom. Ob. April. 965. post cujus obitum revocatus est *Benedictus* V. qui tamen e vivis excessit mense Julio 965.
135 965. *Joannes* XIII. Rom. Ob. Sept. 972.
136 972. *Benedictus* VI. Rom. Ob. 974.
Schisma XVII. *Bonifacius* Antipapa.
137 974. *Donus* II. Rom. Ob. 975.
138 975. *Benedictus* VII. Rom. Ob. 984.
139 984. *Joannes* XIV. Roman. aut Papien. Ob. 985.
Schisma XVIII. *Joannes*, a quibusdam dictus XV.
140 986. *Joannes* XVI. Rom. Ob. 996.
141 996. *Gregorius* V. Saxo. Ob. 999.
Schisma XIX. *Joannes* Episcopus Placentinus Antipapa.
142 999. *Silvester* II. Gallus. Obiit 12. Maii 1004.

Sæculum XI.

143 1003. *Joannes* XVII. Rom. Ob. 31. Octob. 1003.
144 1004. *Joannes* XVIII. Rom. Ob. 18. Jul. 1009.
145 1009. *Sergius* IV. Rom. Ob. 13. Jul. 1012.
146 1012. *Benedictus* VIII. Tuscul. Ob. 10. Jul. 1024.
Schisma XX. *Gregorius* Antipapa.
147 1024. *Joannes* XIX. Tuscul. Antecessoris germanus Frater. Obiit 6. Novemb. 1033.
148 1033. *Benedictus* IX. Tuscul. puer decennis, e Sede deturbatus a Romanis Ann. 1044.
Schisma XXI. *Silvester* III. & *Joannes* Antipapæ.
149 1045. *Gregorius* VI. Rom. Pontificatum dimisit 17. Decembr. 1046.
150 1046. *Clemens* II. Saxo. Ob. 9. Octob. 1047. *Benedictus* IX. qui supra, revocatus. Obiit 17. Julii 1048.
151 1048. *Damasus* II. Bavarus. Ob. die 22. P.
152 1049. S. *Leo* IX. German. Ob. 19. Aprilis 1054.
153 1055. *Victor* II. Bavarus. Obiit 28. Iulii 1057.
154 1057. *Stephanus* X. Lotharingus. Obiit 29. Mart. 1058.
Schisma XXII. *Benedictus* Antipapa.
155 1058. *Nicolaus* II. Burgundus. Ob. 24. Jun. 1061.
156 1061. *Alexander* II. Mediolanen. Obiit 20. Aprilis 1073.
Schisma XXIII. *Cadalous* dictus *Honorius* II. Antipapa.
157 1073. S. *Gregorius* VII. Soanen. Obiit 25. Maii 1085.
Schisma XXIV. *Guibertus* Parmen. dictus *Clemens* III. Antipapa.
158 1086. *Victor* III. Benevent. Ob. 15. Sept. 1087.
159 1088. *Urbanus* II. Gallus. Obiit 29. Julii 1099.

Sæculum XII.

1099. *Paschalis* II. Hetruscus. Ob. 18. Jan. 1118. 160
Schismatis continuatio; *Albertus*, & *Theodorus* Antipapæ.
1118. *Gelasius* II. Cajetan. Obiit 29. Jan. 1119. 161
Schisma XXV. *Mauritius* Burdinus Antipapa.
1119. *Calistus* II. Burgundus. Ob. 12. Dec. 1124. 162
Anno 1122. habitum est Concilium Oecumenicum IX. Lateranense I.
1124. *Honorius* II. Forocornel. Ob. 26. Febr. 1130. 163
Schisma XXVI. *Clemens* IV. Antipapa.
1130. *Innocentius* II. Rom. Ob. 24. Sept. 1143. 164
Shisma XXVII. *Petrus* Leonis dictus *Anacletus* II. Antipapa.
Anno 1139. habitum est Concilium Oecumenicum V. Lateranense II.
1143. *Cœlestinus* II. Hetruscus. Obiit 9. Martii 1144. 165
1144. *Lucius* II. Bononien. Obiit 25. Febr. 1145. 166
1145. *Eugenius* III. Pisanus. Obiit 6. Julii 1153. 167
1153. *Anastasius* IV. Rom. Ob. Decembri 1154. 168
1154. *Adrianus* IV. Anglus. Ob. 1. Sept. 1159. 169
1159. *Alexander* III. Senen. Obiit 21. Aug. 1181. 170
Schisma XXVIII. *Victor*, *Paschalis*, *Calistus* *Innocentius* successive Antipapæ contra *Alexandrum*.
Anno 1179. habitum est Concilium Oecumenicum XI. Lateranense III. contra Waldenses, Albigenses &c.
1181. *Lucius* III. Lucen. Ob. 25. Novembr. 1185. 171
1185. *Urbanus* III. Mediol. Obiit 18. Octobris 1187. 172
1187. *Gregorius* VIII. Benev. Ob. 15. Dec. 1187. 173
1187. *Clemens* III. Roman. Ob. 25. Mart. 1191. 174
1191. *Cœlestinus* III. Roman. Ob. 7. Jan. 1198. 175
1198. *Innocentius* III. ex Comitibus Ananiens. 176
An. 1215. habuit magnum Concilium Lateranense IV. Oecumenicum XII. contra Albigenses &c. Obiit Doctissimus Pontifex 20. Julii 1216.

Sæculum XIII.

1216. *Honorius* III. Rom. Obiit 18. Mart. 1227. 177
1227. *Gregorius* IX. Ananien. Ob. 22. Aug. 1241. 178
1241. *Cœlestinus* IV. Mediolan. Ob. die 19. Pon. 179
Sedes vacat annum unum, menses octo, dies quindecim.
1243. *Innocentius* IV. Gennen. Ob. 13. Decemb. 1254. 180
Anno 1245. habitum est Concilium Oecumenicum XIII. Lugdunense I.
1254. *Alexander* IV. Ananien. Ob. 25. Maii 1261. 181
1261. *Urbanus* IV. Gallus. Ob. 2. Octob. 1264. 182
1265. *Clemens* IV. Gallus. Ob. 29. Novembris 183
1268. Sedes vacat ann. 2. menses 9. dies 2.
1271. *Gregorius* X. Placentin. Ob. 11. Jan. 1276. 184
Anno 1274. habitum est Concilium Oecumenicum XIV. Lugdunense II. pro reunione Græcorum &c.
1276. *Innocentius* V. Burgund. Ob. mens. 5. Pont. 185
1276. *Adrianus* V. Genuen. Ob. 40. die Pontificatus. 186

1276. *Joan-*

187 1276. *Joannes* XX. dict. XXI. Lusitan. Obiit 16. Maii 1277.
Sedes vacat menses 6. dies 8.
188 1277. *Nicolaus* III. Rom. Ob. 22. Aug. 1280.
Sedes vacat menses sex.
189 1281. *Martinus* IV. Gallus. Ob. 29. Mart. 1285.
190 1285. *Honorius* IV. Roman. Ob. 3. Aprilis 1287.
Sedes vacat menses 10. dies 18.
191 1288. *Nicolaus* IV. Asculan. Ob. 4. Aprilis 1292.
Sedes vacat an. 2. mens. 3. dies 2.
192 1294. S. *Cœlestinus* V. Aprut. Cessit Pontificatui die 13. Decembris ejusdem anni.
193 1294. *Bonifacius* VIII. Ananien. Obiit 11. Octobris 1303.

Sæculum XIV.

194 1303. B. *Benedictus* XI. Tarvisinus. Obiit 7. Jul. 1303. Sedes vacat ultra annum.
195 1305. *Clemens* V. Gallus. Sedem transtulit Avenionem; An. 1311. celebravit Concilium Oecumenicum XV. Viennæ, in causa Templariorum &c. Ob 20. Apr. 1314.
196 1316. *Joannes* XXI. d. XXII. Gallus. Ob. 5. Dec. 1334.
Schisma XXIX. Petrus de Corbaria Antipapa.
197 1334. *Benedictus* XII. Gallus. Ob. 25. Apr. 1342.
198 1342. *Clemens* VI. Gallus. Ob. 1. Decemb. 1352.
199 1352. *Innocentius* VI. Gallus. Ob. 11. Sept. 1362.
200 1362. *Urbanus* V. Gallus Ob. 19. Decemb. 1370.
201 1370. *Gregorius* XI. Gallus. Sedem Romæ restituit 17. Januar. 1377. Ob. 28. Mart. 1378.
202 1378. *Urbanus* VI. Neapolitanus. Ob. 15. Octob. 1389
Schisma XXX. omnium teterrimum quod ad annum usque 1429. fœdissime dilaceravit Ecclesiam. Siquidem contra Urbanum VI. quarto ab ejus electione mense recedentes ab ipso Cardinales crearunt Pontificem *Robertum* Gebennensem, qui sedem fixit Avenione, & assumpto *Clementis* VII. nomine vitam protraxit ad An. usque 1394. Ipsi suffectus est die 28. Septemb. ejusdem anni *Petrus* de Luna Hispanus, qui sub nomine *Benedicti* XIII. etsi depositus in Conciliis Pisano, & Constantiensi umbratilem dignitatem ad obitum usque retinuit; Ob. autem die 23. Maii 1423. Post ipsum denique *Clemens* VIII. Pseudo-Pontifex electus, cessione schisma extinxit An. 1429.
203 1389. *Bonifacius* IX. Neapolit. creatus 2. Nov. Ob. 1. Octob. 1404.

Sæculum XV.

204 1404. *Innocentius* VII. Sulmonen. el. 17. Octob. Obiit 6. Nov. 1406.
205 1406. *Gregorius* XII. Venetus, el. 30. Nov. depositus in Concilio Pisano 5. Jun. 1409. Cessit in Concilio Constantiensi 4. Jul. 1417. Ob. 18. Octob. ejusd. Anni.
206 1409. *Alexander* V. Cretensis, deposito *Gregorio* XII. electus est die 29. Jun. Ob. 3. Maii 1410.
207 1410. *Joannes* XXII. dict. XXIII. Neapolit. Pontificatu abdicatus est, ipso tandem consentiente, in Concilio Constantiensi Ann. 1415. Ob. 22. Dec. 1419.

1417. *Martinus* V. Roman. electus in Concilio Constantiensi die 11. Novembr. Ob. 20. Feb. 1431. 208
1431. *Eugenius* IV. Venetus, el. 3. Mart. Ann. 1439. celebravit Concilium Oecumenicum XVI. Ferrariæ quidem bienno ante inceptum, sed Florentiæ ipso Præside absolutum, ubi de unione Græcorum, Armenorum &c. actum est. Eodem simul tempore Basileæ acephalum Concilium contra ipsum legitimum Pontificem stetit, & schisma conflavit in creatione *Amadei* Sabaudi, qui nomen assumpsit *Felicis* V. Ob. Eugenius die 23. Febr. 1447. 209
1447. *Nicolaus* V. Sarzanen. el. 6. Mart. Gavisus est Ecclesiæ redditam pacem in voluntaria Antipapæ *Felicis* cessione An. 1449. Ob. *Nicolaus* 24. Mart. 1455. 210
1455. *Calistus* III. Hispan. el. 8. April. Ob. 6. Aug. 1458. 211
1458. *Pius* II. Senensis, el. 19. Aug. Ob. 16. Aug. 1464. 212
1464. *Paulus* II. Venetus, el. 31. Aug. Ob. 28. Jul. 1471. 213
1471. *Sixtus* IV. Savonen. el. 9. Aug. Ob. 12. Aug. 1484. 214
1484. *Innocentius* VIII. Genuen. el. 24. Aug. Ob. 25. Jul. 1492. 215
1492. *Alexander* VI. Hispanus, el. 11. Aug. Ob. 18. Aug. 1503. 216

Sæculum XVI.

1503. *Pius* III. Senen. el. 23. Sept. Obiit 18. Octob. ejusd. Anni 26. die Pont. 217
1503. *Julius* II. Savonen. el. 1. Nov. Ob. 21. Febr. 1513. 218
An. 1512. incepit Concilium Oecumenicum XVII. Lateranense V. quod Anno tantum 1517. absolvit Successor, nempe.
1513. *Leo* X. Florent. el. 15. Mart. Ob. 1. Dec. 1521. 219
1522. *Adrianus* VI. Belga, el 9. Jan. Ob. 24. Sept. 1523. 220
1523. *Clemens* VII. Florentin. el. 19. Nov. Ob. 25. Sept. 1534. 221
1534. *Paulus* III. Roman. el. 3. Octobr. Ob. 10. Nov. 1549. 222
1550. *Julius* III. Aretin. el. 8. Febr. Ob. 23. Mart. 1555. 223
1555. *Marcellus* II. Politianus, el. 9. April. Ob. die 22. Pontificatus sui, nempe 30. Apr. ejusd. Anni. 224
1555. *Paulus* IV. Neapol. el. 23. Maii Ob. 18. Aug. 1559. 225
1559. *Pius* IV. Mediolan. el. 26. Decemb. Ob. 9. Decemb. 1565. 226
Concilium Oecumenicum XVIII. convocatum jam ab An. usque 1542. a Paulo III. Mantuæ, dein Vicentiæ, ac inceptum Tridenti An. 1545. Bononiam An. 1547. translatum, tandem Tridenti revocatum, finem habuit An. 1563. sub *Pio* IV.
1566. *Pius* V. Alexandr. el. 7. Jan. Ob. 1. Maii 1572. 227
1572. *Gregorius* XIII. Bononien. el. 13. Maii Ob. 10. Apr. 1585. 228
1585. *Sixtus* V. e Montealto, el. 24. Apr. Ob. 27. Aug. 5590. 229

230 1590. *Urbanus* VII. Roman. el. 15. Sept. Ob. 14. sui Pontificatus die,

231 1590. *Gregorius* XIV. Mediolan. el. 5. Dec. Ob. 15. Octob. 1591.

232 1591. *Innocentius* IX. Bononien. el. 30. Octobr. Obiit 31. Decembris ejusdem Anni, Pontific. m. 2.

233 1592. *Clemens* VIII. Florent. el. 30. Jan. Ob. 5. Mart. 1605.

Sæculum XVII.

234 1605. *Leo* XI. Florent. el. 1. Apr. Obiit 26. Pontificatus die, nempe 27. ejusdem m. & Anni.

235 1605. *Paulus* V. Senen. el. 16. Maii. Ob. 28. Jan. 1621.

236 1621. *Gregorius* XV. Bonon. el. 9. Februar. Ob. 8. Jul. 1623.

237 1623. *Urbanus* VIII. Florent. el. 6. August. Ob. 29. Jul. 1644.

238 1644. *Innocentius* X. Roman. el. 14. Sept. Ob. 7. Jan. 1655.

239 1655. *Alexander* VII. Senen. el. 7. April. Ob. 22. Maii 1667.

240 1667. *Clemens* IX. Pistorien. el. 20. Jun. Ob. 9. Dec. 1669.

241 1670. *Clemens* X. Roman. el. 29. Apr. Ob. 22. Jul. 1676.

242 1676. *Innocentius* XI. Novocomen. el. 21. Sept. Ob. 12. Aug. 1689.

243 1689. *Alexander* VIII. Venetus, el. 6. Oct. Ob. 1. Febr. 1691.

244 1691. *Innocentius* XII. Neap. el. 12. Jul. Ob. 27. Sept. 1700.

Sæculum XVIII.

245 1700. *Clemens* XI. Urbinas, el. 23. Nov. Ob. 19. Mart. 1721.

246 1721. *Innocentius* XIII. Roman. el. 8. Maii Ob. 7. Mart. 1724.

247 *Benedictus* XIII. Rom. el. 29. Maii Ob. 21. Febr. 1730.

248 1730. *Clemens* XII. Florent. el. 12. Jul. Ob. 6. Febr. 1740.

249 1740. *Benedictus* XIV. Bononien. el. 17. Aug. Ob. 3. Maii 1758.

250 1758. *Clemens* XIII. Venetus, el. 6. Jul. Ob. 2. Febr. 1769.

251 1769. *Clemens* XIV. Arimin. el. 19. Maii. Ob. 22. Septemb. 1774.

252 1775. *Pius* VI. Cæsenas el. 15. Febr, quem Ecclesiæ diu sospitem servet Deus.

ROMANUS PONTIFEX.

Articulus ex aliena manu.

Romanus Pontifex Petro in Ecclesiæ regimine 1
succedit. Qui enim mortuo Petro, ejus loco electus est, atque in illius Sede positus ad regendam Christi Ecclesiam, Petro succedit in Ecclesiæ Regimine. Romani vero Pontifices ii sunt qui martyrio sub Nerone coronato Sancto Petro, electi ac positi fuere in ejusdem Petri sede ad pascendas Christi oves. Scio, Calvinum, Franciscum Turretinum, ac nonnullos alios Calvinianos, & Lutheranos, eo impudentiæ devenisse, ut negaverint fuisse Petrum Romæ, ac sub Nerone ibidem passum. At quis non videat, id hæreticorum cerebro fuisse confictum, ut miserrimo hoc effugio, invictissima illa argumenta declinarent, quæ Romani Pontificis in Ecclesia Christi Primatum demonstrant? Cum enim Romana Petri sedes, martyrium, quod ibidem Petrum subiisse asserimus, & quæ hinc sequuntur, res facti sint; sola constanti atque perpetua Populi Romani traditione publicis monumentis antiquissimis comprobata, extra omnem controversiam ponitur. Nam Romani semper asseruere, fuisse Petrum eorumdem Pastorem, ac Nerone imperante in carceribus primum inclusum, cruci deinde affixum fuisse; & demonstravere semper, ac etiam nunc ostendunt locum carceris, supplicii locum, sepulcrum, sacras eidem Petro in Dei honorem dicatas ædes, sacrique Corporis reliquias, ac alia monumenta. Accedunt etiam Catalogi omnes Romanorum Pontificum a primis quoque sæculis descripti; omnes enim a Petro initium sumunt. Cum hujusmodi Catalogis consentiunt series Romanorum Pontificum, quas exhibuere Tertullianus *lib. de Præscriptionibus Hæret. cap.* 33. Cyprianus *Epist.* 55. ad Cornelium Romanum Pontificem, & S. Hieronymus *Epist.* 57. quæ est ad Damasum, atque Augustinus *Ep.* 263. Omnes quoque antiqui Ecclesiasticæ historiæ Scriptores idem testantur. Videatur Hegesippus *lib. de Excidio Urbis Hierosolymitanæ cap.* 1. & Eusebius *lib* 2. *Hist. Eccles. cap.* 24. ubi refert etiam testimonia Dionysii Episcopi Corinthiorum, & Caji, qui circa initium tertii sæculi contra Montanistas scripsit. Quibus si addantur aliorum Patrum testimonia, ac universi orbis Christiani fides, quæ semper Romanam Petri Cathedram venerata est, facile patet, Calvinum ejusque Sectatores nonnisi per summam impudentiam dubitasse de Romana Sancti Petri Cathedra (1).

II. Itaque Romanus Pontifex sedem tenet a Petro per mortem relictam, ac Petro succedit in Ecclesiæ regimine: idcirco enim electus post Petri mor-

(1) Vide Zaccariæ *de Sancti Petri Primatu, Romanaque Ecclesia ab eo condita, atque Episcopi jure administrata* dissertationem, Romæ 1776.

mortem successor fuit, ut loco Petri oves Christi pasceret, Ecclesiamque gubernaret. Habet ergo concessam Petro a Christo Domino, pro regenda Ecclesia, potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem. Ecclesia enim Christi perpetuo duratura est, secundum factas a Deo promissiones, ac manserunt post Petri mortem, & supersunt adhuc oves Christi. Collata ergo a Christo Petro potestas pascendi oves Christi, regendique Ecclesiam, in Petri persona etiam ipsius Successoribus concessa fuit: Ergo sicut Petro, ita & ejus Successoribus a Christo Domino tributa potestas, & auctoritas fuit. Id adeo perspicuum est, ut Ecclesiæ naturam consideranti facile pateat. Si enim semper futuræ sunt Christi oves, futuri semper sunt in Ecclesia Pastores, in quibus potestas insit, primis a Christo institutis Pastoribus communicata, cum hæc non minus illis, ac istis necessaria sit: Is ergo, qui Petro in regenda Ecclesia successit, collatam a Christo Petro potestatem habuit. Quod quidem ex eo quoque luculenter patet, quia hujusmodi auctoritatem, & potestatem semper Ecclesia universa in Petri Successoribus venerata est, ac semper exercuere Romani Pontifices veluti a Christo ipsis collatam. Etenim Sancti Ecclesiæ Patres Sedem Romanam Petri Cathedram vocarunt. Ita S. Cyprianus *Epist.* 52. & 55. Ita Optatus Milevitanus *lib.* 2. contra Parmenianum; ita Hieron. *Epist.* quæ est ad Damasum; ita denique S. Petrus Chrysologus *Epist.* ad Euthichetem relata in prima parte Conc. Chalcedon. *n.* 13. ubi hortatur hæreticum hominem, ut Romano Pontifici pareat per hæc verba: *Quia D. Petrus in ejus sede & vivit, & præsidet, & præstat quærentibus fidei veritatem*. Hinc Philippus Diaconus Romani Pontificis in Ephesina Synodo Legatus, actione 2. dixit: *Nulli dubium est, quod S. Petrus a Domino Claves regni acceperit, qui ad hoc usque tempus, semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet*; Et PP. Conc. Chalcedonen. lecta S. Leonis Romani Pontificis Epistola unanimi consensu exclamarant: *Petrus per Leonem locutus est*. Vide ex his, Lector, quæ fuerit Orientalium fides ann. 431. dum coacta Ephesina Synodus fuit, & an. 451. dum celebrata fuit Synodus Chalcedonensis, de Romano Pontifice sententia? Dubitari ne potest, quin Episcopi illi, qui vivere in Romano Pontifice Petrum, ac Petrum per istum loqui, asseruerunt, jura Petri in Romano Pontifice agnoverint? Qua vero persuasione ducti ea palam prædicarunt, quæ antea diximus, nisi ex fide quam quilibet Orientalis Episcopus a suis majoribus accepisset, & qua certissime crederent, Romanum Pontificem Petri prærogativas, auctoritatem, jurisdictionemque ex Christi institutione recipere? Vide ergo num stare possit illa Novatorum hypothesis, quæ asserit, collatam utique Petro fuisse a Christo potestatem; sed hanc in Petri sucessores neutiquam transmitti? qua ratione hæc poterit cum antiquorum Patrum fide conciliari? Ecquis credat, voluisse Christum necessariam ad Ecclesiam regendam potestatem soli Petro, non vero ejus successoribus tribuere? Numquid post Petrum sine Rectore esse voluit Fideles suos, sine Pastore oves.

III. Sed finge potestatem finire in Petro debuisse. Quis credat, Christianos, ac Episcopos totius orbis passos fuisse Romanos Episcopos exercere in se auctoritatem, potestatem, & jurisdictionem illam, nemine penitus reluctante? Neque enim verisimile est, Episcopos, Christianos Principes, ac fideles omnes, iis tantum exceptis, qui & communione Ecclesiæ dejecti essent, & quos vel ipsi Novatores pro hæreticis habent, passos fuisse Romanos Pontifices in universam Ecclesiam potestatem, & jurisdictionem exercere, nisi divina ab Apostolis derivata traditione instructi agnovissent Romanum Pontificem Successorem esse Petri in Primatu ac regimine totius Ecclesiæ? At res explorata est a primis sæculis Romanos Antistites exercuisse in universam Ecclesiam jurisdictionem. Calvinus ipse id fassus est *lib.* 4. *Instit. cap.* 7. dum scripsit: *Nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Ecclesias appetierit*. Sed age, paucis indicemus antiquiores hujusmodi jurisdictionis actus. Victor Romanus Pontifex circa finem secundi sæculi, cum accepisset, Polycratem Ephesinorum Episcopum, cum nonnullis aliis Asiæ minoris Episcopis, detrectasse decreto ab se promulgato obtemperare de celebrando Paschate non die Lunæ XIV. sed Dominico die Lunam 14. Martii subsequente, minis excommunicationis in eos usus est; Eusebius *lib.* 5. *Hist. Eccles. c.* 14. Epistolam refert ab Irenæo Victori scriptam, in qua rogabatur Pontifex, ne tot Ecclesias a Christi corpore separaret. Id vero probat de potestate Romani Pontificis dubitatum non fuisse. Tertio sæculo Stephanus Romanus Pontifex minis Excommunicationis studuit Cyprianum, & Firmilianum obligare ad opinionem deserendam Romanæ Ecclesiæ traditionibus contrariam, de iis rebaptizandis, qui baptizati ab Hæreticis essent. Quarto sæculo celebris est historia Julii Romani Pontificis, qui in causa S. Athanasii, Pauli Constantinopolitani, Marcelli Ancyrani, & Asclepæ Gazensis Episcopi, quos Orientales deposuerant, Apostolica sua auctoritate eosdem propriis sedibus restituit. Rem narrat Sozomenus *lib.* 3. *Hist. Eccles. c.* 8. qui Julium Romanum Pontificem id fecisse asserit: *Quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat*. Idem ait Socrates *lib.* 2. *c.* 15. Constat præterea, Liberium causam agnovisse Eustathii Sebasteni in Armenia Episcopi; Cœlestinum Nestorii Episcopi Constantinopolitani; atque Innocentium I. exercuisse jurisdictionem in Ecclesias Africæ, Hispaniæ, Illyrici, & Galliæ, ut liquet ex ipsius Epistolis. Mitto sequentium sæculorum exempla, quæ satis obvia & frequentiora sunt.

IV. Atque hæc indicasse sufficiat, ut tria inde colligamus. I. Certum esse, Romanum Pontificem Successorem esse Sancti Petri, ac divino jure, lege scilicet a Christo stabilita, auctoritatem, ac potestatem habere, Petro collatam. II. Non ab Urbis dignitate, ut Photius, Schismaticique illius sectatores somniarunt, sed a Persona Petri, cui succedit, Romanum Pontificem habere in Ecclesia principatum; Non enim quia in Regia Urbe sedit, sed quia in Petri Cathedra locum tenet Petri, colla-

collatam huic potestatem obtinet; ut antiqui Patres supra citati loquuntur. III. Jure meritoque ab Innocentio XI. damnatam fuisse propositionem, quæ Petrum, & Paulum duos Ecclesiæ Principes asserebat, atque hanc ita explicatam, *Ut ponat omnimodam æqualitatem inter SS. Petrum & Paulum sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam esse*, ut decreto suo Pontifex ille declaraverat: Nam contraria est perpetuæ, & constanti Ecclesiæ traditioni, quæ unum Petrum Ecclesiæ caput agnovit, atque etiam Sacræ Scripturæ in locis mox afferendis.

V. Ostendimus, Romanos Pontifices Petro succedere, atque ut ipsius successores in Ecclesiam universam potestatem, ac jurisdictionem semper exercuisse: videndum superest, quæ collata Petro fuerit potestas in ipsius successores transmittenda. Visibile caput totius Ecclesiæ constitutum fuisse a Christo contendimus, cui jus esset supremum in fideles, & Episcopos omnes, definiendi fidei controversias, ferendi leges, ac alia disponendi, quæ ad monarchicum Ecclesiæ regimen necessaria forent. Id probamus primum, quia conveniens fuit, ut in Ecclesia fundata a filio Dei homine facto, qui per visibiles notas, & characteres Doctrinæ Divinitatem, missionem suam, ac reliqua demonstravit necessaria ad fundandam Ecclesiam, visibile caput semper esset, quod nomine Christi, ac veluti ab ipso missum, revelatam religionem custodiret, præcepta daret, quæ facilia redderent religionis officia, omnes regeret, ac lites circa religionem ortas suprema sua auctoritate finiret; nam sine hujusmodi supremo Principe non eadem Dei providentia haberetur in conservatione Christianæ Ecclesiæ, quæ fuit in ipsius fundatione, nec adesset in Christi Ecclesia medium, quo certo finiri lites religionis possent, quæ mutuam inter homines pacem & caritatem lædunt atque disrumpunt. Deinde ita Christum constituisse Ecclesiam Sacra Scriptura aperte demonstrat. Matthæi 16. Christus Dominus futuram Ecclesiam suam prænunciavit, atque occasione illius factæ per Petrum confessionis, Tu *es Christus Filius Dei vivi*, qua basis, & fundamentum Christianæ Doctinæ continetur, per hæc verba eam designavit: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*. Beatum ergo Petrum nominat, quod speciali favore, & gratia divinæ istius revelationis præcipuus Præco, & depositarius constitutus esset, & statim subnectit: *Et ego dico tibi, quia tu es Cephas*, hoc est petra, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Quis non videt, Christum de Petro locutum esse, dum dixit, *& ego dico tibi, quia tu es Cephas*, sive lapis seu petra, ut Syriaca usurpata a Christo vox sonat, & *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Is etenim obvius legenti sensus apparet, & aliunde Patres omnes Petrum dictum fuisse Petram, in qua fundanda Christi Ecclesia esset, unanimi consensu affirmarunt. Ita Tertull. *lib. de Præscript. cap.* 21. *& lib. de Pudicit.* Ita Origenes *hom.* 5. *in Exodum*; S. Cyprianus *Epist. ad Jubajanum, & lib. de unitate Ecclesiæ*, Firmilianus *Epist. ad Cyprianum*. S. Epiphan. in Ancorato, Gregor. Nazian. *orat. de moderatione in disputationibus servanda*, Basilius *hom. de pœnit. & l.* 2. adversus Eunomium, Ambrosius *serm.* 47. *de Fide Petri*, Hilarius *c.* 16. *in Matth.* & alibi, & Hieronym. *Epist.* 57. *ad Damasum, & Epist. ad Marcellam*. Qui vero *Petræ* nomine, vel Christum intelligunt, ut Augustinus; vel fideles omnes, ut Origines *Tract.* 1. *in Matth.* vel factam a Petro confessionem, ut Hilarius, & Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, aliique, Petri personam non excludunt, ut videre est apud Originem loco supra a nobis citato, apud Hilarium, apud Chrysost. *hom. in Psal.* 50. & apud Cyrill. Alex. *lib.* 2. *in Joan. c.* 12. atque apud Augustinum *lib.* 1. *Retract. c.* 21. ubi ex professo *Petram* de Christo, & de Sancto Petro interpretatur. Huic autem multiplici interpretationi occasionem dedit multiplex, quod distingui potest, Ecclesiæ fundamentum; aliud est enim primarium, cujusmodi est Christus, aliud secundarium, & ministeriale ut fuit S. Petrus; aliud veluti materiale, ut sunt ipsi Fideles; & tandem aliud quasi formale, atque istud est ipsa fides. Atque hinc factum est, ut Patres, pro controversia, quam tractabant, & re, de qua agebant, modo per Petram, quæ est Ecclesiæ fundamentum, Christum, modo Petrum, modo Fideles, modo Petri fidem intellexerunt. Vix vero invenies unum S. Patrem, qui Petrum Ministeriale, ac Visibile fundamentum sive caput Ecclesiæ fuisse neget. Qui autem Petri fidem per supradictam confessionem explicatam, Ecclesiæ fundamentum vocavere, locuti sunt de formali & meritoria causa primatus Ecclesiæ, ut Theologi exponunt.

VI. Quæ cum ita se habeant, ex obvio, quem præferunt, sensu Matthæi verba, atque ex perpetua, & constanti eorumdem facta per antiquos Ecclesiæ Patres interpretatione, clare conficitur, I. Petro omnium primo revelatum a Deo fuisse, Christum esse æternum Dei filium, qui in mundum pro nostra salute venit. II. Hanc ob causam Beatum fuisse a Christo Domino appellatum, ac simul mutatum illi nomen fuisse, veluti ad innuendum destinari ad nobile ac præstantissimum quoddam munus debuisse; nunquam enim Deus mutare consuevit nomen, quin eum cui nomen mutavit, insigni aliquo beneficio non donaverit. III. Vocatum Petrum fuisse firmam illam Petram, quæ ita sustentatura esset Ecclesiam, supra ipsam fundandam, ut hæc deficere numquam posset; hoc enim innuunt verba illa; *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. IV. denique promissas fuisse Petro claves regni Cœlorum, ac ligandi, solvendique potestatem. Nemo vero est, qui ignoret secundum phrasim scripturarum, potestatem clavium summam, & supremam potestatem designare: sequentia vero verba, *quodcumque ligaveris super terram &c.* clarius exponunt hanc eidem promissam fuisse potestatem. Quid enim ligandi solvendique potestas est, nisi summa potestas leges ferendi, quibus

bus ligantur homines, & dispensandi, qua ratione solvi homines, jam per leges obligati, dicuntur. Vides ergo ex hoc capite erui, promisisse Christum Petro se fundaturum Ecclesiam, quam recturus ipse esset, ac daturum ipsi fuisse claves regni Cœlorum, Ecclesiæ scilicet Cœlestis & e Cœlo descendentis, atque ad Cœlum homines dirigentis, & summam potestatem imperandi, ac præcipiendi super universam terram. Qua quidem in promissione, quis non videt delineatum Primatum illum, ac illam jurisdictionem, quam cum Petrus, tum ipsius successores in Fideles exercuere universæ terræ.

VII. Sed expendamus alias Christi de Petro sententias; *Luc. 22.v. 31.* Christus Dominus postquam dixit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel;* ad Petrum conversus deinde subdit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Omnes ibi alloquitur Apostolos, & ad solum Petrum conversus, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos, hoc est alios Ecclesiæ Pastores. Cur Petro confirmandi etiam fratres in fide cura commissa a Christo fuit, nisi quia universæ Ecclesiæ Pastor ac Rector vice ipsius Christi designatus fuerat? Luculentiora vero sunt Christi verba, quæ apud Joannem cap. ultimo leguntur. In quibus collata Petro in universam Ecclesiam potestas confirmatur, & declaratur. In tertia, qua sese manifestavit Christus omnibus Apostolis, apparitione; *dicit Jesus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei; etiam Domine, tu scis quia amo te: Dicit ei; pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Joannis, diligis me? Ait ille, etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio. Amas me? Et dicit ei; Domine tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas.* Liquet ergo, Christum ovium, agnorumque suorum curam Petro commisisse; omnium ergo Pastorem ipsum constituit; Nam agnorum nomine fideles omnes veniunt, quibus nec gignendi filios in Ecclesias jus est, nec munus instruendi, alendi scilicet Christi Doctrina fideles subditos, nomine vero ovium veniunt Episcopi, Prælatique omnes, qui baptizando gignunt Ecclesiæ filios, ordinando inferiores ministros constituunt, ac docendo filios cœlesti Doctrinæ nutriunt. Id sane allegoria innuit, atque hoc sensu exposita legitur ab antiquis Ecclesiæ Patribus. Si Pastorem Christus constituit Petrum universæ Ecclesiæ, necesse est, ut summam eidem potestatem indiderit. Hæc enim regendæ fidelium societati necessaria est, ac necessaria itidem est assistentia, ne in instruendis fidelibus erret, alioquin missus a Deo esset sine necessaria auctoritate Pastor Ecclesiæ, & fideles audire veluti Dei ministrum deberent illum, a quo induci in errorem possent. Quæ sane res dedeceret omnino Divinam providentiam. Accedit etiam quod in Scripturis pascere idem ac regere significat, ut patet ex *Psal. 79. v. 10. ex Psal. 77. v. 70. Jeremiæ 3. v. 15. & 2. Reg. c. 5. v. 2.* Petro ergo munus gubernandi ac regendi universam Ecclesiam inditum fuit; quotquot enim fideles sunt, Apostoli, Evangelistæ, Doctores, Principes, Reges, Oves, vel Agni Christi sunt, ut est manifestum, collata ergo ipsi suprema in omnes potestas. Ajunt vero pascendi Christi oves curam omnibus Apostolis commissam fuisse, omnibus enim dictum a Christo fuit; *Prædicate Evangelium omni creaturæ &c. & accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non nego hæc dicta fuisse omnibus Apostolis, ac hos habuisse jure apostolatus amplissimam potestatem; sed Petrum fuisse Ecclesiæ caput, ac Supremum Rectorem, contendo. Cur enim singulariter uni Petro cura Ovium, Agnorumque committitur? Cur sub pastoris allegoria eidem pascendi omnes, regendique universam Ecclesiam munus inditum fuit? Cur uni Petro Christus promisit, clavium, ligandi solvendique potestatem, nisi ad indicandum regendam ab ipso ejusque successoribus fuisse universam Ecclesiam? Qua denique ratione se fundaturum dixit supra Petrum Ecclesiam; nisi quod hic caput ipsius visibile, ac visibilis rector futurus erat? Adsunt quoque aliæ Petri prærogativæ in Scripturis indicatæ, quæ ipsius Primatum demonstrant, quas designant, & explicant Theologi fere omnes.

VIII. His addi quoque possunt, cum ea, quæ de Romani Pontificis Petri successoris jurisdictione diximus circa initium articuli ex Patribus, & Conciliis, tum etiam, quod alia afferri non possit causa, cur Petrus Sedem Antiochenam primum per seipsum fundaverit, ac relicto deinceps ibidem alio Episcopo, sedem suam Romam transtulerit, & Alexandrinam fundaverit per Marcum, & cur Alexandrina, & Antiochena Ecclesiæ semper vastissimam jurisdictionem habuerint, nisi quod Petrus fuerit a Christo Supremus Ecclesiæ suæ Pastor constitutus. Non alia enim afferri posse causa videtur, nisi quia ex tribus illis conspicuis Urbibus facile esset per universam Ecclesiam jurisdictionem exercere, nec aliunde repeti antiqua prærogativa potest Antiochenæ, & Alexandrinæ Ecclesiæ, nisi quod ab Apostolorum Principe ac Supremo Ecclesiæ Pastore fundatæ fuerint. Quid ad hæc omnia Calvini, Lutherique Sectatores? Nunquid invisibilem Christi Ecclesiam prædicabunt, ac a solo invisibili capite Christo Jesu regulatam? At si Deus, ut humano generi consuleret, misit Filium suum hominem factum, qui visibilibus characteribus Christianam religionem hominibus ostenderet; Si Christus Dominus, sicut missus ipse a Patre fuit, ita Apostolos misit, qui per visibiles, & omnino conspicuas notas missionem suam, ac religionem quam prædicarent, demonstrarunt; Si Petrus ac Apostoli reliqui per manuum impositionem ac sensibiles alios ritus potestatem a Christo concessam dedere hominibus, qui succedere ipsis in Ecclesiæ regimine debuissent: Si semper ac ubique locorum visibilis illa in Ecclesia forma fuit, per quam Episcopi auctoritate a Christo derivata, concreditum sibi gregem gubernarent, & secundum quem omnes Petri suc-

successori uniti, ac subjecti essent veluti Christi Vicario; Quis est, qui non videat, visibilem Ecclesiam Christi esse, ac ea regiminis forma donatam, ut inferiores ministros Episcopis subjectos habeat, ac Episcôpos omnes uni Petri successori subditos? Ita enim eam Christus expressit dum illam domui, in qua residet Pater familias, Ovili, in quo unus supremus est Pastor, Navi, in qua unus inest Gubernator, ac aliis rebus comparavit, quæ unum habere Ecclesiam supremum visibilem Rectorem repræsentarent, cui omnes adhibere fidem, ac parere teneantur. Videantur etiam ea; quæ in Art. de Ecclesia disputavimus.

IX. A Calvinianis, & Lutheranis gradum facimus ad Photianos, & Edmundum Richerium facultatis Parisiensis Doctorem & Syndicum: illi enim asserere visi sunt Romanum Pontificem favore Imperatorum, & quod in Regia Urbe sedem habuisset, acquisivisse Primatum; Richerius vero in libello de Ecclesiastica & politica potestate an. 1611. in lucem edito, contendit, claves, seu jurisdictionis potestatem uni & soli Ecclesiæ, cœtui scilicet credentium immediate a Christo datam fuisse, Petro vero, & Apostolis, ac eorum successoribus Episcopis *mediate*, hoc est per Ecclesiam, concessam esse, opinatur: Hinc enim Romanum Pontificem, ac Episcopos omnes ita Ecclesiæ ministros statuit, ut potestas, & jurisdictio pœnes Ecclesiam sit, ministerium vero, seu Jurisdictionis exercitium pœnes illos, qui sunt veluti instrumenta, per quæ suam Ecclesia potestatem exercet. Damnatum illico fuit Richerianum Systema in Gallia, & ab Apostolica Sede, atque auctor palinodiam cecinit. Quæ supra sunt a nobis exposita, aperte Photianos, & Richerium confutant: Nam Romanus Pontifex Primatum exercuit in Ecclesia etiam ante quam Imperatores Romanos Pontifices favoribus prosequerentur, ab ipso quoque persecutionis tempore, ut de Victore, Stephano, aliisque primorum etiam Sæculorum Pontificibus liquet, atque hujusmodi Primatum tribuere Patres, & Concilia Romano Pontifici, ac vindicavere semper sibi Petri successores, ut supra probavimus; non quia in Urbe regia essent, sed quod Petri Sedem occuparent, & Jus in se a Petro Christo collatum suscepissent. Nec video, qua fronte potuerit Richerius asserere, non Petro immediate, sed Ecclesiæ, ac per Ecclesiam Petro collatam potestatem, & jurisdictionem fuisse. Nam Christus Dominus Petro dixit: *Tibi dabo claves, &c. Quodcumque ligaveris &c. Pasce oves, Pasce agnos meos &c.* Et Ecclesia semper professa est, divino a Christo constituto jure Petri potestatem in ipsius successores descendere, ac Deum esse, qui designato per electionem Petri successore, eidem promissam per Christum potestatem confert. Id sane innuunt Patrum & Conciliorum, quæ quinto Ecclesiæ sæculo fuere celebrata, verba supra a nobis relata. Hinc Concilium Florentinum antiqua Concilia universæ Ecclesiæ secutum, ita rem definivit: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum caput & Doctorem existere, & ipsi in B. B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

V. Hactenus contra Hæreticos, ac damnatas ab Ecclesia sententias disputavimus. Agendum nunc est cum Gallis Theologis, quorum opinio nullo Ecclesiæ judicio damnata est, ac salva fidei unitate defenditur. Clerus Gallicanus in conventu Parisiis habito an. 1681. *Romanus Pontifex*, inquit, *caput est Ecclesiæ, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis, & jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona S. Petri collatum: qui ab hac unitate dissentiret Schismaticus, immo & hæreticus esset*. Et in declaratione facta an. 1682. ita idem Clerus loquitur: *In fidei quæstionibus præcipuæ Romani Pontificis partes sunt, ejusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinent*. At in hac Declaratione, quatuor posuere propositiones, quæ certis limitibus Pontificiam auctoritatem circumscribunt; Ajunt enim 1. Non esse Romanum Pontificem supra Generale Concilium: 2. Decreta ipsius ad fidem pertinentia infallibilia non esse, dum nullus accedat Ecclesiæ consensus: 3. Auctoritatem, & Jurisdictionem ipsius obligare omnes omnino, dum Canonicas leges servari jubeat, sed novas leges condendo, non adstringere omnes, nisi Ecclesiæ consensus accedat: 4. Neque directam, neque indirectam potestatem habere in bona temporalia ac temporales Principum Subditos. Hujusmodi propositiones damnatæ ab Ecclesia non sunt, immo veluti fideles Romanæ Ecclesiæ filii illarum Assertores habentur, qui sese paratos exhibent ad obtemperandum Romano Pontifici, atque veluti supremum a Christo Rectorem constitutum eum venerantur. Alphonsus vero Turretinus pyrrhonismi insimulat Catholicam Ecclesiam ob hujusmodi Gallos inter aliosque Theologos dissidium, circa subjectum infallibilitatis Ecclesiæ. At ubinam pyrronismus est? Utrique conveniunt, hanc prærogativam Ecclesiæ concessam esse; Galli fatentur decreta Romani Pontificis ad fidem pertinentia, ad universam Ecclesiam pertinere, maximam venerationem mereri, ac revocari in dubium non posse sine temeritate, tum ob maximam, quam sibi vindicat Apostolica Sedes auctoritatem, tum etiam quia cum nunquam hæc erraverit, veluti peculiari assistentia prædita, nobis exhibetur: constat denique, indubiam fidem facere definitionem Romani Pontificis dum aliquis Ecclesiæ consensus accedat ex Gallorum confessione. Constat ergo de infallibili Ecclesiæ judice. Nec disputatio illa de Concilio Pontifici superiore, hanc dubitationem ingerit, cum Galli quoque consentiant, convocandi Concilia generalia, ac in iis præsidendi jus esse penes Romanum Pontificem, qui visibilis Ecclesiæ caput ac supremus Rector, & Doctor est. Sed de his satis.

XI. Venio nunc ad expendendas quatuor supra in-

indicatas propositiones. (1) Principio vero advertendum est, opinionem, quæ Romanum Pontificem Concilio inferiorem asserit, ortam esse tempore diuturni Schismatis, quod circa finem quartidecimi sæculi in Ecclesia Romana fuit, quo quidem tempore, cum plures, iique dubii Romani Pontifices essent, affirmare Theologi cœperunt subjectos illos fuisse generali Concilio, cujus unice judicio Schisma illud auferri posse censebant; ubi vero certo constet de Petri successore, numquam ab antiquis Theologis, Patribus, atque Conciliis assertum legimus, hunc Concilio subjectum esse immo constat præfuisse semper saltem per suos legatos Conciliis, atque in Conciliis Ephesino, & Chalcedonensi veluti Christi Vicarium agnitum fuisse ab universa Ecclesia ibidem congregata jure divino superiorem. Nec diverso modo sentire Patres potuere, dum antiquorum fidem ac traditam a Christo Petro potestatem profiterentur. Petro enim jus in omnes Christi oves, atque in Fideles omnes concessum fuit, ut nos supra ostendimus: ergo in omnes Episcopos. Scriptura vero, atque antiqui Patres nunquam distinguunt inter separatos, & congregatos Pastores, ergo jus illud, quod in omnes extenditur separatim existentes Episcopos, viget etiam dum isti sint in Concilio congregati: ergo ut Episcopi singuli subditi sunt Romano Ponfici, ita eorum concilium. Vide hac de re celebre Eminentissimi Cardinalis Orsi de Romano Pontifice opus, Tomum V. Orig. Ecclesiast. P. Mamachi, & alios Auctores (2). Deinde jus pascendi, & clavium potestas Petro tradita conjunctam habet auctoritatem condendi leges, quæ fideles obligent, ex hoc enim jure deducimus potestatem in Ecclesia reperiri ferendi leges, ut nos in aliis articulis ostendimus, & nullibi legitur in Scripturis, leges per Romanum Pontificem latas vim obligandi ab aliorum consensu accipere; omnes enim ad Romanum Pontificem comparati, Christi oves dicuntur, ac subditi ipsius revera sunt; quis vero dicat ex subditi confessione pendere vim præcepti a Superiore lati? Vel ab ovium acceptatione vim pendere Pastoris imperii? At inquiunt, etiam aliis Apostolorum Successoribus jus pascendi concessum fuisse. Assentior. At hoc non obstante jure, subditi constituti sunt Christi Vicario, & ad hunc comparati ovium nomine a Christo designantur: ergo sicut Episcopi ferentes leges in sua Diœcesi, non pendent a consensu inferiorum ministrorum, & plebis, ut subditos obligent, ita Romani Pontificis leges expectare non debent Episcoporum consensum, ut obligandi vim in universa Ecclesia habeant. Disputandum quoque esset de indirecta in subditos Principum potestate, de qua plura scripsit ex Ordine meo, Joan. Anton. Bianchi in opere contra *Petrum Giannoni*, sed hanc controversiæ partem omittimus, cum ad rem hanc sufficere videantur, quæ in Articulo de Papa ab Auctore exposita sunt. Nec sane video, qua ratione Theologi Christianos Principes ab hac liberare potestate possint. Si enim sunt ipsi Christi oves, ac oves Christi itidem eorumdem subditi, utrique ergo obedire tenentur Romano Pontifici, dum se ut Christi Vicarium gerat; ergo Pontifex ea poterit adhibere media, quæ ad contumaciam vincendam, & ad Ecclesiæ perduelles puniendos, Ecclesiæ concessa sunt. Per hæc vero indirectam illam auctoritatem exercere quandoque poterit, de qua disceptatur.

XII. Expendamus modo quæstionem de infallibilitate. In hac sane Galli Theologi majores suos deserunt, nec sibi consentanei videntur. Duas tantum afferam solemnes Gallorum declarationes, quarum prima facta fuit sub Ludovico XI. an. 1461. in qua Senatus Parisiensis ita ore clarissimi DD. Loselier loquitur: *Protestatur Curia vestræ Majestati, se nullo modo propter quæcumque inferius dicenda, excellentiæ, sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati Sancti Patris Papæ, Sanctæque Sedis Apostolicæ derogare; Sed econtra ei honorem, reverentiam, & obedientiam, quam omnes boni fideles Catholici supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur. Protestans insuper, si quid dictum factumque a se fuerit, quod correctione egeat, istud totum velle se omnino Ecclesiæ sanctæ, Apostolicæ, & Romanæ determinationi submittere, quæ errare non potest*, juxta *Canon. Recta* 24. *quæst.* 1. Præterea Universitas Parisiensis coram Clemente VII. perorante Petro de Alliaco, magno Regiæ Navarræ Moderatore, tum Cardinale Eminentissimo, circa prærogativam Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis, mentem ac sententiam declaravit his verbis: *Hæc est fides, Beatissime Pater, quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus perite, ac parum caute forte aliquid positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem & Sedem tenes, Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam fundata est Ecclesia..... De qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet*. Nunc ita: Qui ait, Romanum Pontificem errare non posse, & ad ipsum spectare verba hæc Christi Domini: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, Romanum Pontificem, secluso aliorum Episcoporum consensu, infallibilem decernit in fidei decretis: id vero asseritur in duabus supra expositis declarationibus, quarum altera Senatus Parisiensis, altera Universitatis est. Ex quo colligere possumus, communem fuisse, etiam apud Theologos, & Canonistas Galliæ, sententiam, quæ inerran-

(*1) Quas fusius confutatas invenies ab Emin. Orsio, a Petro Ballerinio, & a Zaccaria in utroque *Antifebronio*.

(2) Peculiarem hanc de suprema Romani Pontificis in ipsa Generalia Concilia potestate propositionem egregie confirmavit doctissimus Joannes Vincentius Bolgeni in egregio libro, quem prænotavit: *Esame della vera idea della Santa Sede*, Maceratæ 1715. pag. 102. seqq.

rantiæ privilegium Romano Pontifici adjudicat, antequam solemni illo pecreto anno 1682. ad quatuor defendendas Cleri Gallicani propositiones adstringerentur: Quæ quidem res a pluribus nostris Theologis demonstrata fuit. Neque aliter, dempto partium studio decerni posse videtur. Nam si Romanus Pontifex constitutus a Christo est caput totius Ecclesiæ, Romano Pontifici concessa fuit potestas clavium, & ligandi, atque solvendi, eidem Ovium Christi cura demandata: Rursus, si omnes fideles subditi sunt Romano Pontifici, cum omnes sint Oves Christi, omnes audire, & fidem habere debent Romano Pontifici, Christi vices in docendo gerenti. At si Deus voluit, ut certam nos fidem haberemus Supremo Pastoris Christi in terris Vicario, necesse est, ut eidem non errandi privilegium concesserit, alioquin incidere nos in errorem possemus, audiendo, ac fidem præstando illi, quem Deus audire, & cui fidem adhibere nos jubet; errare ergo Deo obtemperando possemus, id vero dedecet quam maxime divinam providentiam: ergo ex ipso Pastoris universalis, ac Christi Vicarii munere privilegium non errandi deducitur, quia sine hoc privilegio finem Deus vellet sine mediis ad finem necessariis; quod cum Dei providentia pugnat. Quid vero si id ex iisdem textibus Scripturæ constet, quibus Adversarii infallibilem Ecclesiam demonstrant? Ex verbis illis Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam*, errare, sive a recta fide deficere Ecclesiam non posse, omnes Theologi nostri argumentantur; neque id potest in dubium revocari cum in pluribus Conc. generalibus ex verbis illis infallibile esse judicium Ecclesiæ comprobatum sit. At verba illa concessum a Christo Petro ejusque Successoribus privilegium demonstrant; Petro enim ibi dictum est, ut supra vidimus, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Quinam vero est obvius horum verborum sensus, nisi iste, Te, Petre, Rectore, portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, hoc est, te servante, ac exponente depositum divinæ revelationis, errare, ac deficere Ecclesia mea non poterit. Ecquis enim dicat de Petro Christum locutum esse, dum dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & ad Ecclesiam a Petro sustentatam, sive regulatam, atque directam, non pertinere verba, quæ statim sequuntur, *Et portæ inferi &c.* Itaque si consentanei suis velint esse principiis adversarii nostri, fateantur oportet, Petro, ejusque Successoribus inerrantiæ prærogativam fuisse concessam; Episcoporum vero consensum nil aliud efficere posse, nisi testari in suis quoque Ecclesiis veritatem illam custoditam fuisse, quæ infallibili Romani Pontificis judicio, veluti a Deo revelata proponitur, & credenda inculcatur. Quamobrem cum quæstio movetur de subjecto, in quo privilegium non errandi reperiatur, extra Romanum Pontificem inquirere, ac invenire istud non possumus; cum Scriptura Petro, ejusque Successoribus promissum asserat, eumque Vicario Christi, vel ex ipsa muneris dignitate debeatur. Magni sane fieri debet omnium, vel fere omnium Episcoporum consensus, in veritate aliqua veluti ex Deo revelata asserenda, cum testes ipsi quoque sint sacri divinæ revelationis depositi Ecclesiæ Pastoribus concrediti; sed infallibile judicium, quo fidei dogma constituatur, Romani Pontificis auctoritate ferendum est. At hæc sufficiant de Romano Pontifice. Vide Auctores, qui ex professo scripsere, præsertim viros Cl. P. Orsi nunc Eminentissimum Cardinalem, P. Joannem Antonium Bianchi Minoritam in supracitato opere, atque P. Mamachi *tom. 5. de Orig. Antiq. Eccl.* (1)

RUBRICÆ.

RUbricæ quoad vim nominis, ideo sic dicuntur, quia rubro colore sæpus scribi solent. *Sic Doctores communiter*; indeque prodiit notabile illud quod circumfertur effatum: *Lege rubrum, si vis intelligere nigrum*. Rubricæ sunt quædam Regulæ communes continentes ritus, tum in celebratione Missæ, tum in recitatione Officii, tum in Sacramentorum administratione servandos. *Sic in re Communis*. 1 2

3 Rubricæ aliæ sunt præceptivæ, & aliæ directivæ. *Præceptivæ* sunt, quæ obligant in conscientia, & sub peccato ad servandos ritus in eis præscriptos. *Directivæ* sunt, quæ non imponunt obligationem, sed proponunt, quid sit agendum, & dicendum, vel non, per modum consilii, & instructionis. *Sic in re Doctores communiter*.

4 Sub mortali obligant Rubricæ præceptivæ, quæ continent, seu notant aliquid, quod alias ex Jure, vel ex legitima consuetudine graviter jubetur, vel ipsæ Rubricæ expresse sub mortali præcipiunt. Unde earum transgressio est mortalis, nisi excuset levitas, seu parvitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberatio, ut contingit communiter in aliis præceptis. *Communis*.

5 Hinc omnis notabilis & gravis voluntaria mutatio, additio, & detractio circa Missam, Divinum Officium, & Sacramentorum administrationem, est peccaminosa lethaliter. Colligitur aperte ex duplici Constitutione Sancti Pii V. una incip. *Quo primum*, & in principio Missalis exposita, & alia incip. *Quod a nobis* pro reformatione Breviarii Romani edita, & in ejus principio impressa, in quibus, ut eas legenti patet, omnis notabilis & gravis voluntaria mutatio, additio, & detractio circa Missam, & Divinum Officium

(1) Huc spectant Cl. Laurentii Veith dissertatio *de primatu, & infallibilitate Romani Pontificis*, Augustæ Vindelicorum 1781., celeberrimum opus D. Soardii *de suprema Rom. Pont. auctoritate*, Bolgenii hac de re disquisitio in libro citato p. 128. seqq. & insigne Gallicum opusculum a. jam 1768. vulgatum hoc titulo. *Examen du quatrieme article de la Declaration du Clergé de France Assemblé en 1682.* quod nuper Italice redditum exiit Firmi.

ficium graviter respective prohibetur, ut ex Concilio Tridentino *sess.7. de Sacramentis in genere Canon.13.* ubi id graviter prohibetur sub pœna anathematis circa administrationem Sacramentorum, ibi: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

6 Transgressio Rubricarum præceptivarum ex suo genere mortalis, potest esse venialis ex duplici capite, scilicet ratione parvitatis materiæ, & ratione indeliberationis, seu inadvertentiæ; *Communis.* Et quod ratione *parvitatis materiæ*, stat clarum, quia ubi est parvitas materiæ, modica reperitur offensio, seu violatio præcepti, adeoque non excedit culpam venialem: Ratione *indeliberationis, seu inadvertentiæ*, est etiam evidens, quia culpa mortalis non contrahitur, nisi cum plena deliberatione, seu plena advertentia; adeoque sicuti, si nulla sit deliberatio, nullaque advertentia, nulla contrahitur culpa, ita si non sit plena, sed modica deliberatio seu advertentia, solum modica, & levis culpa contrahitur.

7 Transgressio Rubricarum præceptivarum ex suo genere levis, seu venialis potest transire in mortalem quatuor præcipue modis. Primo scilicet ratione pravi finis adjuncti; Secundo ratione contemptus; Tertio ratione scandali; Et quarto ratione periculi: *Sic Doctores communiter.*

8 Et quidem *ratione pravi finis* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis potest transire in mortalem, si finis transgressionis sit mortalis, ut v. gr. si Sacerdos partes leves Missæ omittat, ut placeat Concubinæ, quæ petiit Missam brevem. Si faciat aliquid contra Rubricas animo, seu fine introducendi novum ritum, & hujusmodi; Actus enim peccaminosus contrahit malitiam, nedum ex objecto, sed etiam ex aliis circumstantiis, & præsertim ex fine, adeoque si finis transgressionis Rubricarum sit mortaliter malus, etiam ipsa transgressio, quamvis ex suo genere levis, seu venialis, evadet gravis, seu mortalis.

9 *Ratione contemptus* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse, & absolute contemnendo potestatem Ecclesiæ, vel Papæ, aut alterius Superioris sic disponentis, quia talis contemptus, cum de se destruat auctoritatem Superiorum, & subjectionem subditorum erga illos, est grave peccatum. *Qui enim resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt*; ut scribit Apostolus *ad Romanos cap.13. n. 2.*

10 *Ratione scandali* transgressio Rubricarum ex suo genere levis, seu venialis evadit gravis, seu mortalis, quoties scandalum grave, seu mortale est, uti est, si Sacerdos, qui Missam celebrat, frequenter se vertat, & curiose mulieres adstantes aspiciat, unde oriatur in aliis occasio peccandi. Vel si in usu Cœremoniarum ita irreverenter, & incomposite se gerat, ut apud populum notabiliter vilescant Sacra Mysteria, & sic de similibus: Quamvis enim aspectus curiosi secundum se, vel irreverentia, & incompositio in Sacris functionibus sit solum culpa venialis, evadit tamen mortalis ratione gravis damni, quod per tale scandalum causatur in aliis.

Ratione periculi transgressio Rubricarum ex suo 11 genere venialis evadit mortalis, quoties grave periculum est incidendi inde in peccatum mortale, uti est, si quis velit celebrare sine Missali cum periculo errandi in re gravi, seu celebrare velit in mari, aut in loco ventis exposito cum periculo subversionis Sacramenti, & hujusmodi. Temere enim se exponens proximo periculo peccandi mortaliter, aperte demonstrat se esse paratum tale mortale peccatum committere, & non curare de æterna sua morte, quæ inde sequitur, juxta illud *Ecclesiastici 3. num. 21. Qui amat periculum, in illo peribit.*

Transgressio Rubricarum mere directivarum, per 12 se loquendo nullum est peccatum. Tambur. *lib.1. cap. 7. §. 2. num. 5.* Gobat *tom. 1. tract. 3. num. 737.* & alii passim; Hoc enim vertit discrimen inter consilium, & præceptum, quia nempe consilium non obligat ad culpam, præceptum vero obligat ad ipsam; adeoque, cum Rubricæ directivæ non contineant præceptum, sed solum consilium, earum transgressio per se loquendo nullum est peccatum.

Dicitur autem notanter per se loquendo, quia 13 in transgressione hujusmodi Rubricarum mere directivarum solet intervenire culpa venialis ratione finis, seu motivi, quod inducit ad earum transgressionem, & communiter solet esse vel negligentia, vel torpor animi, vel nimia propensio ad alias occupationes vanas, & contra rectam rationem; Finis enim rectus, & rationi conformis non retrahit ab observantia Rubricarum, seu Regularum Ecclesiasticarum, sed potius ad ipsam conducit; Unde si sine rationabili causa negligantur, seu non observentur, quamvis sint solum directivæ, peccatur saltem venialiter. *Sic Communior Doctorum.*

Omittere in Rubricis Missam concernentibus 14 quemcumque ritum, vel partem Missæ essentialem, vel accidentalem valde notabilem, est peccatum mortale. *Communis.* Hinc mortaliter peccaret qui omitteret oblationem panis, aut vini, Consecrationem in utraque specie, Elevationem Hostiæ, & Calicis, mixtionem particulæ cum Sanguine, aquæ cum vino, totam Epistolam, totum Evangelium, totam Præfationem, totum Canonem & totam Orationem *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, totam Post-communionem, & hujusmodi. Item peccatum mortale est omittere in eadem Missa, sicuti in eodem Divino Officio, tot modicas partes, seu tot versiculos, ut simul constituant materiam notabilem, quæ materia notabilis erit extra Canonem, si tot verba, aut versiculi omittantur, ut adæquent quantitatem integræ Epistolæ, integri Evangelii, & hujusmodi. Intra Canonem autem secundum aliquos omissio cujuslibet verbi etiam unius solius censetur materia notabilis, & culpa mortalis, ut vult Nugnus *in part. 3. quæst. 83. articul. 1. dub. 2.* & alii, quos tacito nomine citat Suarez *tom. 3. de Sacramentis disputat. 83. section. 3.* Et huic sententiæ dicunt favere quamdam Declarationem Sacræ Rituum Congregationis 12. *Novembris*

bris 1615. qua decretum fuit, Regulares peccare mortaliter, si in Canone Missæ omittant nomen Episcopi, & ejus loco proferant nomen sui Generalis, ut referunt plures Doctores apud Dianam *part. 2. tract. 14. resolut. 24.*

35 Ast dicta Sacræ Congregationis Declaratio intelligitur passim a Doctoribus in casu, quo a Regularibus omittatur nomen Episcopi ex contemptu, & ponatur nomen sui Generalis animo inducendi novum ritum; Unde si aliquis Regularis bona fide proferret nomen sui Generalis, & omitteret nomen Episcopi absque contemptu, & sine prædicto animo inducendi novum ritum, non peccaret nisi venialiter. Sic Tamburin. *opuscul. de Sacrific. lib. 2. cap. 5. §. 3. numer. 7.* Garcias *de Sacerd. tract. 3. difficult. 8. dub. 6. punct. 2.* Quarti *in Rubricas Quæstion. proœmial. sect. 3. punct. 3. vers. Ad declarationem*, Sporer *tom. 3. part. 2. cap. 6. sect. 4. num. 428.* & alii plures, qui insuper dubitant, an revera authentice extet talis Sacræ Congregationis declaratio. (*) In Indice Decretorum ad Tom. 1. Thesauri Sacrorum Rituum Bartholomæi Gavanti cum Additionibus Cajetani Merati num. 149. pag. 1367. „ Non debent Regulares in „ Canone nominare Superiores suos ut Antistites „ S. R. C. 14. Novembris 1615.

„ Hoc Decretum affertur a Gavanto in suo In„ dice; sed in Regest. Sac. Congregationis non „ reperitur, saltem sub ante dictis, die, mense, „ & anno. „ (*).

36 Unde concludendum est cum probabiliori sententia, quod in Canone, si non destruatur sensus vel non minuatur notabiliter significatio, vel ræpresentatio Mysterii, omissio quatuor, vel quinque verborum non excedat culpam venialem; Si autem plura, quam quinque advertenter & deliberate omittantur, erit peccatum mortale. Garcias *loco cit. dub. 6. punct. 3.* Quarti *loco cit. vers. Dico*

37 *quarto*, & alii plures * Si autem destruatur sensus, vel notabiliter minuatur significatio, vel repræsentatio Mysterii, quodlibet voluntarie & deliberate sic omissum verbum in Canone, vel quælibet sic omissa actio erit peccatum grave, quia perinde est, ac omittere integram Orationem, & notabilem actionem, *Certa & Communis*.

Peccatum autem veniale tantum erit in Cano- 18
ne omittere speciale *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, quæ in certis specialibus tantum diebus leguntur, dummodo legantur ordinaria, seu communia. Item veniale tantum erit omittere Præfationem propriam in certis Anni solemnitatibus, dummodo legatur communis, & ordinaria. Item veniale tantum erit omittere partem non notabilem verb. gr. Psalmum *Judica me Deus* in principio Missæ, Collectam, seu Commemorationem aliquam, *Gloria in excelsis*, *Credo*. Sequentias: *Lauda Sion Salvatorem*, *Victimæ Paschali*, *Veni Creator Spiritus*, *Stabat Mater*, *Dies iræ*, & hujusmodi. Item veniale tantum erit omittere aliquam Prophetiam, seu Epistolam in Feriis quatuor Temporum, quando plures legendæ occurrunt, cum sint partes Missæ valde extraordinariæ, & accidentales. Item omittere Evangelium ultimum speciale loco Evangelii Sancti Joannis in fine legendum. Quinimmo Tamburin. *Opuscul. de Sacrificio lib. 2. cap. 5. num. 5.* La Croix *lib. 6. par. 2. num. 424.* & alii volunt, quod omittere Evangelium Sancti Joannis, aut aliud speciale, ejus loco legendum, sit tantum peccatum veniale, quia, vel non est stricta pars Missæ, cum ipsa denotetur completa per verba: *Ite Missa est*, vel non est pars ordinaria, aut notabilis. At vero Suarez *de Sacramento tom. 3. disputat. 86. sect. 2.* Quarti *loc. cit. sect. tertia punct. quinto in fine*, & alii probabilius docent, hoc tempore vere pertinere ad integritatem Missæ, quia licet olim non fuerit in usu, facta tamen ea introductione est vere pars Missæ æque ac aliæ, adeoque &c.

Item veniale tantum est omittere Orationes di- 19
ci solitas inter induendas Sacras vestes. Henno *tom. 2. tractat. de Eucharist. Sacrament. disput. 11. quæst. 15. conclus. 2. resolut. 4.* Henriquez, Aversa, Rodriquez, Castropalao, Gobat citati, & secuti a La Croix *lib. 6. part. 2. num. 415.* ubi dicit hanc esse Communem sententiam contra Navarrum, Azorium, Gavant. Silvestr. & alios dicentes

Notæ Romani Theologi.

* Unius etiam verbi omissio, si fiat advertenter & deliberate, a culpa gravi non excusat; in hoc enim non consideranda est parvitas materiæ, sed contemptus.

Responsio Auctoris.

Ast ego jam supra *num. 9.* tradidi, quod transgressio Rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse & absolute ex contemptu, ut *ibi*, & hic sub *cit. num. 16.* nequaquam dico quod dicta omissio fiat advertenter & deliberate, sicque excludit formalem perfectum & absolutum contemptum, qui certe, ubi adesset, etiam omissio unius verbi esset mortalis, ut ego ipse subjungo immediate sub *num. 17.* Ast ubi adsit solum quidam levis imperfectus & secundum quid contemptus non tendens absolute in destructionem potestatis legislativæ, nec minuens significationem, vel repræsentationem mysterii, omissio v. gr. solum nominis unius, vel alterius Sancti, certe non debet dici gravis, quia hic habetur nedum levitas materiæ, sed etiam levitas contemptus. Ita Cajetanus in *Summa*, verb. *Contemptus*, Armilla eod. *verb. num. 3.* Sotus, Corduba, Valentia, & alii, quos citat & sequitur Sanchez *cap. 1. num. 11.* Lessius *lib. de Justitia cap. 46. circa fin.* Quart. in Rubric. Missalis *quæst. proœmial. sect. 2. punct. 5.* verb. *Secunda Sententia*, & alii passim.

tes esse mortale. Quinimmo Quarti *in Rubricas Missalis part.* 2. *titul.* 1. *sect.* 4. *dub.* 8. cum aliis ibi citatis, Pasqualig. *quæst.* 819. & alii nullum per se loquendo in hoc agnoscunt peccatum, quia dicunt se nullum invenire præceptum, cum Rubrica quoad hoc sit tantum directiva.

20 Omittere preces ante Missam legi solitas, quæ in Missali dicuntur *Præparatio*, nullum est peccatum; dummodo Sacerdos sit aliunde sufficienter præparatus, quia de his precibus recitandis nullum est præceptum, & a Rubrica signantur dicendæ arbitrio Sacerdotis, videlicet *Pro temporis opportunitate dicat.* Henno *loco cit. resolut.* 4. Aversa *d.* 11. *sect.* 12. §. *Septimo*, Gastald. *in praxi lib.* 2. *section.* 7. *cap.* 1. Quarti *loco citat. part.* 2. *titul.* 1. *section.* 1. *dub.* 4. & ipso teste alii communiter. Idem dicendum est de Hymno *Benedicite*, & Psalm. *Laudate*, & aliis precibus pro gratiarum actione post Missam recitari solitis. Bonarr. *de Missa lib.* 2. *capit.* 34. La Croix *loco cit. n.* 414. Quarti *loco cit. part.* 2. *titul.* 12. *dub.* 3. & alii passim, qui omnes tamen concludunt, consultum esse ipsas recitare tam ante, quam post celebrationem Missæ, aliasque similes pro devotione Sacerdotum.

21 Manuum lotionem omittere ante celebrationem Missæ peccatum veniale est, si ipsæ manus sint immundæ, cum id faciat singulariter ad reverentiam Sacrificii. Sic docent multi apud Dianam *P.* 1. *tract.* 12. *resolut.* 19. Gobat *tom.* 1. *tractat.* 3. *num.* 828. & alii. Immo Quarti *loco cit. part.* 2. *sect.* 1. *titul.* 1. *dub.* 5. dicit esse mortale omittere dictam lotionem, si manus sint notabiliter immundæ, & sordidæ, quia id vergeret in magnam Sacramenti irreverentiam. Post Missam autem omittere lotionem manuum nequidem veniale est. Quarti *loco cit. part.* 2. *tit.* 12. *dub.* 14. La Croix *loc. c. n.* 413. & alii contra alios.

22 An, & quale sit peccatum celebrare Missam nondum recitato Matutino; Vide verb. *Matutinum a n.* 19. *ad n.* 23.

23 Veniale tantum est omittere aliquas benedictiones, Cruces, deosculationes Altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum, & oculorum elevationes, & hujusmodi, quia non sunt ritus graves, dummodo tamen non omittantur plures simul quantitatem notabilem constituentes, quia in tali casu ipsa notabilis quantitas omissa esset peccatum grave. Sic pluribus citatis Quarti *loco cit. quæst. procemial. sect.* 3. *punct.* 6. *vers. Quo ad reliquas Cæremonias*, La Croix *loco citat. num.* 422. & alii.

24 Omittere primam ablutionem Calicis faciendam cum vino, & ipsam facere cum sola aqua, secluso contemptu, & animo inducendi novum ritum, est solum peccatum veniale, quia non videtur materia tam gravis, sicuti si omitteretur simpliciter, & absolute purificatio. Quarti *loco citat. vers. Respondeo*; Tamburin. *de Sacrific. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 4. La Croix *loco citat. num.* 432. & alii. Immo nullum esset peccatum, si celebrans esset abstemius vinum abhorrens, & solum illud modicum consecratum bibens. Sic Doctores citati, & alii. In secunda autem purificatione, & digitorum ablutione uti sola aqua, vel solo vino, probabiliter ne quidem peccatum veniale est, quia Rubrica non videtur præceptiva circa purificationem, & ablutionem cum vino, & aqua, quamvis enim præcipiatur purificatio, & ablutio, non tamen præcipitur illius modus. Sic Doctores citati, & alii contra alios probabiliter tenentes esse peccatum veniale.

Addere in Sacrificio Missæ aliquid valde notabile ultra ea, quæ in Rubricis præscribuntur, ex genere suo est peccatum mortale, & quidem gravius, quam aliquid notabile omittere, quia id expressius prohibetur in Bulla Sancti Pii V. incipien. *Quo primum* in principio Missalis impressa, & in Concilio Tridentino *sess.* 22. *in Decret. de observand. & evitand. in celebratione Missæ*; Tum quia culpa commissionis ex genere suo gravior est quam culpa omissionis, quia in commissione plus concipitur de voluntario, quam in omissione, & additio est magis exposita periculo erroris, & superstitionis, quam omissio. 25

Addere aliquid, quo mutetur sensus formæ Consecrationis, est grave Sacrilegium, & tunc non conficitur Sacramentum, ut si dicatur: *Hoc est Corpus meum fantasticum, seu aereum*; Talis enim additio falsum continet, & sensum destruit; *Communis*. Si vero addatur aliquid non destruens significationem formæ, quod tamen sit contra ritum Ecclesiæ, tunc conficitur Sacramentum, sed Sacerdos graviter peccat, ut si dicatur: *Hoc est Corpus meum formatum de virgine*; Licet enim per hanc formam conficiatur adhuc Sacramentum, cum sit solum mutatio accidentalis, & perseveret essentia veræ formæ, tamen Sacerdos peccat mortaliter, quia in re tam gravi, & sacrosancta addere vel verbum, vel ritum præter Ecclesiæ consuetudinem est summa temeritas, & abusus intolerabilis. *Communis*. 26 27

Addere aliquid animo & intentione inducendi novum ritum in Sacrificio Missæ est peccatum mortale, hoc enim sub gravi prohibetur a S. Pio V. in cit. Constitut. incip. *Quo primum*, & a Concilio Tridentino *cit. sess.* 22. *in Decr. de observ. & vitandis in celebratione Missæ*. 28

Addere aliquid etiam sine animo, & intentione mutandi ritum, si additio sit in notabili quantitate, & circa ea, quæ publice recitantur, est peccatum mortale. *Communis*. Si additio sit in notabili quantitate, & solum circa ea, quæ secreto recitantur, adhuc probabilius est gravis culpa; quia sic Sacerdos Sacrum Ministerium secretis precibus omnino ab illo distinctis interrumperet, & quamvis scandalum non ingereret, se exponeret periculo errandi, cum notabilis additio multum distrahat. *Sic communior Doctorum*. 29 30

Si vero additio fiat in modica quantitate, & verba, seu gesta addita sint secundum se pia, honesta, & salutaria, ut si in elevatione Hostiæ Sacerdos dicat *Adoro te Jesu Christe*, & hujusmodi, in depositione Calicis ejus pedem deosculetur, & hujusmodi, tunc secluso animo inducendi novum ritum, nullum est peccatum, cum sit parvitas materiæ, & modica, privata, pia, & salutaris devotio. *Sic Doctores magis communiter*. 31

Adde-

32 Addere in Missa unam Collectam, seu Orationem ultra præscriptas secundum Pasqualig. *q.* 215. La Croix *loco cit. num.* 419. & alios nullum est peccatum; Excusat enim propria devotio, vel alia quævis rationabilis causa contra Gobat *tom.* 1. *tr.* 3. *num.* 748. ubi dicit, id facientem sine peculiari causa damnari peccati venialis.

33 Addere in Missa *Gloria in excelsis*, aut *Credo*, cum omittendum sit, est solum peccatum veniale; Nisi tamen hoc fiat cum magna deformitate, & scandalo, ut si addatur in Missa de *Requiem*. Aversa *quæst.* 11. *sect.* 11. §. *Sexto*. La Croix *l. cit. n.* 429. & alii.

34 Addere sub longo cantu ad *Gloria in excelsis*, aut *Credo* aliquam piam Orationem, aut etiam recitare parvas Horas memoria retentas nullum est peccatum. Gobat *loco cit. numer.* 763. Cajetanus *in Summa verb. in Festo prohibita num. 6.* La Croix *loco cit. num.* 430. Tannerus, & alii contra Tamburin. & alios volentes esse peccatum veniale.

35 Mutare ritum Missæ in Rubricis designatum v. g. in Festo duplici, seu infra Octavas privilegiatas recitare Missam Votivam, seu de Requiem, si hoc fiat sine ulla rationabili causa, & ex mera propria voluntate, semper est peccatum; mortale quidem, si hoc fiat cum contemptu, & scandalo; veniale autem, si sine contemptu (1) & scanda-
36 lo. *Communis*. Nec enim locorum Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares possunt propria auctoritate, quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu in Rubricis Breviarii in altiorem ritum. Sic expresse decrevit Sacra Rituum Congregatio de mandato Urbani VIII. ut patet ex Decreto ad litteram dato sub verb. *Officium Divinum art.* 3. *num.* 88.

37 Mutare propria auctoritate, & voluntate præscriptas preces in alias, v. gr. unam Epistolam in aliam, unum Evangelium in aliud, & hujusmodi, si hoc fiat cum magna deformitate, & scandalo, uti esset in Missa Nativitatis, Paschatis, seu Pentecostes recitare Epistolam, & Evangelium Missæ defunctorum, est grave peccatum; si autem consimilis mutatio fiat cum parva deformitate, & sine scandalo, est solum peccatum veniale. *Communis*.

38 Mutare imperfecte aliquas actiones, v. g. breviores facere Cruces, non perfectas genuflexiones, non rectas inclinationes, & hujusmodi, secluso scandalo, & contemptu, est ad summum veniale peccatum. *Communis*.

39 Invertere partes ejusdem rationis, v. g. recitare unam Orationem ante aliam, unam Prophetiam seu Epistolam ante aliam, & hujusmodi, est solum peccatum veniale. Invertere autem voluntarie partes diversæ rationis, seu dissimiles, ut legere Evangelium ante Epistolam, & hujusmodi, est peccatum mortale, quia hic intervenit magna deformitas, contemptus, & scandalum. Sic Doctores passim.

Alia ad rem. Vide verb. *Minister Sacramentorum*, verb. *Missa*, verb. *Officium Divinum*, & Decreta *Sacræ Rit. Congr.* in Tom. 8. 40

Quæ Auctor in hoc Articulo est complexus, exigenda sunt ad illa, quæ de Rubricis tradunt Gavantus in Thesauro Sacr. Rit. præsertim par. III. tit. XI. *De Rubricis præceptivis, & directivis*, & Meratus in Observationibus & Additionibus ad eumdem Titulum, ex quibus hæc subjicere libet quæ leguntur num. 1. & II. Igitur Meratus num. 1. sic habet: „ Non solum reperitur Auctor, qui distinguit Rubricas, in præceptivas sub mortali, „ & præceptivas sub veniali, sed etiam legitur sententia Fagundez, in *præcepta Ecclesiæ, præcept.* „ 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *part.* 21. *num.* 7. qui sustinet, „ Rubricas Missalis communiter non obligare sub „ peccato mortali, imo addit *num.* 9. Rubricas „ Missalis non præcipere, sed consulere, & instruere, quibus verbis, ut notat Quarti *in quæst.* „ *procemial. sect.* 2. *punct.* 1. jam excludit etiam „ peccatum veniale in transgressionibus Rubricarum, quia consilia nullam obligationem inducunt; sed hæc sententia, ut optime ostendit „ idem Quarti, est procul dubio falsa, & plusquam „ falsa, & contra communem DD. sententiam. „ Victorianus vero Premoli *in memor. Cler.* 3. *part.* „ *cap.* 9. asserit, prædictam opinionem Fagundez „ se refutasse, ut damnatam; ex Bulla enim „ Pii V. initio Missalis apposita, & ex Concilio „ Tridentino *sess.* 7. *Can.* 13. & *sess.* 22. aperte „ constat, adesse præceptum, & non mere consilium servandi Rubricas, & Sacros Ritus ab „ Ecclesia præscriptos; hæc secunda sententia ex „ diametro opposita docet, omnes Rubricas habere vim obligandi sub peccato mortali ex genere „ suo, sed ratione parvitatis materiæ posse transgressionem talium Rubricarum esse tantum peccatum veniale. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *partem* „ *disp.* 83. *sect.* 3. Molfesius *tract.* 1. *cap.* 7. *n.* 22. „ Aversa *de Sacrific. quæst.* 11. *sec.* 12. Coninch. „ Puteobonellus *de Sacrific. Missæ quæst.* 5. *art.* 9. „ *num.* 8. *pag.* 419. *edit. Mediolanen.* 1710. *ejusdem* „ *Congregationis cum Gavanto*. Lezana, Bonacina, „ & alii, quorum sententia, ait Quarti, si recte „ intelligatur de Ritibus adhibendis in ipsa Missæ „ recitatione, est absolute vera. Tertia sententia „ media, distinguit, cum Gavanto supra, Rubricas, in præceptivas, & directivas, docetque „ Rubricas præceptivas obligare sub peccato mortali „ ad servandos Ritus in eis præscriptos. Rubricas „ vero directivas nullam imponere obligationem, „ sed esse consilia, & instructiones. Ita Gavantus *sup.* Marchinus *de Sacram. Ordinis tract.* 3. „ *par.* 3. *cap.* 6. Tamburinus *in Opusc. de Sacrif.* „ *Missæ lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. Premulus *loc. supra cit.* „ *par.* 3. *cap.* 1. Auctores, qui adhærent huic sententiæ, censent præceptum contentum in Bulla „ Pii V. servandi Rubricas, non extendi indifferen- 41

(*1) Cum Rubricæ, quibus id cavetur, præceptivæ sint; Rubricæ autem præceptivæ, si materia sit gravis, sub mortali obstringant, iis non assentior, qui illis diebus Missam votivam recitare etiam præciso contemptu & scandalo, veniale tantum esse peccatum defendunt. Nam Rubricæ in gravi materia violari videntur.

„ renter ad omnia, quæ in Rubricis continentur,
„ cum plura sint minutissima, nec materia apta
„ præcepti. Hinc Card. de Lugo *Disput.* 20. *de*
„ *Euch. sect.* 2. *n.* 7. ait, *certum est, non omnia,*
„ *quæ in Rubricis Missalis exiguntur, afferre obli-*
„ *gationem gravem, & sect.* 4. *n.* 105. docet cum
„ aliis, nonnulla esse materiam instructionis, &
„ directionis, non vero præcepti, qua propter
„ communiter Rubricæ sunt præceptivæ, sed mul-
„ tæ etiam sunt directivæ. Noster tamen Quarti
„ supra *in quæstionibus proœmialibus sect.* 2. *punct.*
„ 2. sustinet, omnes Rubricas, seu Regulas Mis-
„ salis præscribentes Ritus servandos a Sacerdote
„ in ipso actu celebrationis Missæ, esse præcepti-
„ vas; & in materia gravi obligare sub mortali;
„ solumque ratione parvitatis materiæ, vel inad-
„ vertentiæ, earum transgressionem esse culpam
„ venialem; & hanc adstruit esse mentem DD. qui
„ secundam ex allatis sententiis tuentur, & præ-
„ ter Auctores ibi allegatos, addit etiam Henrich.
„ *lib.* 9. *c.* 26. *n.* 3. Nugnum 3. *part. quæst.* 83.
„ *art.* 4. *dub.* 2. Reginaldum *lib.* 33. *num.* 210.
„ Peyrinum *in formul. litt. M. cap.* 1. *num.* 1. pro-
„ batque hanc sententiam, ex eo quod præceptum
„ contentum in Bulla Pii V. expresse loquitur
„ Ritibus servandis in ipso actu legendi, vel
„ decantandi Missam, absque ulla exceptione;
„ ergo extenditur ad omnia verba, & actiones,
„ ex quibus Missa componitur, unde sequitur,
„ Sacerdotem sub peccato mortali ex genere suo
„ nihil omittere posse eorum, quæ recitanda præ-
„ scribuntur in Missa; ita ut cujuslibet partis
„ omissio sit peccatum, vel mortale, si materia
„ gravis sit, & notabilis, vel veniale, si materia
„ sit levis, & modica, & ita etiam docet noster
„ Diana *par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 63. ubi alios citat
„ Auctores, quos ipse sequitur. Nihil pariter est
„ addendum precibus, quæ in Missali præscribun-
„ tur, quia etiam id expresse cavetur Præcepto
„ Pii V. in Bulla sæpius citata. Idem omnino di-
„ cendum est de Ritibus, & Cæremoniis, quæ in
„ actione consistunt, nempe teneri Sacerdotes sub
„ peccato mortali ex genere suo, nihil eorum omit-
„ tere, & nihil eis addere ob eamdem rationem.
„ Monet autem cit. Quarti, non esse hanc obliga-
„ tionem accipiendam in rigore Metaphisico, cum
„ simus in moralibus, sed morali, & humano
„ modo, ita ut satis sit, eam diligentiam adhi-
„ bere, quam timorati Sacerdotes, & sui muneris
„ studiosi adhibere solent. Idem Quarti tenet,
„ Rubricas continentes ea, quæ recitari, vel fieri
„ debent a Sacerdote, ante Missæ celebrationem,
„ vel immediate post Missam, esse non præcepti-
„ vas, sed directivas secundum se, & sub consi-
„ lio: quare nisi aliunde constet de præcepto,
„ tales Rubricæ non imponunt obligationem, in
„ quo sensu fatetur se adhærere tertiæ sententiæ
„ supra relatæ. Docet præterea Regulas Missalis
„ de Ritibus servandis, non ab ipso Sacerdote,
„ sed a Ministris, & ab aliis circumstantibus, &
„ choro assistentibus, communiter esse directivas,
„ quia præceptum sæpius replicatum Pii V. ad il-
„ las minime extenditur, unde non obligant ad
„ culpam, nisi aliunde, vel ex consuetudine, vel
„ ex vi juris naturalis vitandi scandali ea obliga-
„ tio nascatur. Turrinus tamen *par.* 1. *sect.* 1. *cap.*
„ 1. refragatur prædictæ Quarti sententiæ, quoad
„ hanc ultimam partem, & contendit, prædictum
„ præceptum Pii V. æque obligare Sacerdotem, &
„ Sacros Ministros, cum et ille, & isti requiran-
„ tur ad celebrandam Missam juxta præscriptum præ-
„ dicti S. Pii V. & aliorum Pontificum, qui Sa-
„ cras Rubricas condiderunt, & approbarunt. „
Num. autem 11. „ Quærit, *inquit*, Gavantus
„ quænam ex Rubricis sint præceptivæ, & quæ- 42
„ nam directivæ tantum, & statuit, tunc Rubri-
„ cas censendas esse præceptivas, quando habetur
„ hæc vox, *gravissime*, seu *graviter peccare eum*
„ qui tales regulas transgreditur; sic etiam 2. 2.
„ docet, Rubricas esse præceptivas, quando ea-
„ rumdem materia pertinet ad integritatem Sacra-
„ menti, seu Sacrificii. Quarti tamen *supra sect.* 2.
„ §. *Prima regula* adstruit, hanc Gavanti regu-
„ lam esse valde diminutam, ex eo quod Rubri-
„ cæ, quibus præscribuntur ea, que sunt legenda
„ in Missa, ex. gr. Epistola, Evangelium, aliæ
„ Orationes, & partes notabiles Canonis, non ex-
„ primunt, omittentem peccare mortaliter, nec
„ spectant ad integritatem Sacrificii; & similiter
„ Ritus, qui actione consistunt, ut Oblatio Ho-
„ stiæ, & Calicis post Offertorium; & tamen
„ revocari non potest in dubium, tales Ritus,
„ alios quidem in verbis, alios vero in actione
„ consistentes, esse præceptivos, & eorumdem
„ transgressores peccare mortaliter; hinc infert,
„ prædictam regulam a Gavanto traditam, esse
„ insufficientem, quam ipsemet Gavantus videtur
„ destruere *supra num.* 14. *in fine*, ubi docet in-
„ definite, Rubricas esse præceptivas, neque op-
„ positum esse probabile. Qua propter sententia
„ Suarez, Quarti, Puteobonelli, & aliorum supra,
„ aliis sententiis est præferenda. „

RUMOR. Vide verb. Fama *num.* 12. 33.

SABBA-

S A B B A T U M.

1 SAbbatum est ultimus hebdomadæ dies significans diem illum septimum, quo Deus Creator completa sex diebus Mundi creatione quievit. *Gen.* 2. *n.* 2. ibi: *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.*

2 Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significat hebdomadam, ut clare colligitur ex pluribus Evangelicis textibus, & signanter *ex Lucæ* 18. *nu.* 12. ubi Pharisæus jactantiam, & vanam gloriam præferens dicebat: *Jejuno bis in Sabbato*, non quod bis jejunaret in uno solo eodem die Sabbati, sed quia, ut explicant Sacri Interpretes, pro *Sabbato* intelligebat totam hebdomadam, uti communiter nomine *Sabbati* totam integram hebdomadam intelligebant Hebræi, qui sua pro devotione, & voluntaria pœnitentia bis in hebdomada, nempe die Lunæ, & die Jovis jejunare solebant, & sic in praxi habebat Pharisæus, unde dicebat: *Jejuno bis in Sabbato*, idest bis in hebdomada. Idipsum clare demonstrant verba Sanctorum Evangelistarum Marci, Lucæ, & Joannis narrantium magnum pietatis opus illarum Sanctarum mulierum, quæ emptis pretiosis aromatibus die Resurrectionis Dominicæ valde mane iverunt ad monumentum, ut ungerent Sacratissimum Corpus Jesu. *Marci* 16. *n.* 2. ibi: *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole*; *Lucæ* 24. *n.* 1. ibi: *Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant, aromata*, *Joann.* 20. *n.* 1. ibi: *Una autem Sabbati Maria Magdalenæ venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*, quæ verba dictorum Sanctorum Evangelistarum non denotant diem Sabbati septimi hebdomadæ diei, sed intelligunt, & designant primum hebdomadæ diem, qui erat *Dominica*, in qua resurrexerat Dominus noster Jesus Christus: Dies enim Sabbati jam plene transierat, ut expresse habetur *Marci* 16. *n.* 1. ibi: *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Et statim sequitur: *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole.* Hinc clarum stat, quod nomen Sabbati pro tunc non indicabat solum ultimum seu septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significabat hebdomadam, seu quemlibet hebdomadæ diem.

3 Sabbatum in Testamento veteri erat dies Festus designatus Divino Cultui, ut patet *ex Exodi* 16. *n.* 13. ibidem *cap.* 20. *n.* 8. 10. & 11. ibidem *c.* 31. *nu.* 13. 14. 15. & 16. & *Levitici cap.* 16. *n.* 21. ibidem *c.* 19. *n.* 3. & 30. ibidem *c.* 23. *nu.* 3. 11. 15. 24. 32. 38.
4 39. ibidem *cap.* 26. *n.* 2. In novo autem Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, & pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominicæ. (1) Concil. Laodicense *cap.* 29. *cap. Pervenit* 11. *dist.* 3. *de consecration. cap. Omnes dies Dominicos* 1. *de Feriis*. Dies enim Do- 5 minicæ fuit semper celebris ex tempore Apostolorum. Concil. Coloniens. II. *part.* 9. *c.* 9. ibi: *Diligenter quoque populus admonendus est cur feriæ, & potissimum dies Dominicus, qui a temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, institutæ sint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum Verbum Domini, ad audiendum quoque Sacrum, & communicandum, breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum Orationibus, Hymnis, Psalmis, & Canticis spiritualibus transigatur. Hoc est enim sanctificare Sabbatum.*

Unde modo non est cessandum Sabbato a labo- 6 re, sed die Dominico, & aliter facientes excommunicantur. Concil. Laodicens. *cap.* 29. ibi: *Quod non oporteat Christianos judaizare, & otiari in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint a Christo*, & concordat *c. Pervenit* 11. *dist.* 3. *de consecr.* ex Greg. I. *lib.* 11. *Epist.* 3.

Nec sine rationibus, & mysteriis fuit ab Eccle- 7 sia pro die Sabbati institutus dies Dominicæ, pro quindecim enim rationibus, & mysteriis a Deo operatis in tali die, dies Dominicus est institutus dies Festus de præcepto, ut notavit Eminentissimus Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, deinde Summus Pontifex sub nomine Bened. XIII. *in suis doctissimis Lectionibus supra Exod. Lect.* 29. *n.* 7. *pag.* 321. ut ex ipso Clericato *in suis Spicis tom.* 1. *verb. Dominica n.* 81. Primum igitur Mysterium est, quia ipso die Dominico incæpit Mundi creatio. Secundum est, quia Arca Noe ipsa die se stitit supra montes Armeniæ. Tertium est, quia ipsa die Hebræi a Pharaone fugientes Mare rubrum siccis pedibus transierunt. Quartum est, quia ipsa die Manna e Cœlo cecidit in deserto pro Hebræorum victu. Quintum est, quia ipsa die natus est Christus Dominus Mundi Redemptor. Sextum est, quia ipsa die Stella tribus Magis apparuit. Septimum est, quia tali die Christus Jesus baptizatus est in Jordane. Octavum est, quia dicta die Christus aquam in vinum convertit in nuptiis Canæ Galilææ. Nonum est, quia ipsa die Christus Jesus satiavit quinque mille homines quinque panibus, & duobus piscibus in Deserto. Decimum est, quia dicta die Christus a turbis cum Psalmis summo honore exceptus est in Jerusalem. Undecimum est, quia Christus Jesus tali die gloriose a mortuis resurrexit. Duodecimum

(1) Idque ab ipsorum Apostolorum tempore. Hinc S. Joannes in Apocalypsi: *fui in spiritu die* DOMINICO.

cimum est, quia ipsa die apparuit Apostolis quando ipsos in Episcopos ordinavit. Tertium decimum est, quia dicta die Christus Dominus misit Apostolos prædicare Fidem in universum Mundum. Quartum decimum est, quia Spiritus Sanctus descendit supra Apostolos Dominica Pentecostes. Quintum decimum est, quia æternus Judex in fine Mundi die Dominicō veniet judicaturus vivos, & mortuos. Hæc sunt motiva, & Mysteria propter quæ, dicunt supra laudati Auctores, Sancta Ecclesia diem Dominicum pro die Festo haberi voluit. Multi tamen alii Doctores expresse negant varia ex prædictis occurrisse die Dominico.

8 Quidquid igitur sit de aliis, certum est principale motivum, & Mysterium esse gloriosam Resurrectionem Domini nostri Jesu Cristi, (1) intuitu cujus Sancti Apostoli cœperunt celebrare Pascha die Dominico, uti celebrandum semper esse in Concilio Romano sub Victore I. sic fuit statutum: *Decretum est, Pascha non decimaquarta Luna primi Mensis, sed potius die Dominico post quartamdecimam Lunam, & vernale æquinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse*. Vid. verb. *Pascha a n. 2. ad 3.*

9 Sabbato, olim, & feria *6.* jejunabatur, quia in utroque die mœsti fuerunt Apostoli. Innocent. I.
10 *Epistol. 1. cap. 4. c. Sabbato 12. dist. 3. de consec.* Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam Sepulturæ Domini, *ibid.*

11 Sabbato magno, idest Sabbato Sancto ordinari seu consecrari potest Episcopus; *cap. Dilectionis 22. dist. 76.*

12 Sabbato Sancto Campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi Regulari, ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice sub pœna Ducatorum centum, Leo X. *in Concilio Lateranens. V. sess. 11. Constit. 4. incip. Dum intra* §. 12. ibi: *Et ut debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quam alii Clerici sæculares etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campanæ Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverint, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint: contrafacientes pœnam centum Ducatorum incurrant. S. Congr. Rit. in Oriolen. 11. April. 1601. in Marsicana 21. Mart. 1609. in Venusina 30. Decemb. 1614. & 14. Novemb. 1615. In Syracusana 3. Junii 1617. &*
13 *in alia Syracusana Modicæ 13. Februar. 1619.* Tam in Ecclesiis Regularibus, quam Sæcularibus *ex*
14 *cit. Constit. Leonis X. & citatis Decretis*. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope & extra muros existentibus, & etiam in Ecclesiis Confratrum. *Sacra Rituum Congreg. in Placentina 21. Augusti 1604. & in Meliten. 6. Decemb. 1621.*
15 Etiamsi adsit Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem. *Eadem Sacr. Congreg. Rit. in Syracusana Modicæ 23. Februarii 1619.*

Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato Sancto posse conveniri coram loci Ordinario 16
decrevit *Sacr. Congr. Concilii in Capuana 23. April. 1591.* Nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent. *Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Surrentina 16. Julii 1601. & postea in Thelesina 15. Febr. 1622.*

Sabbato præsertim prohibitum est Christianis inservire Hebræis accendendo eis ignem, & lumina, 17
præparando comestibilia, aptando lecta, mundando eorum Domos, & hujusmodi. Vide verb. *Hebræus n. 19. 123. 184.*

Sabbato Sancto, sicut & feria 5. in cœna Domini non potest ullo modo, & a quocumque dici Missa privata, ex Decreto *Sac. Rit. Cong. & Clem. XI. die 20. April. 1707. ac ejusdem Pontificis vivæ vocis Oraculo 8. Augusti 1713. ac ultimo de mandato ejusdem 1719.* 18 19

Sabbati diebus abstinentia a carnibus non semper ubique fuit de præcepto. Benedictus XIV. tom. 1. Constit. 118. incipient. *Jampridem*, §. 3. ubi refert exemplum Sancti Gregorii VII. qui potius admonens, quam præcipiens hortatus est Christianos, ut Sabbati diebus a carnibus abstinerent. In quo 20
attendenda est consuetudo, ut tradit idem *de Synodo Diœcesana lib. 7. c. 56. n. 7.* ex cap. *Consilium,* 21
de observat. jejunior. ubi Innocentius III. ab Episcopo Bracarensi de illis interrogatus, *qui propter debilitatem in Sabbato, carnes sumunt*, rescripsit: *Respondemus, quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observari*. Et de facto in pluribus Hispaniarum, præcipue Castellæ, Gallæciæ, & Ma- 22
joricæ Regnis, ex antiqua consuetudine, cujus originem difficile est divinare, homines vescuntur interioribus, extremisque animalium partibus, & in quibusdam Galliæ Diœcesibus, veteri instituto, carnis esus permittitur in Sabbatis, quæ inter diem Natalem Domini, ac Festum Purificationis B. M. V. interjiciuntur. Idem *in cit. cap. 16. n. 9.* & in cit. Constit. *Jampridem* §. 3.

Sabbati diebus per annum permittitur esus car- 23
nium in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum. Idem in d. Constit. *Jampridem* §. 5. Sabbati jejunium in jubilæis, vel alias indictum, in alium diem trans- 24
ferri conceditur pro Græcis. Idem Constit. 75. incip. *Etsi Pastoralis* §. 9. Sabbatis Quadragesimæ, 25
excepto Sabbato Sancto, Græci non tenentur jejunare, sed tantummodo a carnibus abstinere. Idem *ibid.*

Sabbatum unicum post Parasceven Ecclesia O- 26
rientalis olim jejunio consecrabat, cætera per annum solemniter sine jejunio celebrat propter hæresim Marcionis, aliorumque docentium, jejunandum esse Sabbato in odium Dei Judæorum. Idem *de Synodo Diœcesana lib. 7. cap. 56. num. 3.* In Ec- 27
clesia

(1) *Domini resuscitatio*, inquit S. Augustinus *serm. 169. de verb. Dom.*, *consecravit nobis diem Dominicum, qui vocatur Dominicus, quia eo die Dominus resurrexit*. Orientales tamen olim in Ecclesia, etiam Sabbatis, perinde ac Dominicis feriari, conventusque sacros agere solitos fuisse constat: quam ob causam Asterius Amasenus Episcopus in homilia *de repudio* Sabbatum diebus dominicis jungit.

clesia Romana jejunium Sabbati a S. Silvestro stabili lege firmatum fuit. Idem *ibid. num.* 4. (1) Hanc autem legem non omnes Ecclesiæ Occidentales secutæ sunt, ideo Bulgaris ad Fidem conversis jejunium, Sabbati non fuit indictum a Nicolao I. ex quo multæ etiam Ecclesiæ Occidentales talem legem subire detrectaverint. Hispaniam hæc Romanæ Ecclesiæ disciplina probabiliter nunquam pervasit. Idem *ibidem num.* 6. Immo pedetentim in toto Occidente defecit; Quare S. Gregorius VII. abstinentiam a carnibus die Sabbati potius commendavit, quam præceperit in Concilio Romano anni 1078. *can.* 7. *relat. de consecrat. dist.* 5. *can.* 31. Idem *ibid. num* 7. & in cit. Constitut. *Jampridem c.* 3.

SACERDOTIUM, SACERDOS.

1 Sacerdotium fuit in omni Lege. Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. ibi: *Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrum-*
2 *que in omni Lege extiterit*. Tempore Legis naturæ, idest ab Adam usque ad Moysem Sacerdotes erant omnes Filii primogeniti, qui virtute eorum *Primogenituræ* gaudebant hac commendabili prærogativa, & facultate offerendi victimas in Sacrificium Domino, ut docent S. Thomas 2. 2. *q.* 85. *art.* 2. aliique passim Doctores citati, & secuti a Clericato *de Sacrificio Missæ dec.*7. *n.*10. quamvis tamen, ut observat Peyrinus in *Genesim c.* 25. *num.* 76. & citatus Clericatus *in suis Spicis verb. Sacerdot. num.* 786. solerent sæpe sæpius Genitores concedere Sacerdotium, & prærogativam offerendi sacrificia Deo etiam Filiis non primogenitis bonæ indolis, & operibus devotionis, & sanctitati deditis, uti cœpit facere ipse Adam cum secundo filio suo Abel intuitu ejus eximiæ innocentiæ, & pietatis erga Deum, ob quam Dominus respexit ad Abel & ad victimas ejus sibi in Sacrificium oblatas, ad Cain autem, & ad ejus munera non respexit, *Genes.* 4. *n.* 4. & 5. ibi: *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain vero, & ad munera illius non respexit*.

3 Tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ constituit Deus summum Sacerdotem Aaron Fratrem majorem Moysis; Erat enim Aaron major Moyse tribus annis; Nam cum educti sunt filii Israel de Ægypto, erat Moyses annorum octoginta, & Aaron annorum octoginta trium, ut habetur *Exodi* 7. *num.* 7. ibi; *Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium*; Et ista fuit una de causis, quare Aaron assumpsit Summum Sacerdotium, & non Moyses: Nam Summum Sacerdotium conveniebat Primogenitis, & Aaron erat Primogenitus Aram, ut habetur *Exodi 6.* Sic expresse Abulensis *in Leviticum cap.* 16. *q.* 3. *vers. loquere*. Et medio Aaron transtulit Deus Sacerdotium in Tribum Levi jubendo, quod solum illi de dicta Tribu *Levitica* essent sui Ministri seu Sacerdotes Sacrificiis addicti, ut habetur *Num.* 3. *num.* 5. ibi: *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens.: applica Tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei*; Hinc Sacerdotes Hebræi vocabantur Levitæ,(*) quatenus a Levi originem ducebant, non vero proprie:,, Levitæ, *inquit Calmet in Dictionar. Bibl. verb. Levitæ*, quo nomine omnes quidem posteri Levi censentur, potissimum tamen ii, qui vilioribus Templi ministeriis destinati sunt, ut a Sacerdotibus ex familia Aaronis, per Caath genus a Levi deducentibus, amplissimis Templi muneribus destinatis, distinguerentur. ,, (*)

Tempore Legis Gratiæ Sacerdotes sunt omnes, 4
& soli illi, qui ab Episcopis rite ordinati Characterem Sacerdotalem receperunt, quo habent potestatem consecrandi verum Corpus, & Sanguinem Christi, ac remittendi peccata; *cap. Firmiter credimus* 1. *de summa Trinitate & Fide Catholica*, Conc. Trid. *sess.* 23. *cap. & Canon. I.*

Sacerdotium Legis veteris commutatum est in no- 5
vum; *lib.*6. *Constit. Apostol. cap.* 23. Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 1.

Sacerdotium novæ Legis a Christo est institutum, 6
Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. & *Canon.* 2. & *sess.* 23. *cap.* 1. & *Canon.* 3.

Sacerdotium in Lege nova est visibile, & exter- 7
num signum (idest Ordinatio,) Concil. Trident. *sess.* 23. *cap. & Canon.* 1.

Sacerdotium non est nudum ministerium, sed 8
dicit potestatem consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Christi, & dimittendi peccata. Conc. Trid. *sess.* 23. *cap. & Canon.* 1.

Sacerdotalis Ordo per Christum cœpit a S. Petro; 9
cap. In novo 2. *dist.* 21.

Sacerdos ita dicitur, quia Sacrum dat, *cap. Cleros* 10
1. *dist.* 21. ibi: *Sacerdos autem nomen habet compositum ex Greco, & Latino quasi sacrum dans: Sicut enim Rex a regendo, ita Sacerdos a sacrificando vocatus est, consecrat enim, & sacrificat*. Et Clericatus *in suis Spicis loc. cit. num.* 801. notat ex Macr. *in suo Hierolexico verb. Sacerdos*, quod hoc verbum *Sacerdos* dicitur quasi *Sacra dicens*, seu *Sacra faciens*, vel *Sacra dans, aut Sacra Docens*.

Sacerdos non potest iterum fieri Laicus per abla- 11
tionem Characteris. Concil. Trident. *sess.* 23. *c.* & *Canon.* 4.

Sacerdos malus non perdit Ordinem, idest Cha- 12
racterem; Quantumvis enim peccet graviter, remanet Sacerdos cum eadem sua Sacerdotali potestate, Concil. Constantiens. *contra art.* 15. *Wiclef, & contra*

(*) S. Augustino vivente (confer ejus epistolam ad Casulanum *n.* 21.) aliqui hoc Sabbati jejunium a jejunio repetebant, quod S. Petrus cum Simone mago certaturus pridie toti Ecclesiæ Romanæ indixisse perhibebatur. Adi Thomassinum in Libro *de jejuniis*, & D. de l'Isle in Gallica jejunii historia. Ut ut est, Hadrianus I. in epistola ad Carolum Regem *Cod. Carol. T.*1. *p.*391. *ex Apostolica olitana regula* Sabbati jejunium adcersit.

contra ultim. Joann. Hus. Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 6. *Canon.* 10.

13 Sacerdos malus adhuc valide conficit Sacramenta: Malitia enim, & immunditia Sacerdotum non vitiat Sacramenta; *cap. Nonne Sodomitæ* 37. *cap. Dominus declaravit* 87. *c. Christus* 88. *& cap. Non nocet* 89. *caus.* 1. *q.* 1. cum similibus.

14 Sacerdotum officia in Sacramentorum confectio-
ne, non merita considerat Deus; *cap. Cum scriptu-*
15 *ra* 83. *caus.* 1. *quæst.* 1. Unde Sacramenta sunt bona
etiamsi Ministri sint mali; *cap. Si justus* 30. *cap. Ex*
Catholicæ 31. *cap. Sic autem* 32. *& cap. Nec foris* 33.
16 *caus.* 1. *qu.* 1. Boni enim, & mali Sacerdotes æque
Corpus Christi conficiunt; *cap. Intra Catholicam* 77.
& cap. Omnia Sacramenta 78. *caus.* 1. *qu.* 1. cum si-
milibus.

17 Sacerdotes tamen, quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur, textu expresso *in cap. Ipsi Sacerdotes* 91. *caus.* 1. *q.* 1.

18 Unde serio attendere debent Sacerdotes quod de ipsis habetur, *in cap. Vasa* 44. *dist.* 1. *de consecratione*, ibi: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur, nunc e contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus.*

19 Hinc Sacerdotes, si sint in mortali, debent confiteri, antequam celebrent. Concil. Moguntin. IV. *c.* 36. Concil. Trident. *sess.* 13. *c.* 7. Quod si desit Confessarius, & urgeat necessitas celebrandi, debent elicere actum Contritionis, & postea quamprimum confiteri, textu expresso in ipso Concilio Trid. *cit. sess.* 13. *cap.* 7.

20 Sacerdos pollutionem patiens in nocte, debet in mane abstinere a sacrificando, si causata sit a turpi cogitatione ante somnum, vel ab ingluvie, vel si habuit animi concussionem, nisi adsit necessitas celebrandi, textu expresso *in cap. Testamentum* 1. *dist.* 6.

(*) Audiatur S. Thomas, qui 3. part. qu. LXXX. art. VII. ubi quærit utrum nocturna pollutio aliquem impediat a sumptione Sacramenti Eucharistiæ, inquit: „ Circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari: Unum quidem ratione cujus ex necessitate impedit hominem a sumptione hujus sacramenti: Aliud autem ratione cujus non ex necessitate impedit hominem ab hujusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia: Ex necessitate quidem impedit hominem ab hujus sacramenti perceptione solum peccatum mortale: Et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale ei annexum: Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnæ: Quandoque enim provenit a causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusione; qui, sicut in prima Parte habitum est (qu. III. art. 3.) phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus: Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi vel potus: Quælibet autem harum trium causarum potest & sine peccato & cum peccato veniali vel mortali existere: Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus sacramenti; ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate: Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse & mortale & veniale peccatum; quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem a sumptione hujus sacramenti: Unde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam Frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum; seniores comperto quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret, & ita cessavit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lascivæ, quandoque possunt esse omnino sine peccato; puta, cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare: Et si hoc sit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate August. supra inducta. Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia & delectatione, & si adsit consensus, erit peccatum mortale; si autem desit, erit veniale: Similiter etiam & causa corporalis quandoque est sine peccato; puta, cum est ex infirmitate naturæ: Unde quidam, etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur: Vel etiamsi sit ex superfluitate naturæ: sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita & semen quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum (lib. 1. de generat. animalium cap. 8. & 19.) Quandoque vero est cum peccato; puta, cum provenit ex superfluitate cibi vel potus: Et hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale; licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus quam circa sumptionem cibi & potus: Unde & Greg. (ubi supra) scribens August. Anglorum Episcopo, dicit cessandum esse a communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem hujus sacramenti: Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo; quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (unde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant) nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi; Aliud autem est evagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit: Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi

 „ debet

„ debet propter aliquam necessitatem, puta, ut „ Greg. dicit (ubi supra) *cum fortasse aut festus* „ *dies exiget, aut exhibere ministerium pro eo quod* „ *sacerdos alius deest, ipsa necessitas competit*. „ (*)

21 Sacerdos dicens Missam, stolam supra utrumque humerum tenere debet: Sic etiam quando Missam non dicit, & communicat. Concil. Bracarens. II. *cap.* 4. *& cap. Ecclesiastica* 9. *dist.* 34.

22 Sacerdos a semetipso sumit Eucharistiam, si celebrat. Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. *& Canon.* 20.

23 Item si non celebret, potest extra Missam non tantum pro Viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa sibi ministrare Communionem, si non adsit alius Sacerdos, & scandalum absit. Ita Suarez, Vasquez, Fagund. Silvest. Homobon. Boss. Bonacin. Vivald. Diana, Dicastill. Bosco, & alii citati, & secuti a La Croix *lib.* 6. *par.* 1. *numer.* 481. contra Cajetan. Armill. Filliucc. Avers. Et ratio est, quia nulla Lex id prohibet Sacerdoti, immo Concilium Nicænum 2. id concedit Diacono, uti notat Dicastill. *d.* 11. *num.* 95.

24 Sacerdos non consecrans, sub una tantum specie communicat. Conc. Coloniens. III. *pag.* 7. *c.* 15.

25 Si Sacerdos in Missa post consecratam majorem Hostiam ante consecrationem Calicis advertat fuisse appositas minores Hostias, seu Particulas consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores formam consecrationis repetere. Et ratio est, quia sic poneret duo Sacrificia, & eadem die bis celebraret, minores enim Hostiæ non haberent se per modum unius Hostia, vel unius materiæ totalis consecrandæ, quia prior Consecratio fuisset completa in majore Hostiæ, & minores Hostiæ, seu Particulæ terminarent unam totalem Consecrationem, neque una harum Consecrationum de se esset referibilis ad alteram. Si autem ante Consecrationis majoris Hostiæ aliquid sciverit de appositis minoribus Hostiis, seu Particulis, & post dubitet, an intentionem sufficienter ad eas extenderit, & si, dum in Corporali ponerentur, eas consecrare intenderit, censentur consecratæ ratione intentionis virtualis, absque eo quod repetat formam consecrationis, ut tenent Doctores communiter cum Dicastill. *d.* 2. *num.* 216. Castropal. *part.* 6. *numer.* 3. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 458. *& part.* 2. *num.* 243. Si vero minores Hostiæ, seu Particulæ advertente Sacerdote, fuerint a Sacrista positæ in Altari extra Corporale, & Sacerdos dubitet, an habuerit sufficientem intentionem eas consecrandi? debent ipsæ sub conditione consecrari in alia Missa, nec potest repeti forma Consecrationis in eadem Missa propter rationem supra adductam. Sic citati Doctores, & alii.

26 Sacerdos obligatus ad celebrandam Missam pro commodo Monialium, vel Confratrum, non potest aliud stipendium recipere applicando alteri eamdem Missam; *Sac. Congreg. Concilii in Alexandrina* 18. *Martii* 1719. apud Ursayam *in* 1. *Miscellaneo Sacro, & Profano litt. S. n.* 7.

27 Sacerdos faciens ab altero celebrari Missam cum minori eleemosyna, ac sit illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suæ obligationi, & tenetur ad restitutionem. *Sacra Congreg. Concil. in Anconitana* 5. *Julii* 1644. *lib.* 24. *Decretor. fol.* 196. apud Ursayam *loc. cit. num.* 8. *& tom.* 4. *part.* 2. *discept.* 22. *num.* 63. ubi subdit, hanc Sacræ Congregat. resolutionem approbatam fuisse ab Alexandro VII. Insuper incurrit suspensionem Papæ reservatam. Benedict. XIV. Constitut. incipient. *Quanta cura*. Vide verb. *Eleemosyna num.* 64. & magis verb. *Missa art.* 2. *num.* 16.

Sacerdos, cui fuit data eleemosyna pro Missa, 28
non potest illam alteri Sacerdoti celebrandam dare, aliqua eleemosynæ parte sibi retenta, etiamsi secundus Sacerdos id sciat, & contentus sit. *Sacra Congregat. Concilii in Romana Eleemosynæ* 23. *Augusti* 1664. apud Ursayam *loc. cit. num.* 10. *& tom.* 4. *part.* 2. *disceptat.* 22. *n.* 62. Benedictus XIV. *loco cit.* sub pœna dictæ suspensionis. Vide *loc. cit. in priori num.*

Sacerdos Episcopo inferior non potest in Missa 29
adhibere Ministrum assistentem, folia Missalis vertentem, Calicem tegentem, & detegentem, &c. *Sacra Congreg. Rit. in Fulginaten.* 29. *Julii* 1720. apud Ursayam *loco cit. num.* 6.

Sacerdotes inservire non debent Laicis in vilibus 30
Officiis, & præcipue mulieribus. *Sacra Congregat. Episcop. in Epistol. Encycl.* 19. *Martii* 1697. apud Ursayam *loco cit. num.* 14.

Sacerdotes inservientes alicui Ecclesiæ sunt præ- 31
ferendi in funeribus. *Rota in Compostellana Præeminentiarum* 14. *Junii* 1617. §. *Agnoscebant, coram Crispo*, apud Ursayam *loco cit. num.* 16.

Sacerdos constitutus in ætate annorum 30. est ca- 32
pax Legati relicti pro studiis Legalibus. *Sacra Congreg. Concilii in Romana, seu Nicoteren.* 14. *Februarii* 1609. apud Ursayam *loco cit. num.* 3.

Sacerdos non potest obtinere Lecturam Juris Ci- 33
vilis sine Apostolica dispensatione. *Sacr. Congreg. Concilii in Neapolitana* 19. *Martii* 1644. apud Ursayam *loco cit. num.* 9.

Sacerdos ordinatus a Papa præfertur Sacerdoti 34
ordinato ab Episcopo. Fagnan. *in cap.* 1. *num.* 14. *de Majorit. & obedient.*

Sacerdoti quamvis unico Testi plena Fides adhi- 35
benda est. *Rota in Romana Officii Notariatus* 22. *Junii* 1722. §. *Quod autem, coram Ratto*, apud Ursayam *in* 2. *Miscellaneo Sacro, & Profano litt. S. num.* 2. * Sacerdos sine causa ad multum tempus non celebrans, imo etiam nunquam celebrans, nequit rationabiliter præsumi malæ vitæ Sacerdos, perinde quasi Ordinis Sacerdotalis exercitium contemneret, adeoque admittendus ab Episcopis, tamquam legitimus testis, in foro Episcopali. Maraviglia *Leg.* 339. *Prudentiæ Episcopalis*. *

(*) Peccat tamen Sacerdos, qui omnino a consecratione abstineat, etiamsi ipsi animarum cura non immineat. „ Quidam dixerunt, *inquit S. Thomas* 3. *part. quæst. LXXXII. art. X.*, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo sacramenta præbere: Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2. ad Cor. 5. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Opportunitas autem sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter

liter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur: Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod 2. Machab. 4. contra quosdam sacerdotes dicitur, quod *jam non circa altaris officia dediti erant contempto templo, & sacrificiis neglectis*. „ Confer Benedictum XIV. De Sacrificio Missæ lib. III. c.1.qui num. 10. hæc habet: „ Concludendum . . . . . non posse sustineri sententiam eorum, qui statuunt venialiter tantum peccare Sacerdotem, qui non habens curam Animarum, nec aliter adstrictus ad Missam celebrandam, numquam per annum celebret. Quapropter S. Pius V. ab operibus Cardinalis Cajetani propositionem illam jussit expungi, non nisi venialiter peccare Sacerdotem non habentem curam Animarum, qui numquam per annum Missæ Sacrificium offerat, ut ipsi etiam monuimus Edicto 55. & de Canonizat. Sanctor. lib. 3. cap. 27. num. 6. Dicendum etiam, non posse eum Sacramento Confessionis absolvi, qui constituisset animo numquam per annum Missam celebrare; etiamsi id constituisset, propterea quod sæpe in peccatum consuevisset incidere, voluntarium enim peccatum est, & tenetur illud vitare, ut Sacrificium Missæ possit celebrare, ut docet Azorius par. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 1. ubi hæc scribit: *Nec absolverem eum, qui statueret numquam per totum anni cursum Missæ Sacrificium facere, nec excusarem eum, qui nunquam per annum sacrificat, quia frequenter peccare solet; peccatum enim est voluntarium, & proinde id cavere & evitare debet, ut digne Missæ Sacrificium facere & offerre queat: nec etiam eum, qui commode ab excommunicatione absolvi, aut ab irregularitate, qua tenetur sive impeditur, liberari potest, & id non curat, sive nullam in eo diligentiam ponit*. Dicendum, corruptæ vitæ esse indicium, & parere scandalum, si quis abstineat per totum annum a Missa celebranda; ac Sacerdotem, qui nunquam per annum sacrificet, gravi se peccato obstringere, ut statuit Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 20. sect. 1. *Hodie vix posse excusari a gravi Sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia scandalum grave generat, & indicium est corruptissimæ vitæ*. Denique dicendum, circumstantias quasdam posse occurrere, in quibus sub mortali teneatur Sacerdos celebrare per annum, etiamsi Dominicis, & festis diebus celebret, puta si celebranda Missa opus esset, ut infirmo Viaticum deferretur. „ (*)

36 Simplex Sacerdos non approbatus non potest absolvere, neque a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis. Vide verb. *Confessarius art.* 1. *num.* 11. & 12.

37 Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, & mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis Casibus, & Censuris etiam reservatis. Vide *ibidem num.* 13.

Pro tali casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus etiam degradatis, excommunicatis vitandis, Irregularibus, Apostatis seu Hæreticis. Vide *ibidem num.* 14. Fagnanus tamen cum multis aliis *lib.* 4. *Decretal. capite Non est vobis* 11. *de Sponsalibus num.* 1. & *sequent.* defendit, Excommunicatum vitandum non posse absolvere, neque in articulo mortis, & ad id adducit declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Unde si ipsa esset authentica, non esset ab ea recedendum. Vide ipsum *ibi*, ubi multa habet ad rem. Vide etiam omnino, quæ recte adducit Albizi apud Tersagum in *Instruct. Confessariorum pag.* 20. 21. (*) & quæ ex Francisci Mariæ Campioni Instructione ad Confessarios referuntur verb. *Moribundus* num. 39. & 40. nostramque ad num. 40. Additionem. (*) 38

Talis ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis. Vide *ibid. num.* 15. 39

Simplex Sacerdos non potest in tali articulo absolvere præsente Sacerdote approbato. Vide *ibidem num.* 16. & 17. 40

Sacerdotes superiores sunt Sæcularibus. S. Clemens (1) *Epist.* 1. *cap.* 5. *lib.* 2. *Constitut. Apostolic. c.* 33. 41

Immo Sacerdotes sunt præstantiores Regibus: *lib.* 1. *Constitut. Apost. cap.* 34. ibi: *Hos existimate vestros Præsides, hos putate Reges, his quasi Regibus vectigalia afferte, eos enim eorumque domesticos bonis vestris alere debetis. Ut enim Samuel in primo de Regibus libro de Rege alendo sanxit populo, & Moyses de Sacerdotibus in Levitico: Sic nos vobis de Episcopis sancimus. . . . Siquidem ille militaria tantum administrabat, bello, & pace ad custodiam corporis susceptis, hic vero Sacerdotium ad honorem Dei administrat, ut pericula ab anima, & corpore propulset; Quanto ergo anima corpore præstantior est, tanto est Sacerdotium Regno excellentius, ligat enim, aut solvit supplicio, vel remissione dignos*. 42

Et quod Imperium non præsit Sacerdotio, sed subsit, & ei obedire teneatur, habetur expresse *in cap. Solitæ* 6. *de Majoritat. & obedient.* ibi: *Potuisses autem prærogativam Sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum est non a quolibet, sed a Deo, non Regi, sed Sacerdoti, non de Regali stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot. Ecce constitui te super gentes, & Regna, ut evellas, & dissipes, & ædifices, & plantes* . . . . & infra. *Prætenea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna Luminaria in Firmamento Cœli; Luminare majus, ut præesset diei, & Luminare minus, ut præesset nocti; Utrumque magnum, sed alterum majus. Ad Firmamentum igitur Cœli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna Luminaria, idest duas instituit Dignitates, quæ sunt Pontificalis Auctoritas, & Regalis Potestas; sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, major est: quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur*. 43

Sa-

(*1) Sive Auctor Epistolarum S. Clementi 1. suppositarum in Mercatoris Collectione, auctorque Constitut. Apostol. sub ejusdem S. Pontificis nomine vulgatarum.

44 Sacerdotes enim sunt Patres, & Magistri Regum, & Principum, textu expresso *in cap. Quis dubitet 6. dist. 96.* ubi ex Gregorio VII. *lib.* 8. *Epistol.* 21. habentur præcisa hæc verba: *Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque Fidelium Patres, & Magistro censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si Filius Patrem, Discipulus Magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere; a quo credit non solum in Terra, sed etiam in Cœlis se ligari posse, & solvi?* & concordant *cap. Bene quidem* 1. *cap. Satis evidenter* 7. *cap. in Scripturis* 8. *cap. Duo sunt* 9. *cap. Si Imperator* 11. *cap. Nunquam* 12. *& cap. Constantinus* 15. *dist.* 96. cum similibus.

45 Sacerdotalis potestas cum Regia semper rexerunt genus humanum, & si istæ duæ non conveniunt, male regitur. Concil. Coloniens. II. *p.* 2. *cap.* 2. *cap. Duo sunt dist.* 96. cum similibus.

46 Sacerdotes exercere nequeunt Procuratoris Officium. Martin. V. Constitution. 3. incip. *In Apostolicæ*.

47 Sacerdos abjurans de levi non est impeditus exercere omnes Ordines, & Sacramenta ministrare, ac Fidelium etiam Sæcularium Confessiones audire, Secus in abjurante de vehementi; *Sac. Congregat. Generalis Inquisitionis 6. Martii* 1596.

48 Sacerdos Curam Animarum gerens, si diebus Dominicis, & aliis solemnitatibus non celebret, prius est monendus, postea procedendum per subtractionem fructuum, demum excommunicandus, si non est legitime impeditus, & tunc per alium celebrare debet. *Sac. Congreg. Concilii die* 21. *Augusti* 1690.

49 Sacerdos delinquens in sua Diœcesi, si in alio loco reperiatur, ad suum Ordinarium remitti debet. *Sacra Congreg. Concilii* apud Sellium *in Selectis Canonicis cap.* 2. *num.* 21. & apud Barbos. *in Summa Apostolicarum Decisionum verb. Sacerdos num.* 6.

50 Sacerdotes exteri Sæculares celebrantes absque licentia Ordinarii in Ecclesiis Regularium incurrunt pœnas inflictas in Synodo Diœcesana. *Sac. Congreg. Concilii in Neapolitana* 17. *Aug.* 1630.

51 Et Sacristæ, seu Præfecti Ecclesiarum Regularium adstringi non possunt ad non permittendam celebrationem prædictam nisi exhibita licentia Ordinarii. *Sac. Congreg. Concil. in eadem Neapolitana* 17. *Aug.* 1630.

52 Sacerdotes deferre non debent manutergium super calicem eundo, vel redeundo ab Altari; *Sacra Congreg. Rit.* 1. *Septembris* 1703. Quod est etiam contra Rubricas generales Missalis, ex Comment. Gavant. in easdem Rubricas *par.* 1. *tit.* 10.

53 In Missa solemni, dum canitur *Credo*, non debent pulsari Organa, nec Sacerdos celebrans potest prosequi Missam. *Sacr. Rit. Congreg.* 17. *Dec.* 1695. Vide Decreta *S. R. C. num.* 664.

54 Sacerdos prius ordinatus præferendus est Presbytero postea ordinato licet Capellaniæ possessionem prius acceperit qui postea ordinatus est. *Sacra Congreg. Rit. in Novarien.* 16. *Iunii* 1606. *in Lycien.* 19. *Jan.* 1613.

55 Sacerdos assistens, licet non sit prima Dignitas, thurificandus est ante Archidiaconum assistentem Episcopo a dextris, licet Archidiaconus sit prima Dignitas; *Sacr. Congreg. Rit. in Vercellen.* 23. *Junii* 1667.

Sacerdos simplex sine licentia Sedis Apostolicæ 56
non potest benedicere novam Ecclesiam, vel Oratorium, nec reconciliare Ecclesiam pollutam. *Sacra Congreg. Rituum in Placentina* 19. *Maii* 1607. *in responsione ad dubium* 10.

Sacerdos celebrans solemniter coram Episcopo, 57
debet cum suis Ministris expectare benedictionem Episcopi, antequam descendat. *Sacr. Congregat. Rit. in Alexandr.* 19. *Maii* 1608. *in respons. ad* 7. *dub.*

Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus solemniter 58
celebrantes possunt, & debent sedere in bancho, dum cantatur *Gloria* & *Credo*, etiamsi sint Beneficiati, vel Capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine. *Sacr. Congreg. Rit. in Perusina* 15. *Jan.* 1611.

Sacerdotes, & Clericos adscriptos Ecclesiis non 59
potest Episcopus ob necessitatem Ecclesiæ cogere ne discedant ab ea, causa studii; immo tenetur illis dimissorias, seu commendatitias Litteras dare. *Sacra Congreg. Concilii die* 11. *Maii* 1617.

Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Ec- 60
clesiasticum obtinentes cogi non possunt ab Episcopo ad publicas Processiones accedere. *Sacra Congreg. Conc. in Messanen.* 7. *Februarii* 1632.

Sacerdotes tenentur scire Decreta Sedis Aposto- 61
licæ. Siricius Papa *Epist.* 1. *cap. ultim.* Item te- 62
nentur scire Canones. Cælestin. I. *Epist.* 3. *cap.* 1. *cap. Nullis* 4. *dist.* 38. cum similibus.

Sacerdotes tenentur Litteris vacare, & fugere 63
ignorantiam. Concil. Arelaten. IV. *cap.* 3. *cap. Ignorantia* 1. *dist.* 37. Sacerdos enim ignorans non ex- 64
cusatur; *cap. Si in Laicis* 3. *dist.* 38.

Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, 65
variatis &c. vel ab Ordine alienis. Concil. Nicæn. II. *cap.* 16. *cap. Omnis jactantia* 1. *caus.* 21. *q.* 1. cum similibus.

Sacerdotes extra Domum non debent comparere 66
sine veste Sacerdotali; *cap. Sine ornatu* 4. *caus.* 21. *qu.* 4. cum similibus.

Sacerdos contrahens Matrimonium de facto in- 67
currit excommunicationem; Facta pœnitentia, ab Episcopo dispensatur, ut ministret, sed matrimonium est nullum, textu expresso *in cap. Sane Sacerdotes* 4. *de Clericis conjugatis*. Quibus autem 68
pœnis puniatur Sacerdos, seu Clericus in Sacris constitutus, vel Regularis castitatem solemniter professus, Matrimonium contrahens; notat Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 63. *numer.* 32. quod ex Concilio Neocæsariensi relato *in cap. Presbyter.* 9. *dist.* 28. ab Ordine deponi debeat, quod Glossa explicat de Depositione officii, quemadmodum & exuitur Ecclesiasticis Beneficiis, *cap. Decernimus* 2. *dist.* 29. ibi: *Decernimus, ut hi, qui in Ordine Subdiaconatus & supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque Ecclesiastico Beneficio careant*. Vide Pignat. *loco citat.* cum aliis ibi adductis.

Sacerdotum defunctorum manibus aptari non 69
debet Calix. Clericat. *de Sacrific. Missæ decis.* 50. *num.*

num. 49. Bassi *tract. de sodalitiis qu.* 5. *num.* 14. Concil. Provinc. Beneventan. 1693. *pag.* 61. *cap.* 18. *cap. Nemo* 36. *de Consecrat. dist.* 1. Ursaya *tom.* 7. *part.* 2. *discep.* 31. *cap.* 23. *de funerib.* cum Ritual. Roman. Cœremonial. Episcop. & Act. Eccles. Mediolanens. ibi citatis. Vide ibi in fine, ubi a Sac. Congreg. approbatur Synodus Fulginatens. ubi inter alia fuerat id statutum.

70 Sacerdotes sæculares nequeunt prætendere candelam majorem illa, quæ datur Regularibus associantibus funus. Sic expresse defendit Ursaya *tom.* 1. *pag.* 2. *discept.* 15. *numer.* 13. ubi ad id plura adducit Decreta, & Doctores, & decrevit in fortioribus terminis de Parocho respectu Superioris Regularis *Sacra Congreg. Concil. in Novarien.* 15. *Martii* 1704. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *sub. numer.* 92. apud Thesaurum Resolutionum *Sac. Cong. Concil. tom.* 9. *fol.* 25. *in d. Novarien. Funerum, & jurisdictionis, in respons. ad* 3. Vide verb. *Parochus, art.* 3. *circa finem.*

71 Episcopus statuere potest, ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata. *Sacra Cong. Concil. in S. Severini Eleemosynæ Missarum* 16. *Julii* 1697. & *in Alexanen.* 26. *Januarii* 1743.

72 Institutionem Beneficii Sacerdotalis deberi Presbytero, posthabito Clerico, respondit *Sac. Cong. Concil. in Montis Regalis, Capellaniæ* 19. *Novembr.* 1740.

73 Cum Sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc (quantum in se est) privat Sanctissimam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, Peccatores venia, Justos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates; S. Bonavent. *in Opusc. de præparatione ad Missam cap.* 5. ex Vener. Beda, & sequitur Amostaz *de causis piis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 45. Ursaya *tom.* 5. *par.* 1. *discept.* 4. *num.* 142. & alii passim.

74 Sacerdotes novi Testamenti non parentum nobilitate, sed pro vitæ suæ merito sunt eligendi, nec attendendum quos parentes habuerint, sed cujus meriti sint; S. Anselmus *in Epist. S. Pauli ad Hebræcs cap.* 7. Nobilitas enim morum plus ornat quam genitorum; *arg. cap. Nos qui* 3. *dist.* 40. *cap. Recurrat* 3. §. *His ita, caus.* 32. *quæst.* 4. *& cap. Venerabilis* 47. *de præbend.* ubi expresse dicitur; *Non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem*; in cujus Summario sic præcise habetur: *Clerici ignobiles, & non eminentis scientiæ propter hoc non debent a præbendis repelli, etiam in Ecclesia, quæ tales admittere non consuevit.*

75 Grandis dignitas (1) Sacerdotum, sed grandis eorum ruina, si peccant. S. Hieronymus *lib.* 16. *inc.* 44. *Ezech.*

Si Sacerdos, qui est unctus peccaverit, faciet 76
delinquere populum: *cap. Magnæ* 7. *de voto, & Levit. c.* 4.

Nullum majus præjudicium, quam a Sacerdoti- 77
bus, tolerat Deus. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

Malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acqui- 78
ret, non dignitatem. S. Ambros. (2) *Homil.* 43. *in c.* 23. *Matthæi.*

Nulla re Deus magis offenditur, quam quod in- 79
digni, & peccatores Sacerdotii dignitate præfulgeant. S. Joann. Chrysost. *Homil.* 41. *in Matth.*

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Le- 80
gem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in Lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles, omnibus populis; *Malach.* 2. *numer.* 7. 8. & 9.

Quis aliquando vidit Clericum cito pœnitentiam 81
agentem? S. Joan. Chrys. *Homil.* 40. *in c.* 21. *Matth.* Laici delinquentes facile emendantur; Clerici si mali fuerint, inemendabiles sunt. Auctor Oper. imperf. *Hom.* 41.

Nulla certe in mundo tam crudelis bestia quam 82
malus Sacerdos; nam corrigi non patitur. S. Eusebius *Epist. ad Damas.*

Separavi vos a ceteris, ut essetis mei; *Levit cap.* 83
20. Ut integritas Sacerdotis demonstraretur, qui non aliquatenus, sed plane totum se Deo dicaverit. Theodor. *quæst.* 3. *in Levit.*

Officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed 84
opus Officii non implemus. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

Ad stipendia dumtaxat oculos habent; S. Isidor. 85
Pelusiota *lib.* 1. *Epistol.* 142. Non virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt. S. Gregor. *lib.* 23. *Moral. cap.* 17. Non ut meliores, sed ut honoratiores sint. S. Prosper (3) *lib.* 1. *de vit. contempl. cap.* 21.

Dignitas Sacerdotalis prius noscatur a vobis, ut 86
deinde servetur a vobis S. Ambros. (4) *de Dignitat. Sacerd. cap.* 5.

Prætulit nos Deus Angelis, & Archangelis, præ- 87
tulit Dominationibus. S. Benard. *Serm. ad Past.* Sacerdotium ipsi quoque Angeli venerantur. S. Greg. Nazian. *Orat.* 12. *ad Levit.*

Excusa me apud te, Virgo gloriosa.... Sacer- 88
dotium ipse prætulit super te .... Potestas Sacerdotis superat potestatem Virginis gloriosæ. S. Bernardin. Senens. *tom.* 1. *serm.* 20. *art.* 1. *cap.* 7.

Beata Virgo solum semel aperuit Cœlum, Sa- 89
cer-

(*1) Quæ num. hoc, & proximis Lucius noster affert testismonia, ea, nisi me omnia fallant, ex *Polyanthea* aliqua vel *Silva* ejusmodi locorum accepit. Quare lectores monemus, ut, si forte ipsis uti velint, fontes adeant.

(2) Nullas S. Ambrosii in S. Matthæi Evangelium Homilias habemus.

(3) Sive Julianus Pomerius. Vide Admonitionem in libros de Vita contemplativa iisdem libris in Appendice ad Opera S. Prosperi in novis Editionibus præmissam.

(4) Nempe incertus auctor libri de dignitate Sacerdotali S. Ambrosio olim tributi. Vide admonitionem in eumdem libellum in Append. ad Opera S. Ambrosii Edit. Ven. 1751. pag. 435.

cerdos qualibet Missa. S. Vincent. (1) Ferrer. *Serm.* 1. *in Festo Corporis Christi*.

90 Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis incarnatur. S. Aug. (2) *lib. de dignitate Eccl. Apol.* 3. *tract. de Sacerd.*

91 Pater omnifariam potestatem dedit Filio; Ceterum video eamdem ipsam potestatem a Deo Filio Sacerdotibus esse concessam. S. Jo: Chrysost. *homil.* 5.

92 Deos etiam ipse Deus appellat; S. Gregor. *lib.* 4. *Epist.* 9.

93 Nihil omnino prodest nomen Sanctum habere sine moribus, quia vita a professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignam actuum vilitatem. Salvian. *de Provid. lib.* 3. *ad fin.*

94 Honor sublimis, & vita deformis. S. Ambros. *lib. de Dignit. Sacerd.* Professio Deifica, & actio illicita. *Idem ibid.*

95 Ornamenta in luto, dignitas in indigno. Salvian. *ad Eccles. Cath.*

96 Non ita corruptis moribus vivunt sæculares, ut Ecclesiastici. S. Bernardus *serm. in Convers. S. Pauli*.

97 Inique agunt ceteri contra Christum, crudeliorem tamen eam censet persecutionem quam a propriis sustinet ministris. S. Bernard. *ibidem*.

98 Tales Sacerdotes non sunt mei Sacerdotes, sed veri proditores, ipsi enim quasi Judas me vendunt, & produnt. S. Birgitta *lib.* 1. *Revelat. c.* 47.

99 Adam peccavit in terra, & veniam consequutus est; Lucifer in Cœlo, & Diabolus factus est: sic differunt peccata Laicorum, & Clericorum. Hugo de S. Caro in illud Psalmi 118. *num.* 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*. Sæculares vocantur peccatores terræ, ad differentiam Sacerdotum, qui debent vocari peccatores Cœli, uti Angeli: Unde S. Birgitta *lib.* 1. *Revelat. cap.* 47. Sacerdotes mali sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer: Nunc etiam dico tibi judicium eorum, & cui sunt similes.

100 Si peccas in Sacerdotio, peristi. S. Joan. Chrysost. *Hom.* 41. *in Matth.*

101 Sic enim Deus irascitur peccantibus Sacerdotibus, ut etiam sacratis locis vasisque non parcat, 1. *Reg.* 4. S. Prosper (3) *de prom. & præd. par.* 2. *cap.* 24.

102 Ante omnia Sacerdos castitate debet accingi. S. Jo. Chrys. *Hom.* 4. *in Levit.*

103 Ut in his niveus pudicitiæ candor effloreat, qui Sacris Mysteriis familiarius appropinquant. S. Petrus Damian. *Opusc.* 18. *contra Cler. intemp. dissert.* 1. *cap.* 1.

104 Sacerdos... Ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum Sanctæ unctionis Dei super eum est; *Levit.* 21. *num.* 12.

Sacerdotes polluerunt Sanctuaria mea. *Ezechiel.* 105
22. *n.* 26. idest, explicat ibi Hogo Card. per vitæ immunditiam.

Audent Agni immaculati sacras contingere car- 106
nes, & intingere de Sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor!) carnes meretricis attrectaverunt. S. Bernardus *in declamat.*

Pudicitia Sacerdotalis non solum ab opere se 107
immundo abstineat, sed etiam a jactù oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus confectura, sit libera. S. Hieron. *in c. Epist. ad Titum*.

Quis adeo impius erit, qui lutosis manibus Sa- 108
cratissimum Sacramentum tractare præsumat. Sanctus Aug. *serm.* 144. *de tempor.*

Polluimus Corpus Christi, quando indigni ac- 109
cedimus ad Altare. S. Hieron. *in c.* 1. *Malachiæ*.

Cum in os immundum Sanctissimam carnem 110
ponit, eam quasi in lutum projicit. Petrus Blesensis *serm.* 38.

Quantum flagitium in spurcissimam tui corpo- 111
ris cloacam Sacratum Christi Sanguinem profundere! S. Thomas de Villanova, *Concion.* 3. *de Corpor. Christi*.

Gravius peccant indigne offerentes Christum re- 112
gnantem in Cœlis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. S. Aug. cit. a Mol. *tract.* 2. *cap.* 17.

Auctores mortis existimus, qui esse debemus 113
duces ad vitam. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

Si Sacerdotium corruptum fuerit, omnis Fides 114
marcida est. S. Joan. Chrysost. *Homil.* 38. *in Matth.*

Populum videmus nugacem eo quod tales ha- 115
beat Sacerdotes. S. Ambros. *de dignit. Sacerd. c.* 5.

Causæ sunt ruinæ populi Sacerdotes mali. S. 116
Greg. *lib.* 4. *epist.* 64.

Tantum inter Sacerdotem & quemlibet probum 117
interesse debet, quantum inter Cœlum, & terram discriminis est. S. Isid. Pelusiota *lib.* 2. *epist.* 107.

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote Sacri- 118
legium. S. Petrus Chrysol. *serm.* 26.

Provide, ne lingua, quæ vocat de Cœlo Filium 119
Dei, contra ipsum Dominum loquatur. S. Aug. (4) *serm.* 37. *ad Fratres de herem.*

Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore ve- 120
ro Sacerdotis blasphemiæ. S. Bernard. *lib.* 2. *de considerat.*

Labia Sacerdotis custodient scientiam; Disca- 121
mus Sacerdotem doctum esse debere. S. Hieron. *in c.* 2. *Malachiæ*.

Manus Sacerdotum modo inunctæ sunt pice cu- 122
pi-

(*1) Hujus Sermones, qui extant, typisque impressi sunt, non ab ipso litteris mandatos, sed ab aliis ex dicentis ore exceptos, ac in scriptum redactos alibi monuimus.

(2) Nullum inter S. Augustini Opera aut genuina, aut supposititia Opus hoc titulo occurrit.

(3) Sive incertus Auctor libri de *Promissionibus & Prædictionibus Dei*. Legito Admonitionem in hunc librum in Append. Operum S. Prosperi tom. 2. Edit. Venet. anno 1744. pag. 57. seqq.

(4) Sermones istos ad Fratres in Eremo Maurini Editores in Appendicem ad Tom. VI. Opp. S. Doctoris rejecerunt. Vide Admonitionem iisdem Sermonibus præfixam, in qua ipsos S. Augustino suppositos fuisse demonstrant.

piditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctæ unctione caritatis ad largiendum. Hugo Card. in illud *Psalm.* 25. *Dextera eorum repleta est muneribus*.

123 Si pro se unusquisque in die judicii vix poterit rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animæ requirendæ? S.Aug. *lib.* 50. *homil.* 7.

124 Pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non corrigant. Sanctus Isidorus *lib.* 3. *sententiar.*

125 Sacerdotes, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscipimus, faciamus nobiscum quotidie rationes, quas cum Judice nostro habebimus. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

126 Vere magna confusio Sacerdotum, & omnium Clericorum, quando Laici inveniuntur fideliores, & justiores. S. Joannes Chrysost. *Hom.* 40. *oper. imperfect.* aut quis alius ejus Auctor.

127 Quomodo non sit confusio esse illos inferiores Laicis, quos etiam esse æquales magna confusio est? Idem *ibid.*

128 Erubescant Sacerdotes, si sacratioris vitæ inveniantur Laici, qui vitæ fluctibus sunt immersi. S. Gregor. part. 2. Pastor. admon. 29. & Petrus Blesensis *serm.* 12.

129 In die Judicii Sacerdos spoliabitur Sacerdotii dignitate, & erit inter infideles. S. Joan. Chrysost. *Homil.* 40. *in cap.* 21. *Matth.* juxta illud *Ezechiel.* 23. denudabunt te vestimentis tuis, tollent vasa gloriæ tuæ, & demittent te nudum ignominia plenum.

130 Sacerdotes mali præ omnibus diabolis profundius submergentur in infernum. S. Birgitta *lib.* 4. *Revelat. c.* 35.

131 Quo majus est auctoritas, eo majus est eorum, qui peccant, supplicium. S. Joann. Chrysost. *in Psal.* 6.

132 Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam; & Sacerdotes ipsi per vitam reprobam in Inferni supplicia festinant. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

133 Non temere dico, sed ut affectus sum, & sentio: Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. S. Joan. Chrysost. *Homil.* 3. *in cap.* 1. *Act. Apostol.*

134 Clerici, & Religiosi quando Christo adhærent, optimi sunt, & optimum, & multum fructum faciunt; Quando autem a Christo separati sunt, nutrimentum sunt ignis peccati in præsenti, & in futuro ignis infernalis. Hugo Card. *in cap.* 15. *Evang. S. Joan.*

135 Miror an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus. S. Joan. Chrysost. *Homil.* 34. *in Epist. ad Hebræos*.

136 Sacerdos si vitam suam disposuerit, tuam autem non diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detrudetur. S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 85. *in Joan.*

137 Quidam Religiosus, qui noluit acceptare Episcopatum, neque ad preces sui Superioris, apparens post mortem cuidam suo amico, & ab ipso interrogatus, an quidquam mali passus fuisset ob talem resistentiam factam Superiori ad nolendum Episcopatum, respondit: *Minime. Immo si Episcopatum recepissem, essem æternaliter damnatus*. Sic refert Carthus. *de Vita*, & *Reg. Episc. cap.* 42. Et de alio, qui ad consilium sui Patrui recusavit sibi oblatum Episcopatum, refert S. Hieronymus (1) *in Regul. Monac. cap.* 5. & idem Carthus. *loc. cit.* quod post mortem ipsi suo Patruo apparens, eique gratias referens de optimo consilio, dixit: *Nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum*.

Turpe est ignorare artem, quam profitemur, & intolerabilis ignorantia in iis, qui præsunt. S. Leo relatus *in cap. si in Laicis* 3. *dist.* 38. 138

Verecundum est ex aliorum manibus quærere, quod apud se inveniri debet. *Cap. Cum in cunctis* 7. *de elect.* et Gloss. *ibid.* citans multos alios Canones. Unde non sufficit, quod Prælatus habeat apud se Viros doctos, nisi & ipse sit doctus, vel curet fieri doctus. Deh caveant super hoc Prælati. 139

Sacerdotes privantur facultate excipiendi Confessiones Complicum in peccato turpi. Benedict.XIV. tom. 1. Constitut. 20. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, §. 4. Vide dicta ad verb. *Confessarius*, & verb. *Complex*. Sacerdos etiam ad Confessiones non approbatus, præferendus est Confessario complici in peccato turpi pro excipienda Confessione ipsius Complicis in articulo mortis constituti. Idem Constitut. 120. incip. *Apostolici muneris* §. 2. 140 141

Sacerdos simplex benedictionem super populum impertiri nequit, præterquam in fine Missæ, nisi forte id ipsi demandetur Jure delegato. Idem tom. 2. Constitut. 48. incip. *Exemplis*. Præsente Episcopo Diœcesano Sacerdos in fine Missæ debet prius ad eum se convertere, eique caput inclinare, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod a Sacerdote prætermittitur, si Episcopus Missæ intersit, sed extra suam Diœcesim existat, prout desumitur ex Rubricis Missalis, *t. de benedictione in fine Missæ* & *Evangelio S. Joann.* Idem *ibid.* 142 143

Sacerdos abutens Sacrificio Missæ ad sortilegia, vel in Sacramentali Confessione sollicitans ad turpia, præter alias pœnas, incurrit perpetuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem, ex Decreto Sanctæ Universalis Inquisitionis de mandato Benedict. XIV. *edito die* 5. *Augusti* 1745. ut in ejus Bullario tom. 2. *in append. num.* 8. *pag.* 46. 144

Sacerdoti simplici per Pontificem ex suprema auctoritate delegari possunt ea, quæ ad mysticum Christi Corpus pertinent; Quod tamen Diaconis, *qui non habent perficere Corpus Domini verum*, jure, ac merito denegatur. Benedict. XIV. in Appendice ad Tom. 4. sui Bullari Constitut. incip. *Ex tuis* §. 9. 145

Sacerdotes tam in Latina, quam in Græca Ecclesia, juxta veterem disciplinam, cum Episcopo ce- 146

(1) Nec Monachorum, nec Monacharum Regula, olim sub S. Hieronymi nomine vulgata, illi tribui debet. Vide Edit. Veron. Opp. S. Doctoris Tom. IX.

celebrabant. Bened.XIV.Const.inc.*Allatæ sunt*,§.28.

Additiones ex aliena manu.

147 Sacerdotes exteri, tum & maxime peregrini non sunt admittendi ad Missas celebrandas, & Sacramenta administranda sine literis commendatitiis suorum Ordinarior. ut innovatis antiquis Canonibus statuit Concilium Tridentin. *sess.* 22. *decret. de Observ. & evitand. &c. & sess.* 23. *c.* 16. *de reformat.* & post ipsum D. Carolus Borromæus *in Act. Eccles. Mediol. par.* 3. *Concil. Provincial.* 1. *pag.* 9. *& Concil. Provincial.* 2. *pag.* 65. *tit.*2. *decret.* 1. *Concil. Provincial.* 3. *pag.* 96.

148 Quinimo fas est Episcopo prohibere, ne Regulares in eorum Ecclesiis Sacerdotes exteros celebrare permittant Divina Officia, nisi prius ab ipso Episcopo, visis Literis Commendatitiis, admissi fuerint; ut decisum referunt Ventrigl. *in Prax. tom.* 1. *adnotat.* 24. §. *unic. num.* 5. *& adnotat.* 48. §. *unic. num.* 125. Passerin. *de Stat. Homin. tom.* 4. *quæst.* 189. *articul.* 10. *num.* 991. Nicol. *Lucubrat. Canonic. lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 15. *Frass. de Jurepatron. Reg. tom.* 2. *cap.* 73. *num.* 36.

149 Idque verum adeo est, ut Sacerdotes exteri celebrantes in Ecclesiis Regularium, non visis prius Litteris Commendatitiis ab Episcopo; tum etiam ipsi Superiores Ecclesiarum Regular. incurrant in pœnas in Synodo Diœcesana inflictas; Fermosin. *in Rubric. de Cleric. Peregrin. num.* 9. *Romaguer. ad Synodal. Gerund. lib.* 1. *tit.* 4. *cap. unic. num.* 6.

150 Cæterum si Sacerdos aliquis exterus per longum tempus in Loco aliquo celebraverit, ejusque mores jam sint noti, non est congendus literas commendatitias sui Ordinarii ostendere, ut relata Resolutione S. Congregationis Episcoporum & Regularium negotiis præpositæ firmant Fermosin. *in d. Rubric. de Cleric. Peregrin. num.* 11. Barbos. *Jur. Ecclesiast. univers. lib.*1. *cap.*11. *num.*31. Romaguer. *ad Constit. Synodal. Gerund. lib.* 1. *tit.* 4. *cap. unic.*

151 *num.* 6. ubi *num.* 7. *& sequent.* tradit quas solemnitates requirant Literæ commendatitiæ Clericorum ultramarinorum.

152 Reliquum est ut discutiatur, an Episcopus prohibere valeat, ne Sacerdotes Regulares Peregrini celebrent in Ecclesiis Regularium? Obtinuit autem hæc distinctio, ut prohibere nequeat, si Sacerdotes illi Peregrini in loco illo habeant Ecclesias sui Ordinis, possit vero prohibere, si Ecclesias inibi sui Ordinis minime habeant; Ita definisse S.Congregationem de Propaganda fide coram Sanctissimo habitam die 18. Julii 1626. refert Romaguer. *ad Constit. Synodal. Gerund. lib.* 1. *tit.* 4. *cap. unic. num.* 4.

Animadversiones Auctoris.

Quæ in his additionibus a n.1.ad 3.producuntur, jam ego prius tradideram sub num.50.& 51., adducens ad id decretum S. Cong. Conc., & jam etiam tradideram in verb. *Missa* art. 6. n. 7. & 8. allegans ad id Conc. Mediolan. 1. & decreta S. Cong. Conc. in Bononien. & in Neapolit. & sæpe alibi. Vide *ibid.*

SACRAMENTALIA. Vide verb. *Peccatum a num.* 47. *ad num.* 55.

SACRAMENTUM.

Articulus I.

Quoad ea, quæ concernunt Sacramentorum naturam, institutionem, numerum, materiam, formam, Ministrum, & intentionem.

Sacramenti a *Sacro* derivati variæ, sed præcipuæ tres sunt acceptiones. Primo, igitur in Sacra Scriptura sumitur interdum pro Sacro Mysterio, seu pro re sacra abscondita, & arcana, ut Tobiæ *cap.* 12. *num.* 7. ibi: *Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Sapientiæ *cap.* 2. *num.* 22. ibi; *Et nescierunt Sacramenta Dei*. Item Sapientiæ *c.* 6. *num.* 24. ibi: *Et non abscondam a vobis Sacramenta Dei*. Daniel. *cap.* 2. *num.* 18. ibi: *Super Sacramento isto*. *Ibidem num.* 30. *Sacramentum hoc revelatum est*. Ibidem *num.* 47. *quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum*. Ad Ephes. *cap.* 1. *num.* 9. ibi: *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*: Item ad Ephes. *cap.* 3. *n.*3. ibi: *Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est Sacramentum*. Apocalyps. *cap.* 1. *num.*20. ibi: *Sacramentum septem stellarum*. Item Apocalyps. *cap.* 17. *num.* 7. ibi: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*. Secundo, sumitur a Jusritis aliquando pro Juramento; eo quod per illud Sacrum Dei nomen invocetur; *L. Sacramenta puberum, Cod. si adversus venditionem*, ibi: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur*, *cap. Qui Sacramento* 11. *caus.* 22. *quæst.* 4. ibi: *Qui Sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a Communione Corporis, & Sanguinis Domini segregatus reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit, jejuniis absolvat*. Tertio, sumitur a Patribus, & Theologis, & magis ad propositum pro signo rei Sacræ, idest pro eo, quod sacrat, & sanctificat. Et de Sacramento sic sumpto impræsentiarum est sermo. 1

Unde Sacramentum prout in proposito accipitur, *est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione Divina efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 1. *qu.* 2. *num.* 9. Quæ definitio in re ipsa convenit cum illa, quæ colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. quod nempe *Sacramentum sit symbolum rei sacræ & invisibilis gratiæ, forma visibilis sanctificandi vim habens*, & cum illa Catechismi ejusdem Concilii, scilicet: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*; & cum illa tradita a Canisio in suo parvo Catechismo, quam sequuntur alii Theologi: *Sacramentum novæ Legis est signum invisibilis gratiæ ad hominem sanctificandum divinitus institutum*. 2

Sa-

3 Sacramenta novæ Legis fuerunt omnia a Christo Domino instituta, & ea nec plura, nec pauciora, quam septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Sic definitum fuit in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, & in Concilio Tridentino *sess.* 7. *Canon.* 1. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit.*

4 Sacramenta novæ Legis differunt a Sacramentis antiquæ Legis, quia antiqua figurabant Gratiam dandam per Christi Passionem: Nova vero eam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Concil. Florent. *sess. ult. in Decreto Eugenii IV.* ibi: *Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant Gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant; Hæc vero nostra, & continent Gratiam, & ipsam*
5 *digne suscipientibus conferunt.* Unde Sacramenta novæ Legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt aliæ Cæremoniæ, & alii ritus externi; Est definitum in Concilio Tridentino *sess.* 7. *Canon.* 2. ibi: *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia Cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.* Vide tamen dicta sub verb. *Circumcisio per tot.* ubi multa ad rem.

6 Ea autem, quæ concernunt ad longum Sacramenta antiquæ Legis, brevitatis gratia relinquuntur videnda apud Scholasticos.

7 Sacramenta novæ Legis varie differunt etiam inter se. *Communis.* Quædam enim dicuntur Sacrata *Mortuorum*, & quædam alia Sacramenta *Vivo-*
8 *rum.* Sacramenta *Mortuorum* sunt illa, quæ per se conferunt primam Gratiam justificantem, seu remissionem peccati mortalis actualis, vel Originalis, & dicuntur Sacramenta *Mortuorum*, quia a Christo sunt per se, & primario instituta, ut homini ratione peccati mortalis spiritualiter *mortuo* Gratiæ, rite ministrata restituant vitam spiritualem Gratiæ; Et hæc Sacramenta sunt duo nempe Baptismus, & Pœnitentia. Baptismus quidem institutus in remissionem peccati originalis, ac etiam actualium ante Baptismum commissorum. Pœnitentia autem instituta in remissionem peccatorum actualium post Baptismum commissorum. Sacramenta *Vivorum* sunt illa, quæ per se conferunt tantum Gratiam secundam, adeoque præsupponunt in suscipiente Gratiam primam, seu statum Gratiæ, & dicuntur Sacramenta *Vivorum*, quia a Christo sunt pro se, & primario instituta, ut ministrentur hominibus jam viventibus vitæ spirituali Gratiæ, eosque nova Gratia adaugeant; & hæc Sacramenta sunt reliqua alia quinque, nempe Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Communis.*

9 Item ex Sacramentis novæ Legis quædam sunt *Iterabilia*, & quædam *Initerabilia*. Sacramenta *Iterabilia*, seu *non Characteristica* sunt illa, quæ sæpius suscipi possunt, quia non imprimunt Characterem indelebilem in anima suscipientis, sed solum conferunt Gratiam sanctificantem per peccatum mortale amissibilem, & reiteratione Sacramenti recuperabilem; & talia Sacramenta sunt quatuor, scilicet Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium. Sacramenta *Initerabilia*, seu *Characteristica* sunt illa, quæ semel valide suscepta iterato suscipi nequeunt, quia imprimunt Characterem indelebilem in anima suscipientis; Et talia Sacramenta sunt tria, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo. *Communis* ex Concilio Florentino *sess. ult. in Decreto Eugenii IV.* ibi: *Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id est spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; Unde in eadem persona non reiterantur; Reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt; & reiterationem admittunt.* Et Concil. Tridentin. *sess.* 7. *Canon.* 9. ibi: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit.*

Item quædam ex Sacramentis sunt *Formata*, & 10
quædam *Informia*. Sacramenta *Formata* sunt illa, quæ & valide, & licite, ac fructuose suscepta, statim, dum suscipiuntur, habent suum effectum in suscipiente, idest statim causant Gratiam, ad quam causandam suscipiuntur: quæ gratia per antonomasiam vocatur *Forma*, decor, & pulchritudo animæ, & qua proinde deficiente, manet anima informis, ac deformis in conspectu Dei. Sacramenta *Informia* sunt illa, quæ quamvis valide suscipiantur concurrentibus scilicet omnibus essentialiter requisitis ad valorem talium Sacramentorum, debita nempe materia, forma, & intentione; tamen non habent effectum suum, eo quod ponatur obex peccati mortalis Gratiæ, alioquin per talia Sacramenta causandæ, & sic Sacramenta remanent informia, animamque informem relinquunt. Et talia possunt esse omnia Sacramenta, excepto solo Sacramento Pœnitentiæ. Docent communiter Doctores, posse hominem adultum valide baptizari, confirmari, Eucharistiam sumere, ordinari, extreme ungi, & Matrimonium contrahere in statu peccati mortalis, at non licite, & sic sacrilege, adeoque infructuose, & informiter.

Dicitur autem notanter *Excepto solo Sacramento* 11
Pœnitentiæ, quia non potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, & informe quoad effectum Gratiæ, ut docuimus sub verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art.* 2. *a num.* 16. *ad* 29. Vide *ibi*.

Item quædam ex Sacramentis sunt *Permanentia*, 12
& quædam *Transeuntia*. Sacramenta *Permanentia* sunt illa, quæ sunt Sacramenta non tantum in fieri, seu cum fiunt, sed etiam sunt Sacramenta in facto esse, seu sunt factum permanens, ut per omnes Catholicos est Sacramentum Eucharistiæ, & secundum aliquos cum Sporer *tom.* 3. *Theolog. Sacram. part.* 4. *num.* 351. etiam Matrimonium, de quo ibi dicit, quod quatenus præcise est signum

practicum efficax Gratiæ sanctificantis Matrimonialis, est Sacramentum in fieri; quatenus vero simul est Sacramentum Mysticum, seu sacrum signum conjunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia, aut Verbi Divini cum natura humana, est Sacramentum in facto esse, ac permanens. Sacramenta *Transeuntia* sunt illa, quæ præcipue consistunt in actione, quæ physice transit, uti ablutio in Sacramento Baptismi, Unctio in Sacramento Extremæ Unctionis, & hujusmodi.

13 Item quædam ex Sacramentis sunt *omnibus necessaria*, & quædam *non necessaria omnibus*. Sacramenta *omnibus necessaria* sunt Baptismus, qui est omnibus hominibus necessarius ad salutem, & Pœnitentia, quæ est necessaria omnibus, & solis in peccatum mortale post Baptismum lapsis; Et hæc duo Sacramenta in re, vel in voto sunt necessaria necessitate medii. In re ipsa autem necessitate præcepti Eucharistia est necessaria omnibus adultis necessitate præcepti. Sacramenta *non necessaria omnibus* sunt Ordo, & Matrimonium, ut de se patet, & Confirmatio, & Extrema Unctio, quæ duo Sacramenta non sunt sub præcepto saltem gravi necessaria, ut cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 71. *art.* 8. *ad* 4. tradunt Doctores communiter.

14 Quod Sacramenta sint necessaria ad salutem vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus, habetur expresse definitum in Concil. Trident. *sess.* 7. *Can.* 4. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam Fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

15 Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius. Concil. Trid. *cit. sess.* 7. *Canon.* 3. ibi: *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

16 Sacramenta non sunt sola signa, seu notæ Christianitatis. Concil. Trident. *cit. sess.* 7. *Can.* 6. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere Gratiam, quam significant, aut Gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint acceptæ per Fidem Gratiæ, vel Justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema sit.*

17 Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam. Concil. Trid. *cit. sess.* 7. *Canon.* 5. ibi: *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

18 Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis, & Ministro cum intentione; rebus ut materia; verbis autem ut forma. Concil. Florent. *sess. ultim. in Decret. Eugenii IV.* §. *Quinto Ecclesiasticorum*, ibi: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

19 Hinc clare constat, quod ad essentiam cujuslibet Sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, forma, & intentio. *Communis Catholicorum* per citat. Textum Concilii Florentini. Unde ex verbis S. Augustini relat. *in cap. Detrahe* 54. *caus.* 1. *qu.* 1. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Materia in quolibet Sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam Ministri. *Communis.* 20

Forma in quolibet Sacramento sunt verba certa una cum applicatione materiæ proferenda a Ministro; Aut signum aliquod externum æquivalens, & faciens id, quod facerent certa verba, uti sunt nutus annuentis in Matrimonio, quibus nutibus æque bene ac verbis animus contrahentium declaratur. *Communis.* 21

Materia in quolibet Sacramento est duplex, scilicet remota, & proxima. *Materia remota* est illa res sensibilis, quæ per actionem Ministri applicatur suscipienti. *Materia* proxima est ipsamet debita applicatio dictæ materiæ remotæ, quæ scilicet una cum forma sibi correspondente simul prolata a Ministro proxime constituit Sacramentum. *Communis.* 22

Quænam sit materia remota, & proxima cujuslibet specialis Sacramenti? Vide in suis propriis locis, ut sub verb. *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia &c.* 23

Item forma in quolibet Sacramento est duplex, scilicet remota, & proxima: *Forma remota* sunt dicta certa verba una cum applicatione materiæ a Ministro proferenda, seu aliud signum æquivalens externe exhibendum. *Forma proxima* est dictorum certorum verborum una cum applicatione materiæ actualis a Ministro facta prolatio, seu dicti signi externi æquivalentis actualis exhibitio. *Communis.* 24

Ad valorem Sacramentorum requiritur simultas inter eorum materiam, & formam, quæ simultas sufficit, quod sit moralis, & tanta, quanta requiritur in actibus humanis; Nam cum Sacramentum sit compositum morale, requiritur, & sufficit talis simultas, sive unio inter materiam, & formam, ut unum moraliter, ac secundum communem hominum æstimationem censeatur afficere alterum, considerata, & attenta natura cujuslibet specialis Sacramenti. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 3. *litt. B.* Et *in re Communis aliorum.* 25

Consulunt tamen Doctores communiter, ut Ministri Sacramentorum curent majorem, quam possunt, facere simultatem materiæ, & formæ, quia cum materia, & forma debeant constituere unum signum Sacramentale, semper optimum est eas meliori, quo potest, modo esse conjunctas. Unde consultissimum est, quod Ministri in Baptismo vere simul proferant formam totam, dum abluunt; in Confirmatione, & Extrema Unctione, dum inungunt; in Ordinatione, dum instrumentum Ordinis tradunt; in Sacramento Penitentiæ statim absoluta Confessione dolorosa, pœnitentiaque injuncta & acceptata, verba absolutionis proferant; in Matrimonio post expressum consensum unius, statim exprimat & alter Sponsorum. In confectione vero Eucharistiæ materia debet esse præsens, quia hoc indicant illa pronomina demonstrativa, *Hoc*, *Hic*. 26

Ma-

27 Materiæ, & formæ Sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ, & determinatæ quoad substantiam. At non omnes, & singulæ uniformiter & æqualiter in particulari & in specie. Prima pars conclusionis est Communis omnium Theologorum. Cum enim Christus instituerit immediate omnia Sacramenta novæ Legis, debuit etiam omnium eorum materias, & formas instituere & determinare quoad substantiam; alias si Apostoli, aut Ecclesia aliquas Sacramentorum materias, aut formas determinassent quoad substantiam, Christus non instituisset illa immediate, sed tantum mediantibus hominibus materias, & formas determinantibus.

28 Secunda pars Conclusionis defenditur passim a Doctoribus cum Mastrio *in 4. disp. 36. & 45.* Suarez *part. 3. tom. 3. disp. 1. sect. 3.* Gonet *de Sacrament. in man. tract. 2. cap. 2. & tract. 6. cap. 3.* Gobat *tom. 1. tract. 8. numer. 55.* Reiffenstuel *Theolog. moralis tract. 14. dist. 1. qu. 1. nu. 21.* La Croix *lib. 6. p. 1. n. 13.* Aliquæ enim materiæ, & formæ fuerunt a Christo institutæ solum in genere, determinandæ in particulari, & in specie ab Apostolis, vel Ecclesia, quæ in particulari adhiberet res sensibiles, & verba apta ad exprimendam significationem illam, ad quam exprimendam fuerunt Sacramenta illa ab ipso Christo Domino instituta; Sic in Sacramento Ordinis determinatum solum fuit a Christo aliquid in genere significativum potestatis, quæ confertur, relinquendo Ecclesiæ potestatem determinandi in particulari juxta exigentiam temporum, locorum, & personarum, materiam, & formam aptam ad significandam, & exprimendam potestatem illam, quæ ordinatis confertur; Unde de facto patet ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ante scriptionem, & impressionem Evangeliorum, & Epistolarum non potuit, uti modo, Diaconis, & Subdiaconis, in eorum Ordinatione tradere Librum Evangeliorum, & Epistolarum. Item patet ex praxi Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, quarum quælibet valide conficit Sacramentum Ordinis, quamvis non conveniant in materia, & forma particulari quoad speciem, sed solum in genere, quatenus utraque Ecclesia utitur certa materia, & forma apta ad significandam, & exprimendam potestatem, quæ ex intentò Christi Domini traditur Ordinatis. Sic etiam in Sacramento Pœnitentiæ determinata est solum in genere materia remota, quæ sunt peccata actualia post Baptismum commissa, sive sint mortalia, sive venialia, sive hujus, sive illius speciei, & etiam solum in genere determinata est materia proxima, nempe dolor communis Contritioni, & Attritioni. Et solum in genere determinata est ejus forma, dummodo concipiatur, & proferatur verbis actum Judicialem sententiæ vere absolventis, sufficienter exprimentibus. Ita etiam in Matrimonio determinatus est pro materia contractus in genere legitimus, quò tradatur mutuum Jus ad usum corporum, & pro forma determinatum est solum in genere signum externum, cum ejus forma possint esse verba, vel formalia, vel tantum æquipollentia, uti sunt scriptio, & nutus, quæ inter se specie distinguuntur, & sic de aliis proportionate discurrendo; Unde clare constat, quod materiæ, & formæ Sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ, & determinatæ quoad substantiam; At non omnes, & singulæ uniformiter, & æqualiter in particulari, & in specie; Ad quod facit Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2.* ubi sic expresse habet: *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

Omnis mutatio substantialis facta in materia, 29
vel forma Sacramentorum irritat, & invalidat Sacramentum; Secus autem si sit solum mutatio accidentalis. *Communissima omnium Theologorum*, qui ad hoc communiter tradunt has duas regulas: *I. Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non fit Sacramentum. II. Si mutatio materiæ vel formæ sit tantum accidentalis, fit Sacramentum.*

Mutatio autem tunc censetur substantialis, quan- 30
do juxta communem usum, & existimationem Prudentum non manet amplius eadem res in nomine, & substantia cum illa, quam Christus instituit, & determinavit pro materia Sacramenti. Seu loquendo de forma, quando non manet amplius in verbis idem sensus per verba intentus a Christo; Tunc vero censetur solum mutatio accidentalis in materia, quando juxta communem usum & existimationem Prudentum res adhuc remanet eadem in substantia; Et tunc censetur solum mutatio accidentalis in forma, quando remanet adhuc in verbis idem sensus per verba intentus a Christo. *Sic Doctores communiter.*

Quoad materiam, & formam propriam cujusli- 31
bet specialis Sacramenti, earumque mutationem substantialem, vel accidentalem; vide in suis propriis locis, & signanter sub verb. *Baptismus &c.*

Quamvis Ministri Sacramentorum mali sint, Sa- 32
cramenta non cessant esse bona; *cap. si justus 30. cap. Ex Catholica 31. cap. sic autem 32. cap. Non foris 33. cap. Nonne Sodomitæ 37. cap. Dominus declaravit 87. cap. Christus 88. & cap. Non nocet 89. caus. 1. q. 1.*

Sacramenta enim valide fiunt etiam a malis Mi- 33
nistris in peccato mortali existentibus. Conc. Trid. *sess. 7. Canon. 12.* ibi: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Unde Sacramenta ministrata a malis ministris eis 34
nocent, non autem sumentibus; *cap. Omnia Sacramenta 78. cap. Christus 88. & cap. Non nocet 89. caus. 1. q. 1.* cum similibus.

Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus 35
Christianis. Conc. Trid. *sess. 7. Canon. 10.* ibi: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Sacramenta fieri non possunt nisi a Ministro ha- 36
bente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Conc. Trid. *cit sess. 7. Canon. 11.* ibi: *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

37 Quoad plurima alia, quæ concernunt Ministrum Sacramentorum. Vide verb. *Minister Sacramentorum per tot. a n. 1. ad n. 54.*

38 Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valide conficienda, seu ministranda, vel recipienda Sacramenta. Vide verb. *Intentio a n.* 14. *ad n.* 43. *& a n.* 57. *ad* 61.

39 * Sententia asserens in Sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi quidquid facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab Episcopis configenda est. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *capit.* 4. §. 9.

40 Verum contraria tutior, & omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, & necessitas urgeat, Sacramentum Baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est Sedes Apostolica, *ibid.* *

Additiones ex aliena manu.

41 Quæstiones, quas circa materiam, & formam Sacramentorum movent Scholastici, & inter hos *Auctor*, præcipue sub sæculum XII. aut XIII. exortæ sunt. Ab eo enim tempore Sacramenta per materias, & formas explicari cœperunt. Et *primus*
42 *Scholasticorum* (ut inquit Morin. *de SS. Ordinat. part.* 3. *exercit.* 1. *cap.* 3. *nu.* 6.) *quem legi, qui hanc Sacramenta explicandi methodum amplexus est & docuit, Gulielmus est Antisiodorensis, qui scribebat*
43 *paulo post annum* 1215. Additque *num.* 10. ante hæc tempora Theologos totam hanc Sacramentorum materiam explicasse: *per verba signi, & rei sacræ, seu invisibilis, dicentes sacramentum constare signo & re sacra, seu invisibili. Per signum intelligebant, quod postea per materiam significatum est, atque etiam quod per formam, quidquid scilicet sensibus percipitur. Per rem sacram, seu invisibilem effectum Sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud antiquos frequentissimus explicandi modus. Unde illa definitio, Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Formam vocant speciem, quæ sensibus percipitur.* (1)

44 E philosophia vero Peripatetica nata est ratio hæc explicandi Sacramenta per materiam & formam.
45 Ea enim rerum naturas sub nominibus hisce ma-
46 teriæ & formæ inquirere & examinare solebat. Hac igitur philosophia, quæ jam sæculo XII. radices agere cœperat, imbuti Theologi, eamdem philosophandi rationem in Theologiam, atque potissimum in Sacramentorum doctrinam introduxerunt, ut recte observavit Morinus *loco mox citato numer.* 3. ubi, *quod potissima cura fuit definire, quæ fuerint Sacramentorum materiæ, quæ formæ, & sub horum nominum insigniis principales de Sacramentis quæstiones efformare & protendere* (2).

De quæstionibus hisce circa Sacramenta in gene- 47
rali, tum singula in particulari qui instrui cupit, adeat Scholasticos qui integros de Sacramentis tractatus edidere. Meo vero judicio recte *Vanespen*, 48
omissis dictis quæstionibus, quæ nec ad externam Sacramenta administrandi rationem, neque ad Canonicam disciplinam spectant, id sibi proposuit, ut circa Sacramenta proponeret & discuteret disciplinam, quam Sacri Canones, Synodalia decreta, & Ritualia in eorum administratione servandam præscripserunt. Consule igitur ipsum, ubi res postulat *part.* 2. *juris Eccl. univers. a titul.* 1. *ad plur. seq.* Confer etiam erudita pro more commentaria Clarissimi Viri, & nunquam satis pro merito commendati Josephi Catalani *in Rituale Romanum.*

Articulus II.

Quoad ea, quæ concernunt Sacramentorum effectus.

Effectus Sacramentorum novæ Legis est duplex, 1
scilicet unus generalis omnium, & alter particularis aliquorum. *Communis.*

Effectus generalis omnium Sacramentorum est 2
Gratia sanctificans. *Communis.*

Omnia enim Sacramenta novæ Legis sine obice 3
suscepta conferunt ex opere operato Gratiam digne sumentibus; *Communis inter Catholicos*, & sic expresse habetur ex Conc. Florent. *sess. ultim. in Decret. Eugenii IV.* §. 5. *Ecclesiasticorum*, ibi: *Novæ Legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant; Hæc vero nostra, & continent Gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*, & novissime sic est definitum in Conc. Trident. *sess.* 7. *Canon.* 6. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere Gratiam, quam significant, aut Gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre* ...... *anathema sit*: & *Canon.* 7. ibi: *Si quis dixerit, non dari Gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.*

Effectus particularis aliquorum Sacramentorum 4
proprius est Character. *Communis.* Sola enim tria 5
Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem. *Communis inter Catholicos*, & habetur ex Conc. Flor. *loc. cit.* ibi: *Inter hæc*

(*1) Addendum tamen, Sacramentorum quam dicimus, materiam olim dictam fuisse *elementum*, formam *verba*: quo spectat illud Augustini *Tract.* 80. *in Joannem*: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

(2) Cave, hinc cum Sarpio Tridentinum Concilium propterea irrideas, quod Philosophorum sui temporis phraseologiam in Canones fidei transtulerit. Id ante Tridentinum alia quoque concilia usurpaverant; quin mos ita loquendi etiam ad orientales ipsos penetravit, ut ex responso Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Wittembergenses dato *c.* 7. constat.

hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; Unde in eadem persona non reiterantur; Reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Et ex Concil. Trid. *cit. sess. 7. Canon. 9.* ibi: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit*.

6 Quoad ea quæ concernunt Gratiam generatim, & Gratiam sanctificantem. Vide verb. *Gratia ut est donum Dei, per tot.*

7 Præter Gratiam sanctificantem habitualem per quodlibet Sacramentum digne susceptum conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales Gratiæ actuales opportunæ ad consequendos proprios fines singulorum Sacramentorum. *Communis* omnium Conciliorum, Patrum, & Doctorum sic intelligentium, & significantium, quando dicunt quodlibet Sacramentum conferre Gratiam specialem sibi propriam. Et ratio clara est, quia cum singula Sacramenta sint a Deo instituta ob speciales suos fines, oportet etiam, ut conferant speciales gratias actuales, quibus ea digne suscipientes juventur ad fines illos consequendos.

8 Sacramenta novæ Legis causant Gratiam sanctificantem *ex opere operato*, & non *ex opere operantis* tantum, est de Fide ex Concil. Trid. *sess.7. Can.6.* ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non conferre Gratiam, quam significant, aut Gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre .... anathema sit*; & *Can.* 8. ibi: *Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri Gratiam, sed solum Fidem Divinæ promissionis ad Gratiam consequendam sufficere, anathema sit*. Vide infra *n.* 21. & 22.

9 Sacramenta autem causare Gratiam *ex opere operato* est conferre Gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis exhibitæ suscipienti, consideratæ scilicet secundum dignitatem, & efficaciam, quam habet ex institutione facta a Christo sine ullo respectu vel dependentia ad merita, vel dignitatem illius, qui eam actionem exercet. Et dicitur *ex opere operato*, quia ob infallibilem promissionem Divinam ea Gratia confertur ex meritis Christi, ac virtute Passionis suæ, quæ jam sunt opus operatum. E contra causare Gratiam *ex opere operantis* est, solum ratione meriti, & dispositionis illius, qui talem actionem exercet, conferre Gratiam; & dicitur *ex opere operantis*, quia ea Gratia confertur propter propria merita, devotionem, actusque virtuosos ipsius hominis operantis, sive ut Ministri, sive ut suscipientis. *Sic Doctores communiter*. Vide infra *n.* 21. & 22.

10 Sacramenta Mortuorum per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis conferunt primam Gratiam sanctificantem; Per accidens autem quandoque secundam. *Communis*.

11 Et ratio primæ partis est clara, quia Sacramenta Mortuorum per se, ac ex primaria sua institutione instituta sunt a Christo Domino ad spiritualiter mortuos spiritualiter vivificandos; atqui si non conferrent per se, ac ex primaria sua institutione primam Gratiam, non essent instituta ad vivificandos spiritualiter mortuos, sed ad nutriendum, & corroborandum viventes in vita spirituali, ergo &c.

Ratio item secundæ partis est clara, quia omnia Sacramenta rite, & digne recepta numquam carent suo effectu, qui est Gratia: ergo si Sacramenta Mortuorum rite ministrentur homini jam constituto in Gratia per Contritionem perfectam, ne suo careant effectu, debent conferre Gratiam, non primam, ut patet, cum ipse recipiens sit jam in Gratia constitutus per Contritionem perfectam, ut supponitur, ergo per accidens secundam, seu augmentum Gratiæ primæ. 12

Sacramenta vivorum per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis conferunt Gratiam secundam. Per accidens autem quandoque primam. *Communis*. 13

Et ratio primæ partis est de se clara, quia Sacramenta Vivorum sic appellantur, eo quod ministrari debeant solum vivis membris Christi per jam sibi inexistentem Gratiam primam sanctificantem, ergo cum non possint conferre gratiam primam, quæ jam inesse supponitur, ne careant suo effectu, debent conferre Gratiam secundam, seu augmentum primæ. 14

Ratio item secundæ partis est de se clara, quia juxta Concilium Tridentinum *sess.* 7. *Can.* 6. & 7. per text. cit. *supra num.* 3. omnia Sacramenta novæ Legis conferunt Gratiam non ponentibus obicem; atqui dum quis se bona fide existimans in statu Gratiæ cum tamen revera habeat occultum mortale peccatum, cujus non recordatur, seu ex malitia Confessoris non sit absolutus a peccato mortali, ut ipse bona fide credit, & cum sola Attritione recipit aliquod Sacramentum Vivorum, nullum ex se ponit obicem, ergo tunc ipse vi talis Sacramenti recipit Gratiam, non secundam, cum nulla prior infuerit, nec Attritio de se conferat Gratiam, ergo recipit primam per accidens causatam a Sacramento Vivorum recepto; Sic probabiliter aliqui. 15

Quænam autem sint Sacramenta Mortuorum, & Vivorum, & cur ita dicantur? Vide *art. anteced. num.* 8. 16

Quænam autem sit prima, & secunda Gratia, & cur ita dicatur? Vide verb. *Gratia n.* 5. 17

Sacramenta specie distincta, ut Baptismus, Confirmatio, Eucharistia &c. non conferunt omnia æqualem Gratiam, sed digniora, & perfectiora Sacramenta majorem, ac perfectiorem Gratiam conferunt. *Communis*, & colligitur ex Conc. Trident. *sess.7. Can.3.* ibi: *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta inter se ita esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit*, ubi ut vides, definit Concilium aliud Sacramentum esse alio dignius; Dignior autem, & perfectior causa digniorem & perfectiorem producit effectum, adeoque &c. & consequenter Sacramentum Eucharistiæ, quia omnibus aliis dignius, & perfectius est, cum sit Sacramentum permanens, in se realiter Christum continens, ceteris paribus majo- 18

majorem, & perfectiorem, quam alia Sacramenta, confert Gratiam.

19 Sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta, ut plures Baptismi, plures Confirmationes, &c. per se, & de Lege ordinaria semper æqualem conferunt Gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis; Inæqualem autem Gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis. *Communis*.

20 Et ratio primæ partis est de se clara, quia ex Tridentino *sess. 7. Canon. 6.* per text. cit. *supra numer.* 8. Sacramenta secluso obice conferunt Gratiam, quam significant: sed duo Baptismi ver.gr. per se eamdem omnino gratiam significant, ergo per se eandem, & æqualem Gratiam conferunt, ubi æqualis est dispositio recipientis; Tunc enim Sacramenta operantur ut causæ naturales. In naturalibus autem ab eadem causa circa passum æqualiter dispositum semper producitur idem, seu æqualis effectus: Unde omnes parvuli in Baptismo per se, & de Lege ordinaria semper accipiunt æqualem Gratiam, cum eorum omnium æqualis, vel potius nulla sit dispositio, cum careant usu rationis.

21 Dicitur autem notanter *Per se, & de lege ordinaria*, quia ut inquit Scotus *in 4. quæst. 7. num. 3.* *Posset Deus... conferre majorem illi, quem prædestinavit ad majorem Gloriam, sed ille uberior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia Divina*, Et ut dicit S. Thomas *q. 64. art. 1. ad 2. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem Ministri*. Cui conformis est Scotus *loc. cit. n. 5.* ibi: *Propter quorum*, idest Parentum, aut Ministrorum, *merita Deus uni parvulo potest conferre majorem Gratiam,*
22 *quam alteri*. Ex quibus patet, quod licet Sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta per se, & de Lege ordinaria semper æqualem conferant Gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis, ut propterea ad augmentum, vel detrimentum Gratiæ Sacramentalis per se nihil conferat sanctitas, vel improbitas Ministri, ut patet ex Sacris Canonibus, & Textibus citatis *articulo antecedenti sub num. 52. 53. & 54.* Per accidens tamen potest conferre Ministri probitas, seu sanctitas, si videlicet suis meritis, precibus, vel industriis impetret suscepturo Sacramentum Gratiam efficacem ad ferventiorem dispositionem, ratione cujus major conferretur Gratia, *arg. cap. Ipsi Sacerdotes 19. caus. 1.* cum similibus.

23 Ratio secundæ partis conclusionis, quod scilicet Sacramenta solo numero distincta inæqualem conferant Gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis, est etiam de se clara, quia sicut causæ omnes naturales perfectius agunt in subjecto magis, seu melius disposito, ita etiam Sacramenta, quæ operantur ut causæ naturales perfectiorem, & majorem conferunt Gratiam, ubi magis seu melius erit recipiens dispositus; Unde Concil. Trid. *sess. 6. cap. 7.* loquens de justificatione Adultorum per Baptismum docet, baptizatis conferri Gratiam juxta mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, *& secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*. Et S. Thom. *q. 69. art. 8.* dicit: *Quidam cum majori, quidam cum minori devotione accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de Gratia novitatis accipiunt*. Et cum ipso concordat Scotus *in 4. dist. 4. q. 7. num. 5.*

24 Ad recipienda fructuose Sacramenta Mortuorum scilicet Baptismum, & Pœnitentiam requiritur in Adultis in lethali existentibus Contritio, vel saltem Attritio; *Communis*, & desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 4.* ubi sic expresse habetur: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ, declarat, ... Donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam paret, Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

25 Ad recipienda rite, & fructuose Sacramenta vivorum, scilicet Confirmationem, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium requiritur per se loquendo status Gratiæ; *Communissima*. Si quis enim in mortali peccato scienter existens velit aliquod Vivorum Sacramentum suscipere, tenetur prius vel per Contritionem perfectam, vel per Attritionem una cum Sacramento Pœnitentiæ se in statum Gratiæ restituere, alias si in peccato mortali scienter existens cum sola Attritione cognita aliquod Vivorum Sacramentum recipiat, non solum infructuose, seu sine Gratia sanctificante illud recipit, sed potius de novo gravissime, & sacrilege peccat.

26 Immo ad digne, & fructuose recipiendum Sacramentum Eucharistiæ requiritur, ut scienter existens in peccato mortali præmittat de ipso Sacramentalem Confessionem, nec sufficit Contritio. *Communissima* per text. Apostol. *1. ad Corinth. c. 11. n. 28.* ibi: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, Judicium sibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini.* Et per textum Concilii Tridentini *sess. 13. cap. 7.* ibi: *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus*, scilicet Apostoli *præceptum*: *Probet se ipsum homo: ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex Officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Et ibidem Canon. 21.* sic expresse habet: *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque adeo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus illis, quos con-*

conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem; Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere presumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

27 Sublata, seu recedente fictione, idest indignitate, vel indispositione suscipientis, reviviscit Baptismus ficte, idest cum obice peccati mortalis susceptus: Unde effectus Gratiæ sanctificantis, qui propter obicem peccati mortalis seu indispositionem adulti suscipientis tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto tali obice per veram Pœnitentiam statim confertur. *Communis* cum S. Th. *q. 69. art.* 10. ubi sic habet: *Oportet, quod remota ea per Pœnitentiam*, nempe fictione, *Baptismus statim consequatur suum effectum*. Cui conformis est Scotus *in* 4. *q.* 5. *n.* 4. ubi sic expresse ait: *Potest dici, quod illa fictio non dimittitur nisi per veram Pœnitentiam, sed ea dimissa habet Baptismus effectum suum*. Et ibidem *n.* 8. loquens de eo, qui accedit cum fictione subjungit: *Recipit ergo effectum Baptismi, quando pœnitet*. Unde immerito, & falso in contrarium eum citat Gonet *disput.* 4. *de Baptismo art.* 2. Et conclusio habetur tota expresse ex verbis S. Augustini *lib.* 1. *de Baptismo cap.* 12. relat. *in cap. Tunc valere* 42. *dist.* 4. *de consecrat.* ibi: *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci Confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel Sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri*: Et ratio est, quia Baptismus semel valide susceptus ob impressum Characterem est initerabilis ex Conc. Florent. *sess. ultim. in Decr. Eugenii IV.* & Concil. Trid. *sess.* 7. *Canon.* 9. *cit. art. antecedent. num.* 9. & ejus effectus, scilicet regeneratio spiritualis, est simpliciter necessarius ad salutem, Joann. *cap.* 4. *num.* 1. ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Et peccata ante Baptismum commissa per nullum aliud Sacramentum remitti possunt, sed per ipsum solum Baptismum in re, vel in voto, ut patet ex dictis sub verb. *Peccatum num.* 36. ergo necesse est, ut Baptismus semel valide receptus sine effectu ratione obicis, recedente postea obice operetur suum effectum, quem antea operari nequit.

28 Etiam alia duo Sacramenta imprimentia characterem, scilicet Confirmatio, & Ordo si ficte, seu indisposite cum obice peccati mortalis recepta sint, recedente postea per veram Pœnitentiam fictione, seu obice peccati mortalis reviviscunt, seu conferunt suum proprium effectum Gratiæ Sacramentalis. Sic expresse S. Th. *in* 4. *dist.* 4. *q.* 3. *art.* 2. S. Bonav. *dist.* 1. *par.* 1. *art.* 13. quibus consonat Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *num.* 7. his verbis: *In quibuscumque Sacramentis imprimitur dispositio ad effectum principalem; si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis, cessante obice, sufficit dispositio ad illum effectum principalem, ut apparet in Sacramentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia*. Et sic communior Doctorum; Et ratio est, quia etiam ista duo Sacramenta sunt simpliciter initerabilia, & habent effectum suum sibi proprium, scilicet Confirmatio Gratiam in Fide Christi roborantem, Ordo Gratiam ad digne, & sancte adimplenda Ministeria Sacra cuilibet Ordini annexa, qui effectus ab aliis Sacramentis conferri nequeunt, adeoque hæc duo quoque Sacramenta semel valide suscepta sine effectu ratione obicis, postea amoto obice effectum suum causare, seu conferre debent, ne recipiens teneatur carere effectu ipsorum in perpetuum.

Etiam Extrema Unctio, & Matrimonium probabilius reviviscunt recedente fictione. Sic S. Thom. *loc. cit. & dist.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. cum dixisset, Confessionem reviviscere sublata fictione, addit, idem esse in aliis Sacramentis, & colligitur ex Scoto *loc. citat.* & tenet communior Doctorum. Et ratio est, quia cum etiam hæc duo Sacramenta secundum quid sint irreiterabilia, nempe durante eadem infirmitate, & durante vita utriusque conjugis, & habeant effectus aliquos speciales sibi proprios, scilicet Extrema Unctio Gratiam delentem peccatorum reliquias, & in extremo conflictu roborantem; Matrimonium Gratiam mutuæ concordiæ conjugum conciliativam, & ad ferenda onera Matrimonii auxiliativam, nec hi effectus per alia Sacramenta conferantur, hinc congruum est etiam hæc duo Sacramenta valide suscepta sine fructu, postea amoto obice, reviviscere, & dictos suos peculiares effectus causare: dummodo obex removeatur intra tempus ejusdem morbi, vel conjugii, ut tenent Suarez, Lugo, Coninch, Castropal. cum La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *numer.* 202. & plurimi alii. 29

Pœnitentia autem non reviviscit recedente fictione, seu obice. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 2. §. *Contra istam opinionem*; ubi sic expresse habet: *in ficte Pœnitente, cessante fictione, nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ Pœnitentiæ, alioquin non oportet talem ficte confessum de eisdem peccatis alias confiteri*. Scotum sequuntur passim Scotistæ, & varii alii exteri contra Divum Thomam, & alios; Et sic videtur tenere praxis fere universalis Confessariorum, qui omnes solent exigere a Pœnitentibus Confessionum ficte factarum repetitionem; Eo vel maxime, quod non datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ut jam probavimus sub verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art.* 2. *a n.* 16. *ad* 29. Vide *ibi*. 30

Eucharistia vero probabilius reviviscit recedente obice si obex removeatur, antequam consumptæ sint species; Secus tamen, si obex removeatur solum, postquam jam totaliter consumptæ sunt species, & Christus jam desiit esse præsens. Sic communior Doctorum cum Aversa *de Eucharistia q.* 7. *sect.* 1. Suarez *d.* 63. *sect.* 8. La Croix *l.* 6. *par.* 1. *n.* 250. Et ratio primæ partis est, quia cum in tali casu subjectum jam sit dispositum ad Gratiam, & cum Sacramento permanente adsit Auctor omnis Gratiæ, dicendum est, quod tunc causet Gratiam. Ratio autem secundæ partis est, quia, si Eucharistia revivisceret, quando obex removetur solum, postquam sunt consumptæ totaliter species, & Christus jam desiit esse præsens, sequeretur, quod Sacerdos, qui toto tempore vitæ suæ quotidie communicasset sacrilege, si in fine vitæ pœniteret, acci- 31

acciperet ex opere operato vi tot Communionum sacrilegarum plus Gratiæ, quam Sacerdos, qui quotidie semper digne communicasset, quod nemo dixerit.

32 Sacramenta non causant Gratiam physice, sed moraliter, idest Sacramenta non producunt Gratiam ut causæ physicæ, sed ut causæ morales, quatenus efficaciter movent Deum ad producendam Gratiam, quam significant, & quam ipsemet Deus statuit dare infallibiliter, quotiescumque rite conficerentur, & digne sumerentur. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 3. *&* 5. cum omnibus suis Scotistis, S. Bonaventura, Richardus, Alensis, Aureolus, Vasquez, & plurimi alii contra Thomistas, & alios; Et ratio est, quia modus operandi sequitur modum essendi; Sacramenta autem ut Sacramenta sunt quid morale, cum dependeant solum ex institutione Christi, a qua, & meritis ejusdem Christi Domini totam suam vim atque efficaciam causandi habent, adeoque & illorum modus operandi erit moralis, & non physicus; Tum quia ex Divo Thoma 1. *p. q.* 45. *art.* 5. creatura non potest creare, neque principaliter, neque instrumentaliter saltem physice, quia creare est potentiæ infinitæ: Sacramenta autem sunt creaturæ, adeoque non possunt producere Gratiam ut causæ physicæ, quoniam Gratia habet esse per creationem: Tum etiam quia nulla causa producit physice effectum, nisi physice actu existat; Sacramenta autem conferunt Gratiam aliquando pro eo tempore, quo non amplius existunt, cum, ut diximus *supra num.* 27. ex S. Thoma, S. Augustino, Scoto, & communi aliorum Baptismus ficte, seu cum obice receptus non causet Gratiam pro tempore quo cum tali obice peccati mortalis recipitur, sed solum pro tempore quo per veram Pœnitentiam removetur talis obex, & sic si quis hodie cum obice reciperet Baptismum, & cras obicem removeret, reciperet cras Gratiam virtute Baptismi hodie suscepti, quod cum non possit competere causis physicis, dicendum est Sacramenta esse tantum causas morales, adeoque &c.

33 Character Sacramentalis, qui ut diximus *supra num.* 4. est effectus particularis aliquorum Sacramentorum proprius, imprimitur solum in tribus Sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine. *Communis inter Catholicos*, ex Conc. Florent. *sess. ult.* in *Decreto Eugenii IV.* & Concilio Tridentino *sess.* 7. *Canon.* 9. per textus *loco citato* adductos.

34 Cur autem sola dicta tria Sacramenta, & non alia quatuor imprimant Characterem? Ratio a priori non est nisi voluntas Christi Domini ita instituentis, quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione, & auctoritate Ecclesiæ; Ratio autem congruentiæ desumitur ex Scoto *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. quia sicut in Politia Civili tres tantum sunt gradus determinati, & speciales; Primus scilicet dum admittitur quis in familiam Principis; Secundus, cum constituitur miles ad defendendam Rempublicam; Tertius, dum constituitur Officialis Principis: Ita tres solum gradus determinati, & speciales, adeoque dignitatem, aut Characterem imprimentes reperiuntur in Politia Ecclesiastica. Primus scilicet dum quis recipitur in Familiam Christi, quod fit in Baptismo; secundus, dum fit Christi miles ad defensionem Fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione; Tertius, dum constituitur Dux, aut unus ex Magistratu Familiæ Christi, & Dispensator Mysteriorum Dei, quod fit in Ordine.

Character est *signum spirituale indelebile animæ impressum in susceptione Sacramenti initerabilis, significans potestatem quamdam spiritualem eo Sacramento acquisitam*. *Est in re Communis*, & desumitur ex Concilio Florentino *sess. ultim. in Decreto Eugen. IV.* & Concilio Trid. *sess.* 7. *Canon.* 9. 35

Character non est pura relatio rationis, aut denominatio extrinseca. *Communis* ex Concilio Florentino *loc. cit.* ubi Character vocatur *spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum* impressum in anima, indelebile, & ex Concilio Trident. *loc. cit.* ubi character appellatur *signum spirituale, & indelebile impressum in anima*. 36

Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta. Sic tenent communius Doctores, & signanter celebriores Scotistæ, ut Bassolius, Mayronius, Rubionus, Vorillon, Nicolaus de Orbellis, Cavellus, Aretinus, Hyquæus, Pontius, Mastrius, Frassen, Coen, Dupasquer, & alii plures; Nec contrarium Scotus, ut falso aliqui prætendunt, cum ipse *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. *num.* 13. resolvat, Characterem esse aliquid reale, sed an relativum sit, vel absolutum? nihil determinat, cum utrumque problematice defendat, & sic plenam suis relinquat opinandi libertatem, ut patet ex sequentibus suis præcisis verbis: *Utrumque salvari potest, quod sit scilicet forma respectiva, sicuti jam ostensum est, vel quod sit forma realis absolute*. 37

Character Sacramentalis non subjectatur in anima sub ratione formali animæ. *Communis*, cum S. Thoma *quæst.* 63. *art.* 4. & Scoto *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 11. *num.* 3. *&* 4. Character igitur subjectatur in anima sub ratione formali voluntatis; Sic Scotus *loco cit.* cum omnibus suis contra Thomistas, qui dicunt subjectari in intellectu; Ratio autem nostra est, quia in ea potentia poni debet signum obligationis, in qua ponitur obligatio; obligatio autem animæ ad Christum, quæ contrahitur per Baptismum &c. ponitur in voluntate, & non in intellectu, cum intellectus utpote potentia necessaria, & ad unum determinata, non sit capax præcepti, vel obligationis, adeoque &c. Tum quia Character debet poni in illa potentia, quæ omnes alias potentias movet, & dirigit ad actiones, ad quas conferuntur Sacramenta; Hoc autem competit voluntati instar Reginæ omnibus potentiis imperanti, adeoque &c. 38
39

Character Sacramentalis de potentia Dei ordinaria est indelebilis, tum in hac, tum in altera vita. *Communis*; Et ratio est, quia alioquin a Concilio Florentino, & Tridentino *locis citatis* non potest dici absolute esse *Signum indelebile*. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta, tam in hac, quam in altera vita. *Communis*. Unde Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 9. *num.* 20. sic expresse habet: *Nulla forma* 40
41

ma potest esse in anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, quia in hoc nulla inveniri potest contradictio.

42 Sacramenta denegari nequeunt mulieribus menstruatis. Benedict. XIV. tom.1. Constit. 107. incip.
43 *Omnium solicitudinum* §. 3. 14. 39. Sacramentorum participatio denegatur occultantibus Fidei Christianæ professionem cum simulatione Mahumetismi.
44 Idem Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* §. 6. Item mulieribus Christianis in Turcarum contuberniis
45 viventibus absque Religionis exercitio. Idem *ibid.* §. 7. Item mulieribus nulliter nuptis cum infideli-
46 bus, donec in concubinatu permanserint. Idem *ibid.* §. 13. Item iis, qui uxore ad Turcas confugiente, aliam ducere præsumpserint. Idem *ibid.* §. 12.

47 Sacramenta administrantes, etiam in Ecclesiis Regularium, subsunt visitationi, & correctioni Episcopi, in his, quæ spectant ad ipsam administrationem. Idem Constitut. 109. incip. *Firmandis*
48 §. 2. Amplia, etiamsi ipsi non sint Parochi. Idem *ibid.* §. 3.

49 Sacramentorum simulatio licita non est, etiam ad evitandum mortis periculum. Idem tom. 2. Constitut. 18. incip. *Postremo mense* §. 20. *&* 21.

50 SS. Sacramentum Eucharistiæ publicæ Fidelium venerationi exponendum non est sine licentia Episcopi, seu Ordinarii loci; Idem Constitut. 5. incip. *Accepimus*.

51 Sacramentorum materiam, & formam adhibere circa subjectum capax, absque intentione conficiendi Sacramentum, est omnino illicitum. Idem
52 Constitut. incip. *Ex quo primum*, §. 56. Sacramentum, si partes subjecti sejunctæ sint, valide, & licite conferri potest a pluribus Comministris, materiam, & formam seorsim, & diversis partibus applicantibus. Idem in d. Appendice, Constit. incip. *Peracta*, §. 15. ubi asserit, quod legitima concurrente causa, ut instans periculum vitæ infirmi, etsi Ritualia obstent, nedum valide, sed etiam licite hodie in Ecclesia Occidentali Sacramentum Extremæ Unctionis administretur a pluribus Sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, proferatque formam, aliique idem præstent super aliis sensuum organis. Vide ad id jam tradita a nobis in Tomo tertio, verb. *Extrema Unctio, a num.* 29. *ad* 33.

Additiones ex aliena manu.

53 E philosophia etiam Peripatetica desumpta sunt, quæ Scholastici disputant de effectibus Sacramentorum, tum & maxime de eo, quomodo, & quando Sacramenta producant gratiam. Confer *Vanespen. Jur. Eccles. univ. par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 2. §. 6.

54 Inter effectus Sacramentorum recensetur & *character*, isque effectus tribus tantum Sacramentis tribuitur, *Baptismo*, *Confirmationi*, *&* *Ordini*, Concilium Tridentinum *sess.* 7. *de Sacram. in gener. can.* 9.

55 In quo vero consistat characteris essentia, non
56 conveniunt inter se Theologi, & Canonistæ. Dixit utique Concilium Tridentinum *loco mox citato* imprimi per dicta tria Sacramenta *characterem in anima, hoc est signum spirituale, & indelebile*. Sed quid sit signum hoc, magna est dissensio. *Veri-* 57
similius est (ait Vanespen ubi supra §. 11.) *aliud dicere noluisse Synodum, nisi quod per hæc Sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quale solet imprimi dum quis ad dignitatem, aut ad conditionem aliquam stabilem, & permanentem assumitur, ut ex. gr. ad dignitatem doctoralem, regalem &c. In horum enim adoptione, & collatione accedit ipsi accipienti hujusmodi dignitatem, vel conditionem quoddam ens morale, ratione cujus perpetuo reputatur Rex, Doctor &c.*

At, si dicendum quod res est, nec ipse Vanes- 58
pen satis explicat quid sit signum hoc spirituale, & indelebile. Retineamus autem eum, qui ex cha- 59
ractere fluit, effectum, quod scilicet tria hæc Sacramenta non sint reiterabilia, & non curemus de explicatione mox dicti signi *spiritualis, & indelebilis*.

Cæterum tametsi dicta tria Sacramenta haud rei- 60
terentur, tamen si rationabiliter de eorum valida collatione dubitetur, reiterari possunt. Et quod notandum est, antiquitus sine ulla conditionis expressione reiterabantur, ut Vanespen *eodem loco* §. 15. monstrat *ex Canon.* 1. *Concilii Chartaginensis V.* Invaluit vero postmodum, ut reiterarentur 61
sub expressa conditione *si suscepta non sint*. Sed nescitur quo tempore reiterari dd. tria Sacramenta cœperint sub dicta conditione: Haud improbabile 63
vero est, ea ita reiterari cœpisse ex quo responsum *Alexandri III.* de quo *in cap.* 2. *de Baptismo* Decretalibus Gregorii IX. insertum fuit. In eo 64
enim habetur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; Sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.*

Recte vero monet Rituale Romanum *sub titulo* 65
de forma Baptismi: *Hac tamen conditionali forma non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum.*

SACRA SCRIPTURA. Vide infra *Scriptura Sacra*.

SACRIFICIUM.

Sacrificium in genere sumitur dupliciter, scili- 1
cet late, seu improprie, & stricte, seu proprie. *Communis.* Sacrificium late, seu impro- 2
prie sumptum est quodlibet opus bonum in Dei honorem, & cultum relatum, ut sunt Orationes, Laudes, adorationes, ceterique actus virtutum præsertim Religionis; Et in hoc sensu Sacrificium complectitur Justitiam, juxta illud *Psalm.* 4. *n.* 2. *Sacrificate Sacrificium justitiæ*. Item internum animi dolorem propter Dei offensam, juxta illud *Psalm.* 50. *num.* 9. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Item externam laudem in Deum relatam,

juxta illud *Psalm. 49. num. 3. Sacrificium laudis honorificabit me*. In simili casu loquitur *ad Hebræos cap. 13. num. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus*.
3 Sacrificium stricte seu proprie sumptum est peculiaris actus virtutis Religionis, quo speciali quodam modo recognoscimus summam Dei excellentiam, supremumque ejus Dominium, & nostram ad ipsum subjectionem per oblationem,
4 & destructionem alicujus rei sensibilis. Et Sacrificium hoc modo sumptum, de quo hic est sermo, sic definitur, *Sacrificium stricte, seu proprie sumptum est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, & a Ministro legitimo facta soli Deo per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem in recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes Dominii. Est in re Communis*.

5 Dicitur primo, *Oblatio externa rei sensibilis*, quia Sacrificium est cultus Dei exterior protestativus supremi ejus Dominii etiam coram hominibus, qui nonnisi sensibilibus communicant inter se.

6 Dicitur secundo, *legitime instituta*, quia cum Sacrificium sit signum publicum protestativum supremi Dei Dominii, & specialis Dei cultus nomine totius Communitatis Deo exhibendus, & signa communia, & cultus publici per publicam, & legitimam auctoritatem institui debeant; ideo & ipsum Sacrificium debet esse institutum publica, & legitima auctoritate, & per hoc Sacrificium differt a Martyrio, quod non est publica auctoritate institutum.

7 Dicitur tertio, *Et a ministro legitimo*, quia cum Sacrificium sit specialis Dei cultus, nomine totius Communitatis ei exhibendus, requiritur, quod ad hoc sit aliquis specialiter deputatus tamquam legitimus Minister; Unde non solum in lege Evangelica sunt ad id deputati speciales Ministri, nempe Sacerdotes *ex cap. Firmiter credimus 1. de Summa Trinitat. & Fide Catholica*, & Concil. Trident. *sess. 23. capit. & Can. 1.* sed etiam in Lege scripta Sacrificia offerebantur a Ministris ad hoc specialiter deputatis, ut patet *Numer. 3.* & qui sine tali deputatione Sacrificia offerre tentarunt, Divinitus sunt puniti, ut patet de Saule 1. *Reg. 13.* & Ozia 2. *Paralipom. 26.* Et etiam in Lege naturæ fuisse aliquos specialiter deputatos, colligitur *ex Genesi 14.* ubi Melchisedech dicitur obtulisse panem, & vinum, & ratio additur: *Erat enim Sacerdos Dei Summi*. Et tales Sacerdotes pro tunc secundum communem opinionem erant Principes familiarum, & Filii Primogeniti, & aliqui alii, qui ex inspiratione Divina Sacrificia obtulerunt, ut de Abel legitur *Genes. 4.*

8 Dicitur quarto, *Facta soli Deo*, quia cum Sacrificium sit actus virtutis Religionis, & quidem supremæ ejus speciei, quæ dicitur *Latria*, ideo soli Deo offerri potest. Unde quamvis celebrentur Missæ in honorem Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, non tamen illis Sacrificium offerri potest, ut docet Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 3.* ibi: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris*.

Dicitur quinto, *Per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem*, quia ad rationem Sacrificii proprie dicti requiritur, vel quod res oblata physice destruatur, vel saltem moraliter notabiliter immutetur, ita ut res oblata accipiat alium statum, & reddatur omnino inutilis ad priores usus, seu functiones naturales; Sic olim ab Hebræis Oves verissime sacrificabantur, quando realiter percussæ destruebantur; Et in libaminibus vinum, & oleum vere ab ipsis sacrificabatur, quando effundebatur in terram circa Altare Domini; Nam tunc ponebatur in statu corruptionis, & notabilis immutationis, & licet non statim substantialiter corrumperetur, donec siccaretur, tamen acquirebat statum inutilem ad suum usum naturalem, & humanum. 9

Dicitur sexto, & ultimo, *In recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes Dominii*, quia ideo per Sacrificium res sensibilis destruitur, vel notabiliter immutatur, ut contestemur nostram totalem ad Deum subjectionem, & supremam ipsius potestatem super nos, & res omnes, plenumque ipsius Dominium vitæ, & mortis, ita ut tam facile possit nos, & omnia immutare, vel destruere, quam facile nos rem aliquam nostram immutamus, & destruimus. 10

Sacrificium varie dividitur; Primo ratione materiæ dividitur in *Victimam*, seu *Hostiam*, in *Immolationem*, & in *Libamen*. *Victima*, seu *Hostia* dicebatur Sacrificium, quo in veteri Lege Deo offerebantur animalia, sive fuerint quadrupedia, sive volatilia, & inter volatilia præcipue offerebantur Columbæ, Turtures, & Passeres; inter quadrupedia vero Boves, Oves, & Capræ. *Immolatio* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes, sed solidæ, ut fruges terræ, panes, thura, & hujusmodi. *Libamen* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes sed liquidæ, ut vinum, oleum, sanguis, & hujusmodi. 11

Secundo ratione formæ, seu modi, quo fiebat, dividitur in *Holocaustum*, *Hostiam pacificam*, & *Hostiam pro peccato*. *Holocaustum* dicebatur Sacrificium, in quo tota res oblata destruebatur, seu comburebatur, & in fumum resoluta sursum ad Deum ascendebat, ut nihil inde cederet in usus hominum. *Hostia pacifica* dicebatur Sacrificium, in quo una pars rei oblatæ comburebatur in honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, & tertia in usum ipsum offerentium. *Hostia pro peccato* dicebatur Sacrificium, in quo una pars rei oblatæ comburebatur, & altera cedebat in usum Sacerdotum tantum eo in atrio Templi vescentium. 12

Tertio ratione finis, quo fiebat, dividitur in *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Impetratorium*, & *Satisfactorium*. Sacrificium *Latreuticum* dicebatur illud, quod per se totum in Dei cultum, & honorem exhibebatur. *Eucharisticum* dicebatur illud, quod fie- 13

fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium* dicebatur illud, quod fiebat pro beneficiis obtinendis, scilicet pro obtinendis bonis, & avertendis malis. *Satisfactorium* dicebatur illud quod offerebatur Deo in satisfactionem pro peccatis.

14 Omnia dicta Sacrificia modo coadunata sunt in uno Tremendo, & Incruento Missæ Sacrificio. *Communis inter Catholicos*; Unde Sanctus Leo *serm.* 8. *de Passione* sic ait: *Carnalium Sacrificiorum varietate cessante omnes differentias Hostiarum una Corporis, & Sanguinis implet Oblatio*. Et Ecclesia in Secreta Missæ post Dominicam VII. Pentecostes sic orat; *Deus qui Legalium differentiam Hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti*, & expressius idipsum docet Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. ibi: *Hæc denique illa munda oblatio est, quæ per varias Sacrificiorum Naturæ, & Legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata veluti illarum omnium consummatio, & perfectio complectitur*.

15 Quamvis unicum tantum sit Sacrificium novæ Legis, seu Missæ ratione unius tantum rei oblatæ, quæ est ipse Christus: Ratione tamen modi offerendi est duplex, scilicet *Cruentum*, & *Incruentum*. Sacrificium *Cruentum* dicitur, quo Christus in Cruce seipsum obtulit Deo cum reali effusione Sanguinis, mactatione, & morte violenta. Sacrificium *Incruentum* dicitur, quo Christus offertur Deo absque reali effusione Sanguinis, & morte violenta, sed modo incruento, & mystico, seu repræsentativo in omnibus Missæ Sacrificiis. *Communis* ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. ibi: *In Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit*.

16 Sacrificium Missæ penes diversos fines dividitur in *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Satisfactorium*, & *Impetratorium*. *Latreuticum* dicitur quatenus per se offertur in Dei cultum, & honorem, & in contestationem ejus supremi Dominii, tamquam finem principalem Sacrificii. *Eucharisticum* dicitur quatenus offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis receptis. *Satisfactorium*, quatenus offertur Deo in satisfactionem pro peccatis. *Impetratorium* dicitur, quatenus offertur Deo pro beneficiis impetrandis, seu obtinendis; idest pro obtinendis
17 bonis, & avertendis malis. Penes autem solos diversos fructus, & effectus suos Sacrificium Missæ dividitur in *Propitiatorium*, seu *meritorium*, in *Satisfactorium*, & *Impetratorium*, de quibus sub verb. *Missa art.* 1. *num.* 4. *ad* 7. Vide *ibi*.

18 Sacrificium dicitur *quasi Sacrum factum*, *c. Multi sæcularium* 84. *caus.* 1. *q.* 1. ibi: *Sacrificium autem* (dicitur) *quasi sacrum factum, quia consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ Passionis*.

Missa dicitur a verbo *Mitto*, quia in illa preces 19
supplicationes, vota, immo & ipsum Christi Corpus, & Sanguis mittuntur ad Deum. Unde S. Gregorius *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 58. sic expresse habet: *Dicitur Missa quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris inter Deum, & homines preces, & supplicationes, & vota transmittat Altissimo; Ipsum vero Sacrificium, idest Hostia, Missa vocatur quasi transmissa*. (1)

Sacrificium Missæ a Christo est institutum, & 20
hoc in nocte Cœnæ, & est Deo gratissimum: Concil. Senonens. *cap.* 11. & Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2.

In Sacrificio Missæ est eadem Hostia, quæ in Cru- 21
ce. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2.

In Sacrificio Missæ continetur Christus incruen- 22
te, & immolatur. Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2.

Sacrificii Missæ oblatio non præjudicat Sacrifi- 23
cio facto a Christo in Cruce. Concil. Trident. *cit. sess.* 22. *cap.* 2. & *Can.* 4. ibi. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit*.

Sacrificium in pane, & vino consecratis obtulit 24
etiam Christus. Concil. Senonens. *cap.* 11. & Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. Et sic faciendum præcepit Apostolis, & Successoribus, *ibidem cap.* 1.

Sacrificium Missæ a D. Jacobo Apostolo fuit or- 25
dinatum, seu dispositum quo ad ritum, & celebrationem, *cap. Jacobus* 47. *dist.* 1. *de Consecrat.* & habetur per extensum *in Constitution. Apostol. lib.* 8. *cap.* 12. & *sequent.*

Ad rite perficiendum Sacrificium Missæ Canon 26
fuit ab Ecclesia institutus ex Christi verbis, & Apostolorum traditione. Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 4.

Cæremoniæ, quæ in Sacrificio Missæ fiunt, ex 27
Apostolorum traditione habentur, *cap. Ecclesiasticum* 5. *dist.* 11. Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. Sic 28
vestes, Benedictiones, Thymiamata. Concil. Trid. *ibid. cap.* 5.

Sacrificium Missæ non potest fieri vulgari lin- 29
gua, Concil. Tridentin. *sess.* 22. *cap.* 8. & *Canon.*
9. (2) In Sacrificio Missæ quædam dicenda sunt cla- 30
ra, & alta voce, & quædam submissa. Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 5. & *Canon.* 9.

Sacrificium Missæ ab Apostolis cœpit fieri post 31
Ascensionem Christi in Cœlum; *lib.* 9. *Constitut. Apostol. cap. ultim.* ibi: *Nos vero post Assumptionem*

(*1) Non improbarim mysticam hanc S. Gregorii etymologiam. Malim tamen plerisque Liturgicis scriptoribus id nominis Sacrificio datum asserere a duplici populi missione, quæ in veteri Ecclesia fuit; altera post Evangelium, & sermonem, dum Cathecumeni, infideles, pœnitentes, ceterique, quibus Sacramentorum participationi interesse non licebat, a Diacono dimittebantur; & hæc *Missa*, seu *Missio Catechumenorum* dicebatur; altera initiatorum, dum re divina perfecta, a Diacono & ipsi dimittebantur, dicente: *ite, missa* est, hæcque Missa *fidelium* vocabatur. Vide Auctorem ipsum nostrum paulo post *num.* 32.

(2) Vide collectionem *quorumdam gravium Auctorum, qui ex professo, vel ex occasione Scaræ Scripturæ, aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt*, jussu Cleri Gallicani

nem ejus offerentes, ut idem constituit, Sacrificium mundum, & incruentum, elegimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconus septem.

32 Missa olim dividebatur in duas partes, scilicet in Missam Catechumenorum, & Missam Fidelium. *Missa Catechumenorum* durabat a principio Missæ usque ad Offertorium exclusive, & fuit sic dicta, quia tandiu, & non ultra Catechumenis interesse licebat. Post Evangelium enim ante Offertorium, quo incipiebat Missa Sacra, Diaconus publica voce clamabat *Ite, Missa est*, quibus auditis ab Ecclesia excludebantur Catechumeni, Energumeni, publice Pœnitentes, quibus non licebat interesse Consecrationi Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. *Missa Fidelium* incipiebat ab Offertorio, & durabat usque in finem. Unde ob hanc veterem Missæ divisionem etiam nunc tota Sacra actio solet quandoque dici in plurali *Missarum solemnia*, quamvis etiam Missa in singulari pro nostro jam cummuni usu intelligendi sufficienter significet, & denotet totam illam actionem Sacram, quæ in Missa a principio usque in finem peragitur; Et hinc post totam illam Sacram actionem in fine Celebrans, aut Diaconus dicit: *Ite, Missa est*; quibus insinuatur, & significatur; Hostiam Sacram jam esse plene oblatam, missam, seu transmissam ad Patrem, & ideo omnibus esse jam liberam missionem, seu dimissionem, ac licentiam abeundi.

33 Missa est *verum, & unicum novæ Legis Sacrificium, quo a Sacerdote rite Ordinato Corpus, & Sanguis Domini Nostri Jesu Christi sub speciebus panis, & vini, ex ejus institutione certo ritu pro salute vivorum, & defunctorum Deo offertur, immolatur, & sumitur*. Sic in re *Communis Theologorum*. Et desumitur ex Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *& Canon.* 1. 2. *&* 3.

34 Principalis Offerens Missæ Sacrificium est Christus Dominus, quamvis illud offerat Sacerdotum ministerio. *Communis Catholicorum*, & habetur clare ex Concilio Florent. *sess. ult. in Decreto Eugenii IV.* & Trident. *sess.* 22. *c.* 2. ubi expresse dicit: *Una est, eademque Hostia, idem nunc Offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. Et id ipsum clare demonstrant verba Consecrationis, ubi Sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens dicit: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus &c.*

35 Minus principalis Offerens Missæ Sacrificium est Sacerdos Celebrans, ut proximus, & immediatus Christi Minister, & Vicarius. *Communis*, & clare constat ex adductis verbis Concilii Tridentini: *Idem nunc Offerens Sacerdotum ministerio*, & ex eo, quod Sacerdos per Ordinationem accepit potestatem a Christo, ut in ejus persona hoc Sacrificium offerret; Unde Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus juxta Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. præcepit, ut Sacrificium offerrent, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: Cum autem Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficiat Sacramentum, & Sacrificium, ut patet ex verbis Consecrationis; *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*, hinc non est principalis Offerens, sed post Christum, qui est Offerens principalis, immediatus, & proximus ejus Minister, & Vicarius.

Etiam ceteri alii Fideles non Sacerdotes aliquo 36 modo, licet minus proprio, hoc Sacrificium offerunt. *Communis*, & habetur expresse ex verbis Innocentii III. *lib.* 3. *de Myster. Missæ cap.* 6. ibi: *Non solum offerunt Sacerdotes, sed & universi Fideles; nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium*. Unde *in Canone Missæ* dicitur: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*; Et infra: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*. Unde Fideles dicuntur offerre hoc Sacrificium dupliciter; Primo ratione quadam generalissima, tamquam membra Ecclesiæ, cujus nomine Sacerdos offert Deo hoc Sacrificium; Secundo ratione quadam magis speciali, & particulari, quatenus speciali quadam cooperatione ad ejus Oblationem concurrunt, vel dando pro tali Sacrificio eleemosynam, seu honorarium, vel necessaria suppeditando, vel Sacrificanti inserviendo, & hujusmodi. (1)

Hostia, & res Oblata principalis, seu id, quod 37 proprie, & principaliter offertur in Sacrificio Missæ, est Corpus, & Sanguis Christi, atque ipse Christus, ut constitutus sub speciebus panis, & vini vi actionis consecrativæ. *Communis inter Catholicos*; Et expresse habetur ex Concilio Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. ubi expresse dicit, quod Christus *Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituit ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque successoribus in Sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*. Et *ibidem Canon.* 2. expresse definitur: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem: Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum, anathema sit*.

Substantia panis, & vini in Sacrificio Missæ est 38 Hostia minus principalis, seu materia, ex qua fit Hostia

ni editam Lutetiæ per Antonium Vitrè MDCLXI, & Constitutionem, qua VII. Frebruarii ejusdem anni MDCLXI. Missale Romanum a Josepho de Voisin Gallice versum, impressumque superiore anno Alexander VII. clero Gallicano urgente damnavit. Confer etiam Benedictum XIV. *de Sacrific. Missæ lib.* 11. *cap.* 2.

(*1) Novatores quidam ut Fideles omnes cum Sacerdote sacrificium concelebrare suadeant, Canonem Missæ universum elata voce dicendum statuunt. Hoc enimvero reddita Italice, notisque superiore anno illustrata præstantissimi Archiepiscopi Suessionensis Langueti dissertatione confutatos vide a Francisco Antonio Mondellio.

Hostia principalis hujus Sacrificii. *Communis*. Panis enim, & vinum, cum destruantur, ut in testimonium Divinæ excellentiæ Christi Corpus, & Sanguis ponantur sub speciebus, vere possunt dici destrui in honorem Dei, & in testimonium Divinæ Excellentiæ saltem mediate; Unde Ecclesia volens designare, quod etiam panis, & vinum aliquo modo in Missa offerantur, sicque pertineant ad rem, quæ sacrificatur, in Missæ Offertorio sic orat: *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam Hostiam* præsentando simul panem consecrandum. Et infra: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris* elevando vinum consecrandum.

39 Quamvis variæ Actiones interveniant in Missæ Sacrificio, ut Oblatio panis, & vini, Consecratio, Oblatio Corporis Christi post Consecrationem, quando Sacerdos dicit; *Unde & memores Domine .... offerimus præclaræ Majestati tuæ &c.* Specierum mixtio, Fractio, distributio, Sacerdo-
40 tis Communio; Et tres communiter assignentur partes Missæ, scilicet prima pars ab Introitu usque ad Offertorium exclusive, quæ olim dicebatur Missa Catechumenorum, secunda pars ab Offertorio, totus Canon usque ad Sumptionem inclusive, ter-
41 tia pars a Post-Communione usque in finem: Tamen sola Consecratio est essentialis pars, immo tota essentia hujus Sacrificii Missæ consistit in sola Consecratione. Sic Sporer *tom.* 3. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 84. ubi vocat hanc conclusionem communissimam Theologorum, & Sanctorum Patrum, Henno *tom.* 2. *disp. XI. q.* 3. *conclus.* 4. ubi asserit esse communiorem cum D. Thoma *qu.* 82. *art.* 4. *ad* 1. *& art.* 10. *ad* 1. Sannig. *dist.* 5. *de Missa qu.* 4. *num.* 5. Henricx *disp.* 8. *de Eucharistia qu.* 3. *num.* 42. Reiffenstuel *Theol. mor. tract.* 14. *dist.* 5. *quæst.* 3. *num.* 34. cum communiori Theologorum contra Bonacinam *disp.* 4. *de Eucharistia qu. ult. punct.* 2. *num.* 1. dicentem, quod partes essentiales Sacrificii Missæ sint Consecratio, Oblatio, & Sumptio, & contra aliquos tenentes etiam sumptionem a celebrante peractam spectare ad essentiam Sacrificii Missæ.

42 Probatur ex Sanctis Patribus, & primo ex S. Irenæo *lib.* 4. *contra Hæreses cap.* 32. ubi dicit: *Christum docuisse novi Testamenti novam Oblationem, quando dixit: Hoc est Corpus meum*; Deinde ex S. Chrys. *homilia de proditione Judæ*, ubi dicit *Verba Domini: Hoc est Corpus meum usque in finem mundi præstare Sacrificio firmitatem*. Item ex Divo Ambrosio *lib.* 4. *de Sacrament. cap.* 4. ubi ait: *Sermo Christi*, idest Consecratio, *hoc conficit Sacramentum*. Item ex D. Thoma *quæst.* 81. *art.* 4. *ad* 1. ubi expresse dicit: *Consecratio Chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ non est Sacrificium, sicut Consecratio Eucharistiæ*, & ibidem *art.* 10. *ad* 1. *Hoc Sacramentum in Consecratione Eucharistiæ, in qua offertur Sacrificium*, & consimiliter loquuntur passim alii Sancti Patres, adeoque &c.

43 Probatur ratione, quia Sacrificium Missæ fieri debet, & de facto fit, ac perficitur a Sacerdote in persona Christi, qui est principalis Offerens, ut dictum est *supra num.* 34. Atqui Consecratio eaque sola fit in persona Christi, in qua Sacerdos loquitur, tamquam ipse sit Christus dicens: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, ergo &c. Tum quia in sola Consecratione perfecte reperitur immutatio Hostiæ in Dei cultum, quatenus Corpus, & Sanguis Christi succedunt in locum panis, & vini tamquam Hostiæ minus principalis destructæ, atque in ipsa sola Consecratione fit immutatio, seu destructio Hostiæ principalis mystica, & repræsentativa Sacrificii cruenti, ac mortis Christi, quatenus in ipsa Consecratione per diversas species per se, & vi verborum Corpus velut mortuum, & Sanguis velut effusus incruente repræsentatur, adeoque &c. Unde Feria 6. Parasceves proprie non fit Sacrificium, quia ibi non fit Hostiæ Consecratio, sed sumitur solum Hostia pridie consecrata.

Hinc essentia Sacrificii Missæ non consistit in 44
Oblatione sive panis, & vini ante Consecrationem sive Corporis & Sanguinis post eamdem. *Communior Doctorum*. Immo *Communis* teste Sporer *l. cit. num.* 85. Et ratio est, quia neutra Oblatio est Hostiæ immutativa, neutra a Christo, qui tamen hoc Sacrificium obtulit, adhibita est, adeoque neutra spectat ad veram essentiam Sacrificii Missæ, cum utraque instituta sit ab Ecclesia, quæ non potest aliquid instituere, & mutare quo ad essentiam Sacramentorum; ex Concilio Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. & consequenter neque ad essentiam hujus Sacrificii.

Neque Sumptio Hostiæ, seu Sacramenti, quæ 45
fit a Sacerdote celebrante, spectat ad veram essentiam Sacrificii Missæ. Quamvis tamen aliquo modo sit de ejus integritate. Sic Reiffenstuel *loc. cit. num.* 36. Henno *loco cit. conclus.* 3. Sporer *loc. cit. num.* 86. ubi dicit hanc esse communiorem, & veriorem sententiam Doctorum contra Bellarminum, Lugonem, & alios non paucos. Et ratio primæ partis est, quia Sacrificium essentialiter, seu quo ad sua essentiala fit in persona Christi; Sumptio autem non fit in persona Christi; sicut Consecratio, ut de se patet, adeoque &c. Tum quia Sumptio, seu manducatio est solum participatio Sacrificii jam peracti, adeoque non est ipsum Sacrificium. Tum etiam quia certum est de Fide ex 46
Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. Christum in ultima Cœna sacrificasse, & tamen valde incertum est, an communicaverit, adeoque ex Concilio colligitur Communionem Sacerdotis non esse de essentia hujus Sacrificii, cum aliquid incertum non possit esse de Fide. Secunda autem Conclusionis pars colligitur 47
ex cap. Relatum 10. *dist.* 2. *de Consecratione*, ubi ex Concilio Toletano VII. reprehenduntur Sacerdotes, qui non communicabant semper, quando sacrificabant, & expresse dicitur: *Quale erit illud Sacrificium, cui non ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Quibus verbis non utique insinuatur Sacrificium sine Communione non esse verum Sacrificium (alias conficiens non vocaretur ibi *Sacrificans*) sed solum insinuatur non habere Sacrificium cumplementum ultimatum, ad quod res sacrificata ordinatur, adeoque Communio Sacerdotis est aliquo modo de integritate Sacrificii Missæ, quamvis non spectet ad veram ejus essentiam,

Neque aliæ omnes Sacræ Actiones, quæ in Mis- 48
sa

sa peraguntur, pertinent ad essentiam Sacrificii. *Communis*. Et colligitur ex Concilio Trident. *sess.* 22. *cap.* 5. ubi dicit, quod pleræque sunt piæ quidem, sed solum accidentales Cæremoniæ, Ritusque Sacri ab Ecclesia instituti: *Ex Apostolica Disciplina, & traditione, quo & Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia Religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacramento latent, contemplationem excitarentur*.

49 Consecratio utriusque speciei non est de essentia Sacrificii Missæ, ut Sacramentum est præcise; seu Consecratio utriusque speciei, panis, & vini non est de necessitate Sacramenti. *Communis ac certa*. * Et ratio est clara, quia formæ Consecrationis panis, & vini sunt a se invicem independentes in significando, & consequenter etiam in causando verum Sacramentum: Adeoque quomodocumque alterutra species solum consecretur, sive per oblivionem, sive per ignorantiam, vel malitiam, sive per impossibilitatem alterius speciei, valide consecratur, si verum Sacramentum efficitur essentialiter in ratione Sacramenti, quamvis non integrum sit in ratione convivii spiritualis. Tum quia panis valide consecratur, & sub ejus speciebus realiter, & vere continetur Christus, exhibeturque Populo adorandus, antequam consecretur vinum, adeoque &c.

50 Consecratio utriusque speciei panis, & vini est de necessitate præcepti Divini. *Communis*. Constat enim ex facto ipso Christi utramque speciem consecrantis, & adjuncto præcepto, *Hoc facite in meam Commemorationem*: Unde Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. satis indicat consecrationem utriusque speciei esse de Jure Divino, dum dicit, quod *Deus, & Dominus noster .... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam Commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*.

51 Unde per se nunquam licitum est consecrare unam tantum speciem panis v. g. & non vini, etiam in gravi necessitate communicandi infirmum, alioquin sine Viatico moriturum. *Communissima Doctorum*, teste Sporer *tom.* 3. *par.* 2. *cap.* 3. *n.* 132. Ac

52 proinde, ut prosequitur *ibidem* Sporer juxta communiorem, & veriorem sententiam Doctorum, neque summus Pontifex potest dispensare, & concedere, ut una tantum species consecretur. Et sic tenet Lugo *tom.* 5. *disp.* 19. *sect.* 8. *num.* 105. dicens ita necessariam utriusque speciei Consecrationem ad valorem Sacrificii, ut neque ex dispensatione Pontificis possit licite una species absque altera consecrari, testaturque hanc sententiam tenere communiter Recentiores Theologos, Suarez *disp.* 43. *sect.* 4. Vasquez *disp.* 223. *cap.* 3. & alios fere omnes. Ita etiam tenet Reiffenstuel *Theolog. moral. tract. XIV. dist.* 5. *quæst.* 2. *num.* 39. testans de probabiliori, & communiori, & sic plurimi alii. Et constat ex tali perpetuo, & communi usu Ecclesiæ, quem aliquando fuisse immutatum, nullo sufficienti testimonio probari potest.

Hinc falsum, & fabulosum est, quod scribit Raphael Volaterranus *lib.* 7. *Geographiæ cap.* 4. nempe Innocentium VIII. cum Norvegis dispensasse, *ut sine vino Calicem consecrarent*; seu ut in una tantum specie panis consecrarent, quod idem refert Onuphrius Panvinius *in Chron. anno* 1490. Et Claudius Sainctes ex eodem Volaterranno *repert.* 10. *de Eucharist. cap.* 3. refert Innocentium IV. dispensasse; Falsitatis enim aperte convincitur ipse Volaterranus ex ipsamet sua Historia, quæ manifeste falsitatem suam prodit, cum dicat concessum fuisse Norvegis, ut *sine vino Calicem consecrarent*, quod absque manifesto errore concedi non potuit, ut constat, & recte advertit Lugo *loco cit. n.* 119. Item falsitatis convincitur Volaterranus, ut recte notat Amat de Graveson *tom. 6. Histor. Ecclesiast. fol.* 143. *Romanæ impressionis anno* 1720. ex eo potissimum, quod nulla illius concessionis apud alios Auctores memoria, vel minimum extet vestigium, & falsa sit ratio, ob quam hujusmodi dispensationem concessam *Volaterranus* scribit, quia scilicet vinum in eam Regionem importatum statim acescat, cum tamen ibi vina generosissima conservari experientia compertum sit; Tum quia, ut recte observat Bellarminus *lib.* 4. *de Summo Pontifice, cap.* 14. *in fine*, mirum videtur, quod Norvergi eo tempore vini usum non habuerint, ne quidem pro sacrificando, cum hoc tempore adeo sit frequens, ut sine illo ne communicare quidem velint. Si autem aliquod talis dispensationis Pontificium Diploma alicubi fuerit publicatum, dicendum est cum Bzovio *in Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 1490. & Graveson. *loc. cit.* extitisse circa illud tempus nonnullos male feriatos Sacerdotes, qui postea combusti sunt propter adulterata Pontificia Diplomata, a quibus falsam illam dispensationem publicari potuisse verisimile est. Quod autem Claudius Sainctes *loco citat.* dicit, Innocentium IV. cum Novergis dispensasse, constat fuisse errorem, dum pro Innocentio VIII. quem Volaterranus refert, scribit Innocentium IV. de quo nullus umquam Historicus talem dispositionem retulit. 53

Et ratio fundamentalis nostræ conclusionis est, quia ut constat ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. & fatentur omnes Catholici, Christus instituit, & præcepit offerri sub utraque specie Sacrificium incruentum Missæ ad repræsentandum suum Sacrificium cruentum Crucis, in quo Corpus, & Sanguis ipsius Christi fuerunt separata; Atqui hæc separatio Sanguinis a Corpore Christi in ejus Passio-

* Consecratio utriusque speciei, licet non sit de essentia Sacramenti, quia in alterutra specie confici potest Eucharistiæ Sacramentum, est tamen de essentia Sacrificii Missæ, ut Sacrificium est præcise. Vid. quæ idem *P. Ferraris* adducit *num.* 54. & *num.* 58.

sione, & morte nequit exprimi, & repræsentari per Consecrationem unius solius speciei, sed tantum per Consecrationem utriusque speciei, quia nimirum sub specie vini per se, & vi verborum constituitur in Altari Sanguis in Calice, & per se, & vi verborum Corpus sub specie panis, quæ est quasi pictura exprimens, quomodo in Cruce separatus fuerit Sanguis a Corpore, & sic Corpus velut mortuum, & Sanguis velut effusus incruente repræsentatur, ergo &c. & consequenter &c. Tum quia Ecclesia in nullo casu permittit Sacrificium mutilum sub una tantum specie, & ut hoc caveat, dispensat, ut patet *in Rubricis Missalis Titul. de Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus* in strictissimo præcepto jejunii naturalis, ut si Sacerdos post Consecrationem unius speciei recordetur se non esse jejunum, nihilominus consecraret aliam speciem, ut compleat Sacrificium; Et si moreretur post Consecrationem Corporis, præcipit compleri ab alio Sacerdote etiam non jejuno, ne videlicet maneat Sacrificium mutilum sub una tantum specie; Ex quibus colligitur, Ecclesiam satis velle declarare se non posse dispensare, quod sacrificetur in una tantum specie.

55 Non est tamen omnino improbabile, quod in aliquo urgentissimo casu posset Papa dispensare, ut Sacrificium Missæ fieret sub una tantum specie, seu potius ex rationabili interpretatione declarare tunc cessare obligationem præcepti Divini de integritate Sacrificii sub utraque specie. Sic notant Herincx *de Eucharistia*, *disp.* 2. *q.* 7. *in fine*. Sporer *loco cit. num.* 132. & alii. Et posse Papam ex causa urgenti concedere, ut Consecratio Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ in una specie fiat, tenent Turrecremata, S. Antonin. Gabriel, Alan. Azorius, & alii citati, & secuti a Barbosa *in Conc. Trident. sess.* 22. *cap.* 1. *num.* 26. & aliqui apud La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 145.(*)

56 Sacrificium Missæ differt a Sacrificio Crucis solum ratione modi offerendi Cruenti, & Incruenti, quia nimirum in Cruce Christus se obtulit Deo cum reali effusione Sanguinis, mactatione, & morte violenta; in Missa vero Christus offertur Deo absque reali effusione Sanguinis, & morte violenta, sed modo incruento, & mystico seu repræsentativo.

57 Sacrificium Missæ differt a Sacrificio ultimæ Cœnæ solum in qualitate rei oblatæ, quia nimirum in ultima Cœna Christus offerebatur adhuc mortalis, & passibilis; In Missa vero offertur nunc Christus immortalis, & impassibilis.

58 Sacrificium Missæ differt essentialiter a Sacramento Eucharistiæ in hoc, quia nimirum essentia Sacrificii consistit in actione transeunte sacrificativa, scilicet Consecratione, & necessario requirit utramque speciem; Essentia autem Sacramenti Eucharistiæ tamquam ejus effectus, in facto esse permanet, & in una specie sola salvatur; insuper differt Sacrificium Missæ a Sacramento Eucharistiæ ratione diversi finis, quia Sacrificium Missæ principaliter ordinatur ad Deo debitum cultum exhibendum in recognitionem ejus supremi Dominii; Sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad hominem justificandum, seu spiritualiter nutriendum. Unde ratione finis perfectius est Sacrificium, quam Sa- 59
cramentum, quia Sacrificium habet finem proximum nobiliorem, nempe cultum Dei, & recognitionem ejus supremi Dominii; Sacramentum autem habet finem minus nobilem, nempe hominem justificare.

Hinc generaliter loquendo, Sacramenta, & Sacri- 60
ficia differunt: Primo in institutione, quia Sacrificia institui possunt etiam publica auctoritate humana; Sacramenta autem sola auctoritate Divina. Secundo differunt ratione finis, quia Sacrificia principaliter ordinantur ad cultum Dei in recognitionem ejus supremi Dominii: Sacramenta vero ordinantur ad salutem, & justificationem hominum. Tertio differunt ratione materiæ, quia materia Sacrificii consistit solum in rebus; Materia autem Sacramentorum in rebus simul, & verbis.

Alia ad rem, Vide verb. *Eucharistia*, & verb. 61
Missa.

SACRILEGIUM.

Sacrilegium sic dicitur a *Sacris legendis*, idest 1
furandis. Unde *Sacrilegus* est, qui *sacra legit*, idest *furatur*, ut dicit S. Isidorus Hispalensis *lib.* 10. *Etymolog. cap.* 18. & colligitur etiam ex *cap. Sacrilegium* 4. *caus.* 17. *quæst.* 4. ubi ex verbis S. Gregorii Magni sic habetur: *Sacrilegium & contra Leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studio suis tentaverit compendiis retinere*.

Sacrilegium est violatio rei Sacræ sive in se, sive 2
in aliis. *Sic in re Communis*.

Sacrilegium est triplex, scilicet Personale, Rea- 3
le, & Locale. *Communis*.

Sacrilegium *Personale* est, quo violatur Sacra 4
Persona. Sacrilegium *Reale* est, quo violatur Sacra Res. Sacrilegium *Locale* est, quo violatur Sacer Locus. *Communis*.

Sacrilegium *Personale* committitur per omnem 5
violentam manuum injectionem in Personam Sacram, scilicet in Clericum, sive Religiosum, aut Monialem. Per usurpatam Jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, ipsas ad Tribunalia sæcularia trahendo, incarcerando, & hujusmodi, vel easdem ad vectigalia obligando. Item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum Castitatis sacratæ, & hujusmodi.

Sacri-

Nota R. Theologi.

(*) Si verum est quod P. Ferraris *n.* 51. cum Sporer dicit, ut est verum, non video, quomodo hæc opinio possit non esse omnino improbabilis.

Responsio Auctoris.

Posse Papam ex urgentissima causa concedere, ut consecratio Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ in una specie fiat, non ego ex sensu meo asserui, sed tenent Turrecremata, S. Antonin. Gabriel. Alan. Azor. & alii citati, & secuti a Barbosa loc. ibi cit. & alii classici Doctores apud La Croix ibi *cit.* quorum opinionem ad eruditionem tantummodo eo loci protuli.

6 Sacrilegium *Reale* committitur, cum violantur, seu injuriose tractantur, aut ministrantur Sacramenta, Vasa sacra, Reliquiæ Sanctorum, Dei, & B. V. M. ac Sanctorum Imagines, instrumenta, seu ornamenta Sacra. Item Sacrilegium Reale committitur per rapturam bonorum Ecclesiæ, per suppressionem piorum Legatorum, per fraudationem Jurium Ecclesiæ, per abusum sacrarum Vestium, sacrarum Cæremoniarum, & sententiarum sacræ Scripturæ ad stabiliendas hæreses, ad sortilegia, ad incantationes, ad divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad libellos famosos, ad amatoria, ad fabulosa, ad scurrilia, & hujusmodi, immo hunc temerarium sacræ Scripturæ abusum rigorose sub arbitrariis pœnis ab Episcopis infligendis interdicit Concil. Trid. *sess.* 4. *in Decret. de editione, & usu Sacrorum Librorum*.

7 Sacrilegium *Locale* committitur per omnia, quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri, ut sunt destructio malitiosa Templi, vel Altaris, occisio hominis, injuriosa effusio sanguinis, vel seminis humani, illicita, & notoria sepultura excommunicati, vel non baptizati in loco sacro. Item Sacrilegium locale committitur per violentam extractionem Reorum e loco Sacro, per actus profanos, & illicitos, & repugnantes immunitati Ecclesiasticæ exercitos in locis sacris, ut sunt negotiationes, seditiones, illiciti concubitus & spurcities, consilia sæcularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes, mercaturæ, & hujusmodi. Item Sacrilegium locale committitur per furtum, quod sacrilegum evadit tribus modis. Primo nempe cum quis furatur *Sacrum de Sacro*, idest rem sacram, ut Calicem, Planetam, Pyxidem, & hujusmodi in loco sacro. Secundo cum quis furatur *Non Sacrum de Sacro*, idest rem profanam non sacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco sacro repositam. Tertio, cum quis furatur *Sacrum de non Sacro*, idest rem Sacram, ut Pixidem, Calicem, & hujusmodi in loco non sacro, Scilicet extra Ecclesiam, textu expresso *in cap. Quisquis* 21. *caus.* 17. *quæst.* 4. ubi ex verbis Summi Pontificis Joannis VIII. sic præcise habetur: Similiter *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro*.

8 Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas, seu levitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas; *Communis*. Et quo ad primam partem clare patet, quia Sacrilegium ex genere suo opponitur graviter excellentissimæ virtuti Religionis; Unde nemo dubitat esse peccatum mortale, cum Sacrilegium sit in gravem contemptum personæ, seu rei, aut loci sacri. Quo ad secundam etiam partem clare constat, quia sicuti parvitas, & levitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas excusat a mortali in aliis actionibus peccaminosis, ita etiam in actionibus sacrilegis; Unde apud omnes certum est, Sacrilegium esse solum peccatum veniale, cum secluso contemptu, aut scandalo fit aliqua levis injuria, irreverentia, aut inhonoratio personæ, seu rei, aut loci sacri, & hoc propter parvitatem materiæ, seu irreverentiæ, & injuriæ commissæ; Sicuti pariter omnes concedunt esse solum peccatum veniale, & quandoque nullum, si injuria, & irreverentia facta personæ, rei, aut loco sacro, sit ex inadvertentia, indeliberatione, aut ignorantia invincibili.

Alia ad rem. Vide verb. *Ecclesia art.* 4. & verb. *Luxuria a n.* 29. *ad* 32. 9

Additiones ex aliena manu.

Si violetur per peccatum carnis persona specialiter consecrata Deo, habet peccatum hoc rationem sacrilegii, in quantum est violatio rei sacræ, scilicet specialiter consecratæ Deo. 10

Hujusmodi est fornicatio cum Moniali, quæ jure etiam civili, uti gravissimum delictum, pœna mortis punitur. Hujusmodi quoque est fornicatio commissa ab eo, qui ordine sacro sit initiatus, quæ jure antiquorum Canonum puniebatur pœna perpetuæ depositionis ab omni ministerio Ecclesiæ. Quomodo vero hodie puniatur, petendum ex *Concilio Tridentino sess.* 25. *c.* 14. *de Reformat.* & alibi etiam dictum a nobis est. 11

Illud vero hic non omittendum, adhuc hodie deponendum Sacerdotem cognoscentem filiam suam spiritualem, vel eam, quæ propter pœnitentiam effecta fuit filia spiritualis, vel Parochianam suam, ut probe monuit Zypœus *in jure novo de Cohabitat. Cleric. num.* 10. ubi, quod idem procedat in Religiosis fornicantibus. Ratio est, quod pœna inflicta a *Concilio Tridentino* locum haud habeat quoad fornicationem Clerici adjunctam habentem aliquam circumstantiam aggravantem. 12 13

SACRISTA, SACRISTIA.

AD Sacristæ Officium pertinet custodia sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, nec non quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo. Textu expresso *in cap. Ut sciat unico, de Officio Sacristæ*. 1

Sacristæ Capellæ Palatii Apostolici Officium ab immemoriali tempore citra alicui ex Fratribus Eremitarum S. Augustini committi consuevit, & deinceps committi debere concedit, commissionesque aliter factas irritat Alexander VI. Const. 5. incip. *Ad sacram.* 2

Sacrista Conclavis gaudet gratiis, & privilegiis Conclavistarum. Clemens VIII. *Constitut.* 16. §. 14. 3

Sacristæ, seu Præfecti Ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permittendum in eis celebrationem Sacerdotum sæcularium, nisi exhibita Ordinarii licentia. *Sacra Congregatio Concil. in Neapolitana* 17. *Augusti* 1630. 4

Sacristæ munus per simplices Sacerdotes Ecclesiæ exerceri solitum, non cogitur suscipere Cantor, qui sit una ex Dignitatibus Ecclesiæ. *Sacra Rituum Congreg. in Adrien.* 2. *Martii* 1682. 5

Sacristæ nihil exigere debent pro benedictione Sponsi, & Sponsæ. *Sac. Cong. Rit. in Neriton.* 25. *Februaii* 1606. 6

Sacristanatum obtinens in Parochiali erectum cum unio- 7

unione simplicis Beneficii pro uno Clerico, qui in Divinis Officiis, & Cura exercenda, ac aliis oneribus adjuvare teneatur, potest deservire per Substitutum, & fructus eidem debentur. *Sacra Cong. Conc. in Spoletana* 21. *Julii* 1626.

8 Sacrista in Ecclesia Cathedrali est dignitas, & requiritur Sacerdotium. *Sacra Rot. recent. par.* 14. *decis.* 169. *num.* 8.

9 Si intervenerit Funeribus Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, in hoc casu Curatus, & Sacrista illius Cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere Parocho Defuncti. *Sac. Rit. Cong.* 22. *Mart.* 1631.

10 Determinatis horis pulsandi Matutinum, & alias Horas Canonicas, & pulsata campana per Sacristam, aut ejus deputatum, ac in Ecclesia accensis luminibus, Divina officia differri non valent ad alicujus instantiam; & Hebdomadario absente, Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat. *S. Cong. Episc. in Theatina* 18. *Aprilis* 1617.

11 Quod præscribitur in Cæremoniali, ut Canonici de Sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. *Sacra Congregat. Rituum* 12. *Julii* 1628.

12 Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. *Sac. Cong. Episc. in una S. Severini* 13. *Septembris* 1641.

13 Non potest Episcopus in aliquo casu adstringere Canonicos, ut domi suæ Capitulum convocent, si fuerit solitum, ut fiat in Sacristia. *Sac. Congr. Episcop.* 1. *Februarii* 1483.

14 Sedes Archiepiscopalis ære proprio Archiepiscopi, non ex Sacristiæ sacris vestibus est ornanda. *Sacra Congreg. Concilii in Messanen.* 4. *Septembris* 1586.

15 Episcopus vasis argenteis, vel alia Sacristiæ Supellectili non utatur in Mensa, vel in alios profanos usus, immo nec ad Sacros extra Cathedralem, sed ea ibi pro Ecclesiæ servitio relinquat. *Sacra Congreg. Episc. in Tullen.* 10. *Martii* 1597. & *in Castellaneten.* 16. *Maii* 1642.

16 Cum solium Archiepiscopale pertineat ad Officium Archiepiscopi, sequitur, id suis sumptibus fieri, ac manuteneri debere, & non sumptibus Sacrarii Metropolitanæ. *Sacr. Cong. Concilii in Urbinaten.* 10. *Martii* 1663.

17 Non potest Episcopus, nisi habeat Privilegium speciale, compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiæ, in quibus adnotantur celebrationes Missarum ad hoc, ut ex iis constare possit de satisfactione obligationis debitæ ex Legato pio. *Sacra Congreg. Concilii in Urbinaten. ad cap.* 7. *sess.* 22. *de reformat.* 10. *Maii* 1663.

Sacristia contigua Choro alicujus Monasterii Re- 18
ligiosorum est sub clausura comprehensa. *Sacr. Congr. Episc. & Regul. in Sulmonen.* 10. *August.* 1615. Vide verb. *Conventus art.* 3. *num.* 14.

Sacristiæ expensæ spectant ad Episcopum, non 19
autem ad Capitulum. *Sacr. Congr. Episc. in Melphien.* 4. *April.* 1704. apud Ursayam *tom.* 2. *par.* 1. *discept.* 34.

Additiones ex aliena manu.

Ex quo Ecclesiæ Cathedrales abundare cœperunt 20
thesauro magni pretii, constituti sunt *Sacristæ*, qui habeant custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, necnon eorum, quæ ad Luminaria pertinent; *cap. unic. de offic. Sacrist.* Dicti propterea & *Thesaurarii* sunt. Primitus Officium simplex si-
ne dignitate Ecclesiastica gerebant; progressu ve- 21
ro temporis in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, honore dignitatis decorati sunt. Confer Corvin. *de Person. & Benefic. Eccles. lib.* 1. *tit.* 22. *num.* 3.

De culpa, quam præstare debent Sacristæ circa 22
custodiam thesauri Ecclesiastici, non inutilis hic disquisitio est. Levissimam culpam ab iis exigit *Brucknerus de Custodia templor. artic.* 3. §. 12. & ju-
re quidem meritoque. Præficiuntur enim ejusmodi 23
negotiis, quæ non *vulgarem*, sed *peritiorem* curam
& sollicitudinem *singularem* desiderant. Quapropter 24
natura ipsa negotiorum ipsos obligat ad exactissimam diligentiam. Reque ipsa Romani quoque Jurisconsulti, in hujusmodi quæstionibus decidendis potissimum respexere ad naturam negotiorum, & ex gravitate & indole eorum æstimarunt, qualis industria ab Administratore desideretur. Confer Jacobum Gothofredum *in Commentar. ad leg.* 24. *ff. de Regulis Juris*.

SALUTATIO ANGELICA.

Notandum, quod in Salutatione Angelica (*1) additionem illam *Sancta Maria* &c. in nulla precum formula ante annum MDVIII. reperiri inquit *Grancolas in Breviarium Romanum cap.* XXV. Sed tunc temporis usurpari cœpisse: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen.* Fratresque Minores addidisse postea verba illa: *nunc, & in hora mortis nostræ*; ut legitur in eorum Breviario edito Anno MDXV. Sic ad literam eruditis-

(*1) Vere dictum a Ven. P. Petro Canisio, *de Maria Deip. lib.* 3. *cap.* 5. *Novatoribus usitatum esse adversus Angelicam salutationem insurgere*. Certe Urbanus Regius, aliique id genus Deiparæ osores eam penitus abolitam voluere. Alii eam in varias linguas vertentes mire depravarunt; cujus rei exempla dabit *p.* 37. præclarus Auctor Italicæ epistolæ proximo anno 1788. editæ, inscriptæque: *lettera del Primicerio di Mondorbopoli a Mons. Scipione de Ricci Episcopo di Pistoja e Prato*, qui verba illa: *benedictus fructus* VENTRIS TUI nec vulgatæ editionis Biblicæ auctoritate, neque Ecclesiarum omnium a tot sæculis usu deterritus immutavit.

ditissimus D. Joseph Catalanus in *Pontifical. Roman. tom.* 2. *tit.* XV. §. 2. *n.* 2. (1)

SAMARITANA A CHRISTO CONVERSA.

Samaritana, quæ Christum ad puteum Jacob Patriarchæ excepit, & ibi a Christo ipso conversa fuit, Photina communiter nuncupatur, & ab Ecclesia sub tali nomine, ut vera Martyr, una cum duobus filiis suis, & aliis martyribus colitur die 20. Martii, ut canit Martyrologium Romanum his verbis: Eodem die Sanctorum Photinæ Samaritanæ, Joseph & Victoris filiorum, itemque Sebastiani Ducis, Anatolii, Photis, Photidis, Parasceves, & Cyriacæ germanorum, qui omnes Christum confessi Martyrium suum sunt assecuti. De hac Samaritana Photina traditur, quod post Christi Ascensionem a Deo inspirata una cum dictis duobus suis filiis, & quinque suis germanis, consobrinis Carthaginem petierit, ibique omnes fidem Christianorum prædicantes, plurimosque gentiles, inter quos celebrem Ducem Sebastianum convertentes, ob id fuerint omnes ad crudelissimum Martyrium condemnati. Vide omne acerbissimi martyrii genus apud Bollandistas ad diem 20. Martii, & apud Clericatum *nelle Spiche* verb. *Samaritana a n.* 821. *ad* 823. Ubi vero adserventur eorum reliquiæ, vide Bolland. *loc. cit. num.* 8. Plura alia ad rem de Samaritana Photina, vide apud Calmet in Dictionario verb. *Photina*, & verb. *Samaritana*.

SANCTITAS, SANCTI.

Sanctitas non in una, vel altera virtutum specie, sed in complexu omnium in gradu heroico usque ad obitum exercitarum, consistit. Benedict. XIV. tom. 2. Constitut. 54. incip. *Postquam intelleximus* §. 26. Sanctitati alioquin probatæ non officiunt errores circa dogmata nondum ab Ecclesia definita. Idem *ibid.* §. 31. 1 2

Sancti vocabulum in primæva Ecclesia, nec vitæ sanctitatem, nec Martyrium pro Christi nomine toleratum, indicabat, sed Christianæ Religionis, quæ cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat: *Qui olim Christiani* (inquit Spondanus in Epit. Annal. Baron.) *iidem nominabantur sancti.* (2) Hinc unus *Sancti* titulus par non est, ut corpora, quæ ex Catacumbis afferuntur, sacro cultu donentur. Successu vero temporis *Sancti* titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: *Demum obtinuit usus* (Spond. *loc. cit.*) *ut illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine.* Idem *ibib.* §. 32. 3 4 5

Sanctorum nomina, & elogia in Martyrologium inferri nequeunt, sine Auctoritate Congregationis Sacrorum Rituum. Idem *ibid.* §. 3. Sanctorum nomina in Martyrologio inferenda non sunt, nisi publicus cultus ipsis per solemnem Canonizationem decretus, aut saltem ab antiquis temporibus universalis Ecclesiæ consensione præstitus fuerit. Idem *ibid.* §. 15. & 16. 6 7

Sanctorum nomina, quæ in novissima Martyrologii Romani editione Benedicti XIV. jussu inserta fuerunt enumerantur ab eodem *ibid.* §. 6. 7. 8. & 9. nempe *sub* §. 6. sic. Sextadecima die Februa- 8

(1) Vide vero cum primis D. Joannis Chrysostomi Trombellii præstantissimi Viri de salutatione Angelica Dissertationem in Vita B. M. Virginis *P.* II. *diss.* 4., & Franciscum Antonium Zaccaria T. II. Dissertationum suarum Italicarum ad historiam Ecclesiasticam pertinentium Romæ excuso 1780. *diss.* VI., ubi de omnibus, quæ ad Angelicam salutationem spectant, copiose agit. Huic tamen videre non licuit dissertationem de hujus salutationis additamento: *Sancta Maria* ab eruditissimo P. M. Antonio Vermejo a. 1779. conscriptam, illatamque *p.* 301. *seqq.* in suam historiam *devoti Sanctuarii B. V. vulgo de Texeda* Conchensis apud Hispanos Diœcesis Matriti evulgatam. Hic enim Auctor Trinitarios suos primos fuisse docet, qui salutationi Angelicæ verba *Sancta Maria* &c., omissis tamen illis, *nunc & hora mortis* addiderint. Franciscani enim anno primum 1515. Carthusiani vero solum anno 1521. suis in Breviariis salutationem eo auctam additamento ediderunt. At Trinitarii jam anno 1514. Breviario eamdem præmiserant in Parisiensi editione, quam Mabillonius memorat *Præfat. ad Acta Sanctor. Ord. S. Benedicti Sæc. V. num.* 123. Eadem quoque exstat in eorumdem Trinitariorum Breviario quod curante P. Petro de Aponte Valentiæ a. 1519. emissum in lucem Nicolaus Antonius docet in Bibliotheca Hispanica T. II. Meum tamen non est tantas componere lites; præsertim cum eadem legatur in Camaldulensium Breviario, quod illo ipso anno 1514. Venetiis prodiit, Generali illustrium Monachorum Præside celeberrimo Petro Delphino Veneto. Cæterum de Sacris Cæremoniis circa salutationem Angelicam præter Zaccariam cum in laudata Italica Dissertatione, tum in Onomastico Rituali *T.* 1. *pag.* 38. consule Francisci Mariæ Magii e Clericis Regularibus Commentarium Panormi impressum 1654., iterumque 1665.

(2) *Omnes fideles*, inquit Chrysost. *hom.* 1. *in epist. ad Rom. n.* 4. (Apostolus) *vocat Sanctos*, non alia certe de causa, nisi quod *sanctificati in sanguine Christi* essent, atque ad sanctitatem vocati. Hinc Paulus ipse eos 1. *Cor.* 11. *Sanctificatos* dixit, quo deinde nomine usos novimus Clementem Romanum in Epistola ad Corinthios, & Chrysostomum *hom.* 1. in 1. ad Cor. epistolam *n.* 1.

bruarii *Beatus Gregorius* X. Die vigesima septima Aprilis *Beata Zita*. Die decima Maii *Beatus Nicolaus Albergatus*. Die vigesima quarta Maii *Beatus Joannes de Prado*. Prima die Junii *Sanctus Eneco Abbas*. Die septima Julii *Beatus Benedictus XI.* Die vigesima Decembris *S. Dominicus de Sylo*.

9 Et sub §. 7. tradita ratione, ob quam possint in Martyrologio inseri etiam nomina aliquorum Beatorum, & adducto ex Theologo Raynaudo *tom.* 18. *suorum Operum pag.* 500. quod *Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat dumtaxat indiculum Sanctorum Martyrum, nunc extensum est ad Syllabum plurimorum aliorum Sanctorum Confessorum ac Sanctarum Virginum*, pergit sub §. 8. enumerare, aliquos Beatos Martyres Martyrologio de novo additos, videlicet die quinta Februarii *Commemoratio vigintisex Martyrum Japonensium*. Die nona Julii *Commemoratio novemdecim Martyrum Gorcomiensium*. Die decimaseptima Septembris. *Beati Petri de Arbues*. Die duodecima Novembris, *Com-*
10 *memoratio Beati Josaphat Polocensis*. Et tandem *sub* §. 9. addit nomina aliorum Sanctorum in præteritis editionibus omissorum. Nempe die decima Januarii nomen *Sancti Wilhelmi Episcopi Bituricensis*. Die decimanona Januarii nomen *Sancti Wlstani Episcopi Vigorniensis*. Die quarta Februarii nomen *Sancti Josephi a Leonissa*. Die decimatertia Februarii nomen *Sanctæ Catharinæ de Ricciis*. Die decimaseptima Aprilis nomen *Sancti Roberti Abbatis Casæ Dei*. Die quarta Maii nomen *Sancti Godehardi Episcopi Hildesheimensis*. Die tertiadecima Maii nomen *Sancti Petri Regalati*. Die secunda Junii nomen *Sancti Nicolai Peregrini Tranensis*. Die octava Junii nomen *Sancti Wilhelmi Archiepiscopi Eboracensis*. Die Sextadecima Junii nomen *Sancti Joannis Francisci Regis*. Die prima Julii nomen *Sancti Theobaldi Eremitæ*. Die quartadecima Julii nomen *Sancti Camilli de Lellis*. Die vigesima quarta Julii nomen *Sancti Francisci Solani*. Die decimaquinta Augusti nomen *Sancti Stanislai Kostkæ*. Die vigesima sexta Octobris nomen *Sancti Bernardi Hildesheimensis Episcopi*. Die vigesima septima Novembris nomen *Sancti Virgilii Episcopi Salisburgensis*. Die vigesimaoctava Novembris nomen *Sancti Jacobi Piceni*. Die Decimaseptima Decembris nomen *Sancti Sturmii Abbatis Fuldensis*. Idem in cit. Constitut. incip. *Postquam intelleximus*, in qua plurima ad rem traduntur scitu dignissima. (1)

11 Sanctorum Patrum unanimis consensus in explicatione Sacræ Scripturæ in re pertinente ad Fidem, & bonos mores, est infallibile testimonium Divinæ Revelationis, (2) ad differentiam unius, vel alterius, aut aliquorum reliquis contradicentibus. Idem *de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canonizatione lib.* 2. *cap.* 33. *sub num.* 12.

SAPIENS ERROREM PROPOSITIO. V. verb. *Propositiones damnatæ num.* 34.

SAPIENS HÆRESIM PROPOSITIO. V. verb. *Propositiones damnatæ n.* 23.

SAPIENTIA. V. verb. *Theologia n.* 15.

SATISFACTIO, SIVE POENITENTIA SACRAMENTALIS. Vide verb. *Pænitentiæ Sacramentum art.* 3. *per tot.*

SCANDALUM.

Scandalum proprie, & physice importat, & significat, seu declarat aliquid in via positum, in quod ambulans impingat, & corruat. Et idem etiam est offendiculum. Sic Joannes Kahl, alias Calvinus *in suo magno Lexico verb. scandalum*. Unde scandalum physice *est offendiculum in via præbens itinerantibus occasionem lapsus. Sic in re Communis*. 1

Moraliter autem *scandalum est offendiculum spirituale, quo quis offendit, & in peccatum ruit*. Seu expressius, & clarius: *scandalum est dictum, vel factum, seu omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu peccandi. Sic in re Communis*. 2

Dicitur primo, quod Scandalum sit *dictum, vel factum*, quia solum loquendo, vel agendo possumus esse proximo occasio ruinæ spiritualis, non autem cogitando, ut de se patet, cum cogitatio tamquam mere interna, & occulta in corde non possit extrinsece proximum scandalizare, & ideo in definitione Scandali non additur *vel concupitum*, sicuti in Definitione peccati. Dicitur secundo *Vel omissum*, per quod intelligitur omnis omissio externa, seu non dictum, non factum potens proximum scandalizare, ut omissio Sacri, Horarum, non dicta veritas, non facta debita defensio innocentis, & hujusmodi. Dicitur tertio *Minus rectum*, hoc est, aut per se malum, aut speciem mali habens, quia non solum dictum, vel factum, seu omissum per se, & ex natura sua malum, & peccaminosum, sed etiam dictum, vel factum, seu omissum habens tantum speciem mali ex circum- 3
stan-

(*1) Addendus his omnibus S. Siricius Romanus Pontifex, quem idem Benedictus XIV. primus in Martyrologium Romanum in præmissa ad idem Martyrologium epistola strenue a se vindicatum intulit die 26. Novembris.

(2) Quamobrem verissime S. Augustinus *lib.* 1. *contra Julian.* dixit, eum, qui ab unanimi Patrum consensione discedit ab universa Ecclesia recedere; hos enim, ut Vincentius Lirinensis scitissime ajebat, *in Ecclesia dei divinitus per temporal, & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed D'um.*

stantiis personæ, loci, & temporis, potest habere rationem scandali, si proximo occasionem peccandi præbitura sit. Dicitur quarto; *Præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu peccandi*, ad denotandum, quod occasio debet esse vera, sive interim scandalizans intendat *expresse* ruinam spiritualem proximi, quod est diabolicum, sive tantum *interpretative* dicendo, vel faciendo, aut omittendo id ex quo prævidet, aut prævidere debet proximum forte lapsurum.

4 Scandalum dividitur in activum, seu datum, & in passivum, seu acceptum; *Sic Doctores commu-*
5 *niter*. Scandalum activum, seu datum est illud proxime definitum per singula verba mox explicata, nempe Scandalum activum est *dictum, vel factum, seu omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu peccandi. Est in re*
6 *Communis*. Scandalum passivum est *ipsa ruina spiritualis proximi in peccatum contingens ratione dicti, vel facti, seu omissi alterius minus recti; Est in re Communis*. Et sic hoc Scandalum passivum opponitur scandalo activo tamquam causæ suus effectus.

7 Scandalum activum est duplex, scilicet unum directum, vel proprium, seu per se inductivum, & aliud indirectum, vel improprium, seu per accidens inductivum aut occasionativum tantum. *Sic*
8 *Doct. commun.* Scandalum activum directum, vel proprium, seu per se inductivum est, cum quis directe, & expressa intentione, dat alteri occasionem peccandi suadendo, consulendo, inducendo, vel malo exemplo faciendo aliquid, quod per se est inductivum ad peccatum, & sic intendendo ruinam spiritualem proximi, sive *formaliter* ob damnum spirituale proximi, quod est diabolicum, sive *materialiter* ob propriam delectationem, vel utilitatem, quod est humanum, & proprium hominis, ut si quis verba obscena proferat, vel turpia, & lasciva peragat coram muliere, ut ipsam ad secum carnaliter peccandum inducat, ipse enim gravissime peccat peccato Scandali, licet formaliter non intendat ruinam spiritualem talis mulieris, sed solam suam carnalem delectationem. *Communis*.

9 Scandalum activum indirectum, vel improprium, seu per accidens inductivum, aut occasionativum tantum, est, cum quis dicit, vel facit, seu omittit dicere, vel facere aliquid, quod licet ex natura sua, & per se non sit malum; speciem tamen mali præsefert, quo ipse prævidet, vel prævidere debet alios scandalizandos, vel de facto scandalizari advertit, Ut si quis feminam populo suspectam domi suæ retineat, is peccat peccato scandali, teneturque ad ipsum publicum Scandalum removendum, talem feminam e domo sua dimittere, quamvis revera nullum subsit peccatum, nec periculum peccati. Unde Apostolus 1. *Ad Thessalonicenses c. 5. n. 22.* expresse dicit: *Ab omni specie mali abstinete vos*. Et 1. *ad Corinth. c. 8. n. 9. & seq.* eos severe monebat ne recumberent in Idolio, idest loco, ubi carnes Idolis immolatæ comedebantur, quod licet per se non esset malum, tamen habebat speciem mali ad scandalum pusillorum seu infirmorum, ibi: *Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis; si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in Idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*. Et infra *n. 13.* concludit: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*.

Scandalum passivum est duplex, scilicet scan- 10
dalum passivum datum, & scandalum passivum acceptum; seu clarius, scandalum passivum datum simul & acceptum, & Scandalum passivum non datum, sed dumtaxat acceptum. *Sic in re Doctores communiter*.

Scandalum passivum datum simul & acceptum 11
est illud, quod vere oritur ex alterius dicto, vel facto, seu omisso ex natura sua, & per se, quia revera malum est, vel speciem mali habet, ut merito inde proximus sumat occasionem ruinæ spiritualis. *Sic in re Communis*.

Scandalum passivum non datum, sed dumtaxat 12
acceptum est, quo quis ex alterius dicto, vel facto, seu omisso præter omnem ejus intentionem, & præter ipsius dicti, vel facti, seu omissi naturam, & conditionem ex sola sua sinistra apprehensione sumit occasionem ruinæ spiritualis, & peccati. *Sic in re Communis*.

Et hoc Scandalum passivum non datum, sed 13
dumtaxat acceptum subdividitur *in scandalum pusillorum*, quod ex sola hominis ignorantia, vel infirmitate, seu fragilitate provenit, & in *Scandalum Pharisæorum*, quod ex mera malitia, seu malignitate alterius procedit. Et tunc dicitur *Scandalum Pharisaicum* a Pharisæis, qui propria malitia, malignitate, & invidia erga Christum male, ni dicam pessime, interpretando clarissima ejus miracula, optimam ejus doctrinam, sanctissimamque conversationem, scandalizati sunt. *Communis*.

Scandalum activum, sive directum, sive indire- 14
ctum est peccatum mortale, vel etiam veniale pro ratione peccati gravis vel levis, ad quod inducit. *Communis, & certa*. Unde non indiget probatione.

Scandalum activum, nedum directum, sed etiam 15
indirectum contrahit malitiam specie distinctam contra Caritatem in Confessione explicandam. *Communissima* quoad primam partem, *& Communior* quoad secundam. Et ratio primæ partis est, quia si peccat contra Caritatem, proximi saluti debitam qui non corripit errantem, a fortiori qui inducit ad errorem; Unde certum est apud omnes, scandalum activum directum, quo directe intenditur ruina spiritualis proximi, esse peccatum speciale contra Caritatem proximi gravissimum, ideoque specialiter explicandum in Confessione una cum specie peccati, & circumstantiis personæ inductæ ad ipsum peccatum. Ratio autem secundæ partis est, quia in omni peccato damnifico commisso in proximum sufficit voluntas interpretativa, seu voluntarium indirectum, ponendo scilicet voluntarie causam, ex qua prævidetur sequuturum damnum proximi, quamvis directe non intendatur; ergo etiam ad speciale peccatum Scandali contra Caritatem sufficit voluntas interpretativa, seu volunta-

tarium indirectum, nempe dicere, vel facere, seu omittere aliquid, ex quo prævidetur sequutura ruina spiritualis proximi, quamvis ea directe non intendatur; Tum quia ex præcepto Caritatis tenemur non solum ad non procurandam ex propria industria ruinam spiritualem proximi, sed etiam ad nos abstinendum a causa injusta, ut proximus spiritualiter ruat, adeoque etiam in scandalo activo indirecto tenemur explicare speciem peccati, ad quam proximum ratione talis scandali inducimus.

16 Scandalum mere passivum est evitandum, seu impediendum, quotiescumque nulla ratio necessitatis, vel utilitatis proprie, vel alienæ cogit nos dicere, vel facere, aut omittere aliquid, ex quo prævidemus proximum esse scandalizandum, seu sumpturum occasionem peccandi. *Communis*. Et ratio est, quia lex Caritatis nos obligat impedire, cum facile possumus sine nostro, aut alieno incommodo, etiam damna temporalia proximi, & sic a fortiori ejus damna spiritualia, seu peccata.

17 Non est tamen obligatio impediendi scandalum mere passivum, quoties urget necessitas, vel utilitas propria dicendi, vel faciendi, aut omittendi aliquid ceteroquin non malum, quamvis exinde alii sumpturi sint occasionem peccandi; *Communis*. Et ratio est, quia tunc non sumus nos causa, quod proximus peccet, cum necessitas, vel utilitas propria nos urgeat ad id licite dicendum, vel faciendum, aut omittendum; unde si exinde proximus peccet, peccatum debet ejus malitiæ imputari, alias non possemus unquam quidquam nobis necessarium, utile, aut ceteroquin non malum licite dicere, vel facere, aut omittere ob evitandum tale proximi scandalum, quod nemo audebit asserere.

18 Ob evitandum præcise scandalum aliorum probabilius omittenda non sunt opera præcepti, sive naturalis, sive Divini, sive humani. Sic S. Thomas 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 7. Castrop. *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 16. *num.* 3. Pasqualig. *de Sacrific. quæst.* 1347. Henno *tom.* 1. *tract.* 2. *de Virtutibus disp.* 6. *art.* 3. *conclus.* 3. Illsung *tract.* 3. *num.* 111. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 338. & Communior aliorum. Et ratio est, quia ordine Caritatis salus propria præferenda est saluti proximi, unde quisquis curare debet, ut prius ipse præcepta impleat, quam ut curet, quod impleat alter, cum obligatio servandi præcepta sit primaria, & obligatio vitandi Scandalum sit secundaria; Et certe nisi ostendatur præceptum (1) tunc non obligare, clarum est, non posse omitti ob evitandum præcise scandalum aliorum, ut habetur ex *c. Cum ex injuncto* 2. *de novi operis nunciatione*, ibi: *Quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo omittenda*.

Hinc quamvis multi velint Feminam scientem 19 aliquem in particulari, se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse, & debere Sacro abstinere die Festo semel atque iterum ad peccatum illud evitandum; Alii tamen universaliter sustinent, quod ob evitandum præcise Scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta. Vide verb. *Femina a numer.* 14. *ad num.* 26. ubi multa ad rem.

Opera tantum consilii omittenda sunt, vel ad 20 aliquod tempus differenda, ob evitandum Scandalum pusillorum ex ignorantia, vel infirmitate seu fragilitate inde secuturum, S. Thomas *l. c.* Castrop. *l. c.* Henno *l. c.* Felix Potestas *l. c. n.* 343. Diana *par.* 5. *tract.* 6. *resp.* 23. Spor. *tom.* 2. *tract.* 5. *c.* 1. *sect.* 2. *n.* 31. ubi testatur de communi. Sic spontanea peregrinatio ad aliquod sanctuarium, ingressus voluntarius in Religionem, & hujusmodi sunt omittenda, vel ad aliquod tempus differenda, donec pusilli, qui inde ex ignorantia, vel infirmitate, seu fragilitate scandalizabantur, admoniti, & informati de justis motivis, & rationibus pro tali peregrinatione, & ingressu in Religionem, & hujusmodi non amplius scandalizentur.

Nullimode autem omittenda sunt opera consilii 21 ob evitandum Scandalum Pharisaicum. *Communis*; Et ratio est, quia Scandalum Pharisaicum oritur ex mera malitia, & pravo affectu illorum, qui se scandalizant, cum ipsi non sint in necessitate, sed mera, & libera malitia, unde de ipso Pharisaico Scandalo non est curandum, nec ullum opus bonum est omittendum ob ipsum vitandum; Non enim tenemur aliorum malitiæ condescendere cum tali damno nostro spirituali; Unde de istis Christus Dominus *Matthæi* 1. dicit: *sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*.

Ob evitandum Scandalum pusillorum, & a fortiori Pharisaicum raro, vel nunquam adest obligatio 22

(*1) Qui tuentur opera bona jure naturali affirmativo, vel lege humana præscripta posse aliquando omitti, vel differri ad scandalum pusillorum declinandum his potissimum exemplis utuntur. „ Correctio peccatorum est de lege naturali affirmativa; sicuti etiam eosdem punire, si in malo persistere velint: & tamen cessat hæc obligatio, si aut ex correctione, aut ex punitione prudenter prævideatur oritura seditio in Republica. Præterea certum est, præceptum de vitando scandalo esse juris naturalis: cum igitur observatio præcepti naturalis prævaleat observationi juris positivi humani, hæc observatio suspendenda erit, quoties exequi nequeat absque pusillorum scandalo. „ Ita Cuniliati tract. IV. de I. Decal. Præcept. cap. IX. §. VI. num. VI., qui num. VII. subdit: „ Hinc deberes abstinere a Sacro audiendo, etiam die festivo, si prudenter prævideres, te domo discedente, gravem rixam inter domesticos esse exsurrecturam. Similiter teneretur mulier abstinere ab eodem pio opere, & aliquoties se domi continere, sciens, talem hominem impudico erga ipsam amore deperditum, illam expectare, ut, quo pergit, eamdem sequatur, & in Ecclesia impudicitiam suam aspiciendo, & declarando dapascatur: dixi aliquoties: nam si inhonestus ille non desisteret ab ea singulis festis expectanda, neque ullus esset modus illum avertendi a spirituali hac persecutione, contempto scandalo phariscaico, deberet mulier modeste composita Ecclesiam adire, & Christianorum munera adimplere: ex his similia deducas. „

tio subeundi gravem, & magnam jacturam in propriis bonis temporalibus. Castrop. *loc. cit. par.* 17. Sporer *loc. cit. num.* 32. Diana *loco citato*, Suarez, & alii, Sanchez *in Dialog. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 11. La Croix *lib.* 2. *num.* 146. & alii. Et ratio est, quia, quando inde oritur magnum, & grave damnum, est veluti moralis impotentia vitandi talem occasionem, & tunc adest sufficiens causa eam permittendi, ponendo rem indifferentem, adeoque &c.

23 Adest tamen obligatio subeundi leve, & modicum damnum in propriis bonis temporalibus ob evitandum Scandalum pusillorum. *Communis* cum S. Thoma *loc. cit. art.* 8. & Sporer *loc. cit. num.* 32. Et ratio est, quia bonum spirituale proximi ordine Caritatis præferendum est bono temporali proprio, maxime si inde oriatur solummodo leve, & modicum damnum, ut loquitur conclusio.

24 Ut aliquis peccet peccato Scandali, non requiritur, quod alter de facto peccet, sed sufficit, si credatur probabiliter peccaturus; Unde potest esse Scandalum activum sine passivo, sicuti e contra potest esse Scandalum passivum sine activo, ut de facto fuit in Pharisæis, qui se scandalizarunt ex sanctissimis Christi verbis, & miraculosissimis ejus factis undequaque incapacibus active scandalizandi.

25 Utilius Scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Textu expresso in cap. *Qui scandalizaverit* 3. *de Regul. Juris*, in cujus Summario sic habetur; *Propter Scandalum evitandum veritas non est omittenda*.

SCANDALOSA PROPOSITIO. Vide verb. *Propositiones damnatæ num.* 35.

SCHISMA SCHISMATICI.

---

1 Schisma generice, & large sumptum est nomen Græcum scissuram, & divisionem seu disruptionem communionis significans. *Cap. Schisma* 34. *caus.* 24. *quæst.* 1. ibi: *Schisma siquidem ipsum, quod Græcum nomen est, scissuram sonat*.

2 Schisma multipliciter contingere potest, & accipi tam in bonam quam in malam partem. In bonam partem accipi potest, ut Joan. *cap.* 9. *n.*16. ibi: *Schisma erat inter eos*. In malam autem partem, ut 1. *ad Corinth. cap.* 1. *num.* 10. ibi: *Et non sint in vobis schismata*. Schisma vero simpliciter
3 prolatum, in malam partem usurpatur. Et Schisma in malam partem usurpatum sic definitur:
4 *Schisma est subtractio ab obedientia Capitis Ecclesiæ formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiæ. Est in re Communis*.

Schisma sic definitum dividitur in purum, & mixtum, seu conjunctum cum Hæresi; *Communis*. 5
Schisma purum est malitiosus recessus a vera Ecclesia quo ad obedientiam solum, & fit, & est, 6
cum quis omnes Fidei Articulos, ac etiam Supremam Pontificis potestatem, & Primatum in Ecclesia credens ex mera malitia recusat subesse, & obedire Summo Pontifici formaliter sumpto qua tali, seu qua Capiti, & Christi in terris Vicario, Ecclesiæ universali, vel ceteris dictæ universalis Ecclesiæ membris uniri, aut unitus, & conjunctus esse detrectat. Sic Schisma fit & est, cum aliquis Principatus, seu aliquod Regnum negans obedientiam Summo Pontifici tamquam Capiti universalis Ecclesiæ, constituit sibi proprium Patriarcham, aut Episcopum, eique in Spiritualibus obedit, spretis, seu neglectis, & non attentis Papæ mandatis, licet de cetero Papatum, & Articulos Fidei credat, & hujusmodi Principatus, & Regni Princeps, Rex, & Incolæ in tali casu sunt *puri*, & propriæ dicti *Schismatici*. Sic in re Doctores communiter.

Schisma mixtum, seu conjunctum cum Hæresi est *malitiosus recessus a vera Ecclesia quo ad obedientiam pariter, & credentiam; non quo ad omnes Articulos* (quia tunc esset Apostata); *sed quo ad unam, aut plures veritates Catholicas ab Ecclesia definitas, & propositas*. Et fit, & est, cum quis præter separationem ab unitate veræ Ecclesiæ negat unam, vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas, & propositas, v. g. negat Romanum Pontificem esse in terris Vicarium Christi, & Caput Ecclesiæ, negat Sanctorum Communionem, auricularem Confessionem, & hujusmodi. Hic in tali casu est Schismaticus mixtus, quamvis alios Fidei Articulos credat, & approbet. *Sic in re Communis Doctorum*. 7

Advertendum tamen hic est, quod ordinarie, & practice loquendo vix unquam nostris hisce diebus datur amplius Schisma *purum*, seu sine Hæresi; Quamvis enim in suo principio Schisma non habeat perversum Fidei dogma, sicut Hæresis; tamen in fine nullum Schisma est sine Hæresi, ut ex verbis S. Hieronymi recte notatur in *c. Inter Hæresim* 26.*caus.*24.*q.*4.ibi: *Inter hæresim, & Schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separat. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest: Ceterum nullum Schisma non aliquam sibi confingit Hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*. (1) 8

Item est hic pariter advertendum, quod non omnis recessus, seu separatio a Papa est Schisma, sed solum recessus, & separatio ab ipso tamquam a Vicario Christi in terris, & Capite formaliter totius Ecclesiæ; Unde Schismaticus non est, qui Romanum Pontificem tamquam Vicarium Christi in 9

(*1) Hæc Hieronymi verba serio meditentur Ultrajectini Schismatici, iique omnes, qui non solum iis adhærent, sed *Catholicos* illos palam prædicare non erubescunt. Confer Præfationem in Tractatum historicum piissimi Canonici Wenceslai Bachusii de Zegero Bernardo Van-Espen e Latino idiomate Italice versum, editumque Assisii an. 1787. *pag.* 6. *seqq.*

in terris, & Caput formaliter Ecclesiæ recognoscit, eique qua formaliter Pontifici obedientiam præstat, sed non vult illum recognoscere tamquam temporalem Dominum alicujus Provinciæ, Civitatis, & hujusmodi, eique obedientiam denegat, dum jubet, ut arma deponat, bellum contra ipsum non gerat, invisum, & odiosum Ministrum recipiat, & hujusmodi: Similes enim inobedientiæ, & recessus adhuc bene compatiuntur cum debita recognitione, & obedientia erga eumdem tamquam Vicarium Christi in terris, & Caput formaliter totius Ecclesiæ Catholicæ, nec separant a vera Ecclesia, quatenus est Corpus Mysticum. *Sic Communis*.

10 Item proprie *Schismaticus* non est, qui se a quolibet alio Episcopo, etiam qua talis est, separat, eique obedire detrectat, vel se a solis membris alicujus particularis Diœcesis, & Ecclesiæ disjungit. Schisma enim proprie dictum importat separationem, & recessum ab Ecclesia universali, & ejus formaliter Capite, non autem solam separationem, & recessum ab aliqua Ecclesia, & Diœcesi particulari, & ejus Diœcesano, seu Episcopo; Quamvis tamen talis separatio, & recessus possit dici aliquo modo Schisma large, & improprie. *Communis*, *arg. cap. Scire* 7. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. Loquitur* 18. *caus.* 24. *q.* 1.

11 Schisma proprie dictum, & purum differt ab Hæresi in hoc, quia Hæresis per se, ac directe opponitur Fidei negando, seu non concedendo unum, aut plures Fidei Articulos; Schisma vero opponitur Caritati, Ecclesiæ unitatem, quæ in Caritate consistit, scindendo. *Communis* cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal.*
12 *tit.* 8. *num.* 7. Pirhing *ibid. num.* 2. Unde Schisma, & Hæresis differunt inter se sicut genus, & species, ut docet Glossa communiter recepta *in cit. c. Inter Hæresim* 26. *caus.* 24. *quæst.* 3. *verb. & Schisma.* Nam omnis Hæreticus est etiam Schismaticus, quia eo ipso, quod quis falsum dogma, & Ecclesiæ doctrinæ & definitioni contrarium credit ut Hæreticus, est etiam Schismaticus, quatenus ab Ecclesiæ unitate recedit, & se separat, erroneam & ei contrariam doctrinam sectando. Non tamen omnis Schismaticus est etiam Hæreticus, quia potest quis omnes Articulos Fidei ab Ecclesia definitos & propositos credere, credendo etiam Romanum Pontificem esse verum, & unicum universalis Ecclesiæ Caput, sed ex malitia, seu prava voluntate nolle ipso facto eum pro Capite Ecclesiæ recognoscere, eique obedire, nec aliis membris Ecclesiæ uniri, seu conjungi.

13 Hinc constat, Schisma esse errorem voluntatis, & non intellectus, ut est Hæresis: Schismaticus enim constituitur per contemptum, contumaciam, & inobedientiam, qui actus sunt voluntatis. Ursaya *Inst. crim. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 4. & alii passim.

14 Schismatici proprie dicti, seu puri, & nullam conjunctam habentes Hæresim pluribus subjacent pœnis. Prima talium Schismaticorum pœna est Excommunicatio major. Colligitur *ex c. Nulli fas* 5. *dist.* 19. *c. De Liguribus* 43. *caus.* 23. *q.* 5. Et expresse habetur *in Bulla Cœnæ* §. 1. ibi: *Excommunicamus Schismaticos, & eos, qui se a nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.*

Secunda pœna est privatio Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Unde omnes collationes Beneficiorum, alienationes rerum Ecclesiasticarum, sententiæ Censurarum, Absolutiones &c. a Schismaticis factæ ipso Jure sunt irritæ; *cap. Novatianus* 6. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. Didicimus* 31. *caus.* 24. *quæst.* 1. ibi: *Didicimus Schismaticos nil habere Juris, & potestatis*, & expresse *cap. Quod a Prædecessore* 1. *de Schismaticis*, in cujus Summario sic dicitur: *Irritæ sunt ordinationes, Beneficiorum collationes, & Ecclesiasticarum rerum alienationes per Schismaticos factæ.* 15

Quoad Ordinationes autem *cit. cap. Quod a Prædecessore* 1. *de Schismaticis*, & *c. Ordinatione* 5. *caus.* 9. *qu.* 1. ubi disponitur, quod si factæ fuerint a Shismaticis, sint nullæ, & irritæ, debet sic intelligi, nempe quod accipiens Ordines a Schismatico sit suspensus ipso facto ab executione eorum; Ordines tamen recepti valeant, & Characterem imprimant. *Sic Communis Doctorum* cum Glossa in *cit. cap. Quoad a Prædecessore verb. Irritas.* 16

Tertia pœna est inhabilitas ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, & præsertim Episcopalem; *cap. Quia diligentia* 5. *de electione*; & *cap. Ad succidendos unic. de Schismaticis in* 6. Et quamvis *in cit.* 17
cap. Ad succidendos varii Doctores teneant, Schismaticos privandos esse etiam Beneficiis omnibus ante Schisma obtentis; Quia tamen dicta Bonifacii VIII. Constitutio *cit. cap. Ad succidendos* fuit revocata a Benedicto XI. *Extravagant. unic. de Schismaticis, inter Communes*, sola excepta confiscatione bonorum ibidem statuta, ideo nos dicimus tales Schismaticos non incurrere pœnam privationis Beneficiorum ante Schisma rite obtentorum. Sic Garcias *de beneficiis par.* 11. *cap.* 10. *num.* 151. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *numer.* 16. Pirhing *lib.* 5. *Decretal. tit.* 8. *num.* 7. Reiffenstuel *ibid. num.* 11. & alii. 18

Quarta pœna est confiscatio omnium bonorum, *cit. cap. Ad succidendos unic. de Schismaticis in* 6. cum aliis Juribus adductis a Card. de Albic. de *Inconstant. in Fide part.* 1. *cap.* 10. *num.* 41. 19

Quinta pœna est ultimum etiam supplicium durante eorum contumacia; *cap. Non vos* 22. & *c. de Liguribus* 43. *caus.* 23. *q.* 5. cum aliis apud Farinac. *q.* 184. *num.* 51. & 52. Cardin. de Albic. *loc. cit. num.* 42. 20

Schismatici mixti, seu habentes adjunctam Hæresim, quales hisce temporibus sunt fere omnes Schismatici, uti jam dictum est *supra num.* 8. subjacent omnibus pœnis, quibus subjacent Hæretici; Unde vide verb. *Hæreticus*. 21

Si tempore Schismatis sint duo, aut plures Pontifices, & unus sit certus, ei soli est adhærendum; Unde qui aliter facerent, & alteri Schismatico Pontifici, seu Antipapæ adhærerent, essent & ipsi Schis- 22
matici. *Communissima*. Immo in tali casu Schismatico Pontifici, seu Antipapæ adhærentes de fautoria Hæretici puniri deberent. Concil. Constant. *sess.* 12. 23

Si tempore Schismatis sint duo, vel plures Pontifices, & nesciatur quis sit vere legitimus Papa, tunc nulli est adhærendum, donec Ecclesiæ provi- 24

visum sit de certo Pontifice, & interim recte & tute quisque se gereret adhærendo suis Episcopis, & Parochis cum animo parato adhærendi illi, quem Ecclesia Christi ut verum Papam receperit. *Sic Communior Doctorum* cum Suarez *disp.* 12. *de Schismate sect.* 1. *n.* 1. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 8. *n.* 17. & *seq.* & Bassæo *tom.* 2. *vers. Schisma num.* 5. ubi insuper citat Cajetanum, Silvestrum, & alios.

25 Quamvis tamen Sayrus *in Thesauro lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 22. & alii censeant, quod quando duobus, vel pluribus de Pontificatu contendentibus vere nescitur quis sit legitimus Pontifex, nec per Concilium Generale res adhuc sit terminata, tunc tam ipsi, quam eorum sequaces a peccato excusentur; Dummodo vero animo parati sint ipsi prætensi Pontifices ad determinationem Generalis Concilii a Papatu se abdicare, & ipsi eorumque sequaces illi statim adhærere, quem Concilium Generale, seu Ecclesia Christi ut verum Papam habuerit.

26 Tempore Schismatis, si Commercia Civilia sine scandalo tolli nequeant, permittendum est, quod Catholici cum Schismaticis communicent. Sic declarasse Sacram Congregationem de Propaganda Fide de anno 1626. refert ex Nicolio Ursaya *Instit. Crimin. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 24.

27 Schismatici Pastores ad Ecclesiam reversi, animarum Cura non privantur, modo idonei sint, & conditiones præscriptas observent nempe sint pietate, & castis moribus conspicui, bonorum exemplo præluceant, & in reditu ad Ecclesiam nihil fictum aut, simulatum, sed certum sinceræ conversionis indicium ostendant, & ab exercitio abstineant quousque reportaverint necessariam in utroque Foro absolutionem, rehabilitationem, necnon dispensationem ab irregularitate, Censuris, & pœnis, lapsis in Hæresim canonice inflictis; Ritu præterea Catholico administrent Sacramenta, & nullum eisdem cum Schismaticis in Divinis sit consortium. Ben. XIV. tom. 1. Const. 129. incip. *Eo quamvis tempore* §. 12. & 13.

28 Schisma prout est distinctum ab Hæresi, quod raro contingit, nihil aliud est, quam separatio ab unitate Ecclesiæ. Idem *de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canonizatione lib.* 3. *cap.* 20. *numer.* 5.

29 Duobus ad Summum Pontificatum electis, si ignoretur quis ex eis legitime electus sit, & aliquis adhæreat ei, quem putat legitimum Pontificem, sed cujus postmodum electio minime legitima judicata est, non est Shismaticus. Idem *ibid. nu.* 6.

30 Schismaticus autem est, qui persistit in obedientia ejus, quem putavit verum Pontificem, postquam ejus electio nulla judicata est ab habente potestatem. Idem *ibidem num.* 6.

31 In primo casu possunt esse, & fuerunt Sancti; Secus autem in secundo casu. Idem *ibid. num.* 7.

32 ubi affert pro primo casu

33 exempla Petri de Luxemburgo, & Ludovici Alamanni inter Beatos a Clemente VII. legitimo Pontifice adscriptorum propter eximias virtutes, & insignia miracula, quibus floruerunt, licet dictus Petrus Cardinalis fuerit creatus a Roberto Genevensi Antipapa, cui adhæsit credens ipsum legitimum Pontificem, & dictus Ludovicus in Concilio Basileensi steterit adversus Eugenium VI. legitimum Pontificem, & Felicem V. Antipapam consecraverit, attamen facti pœnitens ad Nicolai V. ipsius Eugenii legitimi successoris obedientiam rediit, & Ecclesiæ unitatem resarcivit. Et aliud exemplum celeberrimi Sancti Vincentii Ferrerii he- 34
roicis virtutibus undequaque in vita conspicui, & maximis miraculis semper, & adhuc in dies coruscantis, mei particularis Advocati, meique etiam cognominis, ut tradit eruditissimus Tirinus *tom.* 2. *in Indice Auctorum litt. V.* ibi: *Vincentius Justinianus Antistius ex Valentia Hispaniæ Ordinis Prædicatorum scripsit vitam Confratris, & Concivis sui B. Vincentii Ferrarii, vel Ferrerii Valentini ex eodem Ordine Prædicatorum*, qui in teterrimo Schismate inter Petrum de Luna dictum Benedictum XIII. & Angelum Corrarium nuncupatum Gregorium XII. qui in Concilio Pisano, & subinde una cum Joanne XXIII. in Concilio Constantiensi depositi fuerunt, electo in Pontificem Martino V. ac magna parte Hispaniæ Petrum de Luna, seu Bened. XIII. tamquam verum, & legitimum Pontificem colente, aliquibus vero Italiæ Civitatibus Angelo Corrario, seu Gregorio XII. pariter tamquam vero, & legitimo Pontifici adhærentibus, licet ipse in primis bona fide Petri de Luna, seu Bened. XIII. partes secutus, auctor etiam fuerit, ut Reges Aragoniæ eidem adhærerent; attamen statim ac ejus obstinationem, & malas artes perspectas habere cœpit, Ferdinando Regi Aragoniæ persuasit, ut ab ejus obedientia se subduceret, edictumque publicaret, quo suis subditis inhiberet, quin ullam ad eum, tamquam ad Pontificem, adhæsionem, quocumque prætextu haberent; sicque ejus potissima opera Schisma extinctum penitus fuit.

* Schismata, quæ vexarunt Romanam Eccle- 35
siam, vide Tomo 6. hujus Biblioth. in serie *Romanorum Pontificum*.

Additiones ex aliena manu.

Communiter admittitur, Schisma adjunctam ha- 36
bens hæresim crimen esse Ecclesiasticum, prout est ipsa hæresis, adeoque pertinere ad judicium solius Ecclesiastici Judicis. At non convenit, num idem obtinere debeat in Schismate mero sine hæresi; Confer *Vanespen Jur. Eccles. univ. parte* 3. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 52.

SCHISMATICA PROPOSITIO. Vide verb. *Propositiones Damnatæ num.* 26.

SCHOLASTICUS. (*)

A Scholis *Scholares*, & *Scholastici* dicti, qui 1
in eis exercebantur. Hæc prima ejus vocis adceptio. Altera pro erudito. Hieronymus libro *de viris illustribus* cap. XCVIII. *Serapion Thmuεos Episcopus, qui ob elegantiam ingenii, cognomen Scholastici meruit*. Gennadius in Catalogo c. LXXXIV. *Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone Scholasticus*,

sticus, & assertionibus nervosus. Dionysius Petavius illud Synesii ad epist. cv. *Cura, ut hæc Scholastici sciant*, utrovis modo explicat, quum ait: *Scholasticos appellat eruditos, ac politos homines, qui in Musæo Alexandrino litteris vacabant: quive alias eleganti erant ingenio, ac bonis artibus exercitato*. Tertium hujus vocabuli usum suggerit inter alios Heribertus Rosweidius in *Onomastico ad vitas Patrum*: nempe pro Advocato, qui publice ex officio caussas ageret; probaturque in primis ex Canone xiI. Concilii *Sardicensis, ex Cod. Theod. l.2. de Concuss. advocat.*, & ex titulo xcvII. Collectionis *Africanæ*. Quartam Scholastici significationem invexerunt, præsertim in *Gallias*, sæcula recentiora: ex quo sancitum est a Carolo Magno, ut Scholæ fierent *per singula monasteria, vel episcopia*: hinc enim in Ecclesiis Cathedralibus institutæ sunt Magistrales præbendæ, quæ in eorum subsidium cederent,

2 In Monasteriis igitur, Ecclesiisque cum Cathedralibus, tum etiam Collegiatis Scholasticus supremus studiorum simul ac disciplinæ Eccles. fuerat præfectus, varios habebat coadjutores in docendo, plerumque Vicarium, qui etiam dicebatur *Magister secundarius*, sæpius etiam Religiosos, qualis fuerat *Marianus Scotus*, & hinc est, quod varii Archiepiscopi Mog. in diplomatibus laudent percepta a prima juventute ab Ecclesia Mogunt. beneficia: prout ea extollebat *Christianus* in allegato supra §. 18. diplomate, ubi ait, *quod Ecclesia Mogunt. ipsum ab annis adolescentiæ tamquam Mater pia delicatis alimoniis enutriverit*. Varios autem circa alendos hosce domicellares in Ecclesia Mogunt. fuit disciplina: ab initio Scholasticus ex præbendis hisce domicellaribus assignatis victum, & amictum suppeditavit, id quod in aliis etiam Ecclesiis Collegiatis usu erat receptum, prout de Aschaffenburgensi probat Diploma apud *Gudenum* loc. c. T. I. p. 353.

3 Cum autem occasione hujus sustentationis circa annum 1146. dissidia orirentur Scholasticum inter ac Canonicos seniores domicellarium cognatos, hi effecerunt penes Henricum Archiepiscopum, ut ipsi curam eorum haberent, prout clare patet ex diplomate Henrici apud *Gud.* l. c. T. I. p. 180. ubi ait: „ Præterea perpendimus, quod Fratres nostri (scilicet Canonici Metrop.) de jure Scholastico circa suorum Cognatorum-Scholarium videlicet Canonicorum domesticam provisionem cum Magistro Scholarum ad lites indebitas, & contentiones frequentius prorumpere consueverunt, ut ergo in his occasio litis penitus deficiat, & in Ecclesia Mogunt. pax, & concordia magis, ac magis proficiat, & convalescat, Prælatis Ecclesiæ Moguntinæ consentientibus, honorabili quoque viro, paci, ac fraternæ Charitati omni modo intento Wilhelmo Scholarum Magistro, quam devote postulante x. libras in Studernheim Magistro Scholarum annuatim persolvendas stabili jure tali tenore donavimus, quatenus in hac parte salvo, & incorrupto jure omnium aliorum tam præsentium, quam succedentium Scholasticorum Moguntini Episcopatus memorati fratres nostri consanguineis suis Scholaribus Canonicis de stipendiis præbendalibus in domibus suis victum,& vestitum eo moderamine provideant, ut & ipsi ex hoc sui laboris consolationem percipiant, & Magistri Scholarum de prædictis redditibus sui juris debita compensatione non careant.

Hoc autem postea immutato, provisio, ac sustentatio domicellarium denuo concredita fuit Scholastico, prout patet ex Diplomate *Conradi* de a. 1190. apud *Gud.* l. c. T. I. p. 295., qui ait: „ Volumus non latere, quod habito nostræ Ecclesiæ Consilio, & consensu ad petitionem dilecti filii nostri Petri Scholastici jus scholasticum sibi, & successoribus suis, ne de cætero in eo fiat defectus, plene integramus, ita videlicet, ut omnes de cætero scholares Canonici tam præsentes, quam futuri in Ecclesia Moguntina usque ad emancipationem cum suis præbendis in procuratione sint Magistri, nisi Magistri liberalitas alicui gratiam faciat, omni cognatione sanguinis, & cognatorum pro eis intercedentium occasione remota: Nullo rescripto, nec etiam rescripto Archiepiscopi Henrici contra jus scholasticum per subreptionem obtento contra hoc impetrato vel impetrando, obstante, vel scholastico juri præjudicium faciente; Magister vero scholares ipsos secundum Ecclesiæ honorem nutriat moribus, disciplina, scientia, victu, & vestitu. In vestitu istam damus formam, ut eos vestiat in pelliciis Agninis, (1) & pannis (2) lineis & laneis (3) secundum Ecclesiæ consuetudinem sufficientibus, & de quibus non vult habere curam vestiendi, dummodo sint adulti, denarios omnes de carne Magister recipiet, & de pisce refectiones (4) porcos de nativitate (5), & denarios, qui dantur ad supplementum panis (6), magister retineat. Alios vero denarios eleemosinares 4

(1) Scilicet pro caligis.
(2) Vulgo Beiss Zeug.
(3) Tunicæ erant ex lana.
(4) Sciendum enim sæpius ex fundatione vel consuetudine cibum particularem in carne, vel pisce mensæ apponendum fuisse certis diebus: hic cibus redimebatur a Magistro coquinæ denariis, dum quivis ex Canonicis pro sua portione conlationis loco accepit aliquos denarios.
(5) Scilicet in Nativitate Domini cuivis dimidius porcus dandus erat, vel redimendus pecunia numerata. Conf. diploma seq.
(6) Certis equidem diebus præter consuetum panem accepere album ex siligine confectum, qui dicebatur *simila*, pro quo pane in natura etiam dabatur quandoque nummus, & sic patet, quales fuerint nummi ad supplementum panis.

res (1), & denarios de vestibus (2) scholares recipiant, & si Magister voluerit plus eis largiri, non sit ei, successoribusque suis præjudicium. „

5 Addere tandem juvat ex T. II. *Thesauri Juris Ecclesiatici*, a Cl. Viro Antonio Schmidt collecti p. 218. juramentum, quod præstare Scholasticus tenebatur. *Primo* " quod verbum Capituli in Capitulo, & extra per se, vel per alium proferet. Item quod literas Capituli eodem modo dictabit, & scribi faciet. Item quod secreta Capituli tenebit, & non revelabit. Item quod alia ad quæ tenetur ratione officii sui adimplebit, videlicet, quod si absens fuerit ab Ecclesia, ipse loco sui instituet Canonicum idoneum ad proferendum dictum verbum, & dictandum, & scribi faciendum dictas literas Capituli, assignandum locum Canonicis, & audiendum lectiones in Choro, & cætera faciendum, ad quæ ipse Scholasticus tenetur, & quod dicto Canonico de salario competenti arbitrio Capituli moderando, anno quolibet satisfaciet, de promptioribus fructibus ipsius Scholastriæ. Et quod observabit pro posse suo fundum Scholastriæ suæ, ac jura solita solvi Ecclesiæ per Prædecessores suos exsolvet. Item quod anno quolibet tempore debito, videlicet Paschæ Capitulo præsentabit Magistrum Scholarum de idoneitate per ipsum Capitulum examinandum, & si idoneus inveniatur, admittendum ". Adjicitur dein adhuc quædam obligatio Scholastici de certa summa pecuniæ solvenda Ecclesiæ singulis annis, ex quibusdam bonis, quod huc non spectat.

SCIENTIA CONFESSARII. Vide verb. *Confessarius art.* 1. *a num.* 48. *ad* 51.

SCRIPTURA SACRA.

---

1 Scriptura Sacra dicitur *Biblia* a voce Græca *Biblion*, quæ libellum significat. Utde Antonomastice Sacra Scriptura vocatur *Liber*, eo quod sit omnium Librorum Liber tum sui origine, tum sanctitate, tum præsertim utilitate, jam figuratus in illo, quem vidit Joannes *in Apocalyps. c.* 5. ibi: *Et vidi in dextera Sedentis super Thronum Librum scriptum intus, & foris*.

2 Scriptura Sacra, quæ breviter definitur. *Verbum Dei Scriptum*, fusius, & clarius definitur, quod sit *Volumen Sacrum dictante Spiritu Sancto ad salutem hominis conscriptum, & ut tale ab Ecclesia receptum*. Est *in re Communis*.

Dictum Sacrum Volumen est aggregatum quod- 3
dam ex septuaginta duobus Canonicis Libris particularibus, scilicet quadraginta quinque Veteris Testamenti, & viginti septem Testamenti Novi in unum Codicem redactum. *Communis, ac certa*. Dicti autem septuaginta duo Libri Canonici 4
sunt sequentes recensiti a Concilio Tridentino *sess.* 4. *in Decreto de Canonicis Scripturis*; nempe *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duo Paralipomenon*, *Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Neemias*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalterium Davidicum*, *Parabolæ*, *Ecclesiastes*, *Canticum Canticorum*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Isaias*, *Jeremias cum Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, *duodecim Prophetæ Minores*, idest *Oseas*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, *duo Machabæorum, primus & secundus*: *Novi Testamenti quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem*, *Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti*, *quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos*, *Petri Apostoli duæ*, *Joannis Apostoli tres*, *Jacobi Apostoli una*, *Judæ Apostoli una*, *& Apocalypsis Joannis Apostoli*.

Prædictus numerus Librorum Canonicorum Sa- 5
cræ Scripturæ non est novus, sed antiquissimus in Ecclesia Catholica, & receptissimus: Omnes enim prædicti Libri inter Canonicos recepti sunt *in Concilio Carthaginensi cap.* 47. celebrato anno 397. (3) Item in Concilio Romano I. sub Gelasio Papa celebrato anno 494. Atque in aliis subsequentibus Conciliis, & præsertim *in Concilio Florentino in Decreto Unionis*. Unde dicti Libri *Canonici* 6
dicti sunt, vel quia continent normam, & regulam, quam in Fide, & moribus sequi tenemur: *Canon enim Græce, Latine Regula nuncupatur* textu expresso *in cap. Canon* 1. *distinct.* 3. vel quia in Catalogum Librorum Divinorum sunt ab Ecclesia in dictis Conciliis relati. (4)

Libri spectantes ad Testamentum vetus dividun- 7
tur in quatuor Classes, scilicet in Legales, Historiales, Sapientiales, & Prophetales. *Legales* sunt quin-

(1) Tales distributiones etiam quandoque fiebant non habito respectu ad mensam, sed ex particulari fundatione.

(2) Tales dabantur, ut meliores vestes sibi comparare possent fratres, quales adhuc hodie in variis Monasteriis distribuuntur.

(3) Vide infra *num.* 6.

(4) Adde testimonium Ecclesiæ Græcæ; hæc enim cum a Protestantibus ad ineundam secum concordiam invitata esset, Synodum Hierosolymæ sub Dositheo Patriarcha celebravit a 1672. quæ Protestantium errores damnavit, datoque ad ipsos responso inter alia Catholicæ doctrinæ capita solemniter de sacris libris in Tridentino Concilio enumeratis professa est: *hos omnes judicamus esse canonicos, & S. scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia catholica*.

quinque Libri Moysis, seu Pentatheucus idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *Historiales* sunt Josue, Judicium, Ruth, Regum, Paralipomenon, Machabæorum, Job, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther. *Sapientiales* sunt Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. *Prophetales* sunt Psalmi, quatuor Majores Prophetæ, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, & duodecim Minores, Oseas, Joel, Amos, Michæas, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

8 Libri spectantes ad Testamentum novum dividuntur & ipsi in quatuor Classes, scilicet Legales, Historiales, Sapientiales, & Prophetales. *Legales* sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis. *Historiales* sunt Actus Apostolorum. *Sapientiales* sunt quatuordecim Epistolæ Divi Pauli, una Divi Jacobi, duæ divi Petri, tres Divi Joannis, & una Divi Judæ Thaddæi. *Prophetales* tandem Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.

9 Recollectio dictorum omnium Librorum vocatur Testamentum vetus, & novum duplici ratione; Prima, quia sicuti Testamentum est charta scripta, in qua continetur ultima voluntas hominis, sic in illis Libris continetur ultima Dei voluntas, & Lex, quam Deus vult ab hominibus servari. Secunda quia sicuti Testamentum est, quo bonorum temporalium defertur hereditas intercedente Testatoris morte, qua contingente, cum esset antea clausum, & obsignatum, aperitur; ita per dictos Libros Sacros defertur nobis hereditas bonorum Cœlestium, & Christi morte in ea confirmamur, iisque apertis legimus nos esse Dei heredes, & Coheredes Christi.

10 Unum autem ex dictis duobus Testamentis vocatur *Vetus*, quia ipsum tamquam jàm antiquatum, & inveteratum desiit obligare adveniente *Novo*, uti patet in Testamentis, quorum primum jam cessat valere, adveniente ejusdem Testatoris secundo. Et aliud vocatur *Novum* propter novitatem spiritus, quam affert Lex Christiana in eo contenta, quæ novos affectus, novosque ardores erga Deum excitat in iis, qui illam amplectuntur, & vere observant; unde a veteri Testamento ad Testamentum novum proceditur tamquam a figura ad suum figuratum, a signo ad suum signatum, & a parabola ad suam veritatem, quia *Lex per Moysem data est*, *Gratia*, *& veritas per Jesum Christum facta est*, ut expresse habetur *Joannis cap.* 1. *num.* 17.

11 Omnes prædicti Libri, tum veteris, tum novi Testamenti sunt ab omnibus pro Sacris & Canonicis, seu a Deo inspiratis habendi, & qui ipsos omnes ut tales non susceperit, aut aliquam veritatem in ipsa contentam negaverit, erit Hæreticus; Unde Concil. Trident. *cit. sess.* 4. *in Decreto de Canonicis Scripturis* post enumeratos supradictos omnes Libros sic expresse concludit: *Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, anathema sit.*

Libri alii duo, scilicet tertius, & quartus Esdræ 12
non sunt ab Ecclesia recepti pro Canonicis, quamvis sint magnæ auctoritatis, & a Sixto V. in Sacris Bibliis post Libros Canonicos una cum Oratione Manasse fuerint appositi, ne penitus pereant, & ut a Patribus citati reperiantur.

Et tanto minus pro Canonicis habentur ab Ec- 13
clesia liber tertius, & quartus Machabæorum, cum ipsi sint, & a Canone, & a Bibliis penitus exclusi, ut patet.

Item pro Canonicis non habentur ab Ecclesia 14
plura Evangelia, quæ sub nomine diversorum Apostolorum, ut Thomæ, Andreæ, Bartholomæi, Thaddæi, Barnabæ &c. circumferuntur conscripta. Sicuti nec pro Canonicis habentur alii Libri, de quibus omnibus fit mentio *in cap. Sancta Romana* 3. *dist.* 15. ibique a Gelasio Papa pro Apocryphis declarantur. (1)

Ex Libris Sacris plures, & plures perierunt. 15
Ita S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 7. *in primam ad Corinth.* Bellarmin. *tom.* 1. *de Verbo Dei lib.* 4. *cap.* 4. Abulensis *in Numer. cap.* 21. *quæst.* 3. & alii communiter; Et hoc clare constat ex pluribus locis ipsiusmet Sacræ Scripturæ. *In primo enim Libro Paralipomenon cap. ult.* fit mentio Libri Samuelis videntis, & Libri Nathan Prophetæ, atque libri Gad videntis, ibi: *Gesta autem David Regis propria, & novissima scripta sunt in Libro Samuel videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, atque in Volumine Gad videntis*. Et 2. *Paralipomenon cap.* 9. fit mentio Libri Nathan Prophetæ, Libri Ahiæ Silonitis, & Libri Addo videntis, ibi: *Reliqua autem opera Salomonis priorum, & novissimorum scripta sunt in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis*. Et ibidem *cap.* 12. fit mentio Libri Addo videntis, ibi: *Opera vero Soboam prima, & novissima scripta sunt in Libris Semejæ Prophetæ, & Addo videntis*. Et ibidem *cap.* 20. fit mentio Libri Jehu filii Anani, ibi: *Reliqua gestorum Josaphat priorum, & novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Anani*. Et 3. *Reg. cap.* 4. fit mentio de Libro trium millium Parabolarum, & ejus Carminum quinque & mille Salomonis ibi: *Loquutus est quoque Salomon tria millia Parabolas, & fuerunt Carmina ejus quinque & mille*. Et ibidem *cap.* 11. fit mentio de Libro verborum dierum Salomonis ibi: *Ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis*. Et ibidem *c.* 14. fit mentio Libri sermonum dierum Regum Juda, ibi: *Ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Juda*. Et 2. *Machabæorum cap.* 2. fit mentio Libri Jasonis Cirenæi, ibi: *Itemque ab Jasone Cirenæo quinque Libris comprehensa*. Et *ad Colossenses cap.* 4. *fit mentio Epistolæ B. Pauli Apostoli scriptæ ab ipso ad Laodicenses*, ibi: *Et cum lecta fuerit Epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesiam legatur, & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*.

(*1) Apochryphos omnes hosce libros recensuit, illustravitque Joannes Albertus Fabricius cum in *Codice pseudepigrapho Veteris Testamenti*, Hamburgi 1713., tum in *Codice apocrypho Novi testamenti*, ibidem 1719.

tis. Et *in Epistola Catholica Judæ Apostoli* fit mentio de Libro Enoch Prophetæ, ibi: *Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis &c.* Omnes autem prædicti Sacri Libri, & alii brevitatis gratia relicti, tum veteris, tum novi Testamenti Deo permittente perierunt, vel quia homines desides eos non custodierunt, vel quia impii eos combusserunt, vel quia se illis indignos præbuerunt, vel ob alias causas ipsi soli Deo notas.

16 Prima editio Sacræ Scripturæ facta est *Hebraice* quoad fere totum Testamentum. *Sic communior, & fere omnium sententia*. Dicitur autem notanter: *Quoad fere totum*, quia Libri Esdræ, & Danielis, teste S. Hieronymo *Epist.* 120. *præfat. in Daniel.* scripti sunt lingua Chaldaica *, sicuti nonnulli asserunt de Libro Tobiæ, & Libro Judith. Librum autem Sapientiæ vult Sanctus Hieronymus *Epist.* 115. *ad Chromatium* fuisse scriptum lingua Græca, sicuti eadem lingua Græca fuisse scriptum librum 2. Machabæorum testatur idem Hieronymus *in Prologo Galeato*. (1)

17 Quo vero ad fere totum Testamentum novum facta est *Græce*. *Sic fere Communis opinio*. Apostolorum enim tempore apud Judæos valde familiare erat Idioma Græcum. Dicitur autem notanter: *Quoad fere totum*, quia Evangelium Matthæi fuit ab ipso scriptum lingua Hebraica, ut tenent fere communiter Doctores cum S. Hieronymo *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis num.* 5. ubi loquens de S. Matthæo sic expresse dicit: *Evangelium Christi Hebraicis litteris verbisque composuit*. (2) Et Evangelium Marci secundum communiorem opinionem fuit ab ipso scriptum primo *Lingua latina* in gratiam Romanorum, & secundo *Lingua Græca* in gratiam Alexandrinorum. (3) Et Epistola ad Hebræos, ut tenet communis sententia cum Sancto Hieronymo *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis num.* 15. fuit scripta *lingua Hebræa* ** (4).

18 Secunda editio Sacræ Scripturæ quoad totum Testamentum vetus est Paraphrasis Chaldaica; Tota enim Scriptura vetus translata est Paraphrastice ex Hebræo in Chaldæum, quam Paraphrasim ipsi Hebræi *Targum* vocant, ut recte notat Cardin. Bel-
19 larmin. *tom.* 1. *de Verbo Dei lib.* 2. *cap.* 3. Hæc Paraphrasis Chaldaica tres habet Auctores, scilicet R. Onkelum, R. Jonathan Urielis filium, & R. Joseph Cæcum, qui omnes quilibet pro sua parte totam veterem Scripturam in Chaldaicum transtulerunt. Paraphrasis autem in hoc differt a Translatione, seu Versione quod in translatione, seu versione verba Auctoris transferantur in aliam linguam sine additione, & mutatione, seu de verbo ad verbum; In Paraphrasi autem verba Auctoris transferuntur in aliam linguam cum additionibus, & mutationibus, & in ipsa magis sensus de sensu, quam verbum de verbo exprimitur; Unde Paraphrasis juxta communem intelligentiam est: *Explicatio rei per sermonem copiosiorem, & dilucidiorem*.

Tertia editio Sacræ Scripturæ ex Hebraico in Græcum quo ad totum Testamentum vetus, ut docet probabilior sententia, fuit septuaginta Interpretum, qui anno Ptolomæi Philadelphi 17. & ante Christum 272. inclusi in Cellulis separatis totum vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transtulerunt 72. dierum spatio non sine speciali Spiritus Sancti assistentia, cum separatim scribentes quisque in sua propria Cellula seorsum ab aliis non solum in eumdem sensum, in easdem sententias, sed etiam in eadem verba, in eamdem verborum seriem, immo & in eosdem apices coinciderint; Hinc S. Joannes Chrysostomus *homil.* 3. *in Genesim* hanc Translationem vocat *Rarum miraculum*. Sic Tenent S. Justinus *in Oratione exhortatoria ad Gentes*, ubi dicit se apud Alexandriam vestigia harum Cellarum vidisse: S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 25. S. Cyrillus *Catechesi* 4. S. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat.* S. Augustinus *l.* 18. *de Civitate Dei cap.* 32. & alii Recentiores citantes pro hac sententia Philonem *lib.* 2. *de vita Moysis* Tertullianum *in Apologetico cap.* 10. & S. Joan. Chrysostomum *homilia* 5. *in Matthæum*, & sic plurimi alii contra alios, & signanter contra S. Hieronymum *Epist.* 104. *præfat. in Pentatheucum*, ubi expresse negat, & ridet Historiam hanc de tot Cellulis separatis: *Nescio* inquit, *quis primus Auctor septuaginta Cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit &c.* 20

Unde dictus S. Hieronymus tenet, quod Septuaginta duo interpretes, senes viri Hebræi ex qualibet Tribu filiorum Israel, utriusque linguæ, scilicet Hebraicæ, & Græcæ peritissimi, spatio dierum septuaginta duorum in eadem Basilica sedentes, & inter se conferentes, Sacram Scripturam transtulerint: Et hoc probat Testimonio Aristææ *in historia de hac ipsa re*, qui Aristæas negotio interfuit, & expresse dicit, quod ipsi simul conferendo singulis diebus usque ad horam nonam, hanc 21

Notæ Romani Theologi.

* Aliqua scilicet eorum capita, ut patet hebraicam veritatem consulenti.

** Vid. tamen Prolegome. eruditissimi Augustini Calmet, ubi contrarium adstruitur.

(*1) Confer P. Bonfrerii *præloquia* in Tourneminiana Menochii editione optimo consilio recusa, & P. Hermanni Goldagen eruditissimam *introductionem in sacram Scripturam* P. I. sect. 2. quæst. 1. §. 5. 6. & 7.

(2) Vide eumdem Goldhagen *quæst.* 2. §. 2. *seqq.*

(3) Revera tamen communior sententia docet, Marcum Græce Evangelium scripsisse. Neque certe opus fuit, ut Marcus Romanis scribens, latina lingua uteretur. Nam & Paulus ex communiore doctorum interpretum sensu ad Romanos dialecto Græca epistolam scripsit. Vide laudatum Goldagen *cit. quæst.* 2. §. 5. *seq.*

(4) Eamdem de epistola ad Hebræos Hebraice scripta sententiam tuetur Goldhagen §. 9.

hanc versionem tandem septuaginta duobus diebus absolverint. Idemque confirmat testimonio Josephi Hebræi, qui licet esset cupidissimus gloriæ suæ gentis, tamen *lib.* 12. *antiquitat. cap.* 2. referens hanc historiam, nequidem mentionem facit de dictis separatis Cellulis. Sic etiam Eusebius videtur fuisse ejusdem opinionis, quia *libro octavo de præparat. Evangel. cap.* 1. narrat rem totam sine ulla mentione de dictis separatis Cellulis, referens ad verbum quæ habentur in libro Aristææ.

22 Sanctus Epiphanius autem *in libro de mensuris, & ponderibus* contra fere omnium sententiam ponit solum triginta sex Cellulas, cum alii vel septuaginta duas, vel nullas ponant. Scribitque dictus Sanctus Epiphanius, quod hi interpretes bini, & bini fuerint inclusi in Cellulis triginta sex, & Divino miraculo singula paria ipsorum iisdem verbis totam Scripturam transtulerint, ita ut simul confecerint triginta sex exempla ejusdem prorsus versionis.

23 Sanctus Augustinus vero, licet *lib.* 18. *de Civitate Dei cap.* 42. videatur consentire cum iis, qui affirmant dictas Cellulas, ut patet *supra num.* 21. Tamen *lib.* 2. *Doctr. Christian. cap.* 15. non audet absolute rem affirmare; Sed illud ab omnibus decantatum de istis Interpretibus, quod quasi uno ore Scripturam verterint, rectissime intelligi posse significat, tam secundum eos, qui Cellulas affirmant, quam secundum illos, qui ipsas negant. De Cellulis enim non habetur certa sententia, cum scriptores abierint in diversa. (1)

24 Supradictis versionibus Græcis successerunt Latinæ, Testamentum vetus ex Hebræo, & Testamentum novum ex græco transferentes, & istæ versiones Latinæ sunt innumeræ, ut patet ex S. Hieronymo *Epist.* 105. *Præfat. in Josue*: *cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot Codices, & unusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.*

25 Ex omnibus autem Latinis versionibus, & editionibus sola vetus, & vulgata Editio est vere authentica, & pro tali ab omnibus habenda. Sic expresse statuit Concil. Trid. *sess.* 4. *in Decreto de editione, & usu Sacrorum Librorum*, ibi: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.*

26 Auctor hujus vulgatæ editionis non est unus solus, ut recte advertit Bellarminus *tom.* 1. *lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 11. *vers. Nam vulgata*, ubi sic expresse habet: *Nam vulgata editio non est unius Auctoris, sed quædam habet ex Sancto Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato*: Ita tamen ut fere tota sit a Sancto Hieronymo, aut versore, aut aliorum correctore, ut notant passim Doctores.

Sensus Sacræ Scripturæ generatim, ac prima sui divisione est duplex, nempe unus *Litteralis*, & alter *Spiritualis*, seu *Mysticus*. *Communis inter Catholicos*. 27

Litteralis sensus est ille, quem verba ipsa immediate significant, ita ut sensus litteralis sit præcisus sensus litteræ, seu verborum. Sensus autem *Spiritualis*, seu *Mysticus* est ille, quem non immediate verba ipsa significant, sed solum mediate, nempe mediis illis rebus, quas verba immediate significant, ita ut sensus spiritualis, seu Mysticus sit sensus rerum secundum Mysterium. Sic eadem verba eodemque loco significant litteraliter, & spiritualiter, seu Mystice, ut patet *in Epistola Pauli Apostoli ad Galatas cap.* 4. ubi eadem verba, quæ litteraliter indicant, quod *Abraham duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera*, Spiritualiter, seu Mystice significant vetus, & novum Testamentum, ut ibidem expresse dicit Apostolus: *Hæc autem sunt duo Testamenta*. Item eadem Historia Agni Paschalis *Exodi cap.* 12. litteraliter significat Ritum Agni Paschalis a Judæis olim immolandi, spiritualiter vero, seu Mystice significat Christum pro salute totius mundi in Ara Crucis postmodum immolatum. Item eadem verba in uno loco Sacræ Scripturæ significant Litteraliter, & in alio Spiritualiter, seu Mystice, ut patet de eodem hoc verbo *Aqua*, quæ primo Genesis Litteraliter significat elementum: *Congregentur Aquæ in locum unum*, & *in Psal.* 65. Spiritualiter significat Tribulationes, ibi: *Transivimus per ignem & aquam*. Et *Joan. cap.* 4. Mystice significat Donum Gratiæ, ibi: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*. Et *Joann. cap.* 3. Mystice, seu spiritualiter significat Baptismum, ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et sic de aliis. 28

Sensus Litteralis subdividitur in *proprium*, & in *improprium*, seu *translatum*, vel *figuratum*. *Communis*. *Proprius* est ille, quem verba in propria, & primaria sua significatione capta immediate significant. Sic *aqua* proprie significat elementum, terram abluens: *Ignis* proprie significat elementum calefactivum, & combustivum, & sic de aliis: *Improprius*, seu *translatus*, vel *figuratus* est ille, quem verba improprie seu figurate, & tropice accepta significant. Sic Christus Dominus improrie, seu tropice & figurate per Metaphoram, seu similitudinem, & non per proprietatem dicitur Leo, Petra, Vitis, & hujusmodi. *Sic Doctores communiter*. 29 30

Item sensus Spiritualis, seu Mysticus subdividitur 31

(1) De LXXVIRALI versione nemo uberius egit Cl. P. de Magistris, qui apologiam sententiæ Patrum de hac versione quinque eruditissimis dissertationibus comprehensam a 1772. *Danieli secundum* LXX. subjecit; ubi etiam Aristææ narrationem acerrime propugnavit.

tur in *Allegoricum* correspondentem Fidei, *Anagogicum* correspondentem Spei, & in *Tropologicum* seu *Moralem* correspondentem Caritati; Juxta enim numerum dictarum trium Virtutum Theologicarum assignantur tres dicti sensus Mystici Sacræ Scripturæ ipsis correspondentes. *Communis*.

32 Sensus *Allegoricus* correspondens Fidei est; cum verba Sacræ Scripturæ ultra sensum Litteralem significant, & ostendunt aliquid credendum. Dicitur enim *Allegoricus* a nomine Græco *Allos*, quod est *alius*, & a *Logos*, quod est *sermo*, quasi sit alius sermo ab eo, quem verba litteraliter important. *Communis*.

33 Sensus *Anagogicus* correspondens Spei est, cum verba ultra sensum litteralem significant, & ostendunt aliquid sperandum in æterna Beatitudine; dicitur *Anagogicus* a nomine Græco *Ana*, quod est *Sursum*, & a *Goge*, quod est *ductio*, quasi sit quid sursum ducens, seu locutio nos ducens a terrenis sursum ad Cœlestia. *Communis*.

34 Sensus *Tropologicus* correspondens Caritati est, cum verba ultra sensum litteralem significant, & ostendunt aliquid moraliter agendum, seu aliquod opus Caritatis exercendum; Dicitur enim *Tropologicus*, a nomine Græco *Tropos*, quod est *Conversio*, & a *Logos*, quod est *sermo*, quasi sit sermo conversus ad morum institutionem. *Communis*.

35 Unde juxta huc usque dicta clare infertur, quod sunt quatuor sensus Sacræ Scripturæ, scilicet *Litteralis*, *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*, omnes breviter contenti in his duobus versiculis.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

36 Omnes dicti quatuor sensus possunt reperiri in uno Sacræ Scripturæ passu, ut clare patet *in Epistola Apostoli ad Galatas cap.* 4. ubi aperte exprimuntur omnes in Filiis Abrahæ. Immo omnes dicti quatuor sensus reperiuntur in hac voce *Jerusalem*, quæ *Litteraliter* significat Urbem Palæstinæ, *Allegorice* significat Sanctam Ecclesiam militantem a nobis credendam juxta illud *Apocalyps.* 25. *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Tropologice*, seu *Moraliter* significat animam nostram sanctis moribus, & virtutibus ornandam, juxta illud *Jeremiæ cap.* 2. *Jerusalem, Ierusalem convertere ad Dominum Deum tuum. Anagogice* significat Ecclesiam Triumphantem, scilicet Patriam Cœlestem a nobis sperandam, juxta illud Apostoli *ad Galatas cap.* 4. *Illa, quæ sursum est, Jerusalem, est libera, quæ est Mater nostra.*

37 Non possunt tamen omnes dicti sensus reperiri in quolibet Sacræ Scripturæ passu; multi enim allegari possunt Sacræ Scripturæ passus, ubi nullus est sensus Mysticus, sed solummodo *Litteralis*, ut patet in illo *Matthæi c.* 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et in illo *Marci ultimo*: *Euntes docete omnes gentes*, & sic in plurimis similibus. E contra multi possunt allegari passus, ubi nullus est sensus *Litteralis*, sed solummodo *Mysticus*, ut patet in *Judic. cap.* 9. *Ierunt ligna, ut ungerent supra se Regem*. Ibi enim nullus sanæ mentis dicet adesse sensum Litteralem, cum solummodo adsit sensus Mysticus, intelligendo per *ligna* habitatores Civitatis Sichem, qui ut in eodem loco exponitur, constituerunt Abimelech in suum Regem. Et illo 1. *Reg. cap.* 2. *num.* 35. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet*, ubi ly, *Cor*, & *Animam* non potest sumi in sensu Litterali, quia Deus non habet Cor, & Animam, sed solum in sensu Mystico per voluntatem, & sic de innumeris aliis similibus.

Quamvis Sacræ Scripturæ interpretatio Doctrinalis, & Magisterialis secundum Sanctorum Patrum consensum possit fieri a viris doctis, & idoneis, ut patet de tot sacris Expositoribus, & tenet Communis Doctorum; Tamen interpretatio Canonica, & infallibilis veri illius tenendi sensus pertinet solummodo ad sanctam Matrem Ecclesiam. *Communis inter Catholicos*, & habetur expresse a Concilio Trid. *sess.* 4. *in Decreto de editione, & usu Sacrorum Librorum*, ibi: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent: qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a Jure statutis puniantur.* 38

Sacra Scriptura legi nequit lingua vulgari omnibus, alicujus Patriæ communi, nisi ab habentibus ad id legitimam licentiam, seu facultatem. Habetur expresse *in Regula* 4. *Indicis Librorum prohibitorum*, ubi insuper redditur ratio, ibi: *Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri.* 39

Unde merito Clemens XI. die 8. Septembris 1713. in Constitut. incip. *Unigenitus Dei Filius* damnavit sequentes propositiones Paschasii Quesnelli contendentis, male ab Ecclesia prohiberi ulli homini fideli, etiam Laico, & Feminæ lectionem Sacræ Scripturæ, ac præsertim novi testamenti in vulgari lingua: Propositiones igitur sunt istæ, scilicet 79. in ordine; *Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere Spiritum, pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.* 80. ibi: *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.* 81. ibi: *Obscuritas sancta Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.* 82. ibi: *Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus Pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum; damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere*: 83. ibi: *Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari Feminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex Feminarum simplicitate, sed ex superba Virorum scientia ortus est Scripturarum abusus & natæ sunt Hæreses*. 84. ibi: *Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelli-* 40

telligendi, est illis Christi os obturare. 85. ibi: *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quamdam Excommunicationis*. 86. ibi: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*. (1)

41 Sacra Scriptura abutentes in Sortilegiis Incantationibus &c. Juris, & arbitrii pœnis debent ab Episcopis puniri. Concil. Trident. *sess.* 4. *in Decreto de editione, & usu Sacrorum Librorum*.

42 Sacram Scripturam convertentes ad usus profanos, verba jocosa, scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, sortes, libellos etiam famosos, &c. eodem modo puniri debent. Concil. Trid. *loc. cit.*

43 Sacræ Scripturæ Lector, seu Expositor tenendus est in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis existentibus in aliquo insigni Oppido. Conc.
44 Trident. *sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.* Et talis Lector est examinandus ab Episcopo. Concil. Trid. *cit. cap.* 1.

45 Sacræ Scripturæ Lector seu expositor tenendus est etiam in Monasteriis Regularium, & Episcopus ut Papæ delegatus potest ad hoc compellere Superiores.
46 Conc. Trid. *cit. cap.* 1. At iste Lector pro Monasteriis Regularium non debet, nec potest examinari ab Episcopo. Concil. Trident. *cit. cap.* 1.

47 Sacræ Scripturæ lectio in Conventibus Regularium debet fieri bis in hebdomada, & ea finita, debet fieri collatio de illa; Clemens VIII. Constitut. 50. incip. *Nullus* §. 1.

Appendix, seu De Sacra Scriptura Novus Articulus, ex aliena manu.

48 Addimus novum de Sacra Scriptura Articulum, ut ea quæ brevitatis caussa ab Authore Bibliothecæ prætermissa sunt, fusius Lectoribus nostris exhibeamus. Itaque Sacram Scripturam Libros illos vocamus ab hominibus scriptos, quos Deus selegit, ac veluti ministros adhibuit, ut Divino ejus verbo scripto hominibus manifestaret voluntatem suam. Librorum numerus is est, quem Auctor ex Decreto Concilii Tridentini descripsit. Nos vero paucis indicabimus controversiam, quæ hac de re occurrit inter Orthodoxos, & Novatores. Primum vero agemus generatim de Sacræ Scripturæ veritate, & integritate; & assistentia illa, qua Scriptores Sacri adjuti divinos libros conscripserunt. Deinde de Canone Sacrarum Scripturarum, & de eo, ad quem spectat Sacrarum Scripturarum Canonem decernere, & infallibili auctoritate Ecclesiæ proponere. Præterea de Sacrorum librorum versionibus, ubi etiam de lectione Sacræ Scripturæ in lingua vernacula. Denique regulas nonnullas exponemus, quarum beneficio erui, investigari, ac cognosci possit verus Sacræ Scripturæ sensus.

49 Duplici in sensu veram Sacram Scripturam affirmare possumus, scilicet, prout verum fictitio, & supposito opponitur, & prout falso adversatur. Hic in priori sensu Sacræ Scripturæ veritatem tuemur: Nam si hac ratione vera, & integra statuatur, pro falsa haberi non potest; cum verbum Dei exhibeat, quod falso subesse nequit: Nam Deus, infinite sapiens cum sit, falli nequit, & cum sit infinite bonus, nequit fallere. Facile vero ostendimus veros & genuinos esse, non vero suppositos Sacræ Scripturæ libros. Tales enim habendi sunt, si quovis sæculo adscripti Authoribus fuerint, quorum nomen præseferunt: Hoc enim argumento Viri docti, atque Critici, vera esse & genuina antiquorum opera probant. Sed Mosi Synchroni, & Prophetarum coætanei, ac subsequentium sæculorum homines, tamquam germanum illorum fœtum tradidere libros ab illis exaratos; Idemque Christiani Apostolorum auditores docuerunt de libris Novi Testamenti, atque ita ad nostram usque ætatem non interrupta serie factum est. Hoc argumento usus est Augustinus contra Manichæos Sacrarum Scripturarum veritatem negantes *lib.* 28. contra Faustum *cap.* 6. Videantur Daniel Huetius in sua Demonstratione Evangelica, Natalis Alexander *Tom.* 1. *Histor. Eccles.* Alexand. Mazzinelli *de Locis Theol. dissert.* 1. aliique doctissimi Theologi qui scripserunt adversus Hobbezium, Spinozam, & Isaacum Pereyrum, qui post Aben Esram temerarium Scriptorem Judæum duodecimi sæculi, Pentateuchum Mosi abjudicare conati sunt: ii enim invictissimis argumentis demonstrant, Pentateuchum esse genuinum Mosis fœtum; & aut singillatim ostendunt, singulos cum Veteris tum novi Testamenti libros genuinos esse, aut regulas præscribunt, quarum usu id quisque facile demonstrare possit.

Sacra Scriptura est etiam integra, saltem quoad 50
partes essentiales. Primum id constat auctoritate simul & rationibus Sancti Hieronymi, qui quamvis in Commentario *in c.* 3. Epistolæ ad Galatas in oppositas opiniones versari videatur, re tamen diligentius considerata hæc scripsit *c.* 6. Commentarii in Isaiam: Si aliquis dixerit Hebræorum libros postea a Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid in Octavo volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ, quod numquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent: Sin autem dixerint post adventum Redemptoris, & prædicationem Apostolorum libros hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelistæ, & Apostoli, ita testimonia protulerint, ut Judæi falsaturi erant, ergo nec ante, nec post Christi adventum corrupta est Sacra Scriptura veteris Testamenti. Deinde fieri non potuit, ut Judæi Sacros Codices adulterarent nemine advertente, ac reclamante nemine; 1. quia in singulis familiis saltem Tribus Levi, utpote consecratis ministerio Altaris, Sacri libri reperiebantur, & Judæi ubique terrarum dispersi hos penes se religiose custodiebant. 2. quia in eam corruptionem consentire etiam debuissent Auctores Ver-

(1) Vide infra num. 63.

Versionis Septuaginta Interpretum, quæ in substantialibus ab hebraicis codicibus non dissidet. 3. quia credibile non est voluisse Judæos sacros Codices depravare, in quos tanto studio & reverentia ferebantur, ut parati essent mortem potius subire, quam vel apicem in illis immutare, ut scribunt Josephus lib. 1. contra Appionem, & Philo apud Eusebium lib. 8. capp. 6. & 8.

51 Quæ autem argumenta Veteris Testamenti integritatem probant, ad libros quoque Novi Testamenti applicari possunt. Nam hujusmodi libri in rebus, quæ ad fidem, moresque pertinent, iidem sunt, & eodem modo reperiuntur apud sectas, & Communiones alioquin sibi infensissimas, scilicet apud Nestorianos, Iacobitas, & Photianos in Oriente, & apud Catholicos tum Orientis, cum Occidentis, atque apud omnes Novatores. Et quidem si a Catholicis tentata fuisset depravatio, eam illis hæretici exprobrassent, & vicissim hæreticis Catholici. Denique nec tempus, nec modus, nec Authores hujusmodi depravationis proferri possunt. Negari tamen non potest, errata plura levioris momenti in Sacros Codices irrepsisse, quæ incuriæ, & ignorantiæ Scribarum potius, quam Judæorum, aliorumque malitiæ tribuenda sunt. Regulas præscribunt Auctores, præsertim ex Augustino libro 11. contra Faustum c. 2. quarum usu corrigi, & expurgari Sacri Codices possint. Una vero atque tutissima regula est, judicium, atque sententia Ecclesiæ, cui concredita sunt eloquia Dei, cui in custodiendo Divinæ revelationis deposito inerrantiæ privilegium concessum a Deo fuit, cui denique præsto semper adest divinus ille Spiritus, qui ex infallibili Christi Domini promissione recturus est Ecclesiæ Pastores usque ad consummationem sæculi.

52 Sacra Scriptura divinæ atque omnino infallibilis veritatis est: Etenim integros complectitur Veteris, ac Novi Testamenti libros, quos Moses, Prophetæ, Evangelistæ, & Apostoli conscripserunt: conscripti vero ab istis libri divinam, atque omnino infallibilem veritatem obtinent. Nam Sanctus Petrus Spiritu Sancto inspiratos, atque loquutos ait sanctos Dei homines; Paulus ad Timotheum 2. c.3. omnem Scripturam divinitus inspiratam asserit; atque Isaias *c.* 5. Jonas, aliique Prophetæ palam testati sunt, se verbum Dei litteris consignasse. Quis ergo dubitet Divinam, atque infallibilem præseferre auctoritatem? Deinde in libris Mosis perspicui characteres occurrunt Divinæ revelationis: Nam Moses se a Deo missum prædicat, ac missionem suam, legem, & doctrinam, quam Dei nomine promulgat, cum miraculis, tum prophetia eventu comprobata, tum doctrinæ sanctitate comprobat. Similia occurrunt in aliis Prophetarum libris. Nec de Sapientialibus, & Historicis libris dubitatio occurrere potest ulla. Tum quia Sapientiales libri leges continent, & præcepta, quæ homines dirigunt ad finem ultimum, qui alius non est, quam Deus ipse: leges enim & præcepta tradunt bene vivendi, Deoque per cognitionem & amorem adhærendi, cum separatione sui a creaturis non minus quam a seipso. Doctrina hæc, inquit Augustinus lib. 20. de Civitate Dei c. 25. si cum doctrina comparetur Philosophorum de fide & hominis felicitate disputantium, facile comperietur inspirante Deo conscripta. Tum etiam quia sapientiales, ac historici libri, de quibus loquimur, primum ab Hebræorum Synagoga, deinceps a Christi Ecclesia veluti Deo inspirante conscripti suscepti fuere, atque in maxima veneratione habiti. Iis ergo characteribus muniti prodiere, quibus constaret divinitus revelatam doctrinam continere. Neque enim præsumere aut suspicari licet, Synagogam Judæorum, quæ vera Dei Ecclesia erat, & quæ Deo docente didicerat, inter Verbum Dei & hominum doctrinam distinguere, suscipere voluisse veluti divinos libros illos, quos perspicue non nosset exaratos fuisse ab hominibus a Deo missis, & Divino Spiritu inspiratis. Ac multo minus affirmari id poterit de Christi Ecclesia, cui peculiaris assistentia promissa, ac uberiora privilegia concessa fuerunt.

Eadem ratione infallibilis auctoritas tribuenda 53
est libris Novi Testamenti, quos conscripsere viri a Deo missi ad prædicandum Evangelium, quales fuisse Apostolos & Evangelistas nemo dubitat. In iis enim, characteres divinæ revelationis omnino conspicui sunt, ut nos in *c.* 3. Articuli de Religione naturali, & revelata demonstravimus.

Venio nunc ad quæstionem expendendam de in- 54
spiratione illa, qua inspirati Sacri Authores divinos libros conscripserunt. Pro rei claritate duplicem distinguere placet inspirationem, specialem unam, directionis alteram. Prior illa est, quâ Scriptor aliquis ita Dei spiritu agitur, ut ei per manifestationem, & revelationem ostendantur ea, quæ scribit, & quæ aliunde minime noverat. Posterior vero assistentia, & directio quædam est, qua Spiritus Sanctus præsto scriptori fit, ne scribendo in errorem incidat; atque hac in directione, sive assistentia, duo Spiritus Sanctus præstat: Primo ingerit ei constantem voluntatem vera scribendi; secundo eumdem tanto lumine perfundit, ut errori obnoxius esse non possit in iis scribendis, quæ noverat. Non dubito, quin utrumvis inspirationis genus satis sit, ut Sacris Scriptoribus infallibilis auctoritas concilietur. His præmissis.

Quæritur, num Spiritus Sanctus Scriptoribus suis inspiravit tantum res, quam narrant, an etiam voces singulas, terminos, expressiones, & stylum.

Resp. Quamquam adfirmans sententia non paucis Theologicis placuerit, negans tamen aliis videtur probabilior. 1. quoniam modus ille inspirationis non est necessarius ad conciliandam infallibilitatem libris Sacris. 2. quia styli diversitas inter Scriptores Sacros, indicare videtur oppositum. 3. Quia nec sacræ litteræ, nec traditio specialissimam illam inspirationem docent, sed tantum Sacros Scriptores ita Spiritu Sancto dirigente scripsisse, ut minime potuerint in errorem labi. Legatur Dissert. P. Calmet præfixa secundæ Epist. S. Petri, *& Dupin. in diss.* præliminari *ad Sacram Script. lib.* 1. *c.* 2. §. 6. Pro prima opinione videri poterit Mazzinellus *Diss.* 1. *de Sacr. Scrip. cap.* 2. *art.* 2. ubi probat ex Sac. Script. & S. Thoma, voces quoque Sacris Scriptoribus divinitus suppeditatas esse, quia Isai. *c.* 50. *v.* 4. ait: *Dominus dedit mihi lin-*

linguam eruditam: Quia Christus dum misit Apostolos, ut docerent omnes Gentes, dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, vobiscum scilicet verba proferens; Et quia necessaria erat inspiratio verborum, ut unanimis esset Ecclesiæ doctrina, & ut unanimes uno ore Fideles honorificarent Deum, ut legitur ad *Rom.* 15.

55 Inquiri posset deinde de rebus & veritatibus his litteris consignatis. Nulli dubium est, quin per immediatam & specialem inspirationem cum Divina revelatione conjunctam ea scripta sint, quæ Sacri Scriptores minime noverant. At si sermo habeatur de rebus, quas ipsimet viderant & audierant, ut plurimæ in utroque Testamento occurrunt, non fuit necessaria primi generis inspiratio; sed satis fuit ea, quam secundi generis diximus. In hac opinione versantur Cornelius a Lapide Comment. in secundam Epistolam ad Timotheum; *Bellarm. lib.* 2. de verbo Dei; Canus de Locis *Theol. lib.* 2. *c.* 18. *Simonius in Histor. Critic. N. T. capp.* 23. *&* 24. *& Dupinus loc. cit.* (1)

56 Circa facta vero, ac res alias ad Religionem minime pertinentes, non desunt, qui asserant litteris consignata fuisse a Sacris Scriptoribus absque inspiratione, ac Sancti Spiritus directione, ut opinatus est Henricus Olden sæculi 17. Scriptor, & Doctor Facultatis Parisiensis in Analisi Fidei *lib.* 1. *cap.* 3. Sed nova hæc opinio est, ac Patribus, & Theologis omnibus contraria, ideoque veluti suspecta, temeraria, perniciosa, rejicienda est. Etsi enim finis principalis Sacræ Sripturæ est, ea nos docere, quæ ad Religionem spectant, tamen vel ipse finis postulat, ut nihil falsi in sacris libris contineatur, ne illa falsitatis admixtio præjudicium afferat veritatibus. Facile enim increduli ex falsitate factorum ad historiam pertinentium dubitare possent de veritate eorum, quæ ad Religionem pertinent. Præterea quis certo discerneret, an factum aliquod ad Religionem pertineat, nec ne, an veritas aliqua moralem Christianam, & Religionem spectet, aut potius philosophiam & œconomiam? En igitur quam perniciosum aditum opposita sententia aperiat; Vide *Mazzinel. loc. citato*.

57 Superest alia quæstio, num Sacri Scriptores libere scripserint. Scio Authores esse, qui contendant voluntarie quidem, sed non libere scripsisse. At opposita sententia magis arridet, 1. quia Deus solet hominibus tamquam instrumentis uti, modo, qui eorum naturæ congruat, in sacris ergo Scriptoribus libertatem, quæ naturæ hominis propria est, servavit: 2. quia facilitas tum loquendi, tum scribendi summam quidem, ac maxime perspicuam in eorum mente rerum cognitionem arguunt, sed scribendi necessitatem in voluntate non probant. 3. quia uberius, & efficax auxilium, quo Spiritus Sanctus adjuvit Sacros Scriptores, cum voluntatis libertate quam maxime cohæret, ut docent Theologi in tract. de Divina gratia; *Vide Orig. lib.* 3. *de Princip. c.* 2. ubi variis argumentis hanc opinionem probat. Nec est alicujus momenti objectio Abulensis, qui ait, Mosem numquam scripturum fuisse hoc de semetipso elogium, si fuisset liber, *erat Moses vir mitissimus*; nam id scripsit Moses, tum peculiari Spiritus Sancti afflatu, tum speciali Dei præcepto; afflatus autem ille, præceptum illud, cohærent cum arbitrii libertate.

De Sacrorum librorum numero dictum est ab 58
Auctore in suo articulo, ubi Tridentini Concilii decretum profert. Dicendum vero nobis superest de Canone, sive Catalogo Sacrorum librorum publica Ecclesiæ auctoritate condito. Nota res est, libros sacros cum veteris, tum novi testamenti non fuisse omnes uno eodemque tempore conditos; Constat enim ex veteris testamenti libris primum Mosis Pentateuchum, deinceps libros Josue, Paralipomenon, Regum, ac sequentibus sæculis alios scriptos a Prophetis fuisse, & ex libris novi testamenti Evangelia, Apostolorum acta, Epistolæ, & Apocalypsis diversis temporibus scripta fuere. Nec statim ac in lucem prodiere libri, publica Ecclesiæ auctoritate in Canonem Sacrarum Scripturarum relati fuerunt. Nam Judæi ante Esdram nullum Canonem Sacrarum Scripturarum habuerunt, ac soli quinque Mosis libri paulo post istius mortem in unum collecti fuerunt. Nam primum solus Deuteronomii liber, qui præcedentium quatuor summa est, repositus fuit in latere Arcæ fœderis, prout præceperat Moses Levitis *Deuteron. c.* 21. Deinde vero omnes quinque libri in unum collecti Canonem publica auctoritate confectum exhibuere. Alii autem libri adjecti Canoni non fuere nisi post divisionem tribuum, quæ post Salomonis mortem contigit, ut facile colligere est ex eo, quod Samaritani solos quinque Mosis libros pro Canonicis habuerint. Ita Dupinus, aliique viri eruditi conjiciunt. Neque in Ecclesia Christi fuere statim libri omnes testamenti collecti, & in Canonem relati; scimus enim a plerisque quatuor prioribus sæculis rejectos fuisse Apocalypsim, Epistolam S. Pauli ad Hebræos, aliosque libros, & in Concilio Hipponensi an. 393. fuisse primum integrum sacrorum librorum novi Testamenti Catalogum concinnatum. Ex iis vero colligitur, Deum non præcepisse Synagogæ, & Ecclesiæ, ut sacros libros statim in Canonem referrent scripturarum, sed earum curæ, & diligentiæ id commisisse; ac voluisse, ut nonnisi opportuno tempore hujusmodi Catalogus conficeretur. Atque hinc patet, injuria de auctoritate alicujus sacri libri dubitari, quia ali-qui-

(*1) Adde his P. Goldhagen *cit. T.* 1. *sect.* 1. *quæst.* 3. §. 3. *seqq.* Equidem Lovaniensis Academia a. 1587., & Duacena a. 1588. tres Lessii, & Hamelii propositiones hanc sententiam insinuantes censura notarunt. Verum nec ea censura legitima erat, ut quæ e privatis affectibus nata videretur, & a pluribus rejecta fuit. Quamobrem contra illam valide a patronis contrariæ sententiæ pugnatum est, aliis Universitatibus, ac præsertim Parisiensi, suffragantibus. Controversia demum Romam sub Sixto V., iterumque sub Innocentio XI. delata neutram in partem decisa est; magno deinceps consensu Auctores recentiores sententiæ Lessii subscripserunt.

quibus sæculis in Canone Sacrarum Scripturarum non fuit.

59 Ad Judæorum Canonem quod spectat; eruditi omnes fatentur ab Esdra fuisse confectum. Sunt qui cum S. Basilio contendant in Hierosolymitanæ Urbis excidio, & Templi incendio periisse omnes sacros Codices, ab Esdra vero post captivitatem per 20. dies iterum dictatos fuisse quinque viris, afflante Spiritu Sancto, omnes sacros libros; sed verisimilior habetur eorum opinio, qui ajunt non periisse omnia sacrorum librorum exemplaria, ac Esdram, cum esset scriba doctus, collatis invicem pluribus exemplaribus errata correxisse, quæ in Sacros Codices irrepserant, & postea canonem condidisse, qui magnæ Synagogæ auctoritate probatus fuit. In hujusmodi Canone ex libris veteris testamenti desiderantur Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & duo Machabæorum, & in libro Danielis apud Judæos deest hymnus trium puerorum, ac historia Susannæ, Beli, Draconisque, & in libro Esther septem postrema Capita.

60 Non desunt, qui alium quoque Canonem deinceps a Judæis conditum fuisse autumant. Serrarius duos apud Judæos fuisse Canones ait, primum ab Esdra, & Synagoga, alterum vero vel cum septuaginta Interpretes in Ægyptum missi sunt, ut græcam versionem perficerent, vel quando quæstio de Resurrectione Corporum Sadducæos inter atque Pharisæos agitata fuit. Genebrardus vero tres fuisse ab Hebræis confectos Canones asserit: primum ab Esdra, approbante Synagoga; alterum a Synagoga, quo tempore missi 70. Interpretes fuerunt, in quo repositi fuerunt libri Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, & Sapientiæ; tertium denique fervente de resurrectione disputatione, in quem duo Machabæorum libri relati fuerant: Sed hæc paucis probantur. Licet enim libri, quos diximus, magno in pretio essent apud Judæos Ellenistas, græco scilicet sermone utentes, nunquam tamen in Canone Judæorum extitere; ut ex Judæis, & Antiquis Ecclesiæ Patribus novimus.

61 Etsi sex supra recensiti libri, ac Estheris capita septem, & nonnulla Danielis Capita in Hebræorum Canone non fuerunt, tamen jure atque merito Tridentina Synodus illos in Canonem retulit. Nam quod in Canone Judæorum non fuerint, argumentum non est non fuisse afflante Spiritu sancto conscriptos; tum quia longo tempore extra Canonem fuere plures ex iis, qui in Canone Judæorum reperiuntur; ut supra ostendimus: tum etiam quia nonnulli sacri libri perierunt, ut ostendit Ferraris in superiori articulo. Ergo si aliunde Ecclesiæ constet divinitus hujusmodi libros fuisse conscriptos, jure atque merito in Canonem referuntur. Id vero constat, tum ex eo, quod apud Ellenistas Judæos in maxima veneratione essent; tum ex divina quam complectuntur doctrina; tum denique quia Ecclesia Christiana per divinam traditionem accepit fuisse libros illos inspirante Sancto Spiritu exaratos. Nam semper in maxima veneratione habiti sunt in Ecclesia Christi, quæ dum in Canone reposuit omnes novi testamenti libros, etiam libros hujusmodi in Canone collocavit. Scilicet in Canone Hipponensis Concilii an. 393. celebrati omnes ibi libri recensentur: Hipponensis Canon trascriptus fuit in Concilio Chartaginensi III. an. 365. in quo Patres consulendam censuere transmarinam, hoc est, Romanam Ecclesiam, quæ eosdem libros probavit; Nam Innocentius primus in Epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum numerat omnes libros sacros, qui in Canone ab Africanis Patribus recepti fuerant; & Africani PP. in altero an. 419. celebrato Concilio eumdem Canonem comprobant. Si alia cupis antiqua Monumenta, quibus divinos esse hujusmodi libros comprobatur, consule eruditam Dissertationem etiam a P. Joanne Chrysostomo a S. Joseph *de Canone Scripturarum divinarum*, ex quo constat jure meritoque Eugenium IV. in Instructione pro Armenis, & Concilium Florentinum in Decreto edito pro Jacobitis, quod includit etiam decreta pro Armenis, & Græcis, §. *Firmissime* Syllabum exhibere sacrorum librorum, quem deinceps probavit Tridentina Synodus.

Neque alicujus momenti est Novatorum objectio ex eo deprompta, quod hujusmodi libros Judæi non retulerint in Canonem: Tum quia id Judæorum negligentiæ tribui potest, quorum incuria nonnulli sacri libri perierunt. Tum etiam quia rationes non desunt, ob quas extra Canonem hujusmodi libri essent. Nam libri Machabæorum, & Ecclesiastici scripti fuere post confectum ab Esdra Canonem: hujusmodi enim libri regnantibus Græcis conscripti fuere, ideoque clauso jam Canone. Quod vero spectat ad Libros Tobiæ, & Judith, dici potest, vel hos Esdram ignorasse, vel in Canone non collocasse, quia non erant scripti Hebraica lingua, qua Deus Judæos allocutus fuerat, sed Chaldaica: Idem dicimus de libro Sapientiæ, qui continet sententias Salomonis, græce tamen scriptas a Philone antiquiore, quem ferunt unum fuisse ex 70. Interpretibus. Et licet Ecclesiasticus & primus Machabæorum perhibeantur hebraice scripti; tamen constat originales textus periisse, & græca tantum exemplaria superesse. Vide Nat. Alex. Huet. Dupin. Mazzinel. aliosque. 62

Circa versiones Sacræ Scripturæ, vide citatos Auctores; Nos enim hic de sola Scriptura in lingua vernacula nonnulla subjiciemus, ac postea regulas subnectemus pro vero dignoscendo Scripturæ sensu. Habes in Superiori articulo relatas ab Auctore regulas Indicis, & damnatas hac de re ab Apostolica Sede propositiones. Ut autem appareat quænam mens sit Apostolicæ Sedis, exhibeo decretum Sacræ Cong. Ind. 13. Junii 1757. prout legitur in nova editione Indicis Librorum prohibitorum pag. VI. in additione ad Regulam IV. *Quod si hujusmodi Bibliorum versiones Vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum Annotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur.* (1) Vides 63

(1) Atque ad hanc regulam exacta est, quam Illustriss. Archiepiscopus Florentinus Martinius edidit, Italica Bibliorum versio, Romæ quoque recusa.

Vides ergo, qua ratione legi non possit Sacra Scriptura in lingua vulgari: atque hinc intellige, quo in sensu damnatæ sint Quesnelli propositiones. In illis enim statuit omnibus necessariam, & præceptam esse lectionem Sac. Script. & Ecclesiam reprehendit, quæ justis de causis promiscuam lectionem in lingua vulgari interdixit. Addi quoque potest, in Gallia, in Germania, (1) in Britannia, ac in Polonia pluries prodiisse Biblia in lingua vernacula, ac toleratam fuisse ab Apostolica Sede promiscuam eorum lectionem, ex quo apparet, Apostolicam Sedem, remotis illis causis, ob quas juste interdixit lectionem Sacræ Scripturæ in lingua vulgari, hujusmodi lectionem permittere (2).

64 Sed venio ad regulas, quarum usu investigari, erui, & dignosci possit verus Sacræ Scripturæ sensus. 1. Ad Sacræ Scripturæ lectionem nemo accedat animo curioso, critico, aut superbo, sed religioso, submisso, ac docili, qui unico veritatis detegendæ, ac obtinendæ salutis studio feratur. 2. intelligentia Scripturæ, quantum fieri potest, ex ipsa Sacra Scriptura repetenda est, loca cum locis, vetus Testamentum cum novo, & obscura cum manifestis conferendo: ac præterea recurrendum est ad antiquos Ecclesiæ Patres, qui verum divinæ revelationis sensum ab Apostolis, aliisque viris divino Spiritu afflatis per traditionem acceperunt. 3. Tradita ab Origene in Evang. Joannis per hæc verba: *Qui accurate Scripturam legere voluerit, diligentiam is adhibeat, oportet: observare necessarium cum sit, quæ dicuntur, a quibus, quo tempore, ut per totos sanctos libros inveniamus personis apte tributum sermonem*. 4. A litterali Scripturæ sensu non est recedendum, nisi ratio & evidens causa moveat; alioquin actum esset de scripturis, & cuique fas esset a proprio & naturali sensu ad figuratum & allegoricum Scripturam detorquere. 5. *In allegoria*, inquit S. Augustinus in Psal. 8. *hæc regula retinenda est, ut pro sententia præsentis loci, consideretur, quod per similitudinem dicitur*. 6. Ab eodem S. Doctore præscribitur *libr. 3. de Doct. Christ. cap. 10. Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas*. 7. Interpretandam esse ex communi Sanctorum Patrum sensu, ut inquit Tridentina Synodus, quæ monet etiam, *reprimendam illorum temeritatem esse, qua ad profana quoque convertuntur, & torquentur verba & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, vana, fabulosa, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos*. 8. Ex sensu accommodatitio firmum desumi non potest argumentum ad probanda dogmata fidei & morum, quia talis sensus non est Spiritus Sancti, sed hominis, nec Scripturæ verbis immediate, vel mediate exprimitur: At ex consensu litterali & Mystico desumi optime potest; cum hoc tamen discrimine, quod ex sensu litterali semper & in quolibet casu firmum argumentum sumitur, ex mystico vero sensu tunc tantum, cum talis sensus asseritur ab aliquo sacro Scriptore, & ab idoneo Interprete Sacrarum Scripturarum; Interpres vero, ac legitimus scripturarum Judex Ecclesia est, cui concredita sunt eloquia Dei; Suprema vero potestas cum inerrantiæ privilegio est in Romano Pontifice Petri Successore, qui ut Christi Vicarius sustentat, & ita regit Ecclesiam, ut nunquam portæ inferi adversus ipsam prævalere possint. Omisimus uberiorem disputationem de versionibus Sacrarum Scripturarum, quia de his satis a Lucio dictum est. Quod vero spectat ad Ecclesiæ auctoritatem, cujus judicio interpretari Scriptura, & Scripturæ Canon confici debet, vide quæ diximus *in artic. de Ecclesia, de Rom. Pontif. & Relig. Nat. & revel.*

SCRIPTURÆ, SEU INSTRUMENTA.

Scripturæ aliæ sunt publicæ, & aliæ privatæ. 1
Scripturæ publicæ generatim dicuntur omnes illæ, quæ publicam habent auctoritatem. Scripturæ privatæ e contra dicuntur illæ, quæ a privatis personis fiunt, nec alias publicam obtinent auctoritatem. *Sic in re Communis Doctorum, arg. cap. Si Scripturam 1. cap. Scripta vero 2. c. Imputari 13. & cap. Si cautio 14. de Fide instrumentor.* cum similibus. *Authent. Ad hæc de iis, Cod. de Fide Instrumentor. l. Plures, Cod. de Fide instrumentor.* cum similibus.

Scripturæ publicæ, pro quibus ordinarie intelliguntur *Instrumenta publica*, sunt illæ, quæ per manum publicam, seu a publico Notario legitime, & cum debitis solemnitatibus confectæ sunt; *Authent. de Instrumentor. cautelis, & fide, §. Sed & si, Collat. 6. cap. Scripta vero 2. de Fide Instrumentor.* cum similibus. Sed de his infra. 2

Scripturæ privatæ reducuntur ad tres species, quarum prima vocatur *Apocha*, quæ alio nomine appellatur *Chirographum*, & complectitur sub se *Antapocham, & Syngrapham*. Secunda dicitur *Liber rationum*. Et Tertia *Epistola*. Sic Bartolus *in Authent. At si contractus §. Ut igitur, Cod. de fide Instrumentor.* Jason. *in Repetit. l. Admonendi n. 87. ff. de Jurejurand.* Mascard. *de probationib. q. 6. num. 26.* & alii passim. 3

Apocha proprie accepta, est scriptura, seu Chirographum Creditoris confitentis de recepta a Debitore re sibi debita. Et hæc alio nomine vocatur, *Quietantia*, de qua fit mentio *in l. Plures 19. Cod. de Fide Instrumentor.* Et Glossa *ibid. verb. Apochis*, sic 4

(*1) In Hungaria quoque.

(2) Verum quis legitimus fuerit Clementis XI. Quesnellianas illas propositiones damnantis sensus, ex Constitutionis *Unigenitus* interpretibus, ac vindicibus discere quisque poterit, præsertim ex P. Germonio, cujus Gallicos de ea Constitutione commentarios celeberrimus Cardinalis de Bissy cooptavit, & ex P. La Fontaine in sua *Constitutione* Unigenitus *Theologice propugnata*.

sic expresse dicit: *Apocha est de receptis, puta, Confiteor me recepisse tantum, & a Creditore fit, & datur Debitori.*

5 *Antapocha* e contra est de solutis, seu datis, & non de receptis uti *Apocha*. Et sic *Antapocha* est scriptura Debitoris confitentis se tantum, vel tantum solvisse nomine annui v. gr. census, seu pensionis, & de hac fit etiam mentio *in citat. leg. Plures 19. Cod. de Fide instrumentor.* juncta citat. Glossa *ibidem*.

6 *Syngrapha* latine *Conscriptio* est scriptura, seu schedula, quæ in alicujus rei fidem a pluribus conscribitur, & utrisque partibus tradi solet. Calvinus *in suo magno Lexico Juridico tom. 2. verb. Syngrapha*; ubi insuper addidit, quod in hoc Syngraphæ differunt a Tabulis, quod Tabulæ ab una parte tantum servari consueverunt.

7 *Liber rationum* est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis, & acceptis sibi conficit; *arg. Si quis ex argentariis §. Rationem, ff. de Edendo*, juncta Glossa *ibidem*.

8 *Epistola* est Scriptura privata, quam quis alicui absenti dirigit, seu mittit. *Communis*.

9 Scriptura privata alia est Authentica, & alia non Authentica. *Scriptura privata Authentica* est illa, quæ licet originaliter sit privata, aliquibus tamen adminiculis, seu supplementis, ac modis roboratur, & auctorizatur adeo ut plenam fidem faciat in Judicio. *Scriptura privata non Authentica* e contra est illa, quæ caret omnibus similibus adminiculis, supplementis, ac modis, sicque plenam fidem, ac perfectam Probationem non facit. *Sic in re Communis Doctorum*.

10 Scriptura privata auctorizatur, seu redditur authentica per subscriptionem propriæ manus, ac trium Testium adhuc viventium probatæ fidei, & bonæ famæ. Talis enim solemnitas dat vires publici, & authentici instrumenti; *l. scripturas, Cod. qui potiores in pignore*, juncta Glossa *ibidem in fine*, tradente hos vulgares versiculos.

Cautio privata jam Trino teste notata
Hoc Jus est nacta quod cautio publice facta,

11 Dicitur autem notanter *Trium testium adhuc viventium*, quia scriptura privata mortuis Testibus subscriptis non facit amplius plenam fidem, nisi fuerit etiam subscripta per Notarium, aut sigillo authentico munita; *c. scripta 2. de Fide instrumentor.* ibi: *Scripta authentica, si Testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari) non videntur nobis alicujus firmitatis robur habere*. Et ibi Glossa, & Summarium, ac Doctores communiter. Et concordat *Authentic. seu Novella 73. titul. 2. cap. Si vero moriantur omnes Testes 7. Collat. 6.*

12 Item scriptura privata authenticatur per appositionem sigilli authentici majoris Magistratus, ut Episcopi, Capituli, Principis, Civitatis, Judicis, seu illius, cujus Officium est in illo loco publicis sigillationibus præesse, textu expresso in *cit. cap. Scrip. 2. de Fide instrumentor.* ibi: *Nisi ... authenticum sigillum habuerit*, & Glossa *ibid. verb. Authentica*, & Doctores communiter.

Item Scriptura privata authenticatur per subscriptionem factam manu publici Notarii, textu expresso *in cit. cap. Scripta*, ibi: *Nisi per manum publicam facta fuerint*; secus autem si dictam scripturam confecit, aut subscripsit Notarius, non ut Tabellio, seu ut persona publica, sed ut aliqua alia persona privata; Tunc enim scriptura illa non acquireret majorem auctoritatem, quam si fuisset confecta, aut subscripta a qualibet alia persona privata. Pax Jordan. *tom. 3. tit. de Fide instrumentor. num. 6.* allegans Rotam *decis. 13. num. 4. part. 2. novis.* Baldus *in cit. cap. Scripta num. 5. vers. Sed pone*, Felin. *ibidem num. 2.* Mascard. *de probationibus conclus. 131. numer. 9.* & alii passim. 13

Item Scriptura privata authenticatur ratione Archivii publici; Pro Authentica enim habetur scriptura illa, quæ reperitur fideliter custodita in Archivo publico, seu in loco, ubi solent reponi, & custodiri scripturæ publicæ, *arg. leg. Census, ff. de probat. Authent. Ad hæc, Cod. de Fide instrum. c. Ad audientiam 13. §. nos igitur, de præscriptionibus*, Pax Jordan. *loc. cit. num. 11.* Abbas *in cit. cap. Scripta num. 6.* Reiffenst. *loc. cit. numer. 150. & 151.* & alii. 14

Item Scriptura privata authenticatur per ejus confectionem secundum morem, & consuetudinem Regionis; Consuetudo enim habet vim reddendi Authenticam scripturam, quæ alias non esset talis; *argum. c. Cum tanto 11. de consuetudine, cap. Cum dilectus 9. de fide instrumentorum*, ibi: *Respondemus, quod si consuetudo illius Patriæ obtinet approbata, ut instrumentis illius Regionis fides adhibeatur, vos ea secure poteritis admittere*. Juncto ejus Summario, in quo sic expresse dicitur: *Consuetudo loci facit instrumentum Authenticum*. Glossa *ibidem verb. Approbata*, Felinus *ibid. num. 35.* Abbas *num. 5. & 6.* cum Innocentio, & Hostiensi a se citatis, Pax Jordan. *loc. cit. numer. 8.* Reiffenst. *loc. cit. num. 153. & seq.* & alii passim. 15

Scriptura privata, v. gr. Apocha, Antapocha, Syngrapha, Epistola, quando negatur esse illius, contra quem producitur, nihil probat, donec oppositum per producentem validis documentis ostendatur. *Communis*, textu expresso *in l. Instrumenta 5. Cod. de probationib.* ibi: *Instrumenta domestica, seu privata testatio, seu adnotatio, si non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem sola non sufficiunt*; Et concordat textus *in cit. cap. Scripta 2. de Fide Instrumentor.* ubi Summus Pontifex Alexander III. de similibus scripturis privatis expresse dicit: *Non videtur nobis alicujus firmitatis robur habere*. 16

Scripturam autem privatam manu cujuspiam fuisse scriptam, vel de ejus voluntate, seu mandato fuisse ab alio conscriptam, seu subscriptam potest probari per appositionem ipsius proprii sigilli. Appositio enim proprii sigilli denotat consensum, & ratihabitionem; *arg. l. Fidejussor 26. §. 1. ff. De pignoribus*, Mascard. *de probationib. concl. 330. n. 10. & conclus. 1301. num. 26.* Romanus *consil. 303.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 160.* & alii. 17

Dum-

18 Dummodo tamen dolus in appositione sigilli non intervenerit, quia, eo ostenso, sigillum nihil probaret, cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinium impartiri, *cap. Tuæ 12. de Clericis non resident. cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumac. cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de Rescriptis, l. In fundo, ff. Rei vindicat. l. Cum his, ff. de Transactionib. l. Si Legatarius, Cod. de Legatis* cum similibus. Et id habetur in variis secutis casibus, & signanter *in cap. Tertio loc. 5. de probation.* ubi sigillum Capituli furtive appositum cuipiam instrumento nihil probavit. Et *in l. Distrahente, Cod. de rebus alienis non alienandis*, ubi sigillum Uxoris fraudulenter appositum a Marito cuidam Instrumento venditionis rei dictæ suæ Uxoris, nihil ipsi præjudicavit, & sic de aliis.

19 Item scripturam propria manu, vel de voluntate cujuspiam fuisse scriptam probari potest per Testes, qui præsentes fuerint, quando pars nunc negans suam scripturam, ipsam scribebat, vel de expressa sua voluntate, & mandato ab alio scribebatur; Bartolus *in l. Admonendi num. 26. ff. de Jurejurand.* Jason *in Repetit. cit. l. Admonendi nu.* 88. Mascard. *de probationib. conclus.* 110. *num.* 1. cum aliis a se ibi citatis, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 162. & alii.

20 Item scripturam fuisse ab aliquo scriptam probari potest per comparationem aliarum scripturarum, seu litterarum ab eodem scriptarum; Et si tales scripturæ seu litteræ non habeantur, tunc negans scripturam sua manu scriptam, cogi potest ad scribendum, ut inde fieri possit comparatio litterarum. Sic desumitur ex *l. Comparationes litterarum* 20. *Cod. de Fide Instrumentor.* Et notat Menochius *lib. 2. de Arbitr. Judic. cas.* 114. *nu.* 11. & 12. cum aliis ibi a se citatis, Reiffenst. *l. cit. n.* 165. & alii.

21 Verum comparatio litterarum est valde periculosa probatio: Non pauci enim reperiuntur, qui alterius manum ita imitantur, ac fingunt, ut ipsissima alterius scriptura esse censeatur, & varios tales se vidisse referunt Marsilius *in Rubric. Cod. de probationib. num.* 318. Mascardus *de probationib. conclus.* 330. *num.* 1. Zapsius *lib.* 2. *sing. respons. cap.* 25. & alii, & de facto non semel adhuc in dies tales similes reperiuntur. Immo Cardinalis Cævæ Testamentum ab ipsomet perito, qui illud exemplaverat, non fuit recognitum, dum accepit exemplatum, & imitatum pro vero Testamento, quod notandum est ad effectum parum fidendi simili modo recognoscendi, ut advertit Ansal. *in addit. ad decis.* 22. *num.* 33. & refert, ac notat Ursaya *in Miscellaneo Sacr. & profano par.* 1. *litt. C. num.* 128.

22 Hinc comparatio litterarum de se sola non sufficit ad plene probandum Scripturam manu cujuspiam esse factam, sed ad id requiruntur una simul alia adminicula, ut proprii scribentis sigilli appositio, subscriptio Testium, authorum attestatio, quod ipsimet viderint Scripturam illam a tali fuisse factam tali die, talique loco. *Authent. seu Novell.* 73. *cap. Si quis* 1. *de Instrumentor. cautela, & fide Collat.* 6. Glossa *in Authentic. At si contractus verb. Soli*, & ibi Bartolus *Cod. de Fide Instrumentor.* Mascard. *cit. conclus.* 330. *num.* 1. & *seq.* Menochius *cit. cas.* 114. *per totum*, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 167. & alii. Unde cautissime debent quo ad hoc procedere Judices rite ac mature omnia examinando, & adhibendo alios in arte peritos: Ut enim advertitur *in Authent. seu Novella* 73. *in Præfatione de Instrumentor. cautela, & fide*, ejusdemmet hominis scriptura per vitæ decursum solet mutari, cum non ita quis scribat juvenis, & robustus, ac senex, & forte tremens, & sæpe etiam languor litterarum dissimilitudinem inducat, & calami atque atramenti immutatio, similitudinis litterarum per omnia auferat puritatem, ibi: *Litterarum dissimilitudinem sæpe quidem facit, non enim ita quis scribit juvenis, & robustus, ac senex, & forte tremens, sæpe autem, & languor hoc facit, & quidem hoc dicimus, quando calami, & atramenti immutatio, similitudinis per omnia aufert puritatem.* (*) Posset nihilominus probatio ex Litterarum comparatione desumpta magni ponderis esse si fieret modis & formis præscriptis a Justiniano in *l.* 20. *Cod. de fide Instrument. & in Novell.* 49. *cap.* 2. Mandavit enim, ut fieri non possent nisi ex forensibus publicisque Instrumentis, cum aliæ Scripturæ non publice confectæ *satis abundeque occasionem criminis falsitatis dare & in judiciis, & in contractibus manifestum sit. Ideoque sancimus non licere comparationes litterarum ex chirographis fieri, nisi trium testium habuerint subscriptiones*, quas duo saltem ex his testibus recognoscant. d. l. 20. Vel etiam ex his litteris, quibus adversarius usus est tamquam subscriptis ab eo, de cujus syngrapha agnoscenda quæritur, denique vel ex privata quidem scriptura, sed ex archivio publico deprompta, ut in cit. Novell. Quid potest ultra desiderari nisi ut hujusmodi leges accurate observentur? (*)

Scriptura privata confessata regulariter probat plene contra scribentem, *l. Publia Mævia* 26. §. *fin. ff. Depositi, l. Vice Donatricis* 20. *Cod. de donationib. & l. Generaliter* 13. *Cod. de non numerat. pecun.* Nulla enim datur major probatio, quam ea quæ fit ex proprii oris confessione, ut tenet *Communis Doctorum* cum Rota *part.* 9. *tom.* 1. *decis.* 98. *num.* 4. per text. *in cap. Per tuas* 10. *de probationib. l. Cum te, Cod. de transact. l. Generaliter, Cod. De num. pecun.* 23

Dicitur notanter *Regulariter*, quia Scriptura privata confessata in aliquibus casibus non probat plene, & signanter in scriptura privata, seu cautione, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti. In tali enim casu, si Debitor neget se revera debere id, quod in tali scriptura continetur, allegando, quod dicta cautio indebite exposita, seu data fuerit, nulla inde actio, seu obligatio oritur in Foro externo, tam Ecclesiastico, quam Civili, sed necesse est, quod Actor aliunde probet id, quod in dicta scriptura continetur, sibi revera deberi tali, vel tali causa. *Communis* per textum expressum *in l. Cum de indebito* 25. §. 4. *ff. de probationib. & cap. Si cautio* 14. *de Fide Instrumentor.* ibi: *Si cautio, quam a te indebite proponis expositam, indeterminate loquatur, adver-* 24

adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea.

25 Item scriptura privata plene non probat contra scribentem, si ipse scribens in scriptura fateatur quidem se accepisse pecuniam ab alio sibi mutuatam, at revera ipsam non receperit, prout sæpe fieri solet, ut hæ Apochæ dentur, vel mittantur ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam: tunc enim, si Debitor intra biennium a die datæ Apochæ, seu Chirographi opposuerit, tenetur Creditor ipse probare numerationem, & consignationem pecuniæ revera factam dicto Debito-
26 ri. *Communis* per text. *in l. In contractibus & tot. Titul. Cod. non numerata pecunia*. Sicuti pariter in dote statutum est, ut Marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis: *Cit. l. In contractibus §. final. Cod. de non numer. pecun.* ibi: *Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere certum est*.

27 Scriptura privata non probat regulariter in commodum scribentis, textu expresso *in leg. Exemplo 7. Cod. de probat. l. Inter Carthulas 5. Cod. de conveniendis Fisci Debitorib.* Et Glossa communiter recepta *in cap. Scripta 2. verb. Authentica, de Fide Instrumentor.*

(*) Ulterius etsi in chirographo, quod super aliqua pecunia mihi debita debitor meus confecerit, ego commemorationem fecerim alicujus alterius rei, ad probationem hujusce rei, cujus commemorationem feci, chirographum illud idoneum non erit ut expresse Scevola *in l. 31. ff. de probat.* (*).

28 Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia dantur aliqui casus, in quibus scriptura privata probat etiam in commodum scribentis, & signanter, quando est subscripta a partibus, simulque a tribus Testibus; in tali enim casu, si Testes adhuc vivant, & scripturam recognoscant, habetur plena probatio in commodum scribentis. Colligitur clare argumento a sensu contrario desumpto, ex *cap. Scripta 2. de Fide instrumentor.* & tenet *Communis Doctorum*, per text. in *l. Scripturas 11. Cod. Qui potiores in pignore habeantur*.

29 Et si Testes jam fuerint mortui, scriptura subscripta a partibus facit magnam præsumptionem in commodum scribentis, seu subscribentis contra alteram partem subscribentem. Et si non negetur subscriptio ab altera parte, etiam plene probat, *arg. cit. l. Scriptura 11. Cod. Qui potiores in pignore habeantur*. Mascard. *De probationib. conclus.* 1301. Bartolus *in Authent. At si contractus, Cod. de Fide instrument.* Speculator *tit. de Instrument. edit. §. Nunc dicendum, num. 7.* Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 188. *& seq.* Et quod scriptura privata plene probet in commodum scribentis, seu subscribentis contra alteram partem recognoscentem, & confitentem talem suam subscriptionem habetur ex *l. Publia Mævia 26. §. final. ff. Depositi, l. Vice Donatricis 20. Cod. de donat. & l. Generaliter 13. Cod. de non numerata pecunia*.

30 Item scriptura privata plene probat in commodum scribentis, quando aliunde est authentica; vel per appositionem sigilli authentici majoris Magistratus, vel per subscriptionem publici Notarii, vel per asservationem in publico Archivo; vel per ejus confectionem secundum morem, & consuetudinem Regionis, ex dictis, & Juribus adductis *supra num. 12. 13. 14. & 15.*

Libri rationum usitati inter Mercatores, Tutores, Curatores, ac alios rerum alienarum Gestores, seu Administratores regulariter plene non probant in commodum scribentis, bene tamen in præjudicium ipsius, seu contra ipsum. Glossa communiter recepta *in Clement. unic. §. Ceterum verb. Rationum, de Usuris*. Et alia Glossa *in l. Quædam §. Nummularios vers. Decernitur, ff. de Edendo*, Mascard. *de probationib. conclus. 977. num. 1.* & *Communis aliorum*, per text. in *l. Exemplo 7. Cod. de probationib. leg. Inter Chartulas 5. Cod. de conveniendis Fisci Debitoribus*; Libri enim rationum non sunt, nisi scripturæ privatæ, adeoque, sicuti scripturæ privatæ non probant regulariter in commodum scribentium ex dictis *supra num. 27.* ita neque Libri rationum; Alias si Libri rationum plene probarent in commodum scribentium, daretur nimis facilis ansa delinquendi; Tum quia instrumenta quoque Notariorum, non obstante quod eorum fides sit publica auctoritate comprobata, adhuc tamen non probant in commodum, seu favorem scribentis; *leg. Div. Claudius 15. ff. de Lege Cornelia de fals. leg. Quæ in Testamento 4. & leg. Quod adhibitus 5. Cod. de his, qui sibi adscribunt in Testamento*. 31

Secunda autem pars conclusionis, scilicet quod Libri rationum probent in præjudicium scribentis, seu contra ipsum, colligitur ex *leg. Publia Mævia 26. §. final. ff. Depositi, leg. Vice Donatricis 20. Cod. de donationib. & l. Generaliter 13. Cod. de non numerata pecunia*: Libri enim rationum habentur tamquam scripturæ privatæ confessatæ, adeoque de ipsis Libris discurrendum est, ac de dictis scripturis privatis confessatis, ut *supra num. 23.* Sive tales libri rationum sint scripti propria sua manu, sive manu alterius de ejus voluntate, & mandato, cum paria censeantur per se subscribere, vel alium subscribere vice ipsius; *l. Vice Donatricis 20. Cod. de donationib. & c. Qui facit per alium 72. de Regul. Juris in 6.* Cum enim Mercatores, aliique dicti *n. antecedenti* tales libros retineant ut suos, iisque utantur ut suis, quidquid reperitur in ipsis scriptum, præsumitur scriptum, vel manu sua, vel ab alio de ejus voluntate, & mandato, nisi evidenter contrarium probetur. Mascard. *de probationib. concl. 978. num. 9.* Jason *in Repetit. l. Admonendi num. 112. ff. de Jurejurando*. Alexander *consil. 245. num. 1. & seq. lib. 6.* concludens, quod libro Creditoris etiam privato, in quo continetur solutio debiti, danda est plena fides contra ipsum Creditorem; *l. Quædam 9. §. 2. ff. de Edendo*; & *ibidem* Glossa magna, & Doctores passim. 32

Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia dantur aliqui casus, in quibus libri rationum probant etiam in commodum, seu favorem scribentis, vel suorum heredum; Et signanter, quando adest statutum, seu Lex specialis, aut legitima specialis consuetudo, quod libris rationum, v. gr. Mercatorum detur plena fides in favorem scribentis, *arg. cit. leg. Quædam 9. §. 2. de Edendo; cap. Cum dile-* 33

dilectus 8. *& cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*; Sic Jason *cit. Repet. l. Admonendi n.* 120. *ff. de Jurejurando* allegans Paulum de Castro *ibidem col. penult.* Baldum, & Alexandrum *in d. leg. Quædam* §. 2. cum aliis, Cravetta *Tractatuum tom.* 17. *tract. de antiquitat. tempor.* §. *Vidimus & abunde numer.* 2. *& seq.* Reiffenstuel. *loc. cit. numer.* 102. & alii referentes, plurimis in locis vigere talem consuetudinem inter Mercatores, quod eorum libris detur fides etiam in suum favorem, nisi manifeste convincantur de falsitate.

34 Item Liber rationum defuncti optimæ probitatis, & famæ facit pro herede non solum præsumptionem, sed etiam semiplenam probationem; Non enim credibile est, quod vir talis probitatis, & famæ in periculo mortis aut scribat librum falsum, aut eum falsa continentem relinquat. Sic Jason *cit. Repetit. l. Admonendi n.* 120. post Paulum de Castro *ibid. col. ult. ff. de Jurejurando*, Sigismund. Scaccia *lib.* 2. *de Judiciis cap.* 11. *num.* 261. Mascard. *de probationib. concl.* 977. *n.* 4. & 6. Reiffenstuel *loco cit. num.* 106. & alii.

35 De se solo tamen Liber rationum defuncti non facit plenam probationem, textu expresso *in l. Rationes 6. Cod. de probationib.* ibi: *Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur ad probationem sibi debitæ quantitatis solas sufficere non posse sæpe*
36 *rescriptum est*. Plenam autem probationem facit, si concurrant alia adminicula *arg. l. Istrumenta* 5. *& cit. leg. Rationes 6. Cod. de probationib.* in quarum prima Lege cum dicatur: *Ad probationem sola non sufficiunt*, & in secunda *solas sufficere non posse*, ponderando ly *sola*, & *solas* denotatur posse sufficere cum adminiculis. Sic Bartolus *in leg. Admonendi num.* 27. *ff. de Jurejurando* Abbas *in cap. Scripta* 2. *num.* 9. *de Fide Instrumentor.* Mascard. *cit. conclus.* 977. *num.* 8. Genova *de scriptura privata l.* 4. *tit.* 1. *seu de libris rationum num.* 24. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 107. & alii.

37 Item in favorem scribentis probat Liber rationum Tutoris, Curatoris, Mercatoris, seu alterius Administratoris viventis, talique libro, prævio dicti scribentis juramento, statur in parvis, ac verisimilibus summis; Dummodo ille sit vir Legalis, ac fide dignus. Ita Jasonus *loc. cit. num.* 126. Ancharanus *consil.* 44. *num.* 6. Abbas *in cap. Bonæ memoriæ* 4. *n.* 30. *de Postulat. Prælator.* Mascard. *cit. conclus.* 977. *num.* 13. *&* 58. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 208. & alii; Cum enim sit communiter approbatum illorum Officium, debet esse etiam communiter approbatus liber suarum rationum ad probandum saltem in parvis, ac verisimilibus summis, tam pro se, quam contra se; alias negligerentur talia munia, & Officia cum non parvo Reipublicæ detrimento, si solum contra se, & non pro se probaret liber suarum rationum.

38 Secus autem dicendum est in magnis summis grave præjudicium tertio inferentibus, nisi concurrant legitimæ probationes, vel sufficientia adminicula, ut v. g. Legalitas conscribentis librum rationum, solemnis forma confectionis talis libri continentis simul data, & accepta, additio in eo causæ, propter quam sit quid acceptum, & quid expensum, appositio in ipso anni, mensis, & diei, prout solet fieri in Diariis, & hujusmodi. *Communis*, *arg. l. Instrumenta Domestica* 5. *l. Rationes* 6. *& l. Exemplo* 7. *Cod. de Probationibus* cum similibus.

Quæ autem dicenda sit summa parva, aut ma- 39
gna relinquitur arbitrio Judicis, qui istud debet dijudicare attentis & bene perpensis omnibus circumstantiis rerum, personarum, locorum, & temporum; *arg. l. sed & si* 52. §. 2. *ff. de Judiciis*, cum similibus.

Instrumentum sic dictum *ab instruendo* definitur 40
a Paulo *in l.* 1. *ff. de fide instrum. Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest, & ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur*. Apud forenses vero, uti secundum Abbatem ad *Rub. de Fide Instrumentorum*, & alios communiter proprie sumptum, ut scriptura est, definitur: *Commentarius, sive Descriptio eorum, quæ inter paciscentes, vel contrahentes placita sunt, ac conventa*. Calvinus *in suo magno Lexico tom.* 1. *verb. Instrumentum*. Et Instrumentum hoc modo captum aliud est publicum, & aliud privatum, uti patet *ex c. Scripta* 2. *c. Imperatoris* 13. *& cap. Si cautio* 14. *de Fide Instrumentorum*.

Instrumentum publicum est scriptura publica au- 43
ctoritate, sive a publica persona legitime, ac cum debitis solemnitatibus confecta, sive in Judicio, sive extra Judicium. *Est in re Communis*, patetque ex dictis *supra n.* 2. Pro persona publica venit hic Tabellio, sive Notarius juxta *l. Orphanotrophos* juncta Glossa verb. *Alia Tabulario*, *Cod. de Episcopis*, *& Clericis*, *& cap. Cum P. Tabellio* 15. *de Fide Instrumentor.* Qui & servus publicus appellatur, quia publicum Officium exercet, *leg. Si pupillus* 2. *ff. Rem pupilli salvam fore*, ibi: *Servus ejus stipulabitur*, *cap. Quamquam* 2. *de Usuris in* 6. ibi: *Servo publico de ipsius Ordinarii mandato idonee de restitutione facienda sit cautum*. Item *Scriniarius*, prout vocatur *cap. Ad audientiam* 13. *de præscriptionibus*, & notat Glossa *ibidem verb. Scriniarius*.

Ad Instrumentum publicum manu Notarii con- 45
fectum reducuntur aliæ quædam scripturæ, quæ licet non sint a publica persona, seu Notario confectæ, tamen quo ad effectum probandi dicuntur publicæ, quia nempe perinde plene probant, ac si essent a publica persona confectæ. Et tales sunt scripturæ illæ privatæ, quæ sunt auctorizatæ, seu redditæ authenticæ aliquo ex modis assignatis *supra a num.* 10. *ad* 15.

Instrumentum privatum est scriptura, privata au- 46
ctoritate facta a privatis personis, non autem a Notario solemni forma confecta. *Est in re Communis*, patetque ex dictis *supra num.* 1.

Instrumentum publicum a Notario confectum est 47
duplex. Primum appellatur *Protocollum*, & est Summaria quædam, & succincta, seu brevis actus gesti prima adnotatio memoriæ causa facta, ut deinde Instrumentum extendi, & in solemnem formam redigi possit: *Est in re Communis*. Dicitur 48
autem *Protocollum* a verbo Græco *Protos*, quod est primum, & *Collum*, quod est *Collatio* litterarum, quasi diceretur; *Protocollum* est prima Collatio

latio litterarum in Charta; Glossa *in Authentic. de Tabellionibus verb. Protocollum collat.* 4. & alio nomine dicitur *Abbreviatura*. Mascard. *de probationibus conclus.* 4. *num.* 1. *&* 6. Cardin. Thusc. *litt. P. conclus.* 945. *num.* 1. ubi illud appellat *Imbreviaturam*, sive instrumentum Notarii non ex-
49 tensum. Insuper *Protocollum* dicitur etiam Liber, in quo prima Matrix, seu originalis scriptura instrumentorum rogatorum describitur, habens generalem subscriptionem. *Hic est Liber Protocollorum mei &c.* de quo fit mentio *in cit. Authentica, seu Novella* 44. *cap. Illud quoque* 2. *de Tabellionibus*; juncta Glossa *ibid. verb. Protocollum*; &
50 notat Card. Thusc. *loco citat. num.* 3. Alterum autem Instrumentum vocatur *Transumptum*, scilicet instrumentum authenticum, & Originale, quod ex Protocollo sumitur, & debita forma, sive cum requisitis solemnitatibus conficitur, & in ipso actus gesti non summarie, ac succincte, & breviter, ut in Protocollo, sed plene, & diffuse per extensum exponuntur. *Sic in re Communis.*

51 Instrumentum publicum dividitur etiam in *Originale*, & in *Exemplum*. *Originale instrumentum* est illa prima, seu principalis scriptura solemnis, quæ est veluti origo ipsius actus, de quo instrumentum conficitur. *Exemplum* vero est illud, quod ex originali instrumento describitur, & desumitur, quæ & copia appellatur. *Sic in re Communis.*

52 Instrumentum adhuc dividitur in Authenticum, & non authenticum. Instrumentum *Authenticum* est, quod per se fidem facit ad id auctoritatem habens, vel ex appositione sigilli authentici, vel ex interventu publici Tabellionis, seu alio modo
53 a publica auctoritate statuto. Vocatur autem *Authenticum*, quasi ex se auctoritatem habens, ut notat Abbas *in cap. Si scripturam Authenticam* 1. *num.* 54. §. 2. *de Fide instrumentor.* Instrumentum *non Authenticum* dicitur quod ex se, & seclusis aliis adminiculis non facit fidem nec plenam probationem. *Sic in re Communis.*

55 Quamvis inter instrumentum publicum, & Authenticum possit notari aliqua differentia, in effectu tamen parum interest, & passim instrumenta publica, & Authentica sumuntur pro Synonimis, cum solum se habeant ut superius, & inferius, in quantum omnia instrumenta publica possunt dici Authentica, sed non e contra; sic Abbas *in cit. cap. Si scripturam Authenticam* 1. *num.* 2. *de Fide instrumentor.* ubi expresse dicit, quod *omnis scriptura publica est Authentica, sed non omnis Authentica est publica*; *habent enim se ut superius, & inferius.* Speculator *Tit. de editione instrumentor.* §. *Nunc dicendum.* Innocent. *in cap. Scripta* 2. *num. de Fide instrumentor.* Bald. *ibid. n.* 8. Engel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 22. *nu.* 2. Pirhing *ibid. n.* 3. Reiffenstuel *ibid. n.* 14 *& seq.* Sanig. *ibid. cap.* 2. *nu.* 1. & alii.

56 Ad instrumentum publicum manu publici Notarii confectum plures solemnitates de Jure, vel
57 consuetudine requiruntur. *Communis.* Primo enim requiritur, quod in eo præponatur Invocatio Divini nominis, quæ solet fieri per ly *In nomine Domini Amen. In nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis*; colligitur *ex cap. In nomine Domini* 1. *dist.* 23. *cap. In nomine Patris* 1. *distinct.* 73. juncta *Authent. seu Novell.* 47. *Ut præponatur nomen Imperatoris documentis, cap.* 1. §. 1. *collat.* 5. ibi: *Auctore Deo.*

Secundo requiritur, quod in eo ponatur Annus 58
Incarnationis, seu potius Nativitatis Domini currens tempore initi contractus, & confectionis dicti instrumenti. Ita Glossa *in cit. Authentic. seu Novella, ut præponatur nomem Imperatoris, verb. Auctore*, & alia Glossa *in cap. Inter dilectos* 6. *verb. Indictionis, de Fide instrumentor.* Abbas *in cit. cap. Si scripturam Authenticam cap.* 1. *num.* 2. *de fide instrumentor.* Mascard. *de probationib. qu.* 6. *nu.* 82. Pirhing *loc. cit. num.* 6. Reiffenst. *loc. citat. num.* 19. & alii passim; *arg. cit. cap. In nomine Domini, & citat. cap. In nomine Patris.*

Tertio requiritur, quod in eo ponatur Mensis, 59
ac Dies Anni Dominici currens tempore initi contractus ac confectionis Instrumenti; *cit. Authent. seu Novella* 47. *Ut præponatur nomen, cap.* 1. §. 1. Glossa *in cit. cap. Inter dilectos verb. Indictionis*, & alia Glossa *in l. Generali verb. servituti, Cod. de Tabulariis*, Speculator *loc. cit. num.* 7. Reiffenst. *loc. cit. num.* 20. & alii passim.

Quarto requiritur, quod in eo ponatur *Indictio*; 60
cit. Authentic. seu Novella: *Ut præponatur nomen, cap.* 1. *collat.* 3. Glossa *in cit. cap. Inter dilectos verb. Indictionis*, juncto textu *ibidem* §. *Sed contra*, Felin. *ibid. num.* 12. Covarruv. *lib.* 1. *Variar. resolut. cap.* 1. *num.* 7. Reiffenst. *loc. cit. num.* 21.

Indictio autem (sic dicta ab *indicendo*, seu *juben-* 61
do trinam exactionem tributi, quæ tribus continuis Lustris fieri solebat a Cæsare Augusto) est numerus annorum constans ex tribus Lustris, seu ex quindecim annis; Glossa *cit. cap. Inter dilectos verb. Indictionis*. Quibus tribus Lustris, seu quindecim annis peractis reditur ad unitatem, & initium sumit quilibet annus hujus Cycli Indictionum a Januario in Bullis Pontificiis, prout notatur circa initium Breviarii Romani *Tit. de Indictione*. Originem autem hujus nominis *Indictionis* assignat Glossa *in cit. Authentic. Ut præponatur nomen Imperatoris verb. Indictionis Collat.* 5. sequentibus verbis; Quia, inquit antiquitus Romani singulis quindecim annis recipiebant Tributum de toto mundo, & erat in primo quinquennio ferrum, ut inde fierent arma militibus Romanis. Secundo quinquennio argentum, ut inde haberent stipendia milites. Tertio quinquennio aurum, quod in ærario reponebatur, ut tempore necessitatis pro Republica Romanorum expenderetur; Unde adhuc hodie servamus cursum illorum trium Lustrorum, scilicet horum quindecim annorum, & Indictionem appellamus. Hæc Glossa *loc. cit.* subjungens modum facillimum inveniendi Indictionem cujuslibet anni. Accipe, inquit, annos Domini, & eis addas tres annos, quia tertius annus Indictionis erat tempore Nativitatis Christi: deinde numerum annorum divide per quindecim, & semper abjicias illa quindecim, & residuum, vel saltem ultimum quindecim dabit Indict. Et concordat alia Glossa *in cap. Inter dilectos* 6. *de Fide instrument. verb. Indict.* his præcisis verbis. Et hæc est regula ad inveniendam Indict. Tres annos Dom. appone pro Indictionibus regulariter, & partire

tire per quindenum numerum, & quotus numerus remanet infra quindecim, tanta est Indictio. Et si facta divisione, remanent quindecim, quintadecima est inditio. Hæc Glossa *loc. cit.* ubi totam dictam regulam comprehendit, & exprimit tribus sequentibus versiculis.

Si per quindenos Domini diviseris annos,
His tribus adjunctis Indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

62 Quinto requiritur, ut in eo inseratur nomen Papæ, vel Imperatoris, aut regis in locis ipsius dominio subjectis una cum anno Papatus, seu Imperii, vel Regni, textu expresso *in cit. Authent. seu Novella, Ut præponatur nomen Imperatoris, c.* 1. ubi insuper additur, quod debeat inseri etiam nomen proconsulis illius anni; Quod tamen hisce temporibus non amplius inseritur, ut notat Glossa *in cap. Quoties cordis* 1. *qu.* 7. *verb. Consulibus*, & & servat praxis.

63 Sexto requiritur, quod in eo exprimatur locus Civitatis, vel Castri, & insuper locus particularis, v. gr. Domus, in qua actus, qui in instrumento continetur, factus est. Glossa *in cap. Abbate sane, verb. Censetur*, juncto textu *ibidem de sententia, & re judicata, in 6.* Abbas *loco citato num.* 3. Mascard. *citata quæst. 6. nu.* 89. *& seq.* Covarr. *Practic. quæst. cap.* 20. *num.* 3. Reiffenstuel *l. c. num.* 24. Pirhing *loc. c. num.* 7. Engel *loc. cit. num.* 13. & alii passim.

64 Septimo requiritur, quod Testes tres, vel saltem duo, qui ordinarie sufficiunt, præsentes sint actui, & eorum nomina in instrumento inserantur; *Authentic. seu Novella* 73. *de instrumentorum cautela, & fide, cap. Sed & si instrumenta* 5. *Collat.* 6. Abbas *loc. cit. num.* 3. Speculator *loc. cit. num.* 10. Pirhing *loc. cit. num.* 7. Reiffenst. *loc. cit. nu.* 25. addentes solere addi per Tabellionem in instrumento, quod Testes illi fuerint ad hoc vocati, & rogati, quamvis de Jure id non sit necessarium,

65 nisi in certis casibus. Sicuti nec necessarium est de Jure, quod Testes in instrumento nomina sua subscribant, ut colligitur *ex cit. Authentica, seu Novella* 73. *de instrumentorum cautela &c.* juncta Glossa *ibid. verb. Compleantur*; & notant Abbas *citat. loc. num.* 3. Covarruv. *loc. cit. num.* 4. Pirhing *loc. cit. num.* 7. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 26. & alii; Quamvis tamen id esset valde expendiens, & servandum, ubi adesset consuetudo, eo vel maxime quod Glossa *cap. Post cessionem verb. Litteras, de probationibus* cum nonnullis aliis id absolute requiri contendit.

(*) Testium præsentia quæ initio inventa fuerat, ut unusquisque facilius occurreret fraudibus, hodie pro forma tantum adhibetur. Nihilominus Justinianus statuit, bonæ opinionis esse oportere testes, & aut carentes hujusmodi derogatione per dignitatis, aut militiæ, aut divitiarum aut officii causam: aut si non tales consistant, ex utroque tamen, quia fide digni sunt, testimonium perhibere. Et non quosdam artifices ignobiles, neque vilissimos neque nimis obscuros ad testimonium procedere, sed, ut si qua de eis dubitatio fuerit, possit facile demonstrari testium vita, quia inculpabilis atque moderata est. Si vero ignoti quidam fuerint undique, & aliquid apparuerint circa testimonii veritatem corrumpere festinantes, posse eos etiam verberibus subjacere. Et judices, siquidem *administratores fuerint, hoc ipsi agant.* Novell. 90. *c.* 1. Si necessitatem testium non agnovisset Justinianus, non quidem tantas requisivisset qualitates in iisdem. Sed, quod magnopere plorandum est, hujusmodi qualitatibus destituti non modo ad testimonium perhibendum interdum admittuntur, sed etiam ad Tabellionis officium exercendum. (*)

Octavo requiritur, quod Notarius in instrumento nihil aliud scribat, quam id, quod circa rem gestam vere scit, ac propriis oculis vidit, atque præsens audivit; Et inde instrumentum legat coram partibus, ut appareat, omnia rite percepta, & conscripta fuisse; *Authent. seu Novella* 44. *de Tabellionibus cap.* 1. *Collat.* 4. Speculat. *l. cit. num.* 13. Engel *l. cit. num.* 7. Reiffenst. *loc. cit. num.* 37. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Judic. cas.* 1445. *nu.* 9. & alii. 66

Nono requiritur, quod Notarius exprimat in instrumento, quod fuerit rogatus ab eo, vel ab iis, ex quorum consensu actus dependet, *Authent. seu Novell.* 44. *de Tabellionibus c.* 1. *Collat.* 4. Reiffenstuel *loc. cit. numer.* 30. Pirh. *loc. cit. num.* 7. *vers. Sexto* Engel *loc. cit. num.* 7. & alii passim. 67

Decimo requiritur, quod Notarius nomen suum inscribat propria manu addendo qua authoritate, an Pontificia, vel Cæsarea, seu Regia sit Notarius; *cit. Authent. seu Novella* 73. *de instrumentorum cautela, & fide, cap. Sed & si instrumenta* 5. *Collat.* 6. juncta Glossa *ibid. verb. adjicitur*; Speculator *loc. cit. num.* 11. Covarruv. *cit. cap.* 20. *num.* 5. Mascard. *loc. cit. num.* 91. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 28. Engel *loc. cit. num.* 14. & alii communiter; Sufficit autem subscriptio Notarii, quamvis per alium etiam privatum instrumentum scriptum fuerit: prout innuitur *cap. Inter dilectos* 6. *verb. Instrumentum quoque, de fide instrumentor.* Abbas *ibidem num.* 7. & alii communiter, servatque praxis generalis. 68

Undecimo requiritur, quod Notarius apponat in In strumento signum solemne sui Notariatus, idest certam aliquam imaginem, vel figuram calamo depictam, aut per modum typi impressam. Glossa *in cit. Authentic. seu Novella* 73. *de instrumentor. cautela &c. verb. Oportet.* Reiffenst. *loc. cit. num.* 24. Engel *loc. cit. num.* 14. Pirhing. *loc. cit. num.* 7. *vers. Deniq.* Covarr. *cit. cap.* 20. *num.* 5. Mascard. *loc. cit. num.* 92. post Bartolum *in Proœm ff. num.* 6. & alios. 69

Duodecimo requiritur ad uberiorem cautelam, quod Notarius servet semper eamdem formam subscriptionis in uno instrumento, ac in aliis, ut cum opus fuerit, possit fieri comparatio instrumentorum per ipsum confectorum; *arg. cit. Authentic. seu Novella* 73. *de instrumentor. cautela* 6. juncta Glossa *ibid. verb. Adjiciatur*. 70

(*) Postremo ut instrumenta legitime facta dici possint adeo ut fidem faciant, aliam requirunt solemnitatem, Paulus *recept. sent. libr.* 5. *tit.* 23. §. 5. Ita quippe laudatus Juris Ctus: *Amplissimus ordo accrevit, eas tabulas, quæ publici, vel privati contractus*

 scri-

scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent. Temporibus Neronis Imperatoris tantus erat falsariorum numerus, ut hac lege opus fuerit ipsorum fraudibus occurrere. Testem habemus Svetonium in *Neron. cap.* 17. qui de hoc Senatus consulto ita loquitur. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.* (*)

71 Supradictæ Solemnitates, quamvis non omnes de rigore Juris requirantur ad essentiam, seu substantiam instrumenti publici, solent tamen omnes secundum receptam consuetudinem adhiberi, ita ut, si aliqua omittatur, tale instrumentum de fraude, & falsitate suspectum reddatur; Unde servandæ sunt secundum cujuslibet Provinciæ probatam consuetudinem, *arg. cap. Cum Dilectus* 8. *& cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*, Mascard. *loc. cit. num.* 17. Pirhing *loc. cit. num.* 7. *in fine*, & alii passim.

72 Instrumentum publicum manu Notarii confectum cum dictis requisitis solemnitatibus, si Originale, seu Authenticum sit, plene probat, plenamque facit fidem, tam pro proferente, quam contra proferentem. *Communis*, per text. *in l. In exercendis* 15. *& tot. Titul. Cod. de Fide instrumentor. cap. Si scripturam Authenticam* 1. *cap. Scripta vera Authentica* 2. *& cap. Cum P. Tabellio* 15. *de Fide Instrumentorum*, cum similibus.

(*) Notandum tamen, quod instrumentum ut fidem faciat apud judicem apud quem producitur, debet agnosci per Tabellionem Amanuensem, cujus opera in eo conscribendo Tabellio usus est, & Adnumeratorem pecuniæ, videlicet argentarium, qui ei interfuit. Quod si nec Amanuensis nec Adnumerator præsto sint, forte quia nullus fuerit Amanuensis, & Adnumerator, qui instrumento interfuerint, aut mortui sint, vel absint, solius Tabellionis testimonio credetur. Quod si Tabellio defunctus sit, habebit instrumentum fidem tam ex testimonio Amanuensis, Adnumeratoris, & testium, quam ex collatione adimpletionis Instrumenti. Si autem nullus horum adsit, sola collatio adimpletionis non sufficiet, sed etiam examinandæ sunt subscribentium contrahentium scripturæ, ut etiam fusius *in Novell.* 73. *cap.* 7. (*)

73 Item plene probat, plenamque facit fidem etiam Protocollum, si habeat dictas solemnitates, ad instrumentum publicum, & solemne requisitas: Immo Protocollo habenti dictas requisitas solemnitates adeo creditur, ut in dubio magis sit standum Protocollo, quam instrumento inde desumpto. Sic clare desumitur, ex *cap. Quoniam contra* 12. *de probationibus & ex cit. Authentic. seu Novella* 44. *de Tabellionibus cap. Illud quoque* 2. *Collat.* 4. ubi Imperator fatetur, quod mediis Protocollis fuerint sæpe detectæ multæ fraudes, ibi: *Novimus enim, multas falsitates ex talibus Chartis* (scilicet Protocollis) *ostensas, & prius, & nunc*; Et sic tenent Bartolus *in leg. Sempronius*, *ff. de Legat.* 2. istud probans ex *leg. Si quis ex argentariis §. penult. ff. de Edendo, & cit. Authentic. seu Novella* 44. *de Tabellionibus Collat.* 4. *per totum*. Mascard. *de probationib. concl.* 1205. *n.* 2. Alexander *conclus.* 105. *n.* 1. *volum.* 2. Menoch. *de Arbitr. Judic. lib.* 2. *cap.* 87. *n.* 1. Zoesius *tit. de Fide instrumentor. n.* 6. Reiffenst. *loc. cit. n.* 37. Pirhing *loc. cit. num.* 17. & alii. Et ratio est, quia si ex Juribus cit. *n. antecedenti* instrumentis ex Protocollo extractis datur publica, & plena fides, multo magis debet dari ipsi Protocollo, juxta vulgatum commune Axioma. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale*.

Mortuo ante perfectionem solemnis instrumenti Notario illo, qui ad partium petitionem Protocollum fecit, tunc accedente Judicis auctoritate, potest alius Notarius requisitus ab iis, quorum interest, mortui notas, seu Protocollum in publicum, & solemne instrumentum redigere, & tale instrumentum plenam fidem facit, perinde ac si a priore Notario confectum, & absolutum fuisset. *Communis*, textu expresso *in cap. Cum P. Tabellio* 15. *de Fide instrumentor.* 74

Ad id tamen requiruntur plures conditiones. Et Prima est, quod prior Notarius fuerit mortuus, sive naturaliter, sive Civiliter per diuturnum impedimentum, vel per perpetuam infirmitatem. Nullus enim Notarius potest in instrumentum publicum redigere Protocollum alterius Notarii adhuc vivi. *Authentic. seu Novella* 33. *de Tabellionib. Collat.* 4. juncta Glossa *ibid. verb. Ipsi per se*, *cap. Cum P. Tabellio* 15. *de Fide Instrumentor.* & Glossa *ibid. verb. Perpetuam*; ubi expresse dicit, quod *Tabellio, dum vivit, non potest alteri committere completionem instrumenti, sed ipsemet debet complere instrumentum, prout in protocollo reperitur.* 75 76

Secunda est, quod ad id interveniat auctoritas Judicis, sive Ordinarii, sive Delegati, qui de morte seu diuturno impedimento prioris Notarii simulque de fide, & integritate illius, & Protocolli, seu notarum ab ipso factarum summarie cognoscat: *c. Cum P. Tabellio* 15. *de Fide Instrumentorum*, Covarr. *Pract. q. c.* 21. *num.* 3. Pirhing *loc. cit. n.* 19. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 51. *&* 54. & alii passim. 77

Tertia est, quod Notarius id faciat ad petitionem eorum, quorum interest, sicque etiam pars adversa, cujus interest, debet citari, *cit. cap. Cum P. Tabellio* 15. *de Fide instrumentor.* Pirhing *loc. cit. n.* 10. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 10. & alii communiter. 78

Quarta est, quod Notarius id præstet fideliter, nihil ad substantiam pertinens addendo, diminuendo, vel mutando ex iis, quæ in notis seu Protocollo defuncti continentur. Glossa *in cit. cap. Cum P. Tabellio verb. Perpetuam*, ubi expresse dicit, *quod debet complere instrumentum prout in Protocollo continetur, nihil addendo vel diminuendo, quam in Protocollo continetur, ut in Authentic. de Tabellionib. Collat.* 4. Abbas *ibid. nu.* 5. & Joannes Andreas *num.* 8. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 53. Pirhing *loc. cit. num.* 19. & alii passim. 79

Quinta est, quod Notarius notas, seu Protocollum 80

lum Notarii mortui redigat in publicam instrumenti formam. Et tale Protocollum semper penes se servet, *cap. Quoniam contra* 11. *de probationibus*, & *citat. Authentica de Tabellionibus Collat.*4. ea addita ratione: *Ut habeat unde sciat negotium, & interrogatus a Judice possit, quæ subsecuta sunt, cognoscere, & respondere*. Pirhing *loc. cit. num.*19. Reiffenstuel *loc. num.* 52. & alii communiter.

(*) Instrumentum vero in publicam formam redactum plene probat, & quidem ipsum authenticum instrumentum fidem facit, non hujus index aut exemplum, etiamsi fiscus agat. Nam, ut inquit Paulus, *Quicumque a fisco convenitur, non ex indice, & exemplo alicujus scripturæ, sed ex authentico conveniendus est. Ita si contractus fides possit ostendi. Cæterum calumniosam scripturam vim in judicio obtinere non potest*: *l.* 2. *ff. de fid. Intrumentor.* (*)

81 Interdum tamen Exemplaria, seu Transumpta Originalium instrumentor. si fiant auctoritate Judicis Ordinarii, vel Delegati per publicam personam, ac servatis de Jure servandis, habent eam vim probandi ac Originalia, textu expresso *in cap. Si instrumenta* 16. *de Fide instrumentor.* ibi: *Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam exemplari petantur, coram Ordinario Judice, vel Delegato, ab eo specialiter præsententur, qui si ea diligenter inspecta, in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum Originalibus habitura*.

82 Immo in pluribus casibus Exemplaria habent eamdem vim probandi, ac Originalia, etiamsi sint facta sine auctoritate Judicis. Et signanter quando in Litteris Pontificiis, ut fieri solet, habetur inserta hujusmodi clausula: *Quodque præsentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ*; Tunc enim, ut Exemplaria vim habeant probandi, ac Originalia, sufficit prædicta in tali Clausula observari, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 65. & alii communiter.

83 Item quando Exemplar fuit factum, seu scriptum manu ejusdemmet Notarii, qui instrumentum Originale confecit. Cum enim idem Notarius de eodem negotio possit conficere plura ipsissima instrumenta, & in tali casu idem sit Auctor ejusdem Scripturæ, eadem fides debet præstari utrique, *arg. c. Dudum* 20. *de convers. conjugat.* ubi tale publicum instrumentum post amissionem prioris ab eodem Notario confectum, fuit habitum pro legitimo, & valido. Pirhing *loc. cit. num.* 23. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 66. Mascard. *de prob. conclus.*712. *n.* 35. testans de communi.

84 Item quando, & ubi contraria consuetudo derogavit citato Canoni: *Si instrumenta* 16. *de Fide instrumentor.* uti in praxi non solet hodie Judex inspicere Originale, sed Notarius, qui instrumentum inscribit, testatur, quod illud omni cum diligentia inspexit, & nullum in eo vitium reperit, atque de verbo ad verbum cum ipso concordat &c. Pirhing *loc. cit. numer.* 22. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 67. & alii, *arg. cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*.

Item quando Notarius Exemplum instrument conficit de consensu, & rogatu partium, quarum interest; Tunc enim illud fidem facit, & plene probat etiam sine Iudicis auctoritate saltem in præjudicium partium, earumque successorum, quia *in cit. c. Si instrumenta* 16. *de Fide Instrument.* est sermo, quando ex unius tantum partis voluntate instrumentum Originale per Notarium exemplatur, tunc enim necessario requiritur Judicis Auctoritas; Secus autem si id fiat ex consensu omnium partium, quarum interest. 85

Actor non potest regulariter petere, ut Scripturæ, & instrumenta propria Rei, sibi ab ipso tradantur ad probandam suam intentionem; Nec res suas, Scripturas & instrumenta, quibus in Judicio non est usurus, tenetur tradere, seu consignare ipsi Actori. *Communis* per text. *in cap.* 1. *de Probationibus*, juncto ejus Summario, in quo expresse dicitur: *Reus Actori sua propria instrumenta dare non tenetur*, & *l. Qui accusare* 4. *Cod. de Edendo*; Non enim Juris, aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnatur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur, *l. Nimis grave*, *Cod. de Testibus*. 86

(*) Sed hæc regula suas patitur exceptiones. Nam quandoque reus rationes suas edere compelletur, licet contra se ipsum faciant. Sic enim rescribit Divus Pius *in l.* 1. *Cod. de edendo*. *Ipse dispice quemadmodum pecuniam, quam te deposuisse dicis, deberi tibi probes. Nam quod desideras, ut rationes suas adversaria tua exhibeat, id ex causa ad judicis officium pertinere solet.* Fiscus etiam cum agit hoc utitur privilegio, ut reum ad edenda sibi instrumenta cogere possit, per text. *in l.* 2. §. 1. *ff. de jure fisci*. Notandum tamen quod non indistincte quævis instrumenta edere reus tenetur, sed ea dumtaxat, quæ ad causam pertinent de qua agitur *l.* 3. *ff. de edendo*. Sciendum denique, distinctiones, quas statuimus inter reum & actorem, quoad exhibitionem instrumentorum, privata dumtaxat spectare instrumenta. Nam quoad publica attinet ab utraque parte exhibenda sunt. Etenim *Is, apud quem res agitur, acta publica tam civilia, quam criminalia exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem jubebit*. Ita rescripserunt Severus, & Antoninus *in l.* 2. *Cod. de Edendo*. (*)

Tenetur tamen Reus tradere Actori petenti instrumenta communia, & si Judex parti petenti non facit tradi instrumenta communia, licite ab ipso appellatur, & quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet, *Communis*, text. expresso *in c. P. Perpetuus Vicarius* 12. *de Fide instrumentor.* juncta Glossa *ibid. verb. Instrumentorum communium*, cum pluribus Juribus ibi a se adductis. 87

Et ratio est, quia instrumenta communia sunt quodammodo propria utrique parti; Nam quod commune est, meum est, *l. Servi electione* juncta Glossa verb. *Communis*, *ff. de Legat.* 1. adeoque talia communia instrumenta a qualibet juste petuntur, & ab altera tradi debent, & ad id compelli potest, & debet a Judice, alias fit ibi locus appellationi. 88

In-

79 Instrumenta inter se contraria, si ab eadem parte contra adversarium suum producantur in judicio, nihil probant, sed fidem sibi adinvicem derogant, textu expresso *in cap. Imputari* 13. *de Fide instrumentor.*, ubi insuper redditur ratio, ibi; *Imputari ei potest, quod contrarias inter se scripturas in judicio protulit fidem sibi ad invicem derogantes, cum in ipsius fuerit potestate, quam voluerit, non proferre*; Et concordat *l. Scriptura, Cod. eodem*.

90 Si autem instrumenta contraria a diversis partibus producantur, tunc standum est instrumento digniori, ver. gr. publico, aut quod magis caret falsi suspicione, *arg. l. Scripturas, Cod. Qui potiores in pignore*. Sic Glossa *final. in cit. c. Imputari*, & Abbas *ibid. num.* 3. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 324. & alii, & desumitur ex *cit. l. Scripturas, Cod. Qui potiores in pignore, & c. In nostro* 32. *de Testibus* cum similibus.

91 Si instrumenta hinc inde producta omnino sint æqualia, & paris auctoritatis, seu dignitatis, tunc Reus est absolvendus, præterquam in causa liberali, seu favorabili, textu expresso *in cap. Ex litteris* 3. *de probationibus*, ibi: *Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa, in qua si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur*, juncto Summario *ibidem*, in quo sic præcise dicitur: *In communi judicio probant actor, & reus, & si pariter probant, reus absolvitur, nisi favorabilem causam foveat Actor*. Et Glossa *ibidem verb. In liberali*, ubi assignat quatuor causas liberales, in quibus si utriusque partis probationes fuerint æquales, sententiari debet favore ipsarum, scilicet pro favore Matrimonii, favore Testamenti, favore Dotis, favore Libertatis, adducitque ad id duos sequentes versiculos.

Stat Testamentum, Libertas, Conjugium, Dos,
Si sint æquales qui producuntur utrinque.

(*) Observandum superest, illud instrumentum pro eo fidem facere non posse, qui illo non usurum se contestatus est. Hinc *si adversarius tuus apud acta Præsidis provinciæ, cum fides instrumenti, quod proferebat, in dubium revocaretur, non usurum se contestatus est, vereri non debes, ne ex ea scriptura, quam non esse veram etiam professione ejus constitit, negotium denuo repetatur l.* 3. *Cod. de fid. instrum.* (*)

92 Instrumentum ob factam in parte substantiali rasuram redditur suspectum de falsitate, ac proinde reprobari potest: Secus si rasura facta sit in parte non substantiali, seu in loco non suspecto. *Communis*, & quoad primam partem colligitur clare ex *cap. Inter dilectos 6. de Fide Instrumentor.* juncto ejus summario, in quo præcise dicitur: *Instrumentum publica manu confectum habens sigillum, cujus litteræ non sunt legibiles, vel scripturæ deletæ, vel enormem patitur fracturam, non probat*. Et clarius ex *capit. Cum venerabilis* 7. *de Religiosis domibus*, ubi statuitur: *instrumento nullam fidem penitus adhibendam propter superlinearem scripturam, & rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur*, & infra subjungit Pontifex: *Instrumentum prædictum .... ad faciendam super hoc fidem invalidum esse cognovimus, utpote propter prædicta de Jure suspectum*. Quo ad secundam autem partem habetur clare *ex capit. ex litteris* 3. *de Fide instrumentorum*, ibi: *Dicimus, quod propter abrasionem illam judicari falsæ non possunt, nec etiam haberi suspectæ*, juncto ejus Summario, in quo expresse dicitur: *Rescriptum Apostolicum propter rasuram in loco non suspecto non censetur vitiosum, & capit. Ex conscientia* 9. *de crimine falsi*, in cujus Summario sic præcise habetur: *Propter paucam litterarum rasuram in loco non suspecto Rescriptum non probatur falsum*.

Amissio scripturæ, seu instrumenti, non nocet, 93
si possit fieri probatio ipsius negotii v. g. debiti per testes, vel alio legitimo modo. *Communis*, textu expresso *in l. Debitores* 1. *Cod. de fide instrumentor.* ibi: *Debitores tuos quibuscumque rationibus debere tibi pecuniam si probaveris, ad solutionem compellet aditus Præses Provinciæ. Nec oberit tibi amissio instrumentorum, si modo manifestis probationibus eos debitores esse apparuerit*.

Si instrumentum sit amissum casu fortuito, in- 94
cendio, inundatione, prædatione, & hujusmodi, oportet, ut illud allegans probet casum fortuitum, & tenorem instrumenti; vel per Testes, qui præsentes fuerint contractui celebrato, & instrumento per Notarium legitime confecto, vel per Testes, qui licet tempore celebrati contractus, & confecti instrumenti non fuerint præsentes, postea tamen illud propriis oculis viderunt in nulla sui parte vitiatum, & attente legerunt ejus tenorem ita, vel ita sonantem; alias Debitores ad solutionem non possunt compelli, textu expresso *in l. Sicut iniquum est* 5. *C. de Fide instrumentor.* ibi: *Sicut iniquum est instrumentis vi ignis consumptis Debitores quantitatum debitarum renuere solutionem, ita non statim casum conquerentibus facile credendum est; intelligere itaque debetis non existentibus instrumentis, vel aliis argumentis probare debere fidem precibus vestris adesse*, juncto ejus Summario ex Saliceto, ibi: *Si creditor dicat se perdidisse casu instrumentum debiti, non debent propterea, qui dicuntur Debitores, ad solutionem urgeri, nisi Creditor probet casum, & tenorem instrumenti*, & ibi Bartolus *num.* 2. Abbas *in cap. Albericus num.* 4. *de Testamentis*, Alexander *consil.* 196. *num.* 11. *lib.* 2. Mascard. *de probationib. concl.* 910. *num.* 6. 10. *& seq.* Reiffenstuel *loc. citat. num.* 333. *& seq.* & alii.

Si instrumentum pereat facto adversarii, illud 95
v. g. dilacerantis, vel auferentis, oportet, ut istud legitime probetur, & facta tali legitima probatione, tunc per solum juramentum spoliati probatur tenor instrumenti, & valor rerum in eo contentarum. Sic desumitur ex *l. Si de possessione* 20. juncta Glossa marginali *Cod. de probationibus*; & notat Abbas *in c. Accepimus* 4. *num.* 4. *de Fide instrumentor.* Mascard. *loc. cit. conclus.* 911. *num.* 3. *&* 4. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 337. Engel *loc. cit. n.* 54. & alii passim; In similibus enim probata fraude, seu

seu violentia per testes, sufficit, quod res amissæ, earumque valor probentur per juramentum spoliati, textu expresso *in cap. Super eo 7. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, juncto ejus Summario, ubi sic expresse habetur: *Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum, & super valore rerum amissarum, taxatione Judicis præmissa, & secuto petentis juramento, fit condemnatio.*

96 Falsificantes scripturas, seu instrumenta quas pœnas incurrant; Vide verb. *Falsum*, *Falsarium a n. 39. ad 73.*

97 Scripturæ, & instrumenta, quæ conficiuntur, & rogantur a Cancellario Episcopi tamquam Cancellario, servari debent in Episcopi Cancellaria, non autem transferri debent in Archivo Communitatis. *Sacr. Congreg. Conc.* 5. *Novembr.* 1625. apud Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 210. *num.* 3.

98 Immo potest Episcopus per Edictum præcipere aliis Notariis, quod exhibere debeant in Cancellaria Episcopali acta, seu rogitus, illorumque Exemplaria spectantia ad Monasteria Monialium, prout laudando Episcopum Eugubinum, qui tale mandatum dederat, respondit *Sacra Congreg. Episc.* 31. *Jan.* 1596. apud Monacell. *par.* 1. *titul.* 1. *formul.* 5. *num.* 3.

99 Ecclesiastici non possunt cogi ad faciendam insinuationem in Cancellaria Laicali Instrumentorum dotalium Monialium, Patrimoniorum, & similium Scripturarum. *Sacra Congregat. Immunitat. in Nicen.* 28. *Septembr.* 1677. *lib.* 2. *Decretor. Altovit. pag.* 1461.

100 Episcopus requisitus a Laicis pro consignatione Scripturarum respondeat se non habere facultatem, sed adeundum esse Sanctissimum pro obtinenda facultate. *Sacra Congregat. Immun. in Neritonen.* 17. *Novembr.* 1654. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 54.

101 Omnes Scripturæ pertinentes ad Abbatiam N. existentes in Archivo Archiepiscopali debent communicari Abbati pro tuitione jurium ei competentium. *Sacr. Congr. Immun. in Acerren.* 23. *Maii* 1703. *lib.* 3. *Decr. Vallem. pag.* 490.

102 Datur facultas extrahendi ser. ser. Protocolla, & Instrumenta Notarii demortui a loco immuni, & consignandi ser. serv. in Archivo publico Civitatis cum prævio inventario dictarum Scripturarum, ita tamen, ut nullum inferatur damnum, seu præjudicium heredi pro Jure sibi competente super dictis Scripturis. *Sacr. Congreg. Immun. in Forosempronien.* 13. *Augusti* 1667. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 141. *in Marsicen.* 10. *Decemb.* 1678. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.* 1685.

103 Ad evitandas fraudes, quibus potest subjici Justitia ob falsificationem prætensam Scripturarum, quas apud se retinet Notarius confugitus in loco immuni, datur Episcopo facultas perquirendi dictas Scripturas ad effectum faciendi Inventarium, & consignandi in manu Judicis competentis, ut de ipsis disponat prout de jure. *Sacr. Congr. Immun. in Reatina* 31. *Dec.* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.* 189.

104 Præcipitur Archiepiscopo, ut auctoritate sua ordinaria cogat Secretarium communitatis ad communicandas Scripturas pro lite cum Communitate pendente in Sacra Congr. ratione aperitionis Macelli. *Sacr. Congr. Immun. in Beneventana* 22. *Aprilis* 1673. *ibi pag.* 792.

Injungitur, mandante Sanctissimo, Episcopo Montis Regalis, & Nuncio, ut faciant abolere omnes Scripturas ab eorum Tribunalibus quomodolibet emanatas, & omnia facta inde secuta quoad solutionem oneris Laicalis contra Ecclesiasticos, & transmittant ad Sacr. Congreg. publicum documentum dictæ abolitionis. *Sacr. Congreg. Immun. in Montis Regalis* 5. *Maii* 1677. *lib.* 2. *Decretor. Altovit. pag.* 1384. 105

Archiepiscopus curet restitui Ecclesiæ Protocolla, seu Scripturas ab ipsa extractas de ejus ordine ad effectum consignandi, cui de jure, & homine ex defectu facultatis. *Sacr. Congregat. Immun. in Regien.* 4. *Octobris* 1681. *ibi pag.* 2266. 106

Nisi Scripturæ ab Ecclesia ablatæ restituantur, non conceditur absolutio. *Sacra Congregat. Imm. in Oritana* 10. *Septemb.* 1629. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 5. 107

Alia ad rem. Vide verb. *Falsarius*, verb. *Litteræ*, verb. *Notarius*, verb. *Probatio*. 108

Additiones ex aliena manu.

De hoc argumento quamvis late disseruit *Auctor*, libet tamen per compendium totam materiam complecti. Scripturæ, aut publicæ sunt, aut privatæ. Publicæ scripturæ, sunt, quæ auctoritate publica a Personis illa pollentibus confecta sunt. Huc autem I. pertinent instrumenta a Capitulis Ecclesiasticis confecta, ac sigillo eorum munita; *cap.* 2. *de Fid. Instrumentorum.* 109 110 111

II. Libri Ecclesiastici, quibus consignantur Baptizati, & novi Conjuges copulati; *Carpzov. lib.* 12. *Jurisprud. consistor. defin.* 315. *n.* 2. *&* 3. *Philippi in us. practic. Instit. Eclog.* 47. 112

Notandum vero, libros hosce de iis tantum fidem facere, quæ coram Parochis acta sunt, non vero quæ ex relatione aliorum habent. Vide quæ diximus *in addit. ad verb. Ætas.* 113

III. Acta judicialia legitime confecta a publica Persona, seu Actuario Judicii ad illa judicia solemni juramento obstricti, quæ tunc demum fidem publicam habent; *cap.* 11. *de Fid. Instrument.* 114

IV. Scripturæ privatæ testium subscriptione munitæ, modo adhuc vivant, ut subscriptionem suam recognoscere valeant. Iis enim defunctis, vim probandi haud habent; *cap.* 2. *eod. tit.* Publica vero documenta ex se probant, ut mortui sint Testes subscripti. Hoc intuitu *in L.* 11. *C. Qui potior. in pignor.* hypotheca publica censetur, quæ constituta est in scriptura trium testium subscriptione roborata, quod tamen aliter intelligi nequit, quam si testes adhuc vivant, seu subscriptiones suas recognoscere queant, vel ad minimum duo supersint, qui recognitionem facere possint, quia inde fides publica scripturæ privatæ dependet. Consule *Brunemann. ad cit. L.* 11. *num.* 6. *C. Qui potior. in pignor.* 115 116

V. Notariorum instrumenta legitime confecta. Probant tamen si in originali, non item si in exemplo producantur; *cap.* 1. *dict. tit.* Nec sufficit exemplum quod fide Notarii ab Originali, vel quod pro tali 117 118

119 tali habetur, transumptum est. Exemplum vero transumptum secundum formam *in cap. finali d. tit.* præscriptam attendi debet. De hac autem forma plures incidere solent quæstiones. At vide de
120 iis *Bohemer. in decretal. lib. 2. tit. 22. §. 5. seq.* Extra ordinem vero fides etiam exemplo esse potest, non quidem, si in Archivio repertum sit, ut perperam nonnulli volunt, sed si agatur de causa antiqua, & insignia quædam adminicula eidem accedant; *cap. 13. de Probat.*

121 Sunt qui in classe Scripturarum publicarum recensent VI. Et Regesta Monasteriorum quibus designati sunt reditus, aliæque obventiones ad Monasterium spectantes. Confer *Genua de Scriptur. privat. lib. 5. qu. 1. & 2.* Sed eos refutat *Bohemer. loco mox cit. §. 3.*

122 Scripturæ privatæ regulariter pro scribente non probant. Contra vero scribentem probant, dummodo debite recognoscantur, nec *indeterminate* loquantur, sed causam debendi adjectam habeant; *cap. 14. de Fid. instrument. L. 25. §. final. ff. de Probat.*

123 Extra ordinem vero scripturæ hæ indeterminate loquentes probant, I. Inter Mercatores, quippe qui stylo admodum laconico inter se utuntur, ut plurimum causam specialem debendi omittunt, & simpliciter fidei datæ inhærent; *Marquard. de Jur. Mercator. lib. 1. cap. 14. num. 11. Brunemann. Cen-*
124 *tur. 2. dec. 99. per tot.* II. Si juramentum accesserit; *Barbos. ad cap. 14. num. 2. de Fide instrum. Seraphin. de Privileg. Juram. privileg. 94. num. 8.*
125 ubi tamen aliquas limitationes affert. III. Si statuto contrarium introductum. IV. Si Actor super causa debendi juramentum præstitit, licet generaliter tantum juraverit, ex justa causa Reum debere. Confer *Bohemer. ubi supra §. 10.*

126 Illud subnectendum, subtrahi posse vim probandi Scripturis variis de causis. I. Si per testes, vel alio modo earum falsitas probetur; *cap. 4. & 10. de Fid. Instrum.* II. si non sint legibiles. Vide *Bohemer. in dissertat. de Script. non legibil. cap. 4.* III. Si contradictoriæ ab eodem producantur; *cap. 13. dict. tit.* IV. ex rasura, si in loco principali appareat; *cap. 3. dict. tit.*

SCRUPULUS.

1 Scrupulus est sic dictus, eo quod instar scrupuli, seu lapilli calceis inclusi, pedemque vexantis, animo hominis insidens, eum vexet, & angat; Scrupuli enim sunt minuti lapilli, qui inter ambulandum insiliunt in calceos hominibus, ac pedem torquent; Inde injicere scrupulum dicitur, qui solicitudinem injicit animo cujuspiam; Et scrupulum eximit, qui solicitudinem eximit; Unde in *l. cum proponas 3. Cod. de Interdicto Matrimonio*, sic dicitur. *Ut autem omnis scrupulus auferatur, insistere pater tuus debet.* Sic expresse notat Joannes Kahl, alias Calvinus *in magno Lexico Juridico verb. Scrupuli.*

2 Hinc Scrupulus definitur, quod sit inanis apprehensio, & hinc ortus timor, & anxietas mentis alicubi esse, vel fuisse peccatum, ubi revera non est, nec fuit. *Est in re Communis.* Unde Scrupulus proprie fit, & tunc conscientia scrupulosa proprie dicenda est, quando intellectus, neque determinate judicat, neque dubitat practice aliquid esse peccatum, sed potius habito, vel sufficienter proposito judicio non esse peccatum sola apprehensione, vel suspicione mali ex inani, seu levi motivo titubat, fluctuat, anxie formidat esse, vel fuisse peccatum, v. g. forte se consensisse tali suggestioni, & hujusmodi.

Scrupulosi alii sunt circa præsentia, & alii circa 3
præterita, & utrique qui sint? Vide verb. *Conscientia a num. 115. ad num. 126.* ubi fuse agitur de conscientia scrupulosa, & assignantur signa conscientiæ scrupulosæ; Item causæ conscientiæ scrupulosæ; Item remedia conscientiæ scrupulosæ; Item privilegia conscientiæ scrupulosæ. Et quando liceat, vel non, operari contra conscientiam scrupulosam.

SECRETARIUS, SECRETUM.

Secretarius tenetur scire ea, quæ ad suum Of- 1
ficium spectant, & juste, diligenter, fideliterque dictum Officium suum exercere. *Communis.*

Secretarius in pluribus peccat, & signanter si 2
juramentum violet. Item si secreta revelet. Item si sententiam nondum publicatam manifestet. Item si processus, aut sententiam non recte custodiat, vel partibus sine præscripto judicis ostendat. Item si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, vel imminuendo, seu immutando, aut inventando: Item si surripiat aliquid ultra conventam mercedem ad compensandum laborem, cui putat non esse æqualem dictam conventam mercedem, præsertim si non interveniant requisitæ conditiones ad justam compensationem. *Communis.*

Quæ autem sint conditiones requisitæ ad justam 3
compensationem? Vide verb. *Compensatio.*

Et quam mercedem possint exigere Secretarii, 4
seu Cancellarii Curiæ Episcopalis. Vide verb. *Cancellarius.*

Secretarius qui multa scribit, probabilius non 5
excusatur a jejunio. Potest enim Secretarius vires habere sufficientes ad multum scribendum, quamvis jejunet; Immo temperantia & jejunium maxime conducit ad valetudinem sedentarii. Sanchez *in consil. lib. 5. cap. 2. dub. 7.* La Croix *lib. 3. par. 2. num. 1332.* & alii passim; Quamvis tamen non desint, qui excusent a jejunio Secretarios multum scribentes ver. gr. Secretarios Regum, aliorumque Principum, ac præcipuorum Officialium, quia dicunt tale Officium requirere constantes vires, quæ multum debilitantur per jejunium; Sic Angles, aliique cum Burghaber *centur. 3. cas. 5.* & Diana *in Compend. verb. jejunium num. 10.* Vide verb. *Jejunium num. 21.*

Se-

6 Secretum (præter illud Confessionis Sacramentalis, de quo infra sub verb. Sigillum Confessionis) potest aliquid dici quinque potissimum modis. Primo, quando aliquid ex natura rei petit esse, & teneri secretum, seu quando res uni, aut alteri revelata postulat ex se manere occulta. Secundo, quando res aliqua expresse, vel tacite sub secreto commissa est. Tertio, quando audiens, secretum promittit, licet non fuerit ipsi commissum. Quarto, quando res aliqua occulta cognoscitur per injuriam. Quinto, quando res aliqua occulta cognoscitur casu sine alia injuria &c.

7 Revelare secretum in primo casu, seu modo, est peccatum mortale contra Justitiam, si materia sit gravis. *Communis*. Et ratio est, quia ex revelatione talis secreti in materia gravi causatur proximo grave, & notabile detrimentum in bonis vitæ, vel famæ, seu fortunæ: Proximus autem habet verum Jus ad omnia dicta bona, adeoque revelare tale secretum, ratione cujus imminet proximo jactura dictorum bonorum, est gravis injustitia, & consequenter gravis culpa cum onere restitutionis.

8 Revelare secretum secundo casu, seu modo est etiam peccatum mortale contra Justitiam, si materia sit gravis. *Communis*. Et ratio est, quia Secretum revelatum sub expresso, vel tacito pacto tacendi, continet in materia gravi gravem obligationem Justitiæ: Est enim contractus onerosus, cum subeat onus revelandi petens vicissim onus tacendi, adeoque &c.

9 Revelare secretum in tertio casu, seu modo, est peccatum mortale contra Iustitiam in re gravi, si promittens intenderit se obligare ad servandum tale secretum ex Justitia: Secus autem si solum ex fidelitate. An autem promittens intenderit se obligare ex Justitia, vel solum ex fidelitate, seu urbanitate, judicandum est ex circumstantiis materiæ, personæ, loci, temporis, & modi.

10 Revelare secretum in quarto casu, seu modo, est peccatum mortale contra Justitiam in materia gravi. *Communis*. Si quis enim per injuriam injuste aperit litteras alicujus, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, & hujusmodi, & postea revelat id amico, qui prævenit, impedit, & sibi tali medio, & negotiatione acquirit, peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi, quia talis injusta aperitio, & lectio litterarum, & revelatio secreti fuit impeditiva ipsius boni, & causa mali. Vide verb. *Litteræ num. 6.*

11 Revelare secretum in quinto casu, seu modo, est peccatum mortale contra Justitiam in materia gravi, licet non tam grave, quam revelare secretum in quarto casu, seu cognitum per injuriam. *Communis*. Si enim quis sciens, seu cognoscens casu fortuito sine injuria ubi alter habeat thesaurum occultum, illum revelat, & inde surripiatur a Latronibus, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem damnorum, cum ipse sit eorum causa, licet non tam graviter peccet, ac si cognovisset per injuriam; quia obligatio Justitiæ circa secretum cognitum sine injuria est levior, quam circa secretum cognitum per injuriam.

Justæ causæ revelandi secretum sunt potissimum quinque. Prima est, quando res nullatenus secretum meretur, ex quo nulli prodesse, vel nocere possit. Secunda, quando res tradita sub secreto, est aliunde facta jam publica. Tertia, quando secretum cedit in damnum commune Reipublicæ, aut alicujus innocentis. Quarta, quando secretum cessurum esset in grave nocumentum ipsiusmet secretum committentis. Quinta, quando ipsemet, cui secretum commissum est, grave damnum incurrere deberet, ni secretum revelet. 12

Ex supradictis colliges primo, per revelationem secreti posse aliquando fieri injuriam gravem, aliquando injuriam levem, & aliquando nullam. *Communis*. 13

Colliges secundo, tunc per revelationem secreti fieri injuriam gravem, & peccari mortaliter, quando quis in materia gravi secretum, expressa, vel tacita conventione tacendi sibi commissum, revelat. *Communis*. Et ratio est, quia servare fidem sibi commissam est de Jure naturali, ut tradunt communiter Doctores cum Sancto Thoma 2.2. *q.*70. *art.* 1. *ad* 2. Unde Proverb. *c.* 11. *num.* 13. sic habetur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Et quidem quoad expressam conventionem res de se clara est. Quoad tacitam autem conventionem manifeste patet in multis, & signanter in Consiliariis, belli Officialibus, Advocatis, Theologis, Medicis, Chirurgis, Obstetricibus; Immo & probabiliter etiam in amicis, & propinquis, quibus consilii, remedii, vel auxilii capiendi causa certa secreta revelantur, quia supradicti omnes eo ipso, quod talia secreta suscipiunt, seclusa alia expressa conventione tacendi, tacite censentur vi officii, aut muneris, aut rei ex natura sua postulantis secretum ad silentium se obligare, & a fortiori injuriam gravem inferunt, & graviter peccant cum onere restitutionis, qui revelant secreta cognita per injuriam, ut dicebatur supra de injuste, & fraudulenter aperientibus alienas litteras, & inde detecta secreta cum eorum notabili damno revelantibus; Et sic de similibus. 14

Colliges tertio, tunc per revelationem secreti fieri injuriam levem, & peccari solum venialiter, quando quis in materia levi modicum solum inde inferente damnum, aut ex imperfectione actus sine expressa gravi obligatione tacendi secretum revelat. *Communis*; Et ratio est, quia res levis momenti obligat solum leviter ad secretum; Additur tamen *sine expressa gravi obligatione tacendi*, quia, si quis præcedente tali expressa obligatione tacendi in aliqua speciali materia, etiam levi, secretum revelaret, injuriam gravem inferret, & consequenter graviter peccaret, non ratione materiæ, quæ de se esset levis, sed ratione violatæ fidei contra expressam sibi impositam, & a se voluntarie assumptam obligationem tacendi, seu servandi fidem, etiam in dicta speciali materia levi. 15

Colliges quarto, tunc per revelationem secreti nullam fieri injuriam, & nulliter peccari, quando 16

quis secretum revelat, aliqua ex quinque assignatis *supra num.* 12. interveniente justa causa ipsum revelandi. *Communis*; Et quidem interveniente prima, vel secunda ex assignatis causis res de se patet; Interveniente autem tertia, ut si Urbs esset prodenda, aut innocens injuste esset occidendus, licitum est etiam cum dispendio alterius, & malitia sua nocere volentis, revelare secretum ad avertendum simile malum, ut docet Communis Doctorum cum S. Th. 2. 2. *q.* 79. *art.* 1. Et ratio est, quia ex Lege, & ordine Caritatis quilibet licite potest, immo obligatur liberare innocentem ab injuria injuste nocentis, quamvis cum aliquo nocentis damno fieri debeat; Item interveniente quarta ex dictis causis, ut si committens secretum velit Matrimonium inire cum impedimento dirimente alicui revelato, tunc si non possit aliter a tali matrimonio revocari, seu impediri, nisi Canonice denuncietur, licita, immo debita erit denunciatio, seu revelatio secreti, quia id exigit reverentia Sacramenti, & obligatio evitandi etiam proximi peccatum, ut tradit Communis Doctorum cum Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 13. Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. Sporer *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 4. *sect.* 3. *num.* 46. Sicuti etiam licitum est, immo debitum pravam alicujus consuetudinem sub secreto commissam revelare Superiori, aut alteri, si non possit aliter ejus saluti consuli, quia bonum animæ præponderat bono famæ; Item interveniente quinta ex dictis causis, ut si quis secretum sibi commissum non possit servare nisi cum dispendio vitæ, & famæ; tunc enim potest is licite tale secretum revelare, quia non censetur se voluisse obligare ad servandum secretum in simili casu tanti sui detrimenti inde secuturi, cum præsumatur potius quemque ex ordine Caritatis propriam incolumitatem voluisse, & velle præferre alienæ, ut docent communiter Doctores cum Lessio *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 18. Layman *loc. citat. num.* 2. Sporer *loc. citat. num.* 46.

17 Generales, Provinciales, Visitators, aliique Religiosorum, & Religiosarum Superiores graviter peccant contra Justitiam, si personas, a quibus aliorum defectus corrigendos susceperint, manifestent. *Communis*. Et ratio est, quia certum est ex conventione saltem tacita id sibi sub secreto strictissimo esse commissum; Tum quia talis revelatio apertissime retrahit subditos a declarandis defectibus necessario corrigendis, quod cedit in maximum, & gravissimum detrimentum disciplinæ Regularis, & consequenter totius Provinciæ, & Religionis.

18 Item graviter peccant juxta gravitatem materiæ, & circumstantiarum Generales, Provinciales, Definitores, aliique Vocales, & Secretarii, qui acta, & dicta in Capituli Definitoriis, aliisque Congressibus revelant, & aperiunt, & significant amicis cum magno Religionis, aut Religiosorum dispendio, sicuti & illi graviter peccant, qui personis particularibus significant quos favorabiles, & quos adversarios habuerint in ordine ad Dignitates, Gradus, & Officia, ad quæ fuerunt propositi. *Communis*. Et ratio est, quia similia sunt apertissima semina discordiarum, & divisionum; Et Proverb. *c.* 6. *num.* 19. Dominus detestatur *eum, qui seminat inter Fratres discordias*.

Item graviter peccant Regulares omnes utriusque sexus quidquam in Religionis detrimentum extra Religionem patefacientes, seu aliquid in præjudicium famæ Religionis, seu particularis Religiosi, aut Religiosæ manifestantes. Hinc in pluribus Religionibus tales manifestationes, & patefactiones ponuntur inter peculiares suos casus reservatos. *Communis*. 19

Alia ad rem. Vide verb. *Detractio*, & verb. *Litteræ*. 20

(*) SECULARIZATIO

BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Secularizationis nomen in Tractatibus Westphalicis primitus ortum habuit, illoque usus est Orator Gallicus Dux de Longueville 1646. 8. Aprilis in Collatione cum Protestantibus Monasterii habita. Magis latine *profanationem* eam dicendam volunt Protestantes, ut Mauritius in *Diss. de Sec. c.* 2. §. 1. Denotat autem translationem bonorum Ecclesiasticorum ad usus Civiles vel seculares, de qua sola hic quæritur; non enim dubium ullum est, bona Ecclesiastica ad alios usus pios æque bonos, vel meliores legitima authoritate interveniente, ex gravibus causis converti posse: hoc namque casu secularizatio non fit, & pia fundatorum intentio non tantum impletur, sed in melius adhuc commutatur. 1

Hanc autem cum Cl. Ludovico Philippo Behlen in *Diss. de Causis secularizationum illegitimis, & legitimis* §. 2. regulam ponimus: *secularizationem Bonorum Ecclesiasticorum injustam, & impiam esse*. Quam quidem regulam moratiores ipsi Protestantes Theologi, & Canonistæ admisere. Satis sit Johannis Hornbek verba recitare in exam. Bullæ Papalis Innocentii X. *p.* 110. ubi ait „ Ut quis solo Magistratus arbitrio bona Ecclesiastica aliter vel accipiat, vel impendat, quam in usus finesque Ecclesiasticos adversus donationum, & donatorum voluntatem, nemo hactenus docuit Reformatorum; uti nec, quod bona Ecclesiastica sunt juris publici, & quia proteguntur a Magistratu, ideo ad usus suos ab eodem ordinari possunt, & fisco suo addici. Quod si ita essent, profecto nec ego, nec alii Ecclesiis quippiam facile legaremus, quibus adhuc liceret securis esse, quod bona in pios usus a nobis data iisdem servirent &c. „. Lutheranorum Theologorum conformem doctrinam adducit *Dedekennus vol.* 1. *Consil. f.* 990. 2

Sed quoniam Protestantes recentiores, quibuscum agendum nobis potissimum est, jure utroque Canonico, & Civili contempto, ad Sacram Scripturam provocant, divinis saltem revelationibus aurem præbeant. Exponit Deus per os Moysis effectus votorum sibi factorum, unum ex parte sui, scilicet quod rem sibi consecratam tamquam propriam, & sanctam acceptare velit, alterum ex 3

parre

parte hominis, ne voto exsoluto homo in pristinos usus rem Deo traditam convertat. *Omne, quod Domino consecratur sive homo, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* Levit. 27. *v.* 28. Majori energia de sacrorum bonorum raptoribus conqueritur Deus Malach. 3. *v.* 8. ibi. *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? & dixistis: in quo configimus te? in Decimis, & in primitiis.* Quæ verba ita vertunt Protestantium editiones: *numquid rapere debet homo, quæ sunt Dei? quid vos rapitis mea, & dixistis, in quo rapimus tua? in decimis, & oblationibus, maledicti estis maledictione, eo quod vos me spolietis &c.* Qui ergo res Deo dicatas suis usibus insumit, Deum spoliat, Dei jus lædit, injuste prorsus, & impie. Duabus Divinis sententiis tragica duorum Sacrilegorum, & Divinæ in illos vindictæ exempla adjungamus, unum Balthasaris in ipso vasorum Sacrorum abusu, regno vitaque privati: alterum Heliodori Sacrilegi Ministerii pœnas luentis, Daniel 5. *v.* 11. Machab. *c.* 3. Utrumque notius est, quam ut hic narrari debeat: id unum advertimus, potuisse forte & Balthasarem, & Heliodorum, ejusque Regem prætextus illos diripiendorum sacrorum bonorum allegare, quos allegant recentiores quidam, & quos infra recensebimus, neque tamen illos divina gravissimaque pœna immunes mansisse. Innumera addere possemus divinæ vindictæ in direptores Sacrorum bonorum exempla ex Gentilium, & Christianorum historiis, sed tam late grassatur Pirrhonismus, ut vix verbo Divino aliqua, historiis fere nulla fides supersit. Interim, cum tamen eadem referant cujusvis populi, & religionis sapientes, conscientiæ lectoris relinquimus, an justum timorem prædicta Divinæ vindictæ exempla incutere non debeant? An manus a bonis Sacris non cohibere illa veterum proverbia ab ipsis Protestantibus laudata, quibus docemur, bona ecclesiastica direpta non tantum non ditare, sed divinam benedictionem omnem impedire, ac consumere bona propria legitime quæsita. Confer Raynaudum in Tract. *Mala e bonis Ecclesiæ male tractatis cap.* 3. *&* 6.

4 Adde jam ipsius Juris naturæ principia. Profecto qui Ecclesiis bona sua tradiderunt, rerum suarum, sicut nos nostrarum, erant domini; Principes autem Ecclesiarum Fundatores supremo plane rerum donatarum dominio gaudebant; tam hi, quam privati liberam transferendi dominium potestatem habuerunt. Usi sunt isthac potestate in piis donationibus duplici modo, utroque valido, donando inter vivos, quales fuerunt fere omnes traditiones, & relinquendo mortis causa per ultimas voluntates, cujus rei rariora sunt exempla. Transtulerunt porro dominium in illos, qui acquisitionis, & juris capaces erant, & quidem voluntate maxime seria, quam junctis execrationibus perpetuo valituram esse voluerunt. Caventes solicite, ne bona sua ad hæredes etiam proprios, aliosve pervenirent, aut aliis quam sacris usibus cederent. Valida ergo, & legitima erat bonorum ecclesiasticorum traditio, & acquisitio, ac propterea, qui ea acquirebant, jus simul firmissimum in eadem bona acquirebant, tot postea seculorum possessione roboratum; uti ergo cuique suum dare, & multo magis relinquere primum omnis juris præceptum est, ita ex eodem fluit Regula nostra: relinquenda esse Ecclesiasticis bona tanto tempore possessa, nec illa, nisi injuste secularizari posse.

Tandem finem, & naturam ipsorum bonorum ecclesiasticorum consideremus. Data sunt Ecclesiis bona ad impensas cultui Divino necessarias, in alimoniam ministrorum, in levamen pauperum, & quidem non tantum præsentium, sed & omni ævo futurorum. Quantumcumque licet mutata sit exterior Ecclesiæ disciplina, eamdem naturam adhuc hodiedum bona Ecclesiastica retinent. Ante omnia præripiuntur ex bonis Ecclesiasticis, quæ ad cultum Divinum, ad reparationem ecclesiarum &c. necessaria sunt. Licet Ministris Ecclesiæ beneficia, ac prædia certa assignata sint, simul tamen illis inculcatur: patrimonium pauperum esse, quo vivunt: peccata populi, quæ comedunt &c. ut proin ea, qua par est, moderatione hisce bonis utantur. Denique bona Ecclesiastica superflua pauperibus, aliisque causis piis uno omnium Theologorum, ac Jurisconsultorum ore addicuntur; adeo, ut Ministri Ecclesiæ quocumque tempore futuri, ad fundos Ecclesiasticos suæ sustentationi destinatos, & pauperes ad debitam sibi portionem, vel saltem Ecclesiæ, & Communitates pro futuris suis Ministris, aut pauperibus jam jus quoddam habere videantur. His ergo sine justitia, & impietate eripi bona illa per secularizationem non possunt, qua semel facta præsentes, & futuri Ecclesiæ Ministri, ac pauperes perpetuo horum bonorum spe, & fruitione excidunt. Illustremus rem hanc comparatione cum aliquo Collegio in Republica existente. Ponamus destinari a Collegio reditus certos pro sartis tectis conservandis ædibus Collegii, pro salario Ministrorum, pro pauperibus e Collegio; an sine injustitia bona huic fini dicata ab ipso etiam Principe auferri possunt? Nec ergo bona Ecclesiastica vel sacræ Fidelium Societati, qua tali propria auferri, vel secularizari poterunt. Atque hoc ipsum publice expedit: quis enim usibus tam laudandis, & ipsi Reipublicæ tam utilibus sua bona tanto labore parta, & liberis propriis adempta, consecraret, si prævideret tam parum voluntati suæ satisfacturos fore posteros ingratos? Num majores nostri, si prævidissent, quæ suis bonis Ecclesiæ dicatis fata immineant, tanta prodigalitate se suosque illis privaturi fuissent? Expedire profecto visum est non Episcopis solis, sed a Constantino M. omnibus fere Christianis Principibus, varios favores, & privilegia talibus piis causis dari, ac quamcumque voluntatem etiam legum solemnitatibus non munitam hic valere. Maneant ergo & inviolatæ Majorum nostrorum voluntates piæ, & legitimæ, nec ab iis infringantur, qui proprias ultimas voluntates suas olim sancte servari cupiunt.

Præcipua, qua Protestantes, & Politici secularizationem bonorum ecclesiasticorum cohonestant, caussa est Reipublicæ necessitas, aut etiam utilitas. Verum modus huic necessitati ponendus est. Primus ergo, veluti ea non sit, Bona Ecclesiastica 6

ad usus sacros, Deique cultum necessaria secularizari numquam posse. Secundus est: Bona Ecclesiastica licet tantum utilia, ex caussa utilitatis etiam veræ, quam Respublica experiretur, secularizari non posse. Tertius Canon. Fieri potest hujusmodi secularizatio ex causa necessitatis Reipublicæ, vel multorum etiam hominum, si conjuncta illa sit cum causa aut pietatis, ut si famis, pestis, aliisque iniquis temporibus non possit Respublica suos alere pauperes, infirmos &c., aut si conjuncta sit cum necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, ac Religionis.

7 Ut vero pressæ necessitatibus Reipublicæ legitime succurrat Ecclesia sive parato peculio, sive bonis etiam alienatis, & secularizatis, conditiones aliquæ requiruntur. Præscribit illas utrumque Lateranense Concilium, alterum a 1179. sub Alexandro III., alterum a 1216. sub Innocentio III. prohibens, ne ullo modo ex facultatibus Ecclesiasticis subveniatur Reipublicæ, nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione (*coactione*) ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda, *addendo*: ut propter imprudentiam quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere: „ Requiritur itaque *primo*, *ut laicorum non suppetant facultates*; si enim Respublica ex his nervum rerum gerendarum sibi comparare possit, bonis Ecclesiasticis nondum opus habet, adeoque casus necessitatis bonorum Ecclesiasticorum necdum adest. Habet nimirum Respublica suum ærarium ferendis communibus oneribus primario destinatum, sicut Ecclesia pariter communia onera Ecclesiastica sine concursu Reipublicæ ferre debet, ac in hos Ecclesiasticos usus destinatum primario ærarium habet. Concedendum igitur Ecclesiæ in nostro casu jure merito beneficium ordinis, ut ad communes necessitates concurrere non teneatur, quamdiu alia media supersunt, quamdiu scilicet ærarium Reipublicæ adhuc est solvendo, & hoc etiam exinanito, quamdiu Cives onera communia ita ferre possunt, ut plene non exhauriantur. Profecto cum multis nobilium, Magistratuum, Militum, aliisque Collegiis privilegium illud competat, ut nonnisi in extraordinariis necessitatibus Reipublicæ subvenire teneantur, cur Ecclesiæ simile jus invidendum?

8 *Secundo* non sufficit necessitas, vel utilitas quævis Reipublicæ. Tanta scilicet requiritur, *ut Episcopus existimare possit*, *conferre Ecclesiam sua debere subsidia*; voluntque Interpretes, ut necessitas Ecclesiam æque principaliter premat, uti Rempublicam; si enim secus contingeret, vera Reipublicæ necessitas adesse non videretur, sed tantum quorumdam privatorum, nec ulla ratio, cur in bona Ecclesiastica involare liceat.

9 Potissimum verò *Tertio* juxta cit. Concilium Authoritas Ecclesiastica adesse debet. Cum enim rerum Ecclesiasticarum administratio primis sæculis separatim Clero competierit, hoc jure spoliandus non est, cum insuper justissimum sit, ut in re etiam minimi momenti altera, cujus interest, pars audiatur. Quid æquius, quam ut audiatur Ecclesia, si illius bona in subsidium petantur? Quid iniquius, quam si Princeps subito bonis suis Ecclesiam privaret, ne auscultata quidem ejus exceptione, quod necessitas bona Ecclesiastica captandi necdum adsit &c.? Duo ergo hic vitanda sunt extrema; Primum: ne respublica dum aliæ facultates adhuc suppetunt, vel dum vera non adest necessitas publica, subsidia Ecclesiastica requirat, multo minus sine consensu, & interventione, ac directione Ecclesiastica vi extorqueat; sed, ut ait Concil. Later. *recipiat absque ulla coactione cum gratiarum actione*, juxta quod constans, ac Juri non minus, quam æquitati, & praxi subnixa sententia est, in nullo plane casu Laicis competere, ut ipsi quantitatem subsidii, ab Ecclesiis præstandi, determinent, aut huic, alterive Clerico, vel Ecclesiæ, ejusque prædiis suam ratam assignent, sed hanc partitionem ad Judicem Ecclesiasticum spectare, & sicut ejus solius est, videre, num necessitas sufficiens adsit ad præstanda subsidia sacra, ita & illius est, tam determinare quantitatem, quam illam a subjecto Clero colligere, & denique semper per modum doni gratuiti in Reip. subsidium conferre. Alterum: ne Ecclesiæ Præsules, ut regibus placeant, assensum suum nimis facile per Indulta, ut vocant, pro levandis Decimis, aliisque Collectis de rebus Ecclesiasticis præbeant; aut e contrario perspecta licet Reipublicæ necessitate, qua in re Principis, cum hic Reipublicæ negotia melius norit, judicium utique revereri debent, si, inquam, agnita Reipublicæ necessitate nimium difficiles sint, ac suppetias differant, donec Respublica magis periclitetur, aut de illa plane actum sit. Itaque succurrere quidem Ecclesia potest, ac debet Reipublicæ periclitanti; sed sicut rerum Ecclesiasticarum Administratores non minori circumspectione, quam alii Administratores rerum Reip., aut etiam pupillarium solum, officium suum gerere debent, ita non solum in concedendis subsidiis Ecclesiasticis, sed multo magis in bonorum Ecclesiasticorum alienatione perpetua, & a regulis plane exorbitante, qualis est secularizatio, munus illorum est, summa, qua possunt, accuratione perpendere, num revera causæ illæ subsint, quæ legitimæ, ac sufficientes sunt.

Ceterum nec in Theoria, nec in Praxi satis 10
convenit, qua ratione Authoritas Ecclesiastica accedere debeat, num solius Episcopi consensus sufficiat, vel præter deliberationem, & consensum Episcopi ipsius, S. Pontificis consensus requiratur, si agatur de imponendis Ecclesiæ Collectis, vel plane bonorum Ecclesiasticorum ad illas solvendas necessaria secularizatione. Putant equidem aliqui, si vera ipsiusmet Ecclesiæ utilitas, vel necessitas juncta sit necessitati Reipublicæ, sufficere Episcoporum consensum, quorum sententia tunc certe obtinet, quando periculum in mora foret, aut absque gravissimo incommodo recurri non posset ad Summum Pontificem. Sed cum verba legis jubeant: *Romanus Pontifex prius consulatur*, & qui-

quidem in casu concurrentis utilitatis Ecclesiæ, deceatque supremum Ecclesiæ caput, ac B. E. administratorem tunc informari, quando de Ecclesiastica Immunitate vel restringenda, vel violanda agitur, & multo magis, quando Bona quædam sacris usibus in perpetuum eripienda sunt, ideo in regula manemus, ac Pontificis consensum requirimus, si periclitanti Reipublicæ suis ex bonis succurrere debeat Ecclesia. Hæc vero pro majori dilucidatione, & propter Catholicos quosdam Scriptores monuimus.

Legesis, integram Behleni dissertationem ab Antonio Schmidt in suo *Thesauro Juris Ecclesiastici* recusam *T. VI. p.* 78. *seqq.*, P. Ignatium Schwartz *Collegicr. Historicor. P. VII. quæst.* 2. *Sect.* 6., & Benedictinum Zallwein *T. III. principior. Jur. Eccl. p.* 862. *seqq.*

SEDES VACANS.

1 NOmine Sedis vacantis intelligitur potissimum Sedes Papalis, seu Episcopalis, idest Ecclesia Episcopalis suo viduata Pastore. *Com-*
2 *munis.* Insuper nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet Abbatia, seu prælatura, aut Dignitas inferior, cui facultas conferendi Beneficia competit, & per obitum sui respectivi prælati censetur viduata, juxta *c. Ne pro defectu* 4. *de election.* Sic Glossa *in cap.* 1. *verb. Ecclesia de rebus Eccles. non alienand. in* 6. Barbosa *lib.* 3. *decretal. tit.* 9. *num.* 2. Pirhing *ibid. num.* 1. Reiffenstuel *ibid. num.* 2. Abbas *in c. His quæ, num.* 2. *de majoritat. & obedient.* & alii passim.

3 Per vacationem autem intelligitur omnis vacatio Sedis, sive per mortem, sive per renunciationem, translationem, depositionem, vel quemvis similem modum per quem Titulus amittitur. Sic expresse Glossa communiter recepta *in cap. unico, Ne Sede vacante, verb. Mortuo in* 6. ibi: *Mortuo idem est si quocumque alio modo vacet Sedes, renunciatione, & depositione, vel quovis modo,* Pirhing *loc. cit. num.* 1. Barbosa *loc. citat. num.* 5. & alii communiter.

4 Item Sedes vacat, si Prælatus, seu Episcopus sit notorie Hæreticus. Sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Quia diversitatem* 5. *de concessione Præbend. num.* 24. Nam proposito dubio: *An Episcopo existente Hæretico facultas concedendi Dimissorias juxta cap.* 10. *sess.* 7. *pertineat ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ? Sacra Congregatio die* 24. *Januarii* 1588. *censuit, ad Capitulum pertinere, si Episcopus sit notorie Hæreticus.* Ex qua declaratione Fagnan. *loco cit. num.* 34. *& lib.* 5. *Decretal. cap. Ad Abolendum* 9. *de Hæret. num.* 36. *&* 37. concludit, quod quando Episcopus est notorie Hæreticus, Sedes non vacat interpretative, sed vacat vere, & ideo Jurisdictio, & consequenter facultas concedendi Dimissorias transit in Capitulum Sede vacante, ut *cap. His quæ, & cap. cum olim, de majoritat. & obedient. c. Ut commissi* 12. *de Heretic. in* 6.

An autem Sedes vacet, & Capitulum possit procedere ad electionem Vicarii Capitularis, quando Episcopus est excommunicatus, vel suspensus, quando est factus captivus ab Hostibus Catholicæ Fidei, quando est Relegatus, quando Episcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipso relictus moritur, vel a Principe Sæculari ejicitur a Diœcesi, aut est excommunicatus, vel suspensus; Vide verb. *Capitulum cap.* 3. *a num.* 52. 5

Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ, & non præsumptæ Episcopi, seu Prælati. Vel a die certæ translationis, resignationis, & hujusmodi. *Sacra Congr. Episc. in una Neritonen.* 24. *Maii* 1654. *ex cap. Bonæ Memoriæ* 36. *de election.* Vide dict. verb. *Capitulum art.* 3. *n.* 37. 6

Quando vero censeatur vacare Sedes per translationem Episcopi. Vide *d. verb. capitulum art.* 3. *num.* 31. *& verb. Episcopus art.* 3. *num.* 60. 61. *&* 62. ubi dantur ad id Decreta. 7

Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec Litteræ Apostolicæ novi Prælati in Curia promoti, vel confirmati, fuerint expeditæ, & Capitulo præsentatæ. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 15. §. 2. *num.* 82. 83. *& seq.* Rebuffus *in praxi Titul. de Simonia in resignat. num.* 31. *&* 40. Barbosa *par.* 3. *de Offic. & potestat. Episcop. allegat.* 54. *nu.* 160. Reiffenst. *lib.* 3. *Decretal. titul.* 6. *num.* 6. *& seq.* & alii passim per text. *in Extravagant. Injunctæ* 1. *de election. inter communes.* 8

Sola enim expeditio Litterarum Apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis Sedis Episcopalis, seu alterius Prælaturæ, sed insuper requiritur earumdem Litterarum præsentatio facta Capitulo, sive Conventui. Nam ante hanc Litterarum præsentationem non potest Episcopus, seu alius Prælatus promotus administrare Episcopatum, seu Prælaturam, neque Capitulum, seu Conventus potest eumdem recipere, ut expresse statuitur *in cit. Extravagant. Injunctæ.* Et tenent Azorius *Instit. moral. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 29. *q.* 9. *vers. Ceterum,* Barbos. *loco cit. n.* 161. Reiffenstuel *loco cit. num.* 8. & alii passim. 9

Sede Romana vacante, qui tenentur accedere, vel mittere ad Curiam, ad id tenentur, ac si non vacaret, text. expresso *in Clementin. de election. c. Ne Romani §. final.* ibi: *Statuimus, ut electi, & alii, qui ex quacumque causa ad Sedem Apostolicam venire, vel mittere sunt adstricti, ad ipsam, cum vacet, ac si non vacaret, venire, vel mittere teneantur.* 10

Sede Romana vacante, Collegium Cardinalium non habet auctoritatem Papalem, nisi eam, quam sibi concedit Papa juxta Constitutionem Greg. X. *in Concil. Lugdunens. Clementin. de electione c. Ne Romani.* 11

Sede Romana vacante, potest Collegium Cardinalium providere de Camerario, & Pœnitentiario, *cit. Clement. Ne Romani §. Eo tamen.* 12

Sede Romana vacante tempore Concilii Generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad Cardinales, & non ad Concilium. Vid. verb. *Papa art.* 1. *n.* 45. 13

Sede Apostolica vacante, Summus Pœnitentiarius potest dispensare solummodo in Foro Conscientiæ. 14

tiæ. Sic expresse statuit Inn. XII. Const. 20. inc. *Romanus Pontifex* §. 46. *ibi: Sede Apostolica vacante Major Pœnitentiarius, ejusque Officiales ea tantum facere, & expedire valeant, quæ ad Forum Conscientiæ pertinent, in reliquis eorum Officium conquiescat, & a quibuscumque Matrimonialibus, & aliis dispensationibus, ac absolutionibus, & declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus Forum Fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant.*

15 Sede Apostolica vacante, potest Vicarius Papæ facere ordinari suos, aut eis etiam non arctatis dare Dimissorias; Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 7. *num.* 13. Majol. Henriq. Campanil. & alii ab ipso citati, La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2263. cum aliis ibi citatis; Concilium enim Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. & *sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* non restringit Jurisdictionem Sedis Apostolicæ, quamvis vacantis.

16 Sede apostolica vacante omnes menses sunt Ordinariorum, & tunc Episcopi, & Ordinarii collatores possunt providere de Beneficiis vacantibus in quolibet mense. Anastasius German. *de Indult. Cardinal.* §. *Quod tamen num.* 99. & 109. Zerola in Praxi Episcop. *part.* 2. *verb. Beneficium* §. 2. Flores de Mena *var. lib.* 1. *q.* 4. *num.* 51. Gonzalez §. 5. *proœm. a num.* 46. qui *num.* 53. ait, quod non solum erunt omnes menses Ordinarii ante assumptionem novi Papæ, sed etiam antequam faciat Regulas Cancellariæ. Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. part.* 3. *allegat.* 57. *numer.* 191. & 192. cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia cum Menses Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Junii, Augusti, Octobris, & Novembris reserventur in Regula nona Cancellariæ solum ad beneplacitum Papæ concedentis, talis reservatio non est perpetua, sed expirat, & extinguitur morte Papæ illius conditoris. Cum enim talis Papa post ejus mortem non sit amplius in rerum natura, non potest amplius habere beneplacitum, nec dispositionem; *cap. Unic.* §. *final. Ne Sede vacante in* 6. Unde gratiam ad beneplacitum Papæ, vel Regis concessam morte Pontificis, vel Regis expirare probat textus *in cap. Si gratiose De rescriptis in* 6. Barbosa *loc. cit.* cum pluribus aliis ibi allegatis.

17 Beneficia reservata Papæ vacantia, Sede Romana vacante, a Papa Successore sunt conferenda. Urbanus VIII. Constit. 6. incip. *Sanctissimus cap.* 68. & *Regul.* 68. *Cancellariæ.*

18 Licet Beneficia Curata vacantia in Curia Papæ sint reservata, tamen si vacent, Sede Romana vacante; Vel si Sede plena vacaverint, & ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri possunt de jure communi ab Episcopo, vel ab aliis, ad quos spectat, textu expresso *in cap. Si Apostolica* 35. *de Præbend. in* 6. Dummodo non sint de reservatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in Curia. Urban. VIII. cit. Constit. incip. *Sanctissimus cap.* 68. Barbosa *in cit. cap. si Apostolica nu.* 4. cum aliis ibi citatis. Vide tamen *Regulam* 68. *Cancellariæ, infra num.* 24. ubi refertur.

19 Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura, Sæcularia, & Regularia qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia, vacantia, Sede Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, & Patriarchali vacante, sunt Papæ reservata. S. Pius V. Const. 55. incip. *Sanctissimus in Christo.* Et *Regul.* 2. *Cancellariæ.*

Hæc autem reservatio Beneficiorum vacantium 20
Sede Episcopali vacante procedit, quando ad Episcopum spectat electio, nominatio, seu præsentatio personæ, quamvis Collatio, seu institutio ad alium pertineat, seu sit communis Episcopi, & aliorum, quia attendenda est prima dispositio Beneficii. Secus autem, quando præsentatio, vel ele- 21
ctio ad alium pertinet, quia tunc, quamvis collatio, seu institutio spectet ad Episcopum, non intrat hæc reservatio. Nam Beneficia, quorum collatio non potest fieri ab Episcopo absque alterius electione, nominatione, præsentatione, seu interventu, non comprehenduntur sub hac reservatione. Sic *Regul.* 2. *Cancellariæ*, Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ*, Glossa 45. *numer.* 10. Barbos. *cit. alleg.* 57. *num.* 90. Garcias *de Benef. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 230. & *seq.* & alii passim.

Item non procedit hæc reservatio, ubi simul- 22
tanea ex concordia est divisa per turnos, ita ut una vice provideat Episcopus, & altera Capitulum, non solum quando Beneficium vacat in turno Capituli, de quo non est difficultas, sed etiam quando Beneficium vacat in turno Episcopi, quia etiam tunc mortuo Episcopo, seu alias vacante Sede, potest Capitulum jure proprio conferre Canonicatus, & alia Beneficia simultanea in quocumque turno vacent; Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ*, Gloss. 45. §. 3. *num.* 39. *cum seq.* Garcias *cit. cap.* 1. *a num.* 237. Barbosa *cit. allegat.* 57. *num.* 90. & alii.

Item hæc reservatio non procedit, ubi collatio 23
Beneficiorum spectantium alias ad collationem Episcopi, Sede Episcopali vacante, ad aliquem spectat, nec reservatur futuro Successori, quia Regula Cancellariæ non intendit tertio præjudicare. Sic decisum in Rota referunt, & tenent Nicol. Garcias *d. cap.* 1. *num.* 244. Castropal. *in oper. moral. tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 18. *num.* 4. & 5. Barbosa *cit. alleg.* 57. *num.* 90. & alii.

Beneficia reservata Papæ quomodolibet, & ex 24
quavis causa, si vacent Sede Apostolica vacante, & de ipsis per quoscumque Ordinarios Collatores tunc dispositum non fuerit, seu minus valide dispositum fuerit, sunt conferenda a Papa Successore. *Cit. Regula* 68. *Cancellariæ* præcisis his verbis: *Item Sanctissimus Dominus noster provide considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos Beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerat, dispositioni suæ reservare, intendens de Beneficiis hujusmodi tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia, & singula Beneficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Constitutiones Apostolicas temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus felicis recordationis Innocentii XII. Prædecessoris sui usque ad diem vigesimam tertiam Novembris vacaverunt, & de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores tunc dispositum non fuerat,*

suæ

suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum &c. Hic adverte, quod hæc Regula est desumpta ex illis felicis recordationis Clement. XI. & ideo ponitur tempus vacationis Sedis Apostolicæ a die obitus Innocentii XII. sui immediati Prædecessoris usque ad tempus suæ gloriosissimæ assumptionis in Summum Pontificem; Quod tempus in tali Regula variatur a quolibet Summo Pontifice juxta differentiam temporis intercessi a die mortis sui immediati prædecessoris usque ad sui electionem.

25 Sede Episcopali vacante, nihil est innovandum præsertim in præjudicium ipsius Ecclesiæ, vel Prælati Successoris. *Communis*, textu expresso *in cap. Novit ille* 1. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*; ubi insuper redditur ratio ibi: *Cum non sit, qui Episcopale Jus tueatur*.

26 Unde Sede vacante Judicium factum contra Ecclesiam est nullum. *Communis*, textu expresso *in cap. Constitutus* 3. *Ne Sede vacante*, juncto Summario *ibidem* sic expresse dicente: *Sede vacante Judicium habitum contra Ecclesiam non tenet*. Et Glossa *ibidem verb. Vacante*; sic expresse loquente: *Hic patet manifeste, quod Ecclesia quæ caret legitimo defensore conveniri non potest, quia ea vacante, nihil est innovandum, quia non habet defensorem*.

27 Sede Episcopali vacante, si mandetur Capitulo, ut præbendam alicui conferat, & interim nondum a Capitulo executo mandato creetur Episcopus, cui spectet collatio præbendæ, ab ipso Episcopo debet conferri, text. expresso *in cap. Eam te* 7. *de Rescriptis*, juncto ejus Summario, in quo sic præcise habetur: *Si Sede vacante scribitur Capitulo gerenti vices Episcopi, ut Præbendam alicui conferat, si creatur Episcopus, nondum executo mandato, & ad eum spectet Collatio Præbendarum, illud adimplere tenetur*.

28 Sede Episcopali vacante, quid possit facere Capitulum, & quid non? Vide verb. *Beneficia art.* 4. verb. *Capitulum art.* 3. & verb. *Vicarius Capitularis per tot.*

29 Vacante Sede Apostolica Major Pœnitentiarius, seu ejus Officiales facere, & expedire possunt quæcumque ad Forum conscientiæ pertinent. Ideo absolvere, seu absolvi mandare in dicto conscientiæ Foro possunt ab iis quoque Censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ Officio absolvendi
30 facultas reperitur. Hac tamen lege, quod in hujusmodi Censuris, ad tempus duntaxat, & cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; Itaut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum distantia definiendum, recurrere
31 pro eadem causa teneantur; Neque liceat Pœnitentiario Majori, ejusque Officialibus præfinitum terminum post Pontificis electionem ampliare, vel prorogare. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 95. incip. *Pastor bonus* §. 51. qui §. 52. *ad* 55. prosequitur declarare facultates Sede Vacante Majori Pœnitentiario competentes, Ibi §. 52. *Præterea concedimus, ut si quando aliquod gravius Animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque Pœnitentiario, si in Conclavi degat pro materiæ gravitate consulto, & approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem Foro conscientiæ valeant; super quibus alias vivente Pontifice inhibita sit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ dispensandi facultas; Ita tamen, ut Oratores sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis, & oportunis*.

Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante eorum Officium penitus conquiescat, itaut a quibuscumque matrimonialibus, & aliis dispensationibus, & obsolutionibus, ac declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant. 32

Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante pro Foro externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium & præsertim Apostatarum, & fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt. Nec non ut Monialibus Confessarios extra Ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones, eligendos. 33

Et demum ut illos, qui in aliquam Censuram Sedi Apostolicæ reservatam, etiam ob violatam Ecclesiasticam Libertatem, vel Immunitatem publice incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, & vere ac sincere pœnitentes, & novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolvere cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint. 34

Vacante Sede Apostolica Processio Generalis Corporis Christi celebrari debet apud Vaticanam Basilicam. Idem Constitut. 12. incip. *Pastoralis sollicitudinis* §. 3. ubi §. *sequent.* præscribit etiam Ritum, quo ibi celebranda est dicta Processio. 35

Additiones ex aliena manu.

Magna olim quæstio fuit, an Parochiæ per assequutionem incompatibilium Beneficiorum vacatæ Pontificia Sede vacante, vel antea vacatæ, sed ex sequuta interim ejusdem Pontificiæ Sedis vacatione non collatæ, possint ab Ordinariis conferri *vigore cap. Si Apostolica, de Præbend. in 6.* 36

Ratio autem dubitandi inde oriebatur, quod *Bonifacius VIII. in dicto cap. Si Apostolica* potestatem tantum fecit Ordinariis conferendi Parochias, quæ *vacabant in Curia*, & ex Sedis Pontificiæ vacatione nequierunt conferri. 37

Prævaluit nihilominus affirmativa opinio, ex ratione illa, quod si Bonifacius VIII. facultatem dedit Ordinariis conferendi mox dictas Parochias obnoxias dictæ reservationi in corpore Juris clausæ, multo sane magis facultatem dedit conferendi Parochias obnoxias alteri huic reservationi inductæ ab Extravagantibus, & Regula I. Cancellariæ, quæ utpote non clausa in corpore Juris, longe minor est. 38

39 est. Accedit, quod Bonifacius VIII. providere intellexit saluti animarum, ne ex diutina Sedis Pon-
40 tificiæ vacatione proprio Pastore diu careant. Hæc autem ratio urget, quæcumque sit reservatio Parochiæ. Vide celebrem decisionem *Rotæ in Comen. Parochialis* 11. *Maii* 1731. *coram Feliciter regnante Summo Pontifice inter impressas dec.* 16.

41 Et quod hic non est silentio prætereundum, Rota hanc affirmativam opinionem tenet, licet agatur de Parochia habente decretum, quod de ea tali pacto vacata: *per Sedem Apostolicam tantum dispo-*
42 *ni possit*: propterea quod ex hoc decreto non emergit nova reservatio, sed eadem per Extravagantes, & Regulam 1. Cancellariæ inducta.

SEDES, SCAMNA.

---

1 SEdes Episcopi in Choro existentis debet esse quasi fixa, & immobilis, juxta dispositionem *Libri Cæremonialis in Tit. de Sedibus Episcopi*. Ita *Sacra Congregat. Rit. in Colimbrien.* 23. *Maii* 1603.

2 Sedes Episcopi in Choro existentis ornanda est Serico, vel alia materia coloris congruentis tempori, juxta *Regulam Libri Cæremonialis d. Tit. de Sedibus Episcopi; In eadem Sacr. Congreg. Rit. in d. Colimbrien.*

3 Sedes Episcopi, & Chorus Canonicorum, si fieri potest, debent reduci ad formam Libri cæremonialis. *Sacra Congregatio Rit. in Granat.* 9. *Maii* 1609.

4 Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitræ habens, etiam Sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro Chori, sive Ecclesiæ collocanda uno gradu eminentiori cum ornatu congruo, & situ aliquatenus superiori respectu Sedis Abbatis, quæ in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornatu, & loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita Sedi Episcopali. *Sacr. Congreg. Rit. in Alexandrina S. Petri in Bergolio*, 7. *Februar.* 1604.

5 Sedes Abbatis, seu Prioris habentis usum Mitræ, & Baculi debet collocari in cornu Evangelii in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis, & sine ullo suppedaneo suggestu lapideo, vel ligneo, ac sine Baldachino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno, vel serico levi, sine auro, coloris convenientis Solemnitati. *Sacra Coogrogatio Rit. in Neapolitana* 18. *Martii* 1617.

6 Sedes Abbatis exempti etiam in Ecclesiis suæ Jurisdictioni subjectis debet esse inferior Sede Episcopi. *Sacra Congregat. Rit. in Aquilana* 18. *Martii* 1617.

7 Sedes Dignitatum absentium non debent occupari ab aliis Dignitatibus, seu Canonicis, sed unaquæque Dignitas in proprio Stallo permanere debet. Sedes vero absentis vacua esse debet. *Sacr. Congreg. Rit. in Capuana* 12. *Martii* 1618. *& in Placentina* 25. *Maii* 1632.

8 Sedes Gubernatoris Civitatis, quando audit Concionem simul cum Episcopo, debet esse apud Episcopum, quæ non sit major, nec pulchrior Sede ipsius Episcopi, & neutra sit coloris rubri. *Sac. Congreg. Rit. in Perusina* 3. *Octobris* 1615.

Sedes Laicorum, veluti Præfecti, seu Locumtenentis non sunt locandæ in presbyterio apud Altare. *Sacr. Congr. Rit. in Egitanien.* 10. *Junii* 1602. *in respons. ad* 6. *dub.* 9

Sedes, Scamna, & loca in Ecclesia Sæculari moderari debent arbitrio Episcopi. *Sacr. Rit. Congr. in Ventimilien.* 10. *Decembr.* 1604. *in respons. ad* 3. *dub.* Episcopus enim est absolutus Arbiter illa moderandi, & removendi, præsertim quando sunt causa rumoris, & impediunt functiones Ecclesiasticas, ut sæpe sæpius resolvit *Sac. Cong. Episcop.* apud Nicol. *in Floscul. verb. Ecclesia num.* 11. & nuper *in Narnien. Terræ Carbii* 8. *Maii* 1693. *in Fundana* 5. *Octobris* 1697. *& in Verulana* 6. *Septembris* 1698. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 5. *formul.* 8. *num.* 4. 10

Sedes pro audienda Concione ita debent aptari, ut aliis retro stantibus ad visum Prædicatoris non officiant. *Sacr. Congregat. in Faventina* 11. *Aprilis* 1601. 11

Sedes non debent esse in Ecclesia extra tempus Concionum. *Sacr. Congreg. Episc. in Januen.* 7. 12
Aprilis 1583. Maxime si sint occasio Scandali. *Ead. Sacr. Congreg. Episc. in Cirentina* 24. *Septemb.* 1585. 13
Nisi sint lapideæ, vel etiam ligneæ parietibus adhærentes. *Eadem Sacra Congregatio Episcop. in Sarzan.* 21. *Novembris* 1600. *&* 28. *Febr.* 1601. 14

In removendis, & alternandis Sedibus non debent permitti novitates. *Sacr. Congreg. Episc. in Cirentina* 4. *Junii* 1602. *& in Ferentina* 8. *Decembris* 1645. 15

Sedes possunt a Dominis ornari. *Sacr. Congreg.* 16
Episc. in Andrien. 25. *Octobris* 1602. Et eis etiam 17
inscriptio, vel aliud signum apponi. *Ead. Sacra Congreg. Episc.* 14. *Januar.* 1603.

Est removenda Sedes adeo Altari vicina, ut Celebrantem impediat. *Sacra Congreg. Episcop. in Nullius Castri Durantis* 10. *Novembris* 1623. 18

Regularium Superiores non possunt removere Sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad Magistratum. *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in Assisien.* 22. *Martii* 1603. De- 19 20
bent tamen Superiores Regularium sollicite attendere, ne in suis Ecclesiis occasione Sedilium, & Scamnorum rumores, & scandala oriantur, & in casibus procedere debent juxta occurrentes circumstantias, sicuti in similibus contigentiis procedere debent Episcopi pro ipsis impediendis in suis Ecclesiis sæcularibus, ut recte advertit Matthæucc. *Officialis Curiæ c.* 12. *num.* 18. *in fine.*

In Ecclesia de Jurepatronatus Laicorum non potest Episcopus concedere Jus retinendi Sedilia invito Patrono; Rota *in Taurin.* 26. *Februar.* 1666. *coram Decano* apud Panimol. *decis.* 1. *adnotat.* 15. *num.* 29. 21

Genuflectoria honorifica retineri possunt a Dominis Loci in Ecclesia; Panimol. *loc. cit. num.* 34. cum aliis ibi citatis. 22

Alia ad rem. Vide verb. *Abbas num.* 31. §. 2. *&* 3. *& verb. Ecclesia art.* 5. *a num.* 7. *ad* 27. 23

Ad-

Additiones ex aliena manu.

De scamnis in Ecclesiis frequentes sunt controversiæ, latius propterea esset de iis agendum. Sed limites Additionum cogunt, ut vix pauca hæc adnotemus.

24 Scamna in Ecclesiis haud posse a Laicis retineri ad sedendum, nisi cum licentia expressa, aut tacita Episcopi, vel ipsarum Rectoris, juris est indubii: *Frass. de jurepatron. Regul. tom.* 2. *cap.* 97. *num.* 12. *Romaguer. ad Constit. Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 14. *cap.* 2. *num.* 1. *Pilaja dec. canon. lib.* 1. *dec.* 4. *num.* 22. *Corsind. dec.* 159. *num.* 9. *part.* 3.

25 Quæstionis vero est, an concesso usu scamnorum Laicis ab eo qui hac potestate pollet, jus aliquod quæratur ipsis Laicis pro tuitione hujus usus. Distinguendum est, num controversia sit cum altero Laico, an cum Episcopo, vel Rectore Ecclesiæ. Priori casu convenit inter omnes posse Laicos se tueri in usu illo, ut præter mox allegatos tradunt *Manfrell. in observ. ad decis.* 181. *Capyc. Latr. num.* 1. *Panimol. dec.* 1. *adnot.* 15. *n.* 1. *&* 12. *Sanfelic. dec.* 331. *num.* 14. *Calderi dec. Criminal.* 38. *n.* 19. *& seq. tom.* 1.

26 Posteriori vero casu rursus distingui debet, num Episcopus, vel Rector Ecclesiæ amovere scamna intendat sine ulla causa, vel ut illorum usum aliis concedat, an ita exigente necessitate Ecclesiæ.

27 Amovere enim nequit scamna sine ulla causa, vel ut aliis concedat usum eorum, potest vero amovere ex necessitate Ecclesiæ, sed debet, si fieri possit, eorum usum alio in loco illis ipsis concedere; *Antonell. de Loc. legal. cap.* 3. *n.* 68. *lib.* 1. *Lagunez de fructib. part.* 1. *cap.* 30. §. 1. *num.* 38. *& sequent.* omnesque supra allegati.

28 De concessione usus scamnorum in Ecclesia num ea personalis sit, an transeat ad heredes, disquiri solet. Personalem vero esse tenent inter alios *Loiseau des Seigneuries cap.* 11. *num.* 60. *Marechal des Droits Honorifiques chap.* 2. At consule & hos de aliis, quæ circa scamna emergere possunt, quæstionibus; quippe quia materiam funditus examinant.

SEDITIO. Vide verb. *Bellum art.* 1. *num.* 1. & verb. *Virtus num.* 87.

SEDITIOSA PROPOSITIO. Vide verb. *Propositiones damnatæ, num.* 35.

SEMINARIUM.

---

1 Seminaria erigenda sunt in qualibet Ecclesia Metropolitana, vel Cathedrali, & in eis tenendi & erudiendi sunt Clerici adolescentes. Conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 18. Et etiam erigenda sunt in Ecclesiis Abbatialibus habentibus proprium Territorium privative quoad Episcopos. Sic declarasse *Sacram Congregat. Concilii* testatur ex aliis Ventriglia *part.* 2. *adnotat.* 29. §. *Unic. num.* 2.

Si non possit erigi Seminarium in omni Cathedrali, debent erigi duo, vel unum saltem in Provincia per Synodum Provincialem, & debent aliæ Ecclesiæ concurrere ad expensas. Concil. Trident. *cit. cap.* 18. 2

Seminaria plura fieri possunt in Diœcesi ampla, omnia tamen ab eo, quod est in Cathedrali, dependere debent. Conc. Trid. *cit. cap.* 18. 3

Seminarium censetur vere, & formaliter erectum, quoties Alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, & juxta formam Concilii inibi erudiuntur. Rota *coram Coccino decis.* 1365. *n.* 1. Garcias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 194. *&* 196. Lotter. *de re Benefic. lib.* 2. *cap.* 29. Ventriglia *par.* 2. *adnot.* 29. §. *Unic. num.* 42. Monacell. *par.* 1. *tit.* 12. *num.* 2. & alii passim. 4

Seminarium erigi non potest in Ædibus Canonicalibus, nisi de consensu Canonicorum, & ita separatum, ut Presbyteri, vel Clerici nullam communicationem habeant cum Seminaristis. *Sacra Congreg. Episcop. in Mutinen.* 3. *Febr.* 1604. 5

Pueri alendi in Seminario sumptibus illius sunt filii pauperum bonæ indolis, qui spem bonæ expectationis præseferant. Concil. Tridentin. *cit. cap.* 18. 6

Possunt tamen in Seminario etiam teneri, & erudiri filii divitum, sed sumptibus propriis. Concil. Trident. *cit. cap.* 18. 7

Pueri in Seminario recipiendi debent esse ex legitimo Matrimonio nati, & ad minus ætatis annorum duodecim, qui sciant legere, & scribere competenter; Tonsura statim, atque Habitu Clericali semper utantur; Discant Grammaticam, Cantum Ecclesiasticum, computos, aliasque bonas artes, Sacram Scripturam, Doctrinam Confessionum audiendarum, Sacramentorum ministrandorum, Rituum, & Cæremoniarum, omni die Missæ inserviant, omni mense confiteantur, & communicent, diebus Festis inserviant Cathedrali, vel alteri Ecclesiæ. Concil. Trid. *cit. cap.* 18. 8

Pro administratione, & regimine Seminarii faciendæ statuuntur tres species Deputatorum, seu Consultorum. Prima species est duorum Canonicorum seniorum, & graviorum ab Episcopo eligendorum, quorum consilium adhibere debet Episcopus circa ea, quæ visitationem correptionem, & gubernationem personarum seminarii concernunt. Conc. Trid. *cit. cap.* 18. ibi: *Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum, & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque, ut semper observentur, sæpius visitando, operam dabunt &c.* Secunda species Deputatorum, seu Consultorum est duorum etiam de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter vero ab ipso Capitulo est eligendus. Concilium Tridentinum *citat. cap.* 18. ibi: *Iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur;* Tertia species est duorum de Clero Civitatis, quorum unus similiter ab Episcopo, & alter a Clero est eligendus. Concilium Tridentinum *cit. cap.* 18. 9

*cap.*18. ibi: *Itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat;* Et horum Deputatorum, seu Consultorum secundæ, & tertiæ speciei consilium tenetur Episcopus requirere circa ea, quæ concernunt portiones detrahendas ex singulis Beneficiis pro sustentatione Seminarii, & uniones Beneficiorum illi faciendas. Sic expresse Concil. Trident. *cit. cap.* 18.

10 Consilium dictorum Deputatorum adhibere debet Episcopus, tam in constituendis Regulis Seminarii, quam in electione, admissione, & expulsione puerorum, in deputatione Magistrorum, & librorum legendorum, in visitatione, & rerum temporalium administratione. Sic declaravit *Sacra Congreg. Concil.* ut testantur Ventriglia *par.* 2. *adnot.* 29. §. *Unic. num.* 6. 9. *&* 10. Crispin. *de Visitat. par.* 1. §. 31. *num.* 6. Monacell. *par.* 1. *tit.* 12. *formul.* 1. *num.* 1. & alii, inter quos Eminentiss. Cardin. Cavalchinus alias Sacr. Congregat. Concil. Secretarius in expositione causæ *in Tricaricensi Administrationis Seminarii sub die* 24. *Martii* 1736. ubi plura refert decreta ad rem, uti videri potest in tomo 7. Thesauri Resolution. Sacræ Congreg. Concilii.

11 Hinc Episcopus tenetur omnino requirere consilium prædictorum Deputatorum respective, alias actus non valet, cum tale consilium videatur requisitum a Concilio pro forma. Silvester verb. *Consilium num.* 9. *vers. Quarto quæritur;* Pignatell. *tom.* 1. *Consult.* 118. *num.* 7. ubi multa ad rem, Monacell. *loc. cit. formul.* 3. *num.* 1. ubi dicit, quod sic in terminis declaravit *Sac. Congreg. Concil. in Salernitana*, quam refert Crispin. *de visitatione part.* 2. §. 31. *num.* 6. Ventriglia *loco cit. num.* 6.

12 Licet autem Episcopus teneatur Deputatorum consilium requirere, non solum tenetur eorum consilium sequi, ut decisum referunt Barbosa *ad Concil. Trident. cit. sess.* 23. *de reform. cap.* 18. *n.* 7. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar.* Glossa 46. *nu.* 74. Ventriglia *loco cit. num.* 6. & Card. Cavalchin. *loco cit.*

13 Seminarii Deputati, & alii Officiales habent votum consultivum, non autem decisivum. *Sacra Congregat. Concil.* 1620. apud Barbosa *loc. cit. numer.* 6. & Aldan. *in Compend. Canonicar. resolut. lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 2.

14 Canonici duo eligendi, postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima, & justa causa
15 amoveri possunt; Est autem causa legitima senectus, infirmitas, & similis alia. *Sacra Congreg. Concil. in Cremon.* 5. *Septembr.* 1602. apud Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 81. *n.* 56. & Card. Calvalchin. *l. cit.*

16 Dicti duo Canonici Deputati, si quandoque contingat ea de causa sine fraude ab Ecclesia abesse cum Episcopo, non sunt privandi quotidianis distributionibus, tamquam absentes propter Ecclesiæ utilitatem ex Officio eis attributo. Barbosa *loco cit. num.* 8. Ventriglia *loco cit. num.* 9. Moneta *de distributionib. quotidian. part.* 2. *q.* 8. *num.* 7. & alii.

17 Consultorum prædictorum Deputatio, quamvis possit fieri extra Synodum, nihilominus regulariter fieri debet in Synodo, in qua jam totus Clerus congregatus reperitur. Corrad. *Prax. Beneficior. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 28. Monacell. *loc. cit. formul.* 1. & alii.

Pro expensis erectionis, & manutentionis Semi- 18
narii applicandi sunt eo ipso eidem Seminario reditus omnes, ac bona omnia, quæ ad instituendos, vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis, & locis piis destinata; Dummodo in illis Ecclesiis, & locis piis actu erectum non sit Collegium puerorum, nec Seminarium actu habeatur: Secus enim est de tali Collegio, sive alio Seminario, quia illud non tollitur per Tridentinum *in d. sess.* 23. *cap.* 18. licet ex fructibus super excrescentibus portio detrahatur. *Sacr. Congreg. Concil. in Vercellensi* 27. *Julii* 1570.

Ubi supradicti reditus non habentur, seu non 19
sufficiunt pro erectione, & integra manutentione Seminarii, debet Episcopus primo ex ejus Episcopali mensa ratam fructuum Seminario contribuere, & postea suo exemplo Capitulum, & ceteros Beneficiatos ad id pro rata compellere; Sic de mente Conc. Trid. declaravit *S. C. ejusdem Conc. in d. c.* 18. *sess.* 23. *de reform.* ut referunt Barbosa *de Offic. & potestat. Episcop. allegat.* 77. *num.* 2. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 81. *numer.* 96. Ventriglia *loco cit. num.* 14. Monacell. *loc. citat. formul.* 1. *numer.* 3. & alii passim.

Unde ad contribuendum pro Seminario non so- 20
lum tenetur Episcopus de sua Mensa Episcopali, Abbas de sua Mensa Abbatiali, & Capitulum de sua Mensa, seu Massa Capitulari, sed etiam omnes Beneficiati de suis respective Beneficiis, etiamsi sint de Jurepatronatus, ut expresse statuit Conc. Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 18. A Seminarii enim contri- 21
butione nullus est exemptus, nisi qui nominatim a Concilio excipiuntur, ut declaravit *Sacra Congreg. ejusdem Concilii* 11. *Januarii* 1601. apud Sellium *in Select. Canon. cap.* 36. *num.* 3. Barbosa *in Summ. Apost. Decis. verb. Seminarium Collect.* 1768. *num.* 1.

Hinc etiam Cardinales tenentur contribuere Se- 22
minario de fructibus Abbatiarum, & Beneficiorum, quæ habent in Diœcesi, in qua est Seminarium, & hanc contributionem solvere tenentur juxta taxam ab Episcopo, & Deputatis factam. *Sac. Congreg. Concil. in Adrien.* 3. *Decemb.* 1622. *& in Tudertina* 15. *April.* 1628. apud Barbos. ad Concil. Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 18. *num.* 23. & novissime Benedictus XIII. Constit. incip. *Creditæ* §. 1.

Seminario contribuere tenentur omnia Monaste- 23
ria Regularium, non tamen Mendicantium. Conc. Trident. *cit. cap.* 18. Etiamsi Monasteria illa contri- 24
buant Seminario sui Ordinis, tenentur adhuc contribuere Seminario Episcopi de eo, quod superest. *Sacra Congreg. Concil. in Monasterien.* 7. *Septembris* 1630. apud Barbos. *loco cit. num.* 29. Sellium *in Select. Canonic. cap.* 10. *num.* 19. Ventriglia *loco cit. num.* 33.

Eximit autem Concilium *loco cit. num.* 19. ab hac 25
contributione facienda Seminario omnia Monasteria Regularium Mendicantium, quorum nomine veniunt omnia Monasteria Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinensium, Carmelitarum, & aliorum omnium, qui ex particularibus privilegiis Sum-

Summorum Pontificum participant de privilegiis Mendicantium. *Communis*.

26 Regulares autem Mendicantes, si habeant beneficia unita suis Monasteriis, tunc habita ratione redituum eorumdem solvere debent pro eorum rata. *Sacra Congreg. Concil.* apud Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 81. *num.* 56. Monacell. *loc. cit. formul.* 1. *num.* 4. Ventriglia *loco citat. num.* 35. Barbosa *ad Concil. Trident. loco citat. num.* 28.

27 Unio tamen dictorum Beneficiorum ad hoc, ut Regulares compellantur contribuere, est probanda per Episcopum; Nam in Monasteriis Mendicantium, quæ possident bona immobilia, onus probandi ea esse per uniones acquisita in Episcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta. Sic *Sacra Congreg. Conc. in una Patavi-*
28 *na* apud Pignatell. *loc. cit. num.* 68. Et talis unio ad hoc, ut Mendicantes possint compelli ad contribuendum, est plene probanda, non per conjecturas, & præsumptiones, sed per Gratiæ unionis expeditionem. *Sacra Congregat. Concilii in Cornetana* 28. *Julii* apud Monacell. *loc. cit. num.* 5.

29 Regulares Mendicantes ex reditibus Beneficiorum suis Monasteriis unitorum debent contribuere Seminario, non obstante, quod prætendant se exemptos, quia videlicet in illis lectiones Grammaticæ, & Conscientiæ casuum pro audiendis Confessionibus quotidie habeantur, quia ex hoc non eximuntur, sed tantum deducitur impensa facienda pro habendis prædictis lectionibus a contributione, & ex reliquo solvant ad ratam. *Sacra Congreg. Concilii* apud Sellium *in Select. Canon. cap.* 10. *n.* 19. Barbosa *ad Trident. loco cit. num.* 28.

30 Unde Sacra Congreg. prædicta 21. *Julii* 1629. declaravit, portionem debitam Seminario ratione Beneficiorum exigi posse post unionem ejusdem Beneficii factam Regularibus, qui Mendicantium privilegiis gaudent. Sic apud Barbosa *ad Trident. loc. cit. num.* 27. Sellium *loco cit. num.* 18. Vide tamen infra Constitutionem novissime editam a Benedicto XIII. incip. *Creditæ* §. 1. *in fine*.

31 Seminario contribuere tenentur etiam Beneficiati eorum Beneficiorum, quæ ad Collationem, & institutionem Monachorum pertinent, si intra fines Diœcesis sint. *Sacra Congreg. Concil. in Caputaquen.* 4. *Februar.* 1593. apud Aldan. *in Compend. Canon. Resolut. lib.* 3. *tit.* 10. *num.* 22. Barbos. *ad Trid. loc. cit. num.* 26. *&* *in Summ. Apostolic. decis. Collect.* 1568. *num.* 8. *&* 13.

32 Moniales non tenentur contribuere Seminario, si Beneficia non habeant unita, & si habeant, non tenentur nisi de reditibus Beneficiorum unitorum earum Monasteriis. *Sacr. Congreg. Concil. in una Hieracen. de anno* 1693. apud Sellium *loco citat. num.* 19. Barbosa *ad Trident. loco citat. num.* 3. Ventriglia *loco citat. num.* 36.

33 Confraternitates, Scholæ, & Capellæ etiam intra Regularium Ecclesias sitæ, si habeant Beneficia annexa, vel reditus, seu proventus Ecclesiasticos, tenentur contribuere Seminario; *Sacra Congr. Concil. in Lucana* 5. *Julii* 1628. *&* *in Signina* 18. *Novemb.* 1628. & novissime Benedictus XIII. cit. Constit. incip. *Creditæ* §. 1. ibi: *Nec non fructus, ac reditus Confraternitatum Laicorum ex certis fundis, & Capitalibus provenientes) non autem summas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynæ, vel in vim Statutorum contribuuntur) subjici, & ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, & mandamus*.

Seminario contribuere tenentur Hospitalia, quæ 34
dantur in Titulum, vel Administrationem, & habent annexa Beneficia, vel reditus Ecclesiasticos. *Sacra Congregat. Concilii in Lucana* 5. *Julii* 1628. apud Ventrigl. *loc. cit. num.* 21. & alios ibi adductos. Non tenentur tamen contribuere Hospitalia 35
illa, quæ administrantur a Laicis, & in quibus sunt bona Laicorum, quæ non data sunt in Titulum, Commendam, seu Administrationem. Sic *Sacra Congreg. Concilii* apud Barbosa *in Summa Collect.* 1568. *num.* 16. Ventriglia *loc. cit. num.* 22.

Item Seminario contribuere tenentur omnia Be- 36
neficia sæcularia, & Regularia per quoscumque, etiam per Cardinales, per Pontificis Familiares, per Cameræ Apostolicæ Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque obtenta, & in posterum obtinenda. Sic novissime statuit Benedict. XIII. cit. Constitut. incip. *Creditæ* §. 1. ibi: *Eidem vero taxæ omnia, & singula Beneficia Sæcularia, & Regularia per quoscumque etiam Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, nec non Nostros, & pro tempore existentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ Nostræ Apostolicæ Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque præsentes, & futuros obtenta, & in posterum obtinenda ..... subjici, & ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, & mandamus*.

Item contribuere tenentur omnia Beneficia Sæ- 37
cularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda. Sic Benedict. XIII. in dict. Constitut. incip. *Creditæ* §. 1. ibi: *Ac omnia insuper Beneficia Sæcularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda ..... subjici, & ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, & mandamus*.

Non solum Beneficiarius Titularis, sed etiam 38
Pensionarius tenetur ad contributionem Seminarii pro rata Pensionis, sive Seminarium erectum sit ante reservationem Pensionis, sive non. Sic declarasse *Sacr. Congregationem Concilii* refert ex aliis Barbosa *ad Concil. Trid. cit. sess.* 23. *cap.* 18. *n.* 48.

Dicta rata Pensionis licet possit exigi a Titula- 39
ri, ille tamen prædictam ratam retinebit a Pensionario, nisi aliter inter partes cautum sit in constitutione Pensionis Papa annuente, quam ratam potest Titularis retinere ad rationem, quam ipse solvit. Sic *Sacr. Congreg. Concil. in Lucana* 5. *Julii* 1628. apud Ventrig. *loc. cit. num.* 28. Barbosa *ad Concil. loco cit. num.* 49. *&* 50.

Seminarii contributio anticipate solvenda est de 40
quadrimestri in quadrimestre. *Sac. Congreg. Episcop. & Regul.* 8. *Martii* 1688. apud Ventrigl. *loco cit num.* 38. ubi addit, quod in praxi pluribus in locis videntur dictæ contributiones solvi de semestri in semestre.

41 Capitulum non tenetur solvere taxam Seminarii de distributionibus quotidianis distinctis a Præbendis; *Sacra Congreg. Concilii in Lucana* 5. *Julii* 1682. apud Ventrigl. *loc. cit. num.* 15. & alios ibi citatos.

42 Ubi subjungit, quod hoc procedit, etiamsi omnes fructus Canonicatuum consistant in distributionibus quotidianis, quæ dari solent dumtaxat Divinis personaliter interessentibus; Adhuc enim non tenentur Canonici ad Seminarii contributionem, & refert sic decisum fuisse per *Sacram Congreg. in Capuana* 20. *Decembr.* 1592.

43 Item non tenetur Capitulum, sive alius Beneficiatus solvere taxam Seminarii ex emolumentis; proventibus, & Legatis relictis pro celebratione Missarum; *Sac. Congreg. Concilii in Caven.* 17. *Novembr.* apud Ventrigl. *loco cit. num.* 16. Barbosa in *Summa Apostolic. Decision. Collect.* 1568. *n.* 18.

44 Item Seminario non est contribuendum ex iis, quæ in incerto, & in eleemosynis piorum, & similibus consistunt. *Sacra Congregat. Concil.* apud Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. Barbosa *loc. cit. num.* 20. Ventriglia *loc. cit. n.* 17.

45 Seminario contribuere non tenetur Abbatia unita Capitulo Cathedralis ante Concilium; *Sac. Cong. Concil. in Lucana* 17. *Febr.* 1629. apud Barbos. *loco cit. num.* 19. Ventrigliam *loco cit. num.* 19. ubi subjungit intelligendum hic esse, quod non teneatur solvere ipsa Abbatia principaliter, licet teneatur Capitulum habita ratione omnium redituum etiam Abbatiarum.

46 Nec Seminario contribuere cogi potest Abbas, qui in suo Territorio, & Jurisdictione Seminarium proprium erectum habet, & provisum retinet. *Sac. Congeg. Concil.* 30. *Martii* 1594. apud Barbos. *loc. cit. num.* 15. & Aldan. *in Compend. Canonic. resolut. lib.* 3. *tit.* 11. *num.* 31.

47 Beneficia Sæcularia, quæ ob illorum fructuum tenuitatem Decimis Papalibus non contribuunt, neque contribuere tenentur Seminario. *Sac. Congregat. Concil.* 21. *Martii* 1602. & 23. *Martii* 1604. & *in Amalphitana* 18. *Julii* 1699. *in respons. ad* 11. & 6. *Februarii* 1700.

48 Quantitas taxæ solvendæ Seminario constitui debet ab Episcopo cum consilio duorum Deputatorum de Capitulo, & totidem de Clero. Concil. Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 18. & Benedictus XIII. dict. Constitut. incip. *Creditæ* §. 1.

49 In taxanda portione Beneficiorum habenda est ratio ad onera perpetua eorumdem, & ad alias expensas necessarias a Beneficiariis faciendas, quæ prius deducendæ sunt. *Sacr. Congregat. Concil. in Caven.* 17. *Novembr.* 1629. apud Barbos. *ad Concil. cit. cap.* 18. *num.* 4. & *in Summa loc. cit. num.* 3. & apud Bonfadin. *in Thesauro Ecclesiastic. decis. resolut.* 32. *n.* 7.

50 Taxa instituenda est juxta Beneficii qualitatem, loci, & Diœcesis ubertatem, & caritatem; Alibi enim Summa duorum cum dimidio pro centenario sufficit, & alibi etiam quatuor approbatur, ut decisum refert Pignatell. *tom.*1. *consult.* 416. & *tom.*9. *consult.* 81. *num.* 100. Et licet taxa regulariter non debeat excedere dimidiam Decimarum; Clemens tamen VIII. concessit Episcopis posse taxare Beneficia pro Seminario plus medietate Decimarum, non obstante Bulla Sancti Pii V. si expedire judicaverit. Sic refert, & tenet Ventriglia *loc. citat. n.* 39. Garcias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 107. *in fine.* Episcopus enim virtute potestatis sibi attributæ a Concilio, nedum in dimidio Decimæ potest taxare Beneficia, sed etiam in majori, prout expedire judicaverit, ut ex Decretis Sacræ Congregationis probat Gallemart. *supra d. cap.* 18. *num.*26. & sequitur Monacell. *loco citat. formul.* 2. *num.* 6. Novissime autem Benedict. XIII. Constit. incip. *Creditæ* §. 2. statuit, quod Taxa numquam minor sit scutis tribus, neque major scutis quinque pro quolibet centenario. Vide infra, ubi datur ipsa Constitutio ad litteram.

Taxa juxta temporum, & rerum exigentiam augeri potest, ut in casu, quo reditus Seminarii essent ita diminuti, ut ad victum Scholarium, aliaque onera subeunda non sufficerent. Corrad. *prax. Benefic. lib.*4. *cap.* 8. *num.* 19. Pax Jordan. *Lucubrat. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 4. *num.* 23. Monacell. *loco citat. num.* 7. & alii. 51

Ita e contra Taxa est reducenda, & moderanda, si reditus Beneficii taxati absque culpa Beneficiati notabiliter diminuantur. *Sacra Congregat. Concil. in Romana Taxæ* 26. *Januarii* 1697. apud Monacell. *loco citat. formul.*1. *num.* 7. 52

Si Seminarium in totum, vel in partem reperiatur dotatum, vel alias auctum de reditibus, tunc quantum Seminarium lucratum fuerit, tantumdem demi debet de Taxa, textu expresso in Concil. Trid. *cit. cap.* 18. ibi: *Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis Beneficiis, ut supra, detracta, & incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur*; & sic declarasse etiam Sacram Congregationem refert Ventriglia *loco cit. n.* 41. 53

Episcopus potest compellere Debitores Taxæ Seminarii ad solvendum etiam Censuris, aliisque Juris remediis. *Sacr. Congr. Concil. in Mexicana* apud Aldan. *in compend. Canonic. resolut. lib.* 3. *tit.* 16. *n.* 24. & Barbos. *in Summa loco cit. n.* 4. 54

Quod si Episcopus denegaverit suam portionem, potest compelli, & acriter corripi ab Archiepiscopo, & Archiepiscopus a Concilio Provinciali, uti etiam si adesset negligentia in Seminarii erectione, ejusque conservatione. Sic expresse Concil. Tridentin. *citat. cap.* 18. ibi: *Quod si Cathedralium, aliarumque majorum Ecclesiarum Prælati in hac Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum & superiores, Synodus Provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat.* 55

Episcopus potest, immo tenetur unire Seminario Beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint sine cultus Divini, & obtinentium præjudicio, etiamsi essent affecta, aut in Curia effectum sortirentur. Conc. Tridentin. *citat. c.*18. Barbosa *ibid. n.*33. & alii communiter. 56

Pro hujus unionis forma tamen requiritur primo, 57

mo, quod Seminarium jam sit erectum, & formaliter institutum. Sic Auctoritate Rotæ & Sacræ Congregationis probat Garcias *de Beneficiis part.* 12. *cap.* 2. *num.* 193. & Lotter *de re benefic. lib.* 1. *qu.* 30. *num.* 47. *& seq.* Ricc. *in prax.* 3. *part. resolut.* 415. *num.* 3. Ventriglia *loco cit. numer.* 42. contra Gonzal. & Grat. Ad hoc autem, ut Seminarium ad hunc effectum censeatur jam erectum, sufficit, quod Domus sit jam conducta, seu empta, & pueri sint introducti, & sint duo de Capitulo, & totidem de Clero ad præscriptum Concilii *citat. cap.* 18. vere electi, & deputati. *Communis*.

58 Secundo requiritur, quod concurrat vera, & præcisa necessitas Seminarii faciendi ei talem unionem cum consilio dictorum deputatorum; Nec sufficit pro facienda tali unione causa commodioris sustentationis, vel amœnitatis, & recreationis gratia. Sic *Rota in una Mediolanen. prætensæ unionis* 16. *Novemb.* 1594. *coram D. Orano*, Lotter. *loco cit. num.* 60. Cæsar. de Grass. *decis.* 132. *per tot.* Ventriglia *loco cit. num.* 42. & alii.

59 Tertio requiritur, quod præcesserit detractio fructuum de Mensa Episcopali, & de aliis Beneficiis juxta formam Concilii *in d. cap.* 18. Sic respondit *Sacr. Congr.* & tenuit Rota, *in Aversana Beneficiorum* 3. *Julii* 1606. *coram D. Sacrato*, *& in recentioribus part.* 2. *decis.* 361. *numer.* 7. Lot. *loco citat. numer.* 61. Ventr. *loco citat. numer.* 42. & alii.

60 Quamvis autem possit, immo teneatur Episcopus unire Seminario Beneficia aliquot simplicia, non potest tamen unire Beneficia simplicia Juris patronatus, sive Laicalis, sive Ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem Collatorem, & Electorem, sine consensu Patronorum. *Clementin. Unica de statu Monachor.* Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 15. Et sic expresse decisum fuisse referunt Franciscus Leo *in Thesauro Fori Eccles. part.* 2. *cap.* 16. *numer.* 23. Molfesius *in Summa Theolog. Moral. tract.* 6. *cap.* 14. *a numer.* 62. & alii.

61 Neque Seminario uniri possunt Beneficia reservata post vacationem; Quamvis enim uniones Beneficiorum factæ servata forma a Tridentino præscripta validæ sint, si fiant ante vacationem; sunt tamen invalidæ, & nullæ, si fiant post vacationem, & provisi a Sede Apostolica mitti debent in possessionem. *Sacra Congreg. Concil.* apud Garciam *de benefic. part.* 12. *cap.* 1. *numer.* 102. & Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Unio numer.* 6. *&* 7.

62 Neque Seminario uniri possunt Canonicatus Collegiatarum Ecclesiarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam, quia Conc. Trident. *cit. cap.* 18. non loquitur de his Beneficiis simplicibus. *Sac. Congr. Episcopor. in Aquilana* 27. *Martii* 1590. apud. Sell. *in Select. Canon. cit. cap.* 10. *num.* 21. Et Barbos. *in Trident. cit. cap.* 18.

63 *num.* 36. Item neque Seminario uniri possunt Beneficia Curata nequidem habitu tantum *Sac. Congr.* 12. *Febr.* 1622. apud Pignatell. *tom.* 9. *conclus.* 81. *num.* 141.

Neque Seminario uniri possunt Beneficia Regularia, sive dentur in Titulum, sive in Commendam, secus tamen si statum mutaverint. Sic *Sacr. Cong. in Caputaquen.* 26. *Julii* 1586. apud Sellium *loco cit. n.* 23. Barbos. *loco cit. n.* 39. Ventriglia *loco cit. n.* 45. 64

Neque Seminario uniri possunt Abbatiæ, Prioratus, & Monasteria Consistorialia, seu Beneficia quovis modo Apostolica Auctoritate commendata, & obtenta, seu obtinenda per S. R. E. Cardinales, seu veros, & proprios Papæ Familiares, Nuncios Apostolicos, & Secretarios Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt. Sic expresse Benedict. XIII. in cit. Constit. incip. *Creditæ* §. 5. 65

Nec valet unio facta Seminario omnium beneficiorum Simplicium. Sic decisum fuisse referunt Molfes. *Summa Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 14. *n.* 60. & Barbos. *ad Tridentin. cit. cap.* 18. *numer.* 35. & alii. 66

Episcopus singulis annis præsentibus quatuor Deputatis tenetur exigere rationem redituum Seminarii ab Administratoribus. Sic expresse statuit Concil. Trid. *cap.* 18. ibi: *Rationem autem redituum hujus Seminarii Episcopus annis singulis accipiat præsentibus duobus a Capitulo, & totidem a Clero Civitatis deputatis*. 67

Bona stabilia Seminarii non possunt ultra triennium locari; Nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiæ utilitatem permutari: Nec sterilia, & inculta in Emphyteusim ad tertiam generationem concedi sine Beneplacito Apostolico. *Sacra Congreg. Concil. in Vercellen.* 19. *Februar.* 1633. *& in Salutiarum* 20. *Septembr.* 1642. *in respons. ad* 2. ubi cum quæreretur; An bona stabilia Seminario in hereditate relicta, postquam fuerint ei incorporata, possint alienari, inconsulto Romano Pontifice pro solutione æris alicui ab ipsa hereditate debiti absque incursu pœnarum? *Censuit, non posse alienari*. Sic Cardin. Petra *Comment. ad Constitut.* 5. *Urbani II. sect.* 3. *numer.* 28. 68

Hinc Seminarium auctoritate Episcopi erectum gaudet immunitate Ecclesiastica, ita ut Reus ad illud confugiens non possit extrahi. *Communis*. 69
Et ita Seminarium est immune a tributis, & aliis Sæcularibus muneribus extraordinariis; Nec Gabellarii possunt diminuere Rectori, ac Magistro Seminarii consuetam Franchitiam farinæ, *Sac. Congr. Immun. in Salernitana* 1. *Novembr.* 1693. *lib.* 1. *Decretor. Vallem. pag.* 84. 70

Seminarii Clerici debent in publicis Processionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, ac relinquere locum digniorem Curatis. *Sacr. Congregat. Rit. in Capuana* 1607. *& in Adrien. Rodigii* 22. *Mar.* 1620. 71

Seminarii Clerici non præcedunt Canonicis Collegiatæ. *Sacr. Congr. Rit. in Fundana* 20. *Decembr.* 1601. 72

Seminarium non est membrum Ecclesiæ Cathedralis, licet in ea Clerici Seminarii officient, *S. C. R. in Capuana* 1. *Sept.* 1607. 73

Pro erectione Seminarii cogitur quis vendere rem 74
suam,

suam, sicuti etiam pro ampliatione Domus Seminarii. Sic pluries decisum fuisse refert Maranta 3. *par. controv. res.* 28. *n.* 7

75 Hinc ad uberiorem notitiam juvat adducere varia Decreta, prout ad litteram referuntur a Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 81. *a numer.* 47. *ad* 148. *inclusive*. Quamvis tamen varia ex ipsis sint jam supra adducta.

76 *In Oscensi*. Curare debet Episcopus cum consilio duorum Canonicorum Seniorum, ut pueri Seminarii Cathedrali, & aliis locis Ecclesiasticis diebus Festis cum superpelliceis in gradibus inferioribus Chori deserviant.

77 *In Faventina*. Episcopus pro fabrica Seminarii, vel pro instauratione Domus Seminarii potest taxam exigere, licet adhuc juvenes non sint in illud introducti.

78 *In Aversana*. Ante erectionem Seminarii nihil eo nomine solvendum est.

79 *In Cremonensi*. Illi duo de Capitulo eligendi postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima causa amoveri possunt; Est autem causa legitima Senectus, Infirmitas, & similis alia; 5. *Sept.* 1602.

80 *In Ravennatensi*. Episcopus, adhibito consilio Deputatorum, ad regimen Seminarii, potest circa illud statuere, quod sibi magis videbitur, etiam moderando statuta in hoc Decreto *cap.* 18. ut colligitur ex verbis ultimis dicti Capituli.

81 *In Oscensi*. Episcopus cum consilio Deputatorum tenetur providere, tam circa disciplinam, & mores Clericorum, quam circa administrationem rerum temporalium. Potest autem eorum consilio adhibito facere, quod sibi expediens videbitur; Exactio vero Taxæ ad solum Episcopum spectat; Unde solus absque interventu Deputatorum compellere potest ad solvendam portionem Seminario debitam.

82 *In Vritana*. De distributionibus quotidianis, & incertis nihil Seminario solvendum est.

83 *In Vlysipponensi*. Antequam fructus taxentur pro rata Seminario solvenda, deducendæ sunt expensæ, quæ fiunt in Beneficiis.

84 *In Sorana*. Beneficium, quod non reperitur taxatum in libris Decimarum non contribuit Seminario erecto post diem undecimum Julii anni 1567.

85 *In Burgensi*. Regulares ad Seminarium non tenentur, nisi habeant Beneficia unita suis Monasteriis, quo casu contribuere debent pro eorum rata.

86 *In Vlysipponensi*. In solutione Taxæ pro Seminario debent pro rata detrahi expensæ, quæ fiunt in colligendis fructibus, ac onera posita ante Collegium.

87 *In Vritana*. Quando fructus omnes consistunt in distributionibus quotidianis, quæ dari solent Divinis interessentibus tantum, non tenetur Capitulum ad contributionem Seminarii.

88 *In Melphitana*. Quando Abbatia, sive aliud Beneficium, est nullius Diœcesis, solvitur Seminario illius Diœcesis, in qua alias dicta Abbatia, sive Beneficium, erat constituta; Si vero Ecclesia est in una Diœcesi, & bona ejus in altera, contributio fieri debet Episcopo loci, ubi est Ecclesia, nisi bona in altera Diœcesi existentia sint propinqua alicui Ecclesiæ ibi constitutæ, quæ tamquam membrum subjecta esset Ecclesiæ Parochiali, aut eidem unitæ. Quo casu contributio fieri debet, ubi sunt bona. Quod etiam declarandum est in Ecclesia unita, aut subjecta, si constructa fuerit ante acquisitionem ipsorum bonorum; Quod si constaret bona fuisse prius applicata Ecclesiæ Parochiali, licet postea ibi alia Ecclesia ædificata fuerit, contributio fit Episcopo Ecclesiæ Parochialis.

In Tudertina. Hospitalia ad contributionem Seminarii non tenentur, neque etiam Confraternitates Laicorum, nisi habeant unita Beneficia, quo casu contribuere debent. 89

In Vlysipponensi. Monasteria in quibus Seminarium actu non est, sed tamen contribuunt alteri Monasterio pro substentatione Scholarium, censentur ac si Scholares habeant; proptera non tenentur ad contributionem nisi de reditibus; qui supersunt. 90

In Mediolanensi. Canonici electi ab Episcopo ad constituendam educationem puerorum mutari non debent, nisi ut supra, & eorum consilium Episcopi tenentur adhibere, sed non tenentur sequi, & adhibendum est in omnibus infrascriptis. 91

In constituendis regulis universalibus Seminarii. 92

In electione singulorum introducendorum.

In electione librorum legendorum.

In punitione discolorum.

In visitationibus.

In electione loci.

In electione Magistrorum.

In electione Confessoris.

In eorumdem expulsione.

Alii quatuor adhibendi sunt Deputati in consilio circa taxationem fructuum contributionis. 93

Circa unionem Beneficiorum.

In difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur.

In omni temporali administratione Seminarii.

In expulsione, & Deputatione Ministrorum Seminarii.

In expensis quotidianis.

In provisionibus bladarum.

In administratione bonorum quorumcumque, ac redituum ipsius. Non autem etiam in iis Episcopus tenetur sequi eorumdem consilium, sed ut supra, solummodo adhibere. 94

In Antuerpiensi. In Monasteriis, in quibus habentur Magistri salario conducti pro docendis Monachis, eadem ratio est habenda de istis expensis, quæ de illis Scholarium, seu discentium Monachorum habentur. 95

In Bracarensi. Milites Hierosolymitani, qui habent beneficia sibi commendata alterius Ordinis, vel qualitatis, tenentur ad contributionem Seminarii ratione hujusmodi Beneficiorum, cum exceptio non respiciat Personas, sed tantum beneficia Ordinis Hierosolymitani. 96

In Patavina. Si ignoratur cujus naturæ sint beneficia Ecclesiastica Monasteriis unita, vel alias exempta, Seminario contribuere debent; & hoc procedit 97

cedit

cedit in Monasteriis, quæ non sunt Mendicantium; nam in istis Monasteriis, quæ possident bona immobilia, onus probandi ea esse per uniones acquisita, in Episcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta.

98 *In Imolensi*. Simplicia Beneficia ad collationem inferioris Collatoris spectantia, Episcopus unire non potest, nec etiam Beneficia Regularia, nec Beneficia Juris patronatus Ecclesiastici, nec Canonicatus.

99 *In Gandavensi*. De Beneficis unitis vigore hujus Decreti superfluum est petere confirmationem a Sede Apostolica.

100 *In Cameracensi*. Sicut Beneficia ante vacationem Seminario uniri possunt valide, ita nulla erit unio facta post vacationem de Beneficio reservato.

101 *In Aquilana*. Episcopus, qui in suis mensibus Beneficia vacantia non univit, in mensibus reservatis unire potest.

102 *In Marsicana*. Contra recusantes solvere taxam Seminario potest Episcopus procedere usque ad Interdictum, & alia graviora juris remedia.

103 *In Brundusina*. Si Episcopus duabus Civitatibus præest, in utraque erigetur Seminarium, & si reditus non sufficiunt, conducantur Magistri.

104 *In Melphitana*. In Ecclesia, ubi sunt adeo tenues reditus, ut Seminarium erigi non possit, provideatur saltem expensis Beneficia obtinentium de duobus Ministris, altero Grammaticæ, & altero Musicæ, a quibus instruantur pauperes pueri Civitatis & Diœcesis, in eorumque sumptus totus Clerus contribuat, per inde ac si contribueret ad Seminarium formatum.

105 Pars, quæ ratione Seminarii est detrahenda, ad Decimam integram fuit taxata, si Seminarium fuit erectum ante diem undecimam Julii 1567. Nam in Seminariis postea erectis dicendum est, ut infra.

106 Quicumque vero Episcopus ante diem undecimam reipsa Seminarium erexit, & servata forma Concilii certam taxam stabilivit, eamque a majori parte taxatorum exigere cæperit, seu illi sponte, seu ex contentione, aut metu solverint, dummodo in hac quasi possessione sit exigendi, eaque taxa sic exacta in usum Seminarii versa sit, & quotidie vertatur, in exactione hujusmodi perseveret, & omnes, qui distulerint solvere, cogere poterit juris remediis.

107 Sacra Congregatio Concilii tum alias, tum *in Sabinensi 26. Maii* 1640. declaravit, Archipresbyterum, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Montis Rotundi teneri contribuere Seminario, non tamen pro portione, quæ cedit in usum quotidianarum distributionum, nec pro Legatis piis pro celebratione Missarum relictis, prout neque incertis, & eleemosynis Sacristiæ elargitis, sed tantum ex illis reditibus certis constitutis, etiam si proveniant a legatis piis, ut legitur *lib.* 16. *Decret. fol.* 380.

108 *In Lucana* 19. *Novembris* 1616. Seminarii deputati, aliique Officiales habent votum consultivum, non autem decisivum.

109 *In Fundana* 20. *Decembris* 1601. Clerici Seminarii non præcedunt Canonicis Collegiatæ. *Sacra Congreg. Rituum.*

In Adriensi 21. *Martii* 1620. Clerici Seminarii in Processionibus præcedunt aliis Clericis. *Eadem Sacra Rit. Congr.* 110

In Capuana 1. *Sept.* 1620. Clerici Seminarii debent in publicis Processionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, & relinquere locum digniorem Curatis. *Eadem Sacra Rit. Congr.* 111

In eadem, *eademque die*, *&* *anno*. Seminarium non est membrum Ecclesiæ Cathedralis, licet in ea Clerici Seminarii officient. *Eadem Sacra Rit. Congr.* 112

In Vercellensi. Seminarii bona stabilia non licet ad novennium locare, nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiæ utilitatem permutari, nec sterilia, & inculta in emphyteusim ad tertiam generationem concedere. *Sacr. Cong. Concil.* 19. *Febr.* 1633. *ad* 3. 4. *&* 5. 113

Seminarii a contributione nemo est exemptus, nisi qui nominatim a Concilio excipiuntur. *Sac. Cong. Concil.* 11. *Januar.* 1601. 114

Seminarii contributio anticipate solvenda est de quadrimestre in quadrimestre. *Sacr. Congr. super Episc.* 8. *Martii* 1588. 115

Seminario contribuere tenentur Ecclesiæ Sæculares, quæ non sunt de Mensa Monasteriorum, tametsi ad eorum institutionem, & collationem pertineant. *In Caputaquensi Sacra Congreg. Conc.* 23. *Junii* 1586. *&* 4. *Februar.* 1594. 116

In Caputaquensi 5. *Februar.* 1593. Seminario contribuere tenentur Beneficiati Beneficiorum Collationis Monachorum, si intra fines Diœcesi sunt. *Sac. Cong. Conc.* 117

In Lucana 5. *Julii* 1628. Seminarii occasione potest taxa pro pensionibus detrahi, & exigi a Titularibus, dummodo specialiter non sint coemptæ, qui Titulares retinebunt pro rata soluta. 118

Titularis occasione contributionis per eundem factæ Seminario non potest detrahere ex pensione, quam solvit, nisi pro rata illius, & ad eam rationem, qua ipse Titularis contribuit. *Sac. Congr. Concil.* 119

A contributione Seminarii sunt exempti Clerici Cameræ Apostolicæ ratione Beneficiorum, quæ obtinent. *Sac. Cong. super Episc. in Maceratensi* 12. *Maii* 1604. 120

Seminario ad contribuendum cogi non debet Abbas, qui in suo Territorio, & Jurisdictione prius Seminarium erexerat, & provisum retinebat. *Sac. C. Conc.* 30. *Mart.* 1594. 121

In Lucana, 17. *Februar.* 1629. Seminario contribuere non tenetur Abbatia unita Capitulo Cathedralis ante Concilium. *Sacra Cong. Concilii.* 122

In Augustana 14. *Decemb.* 1630. Ad contributionem Seminarii non tenentur, neque compelli possunt Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum Vicarii in Ecclesiis Parochialibus Religioni prædictæ unitis, vel ab ea dependentibus. *Sac. Cong. Concil.* 123

Legata, ut conducatur Grammaticus, qui pauperes instruat pueros, applicari possunt Seminario. *Sac. Cong. Conc.* 124

Episcopus debet, primum de sua, & Capituli mensa contribuere, & postea alios cogere. *Sacr. Cong. Concil.* 125

Car-

126 Cardinales debent contribuere de fructibus Beneficiorum in Diœcesi, ubi est Seminarium, *Sac. Congr. Conc.*

127 Non sunt magis gravanda Beneficia simplicia, & pensiones, quam Curata. *Sac. Cong. super Episc.* 27. *Octobris* 1603.

128 Uniones Beneficiorum factæ Seminario non subsistunt post illius erectionem, & actualem educationem puerorum. *Sac. Congreg. Concil.* apud Gonzal. *Gloss.* 7. *num.* 68.

129 Emptio Domus, aut electio Deputatorum non est erectio Seminarii. Rota 15. *Aprilis* 1622.

130 Uniones factæ absque consilio quatuor Deputatorum non valent. *Sac. Cong. Concil.* 13. *Januar.* 1549.

131 Cogi possunt ad solvendum prædictos reditus per censuras Ecclesiasticas, & alia Juris remedia ab Episcopo, non obstantibus quibuscumque. Trident. *d. c.* 18.

132 Seminarium erigi non potest in Ædibus Canonicalibus, nisi de consensu Canonicorum, & ita separatum, ut Presbyteri, vel Clerici nullam communicationem habeant cum Seminaristis. *In Mutinensi* 3. *Februar.* 1604.

133 Recipi non possunt in Seminario Clerici sine licentia Ordinarii. *In Salernitana* 10. *Julii* 1590.

134 Licet Episcopus nihil contribueret pro manutentione Seminarii, non potest propterea Seminarium prætendere aliquam exemptionem ab ejus jurisdictione. *In Aquilejensi* 27. *Januarii* 1597.

135 Taxa quatuor pro centenario super Beneficiis approbatur. *In Agrigentina* 25. *Februarii* 1602.

136 Quæ si non sufficiat pro tenendo saltem Magistro Grammaticæ, & cantus Gregoriani, cum domo, & aliis necessariis, non debet augeri. *In Recanatensi* 25. *Jun.* 1597.

137 Capitulum, & Canonici licet exempti sint ab Episcopi jurisdictione, compelli tamen ab eo possunt ad solvendam eorum ratam. 29. *Nov.* 1604.

138 Nisi reditus omnes consistant in distributionibus quotidianis. *In Tarentina* 24. *Jul.* 1595.

139 Nullius etiam loca contribuere debent, si proprium Seminarium non habent. *In Caputaquensi* 2. *Maii* 1601.

140 Quemadmodum subditi Abbatis Monasterii Cavensis Seminario Caputaquensi 3. *Aprilis* 1608. Nisi tamen Beneficia sint unita, vel de Mensa Monasterii per privilegium S. Pii V. donec autem hoc probetur, Seminarium manutenendum esse in quasi possessione exigendi.

141 Regulares etiam contribuere tenentur. *In Cæsenatensi* 2. *Maii* 1601.

142 Nisi sint exempti per privilegium speciale, ut Carthusiani. 12. *Maii* 1587.

143 Et Prioratus S. Spiritus. 6. *Sept.* 1603. Vel nisi vivant de eleemosynis, *ibid.* Provisi de beneficiis Seminario unitis, unione effectuanda, cum primum vacaverint, cogi non possunt ad contributionem. 1. *Octob.* 1599.

144 Neque Confraternitates, & alia loca pia, quæ non habent beneficia annexa. 23. *Jan.* 1586. *&* 10. *Jan.* 1594. *&* 25. *Febr.* 1602.

145 Neque Hospitalia, quæ non conferuntur in Titulum, *ut supra*.

Neque Monasteria Monialium, nisi ratione Beneficiorum unitorum, vel bonorum subjectorum aliis oneribus Episcopalibus. 22. *Decemb.* 1583. *&* 26. *Jul.* 1593. 146

Vel nisi essent solita; Quia tunc omnes supradicti cogi debent, licet vellent renunciare privilegio tenendi alumnum in eodem Seminario. 20. *Jul.* 1620. 147

Capitulum S. Petri in Vaticano non tenetur ad aliam contributionem pro beneficiis ipsi unitis in aliis Diœcesibus, quia contribuit pro omnibus Seminario Romano. *S. Congr. super Episcop. in Caputaquensi* 1594. 148

Uniri non possunt Seminario per Ordinarium Beneficia Curata, sed simplicia tantum, & eorum supportatis oneribus. 15. *Maii* 1580. 149

Neque Canonicatus etiam Collegiatæ, licet non sint amplius de residentia. 27. *Mart.* 1590. 150

Scholasteria in locis, ubi non est Seminarium, non est necessario conferenda Doctoribus, vel Magistris, aut licentiatis in Sacra Scriptura, vel jure Canonico, quia Concilium *d. cap.* 18. §. *de cetero*, loquitur, ut cum minori impensa possint docere in Seminario per se ipsos. *In Calaguritana* 5. *Maii* 1610. 151

Ludimagistri Universitatis non tenentur docere pueros Seminarii, nisi ad publicas Scholas accedant. *Civitatis Plebis* 11. *Dec.* 1610. 152

Verba illa; *In quibus Seminaria discentium, vel docentium actu non habentur*, intelliguntur de Clericis Sæcularibus, ubi Seminarium erigitur, licet in loco adsit studium Regularium. Nec ratione hujus studii Conventus prætendere se potest exemptum a contributione. 153

Illegitimi non possunt ab Episcopo admitti in Seminarium, licet sint dispensati ad Canonicatus, & dignitates. 15. *Martii* 1599. 154

Circa Taxam adest Decretum S. Pii V. quod Episcopus, qui ante undecimam diem Julii 1567. Seminarium re ipsa non erexit, quandocumque illud erigere constituerit, ab ipsa reali erectione nihil ejus nomine ultra dimidiam decimam relatam ad antiquam taxam exigat, & si quid amplius exegerit, vel restituat, vel ab eo compensetur, quod in posterum post ipsam erectionem ad eam rationem exigendum erit, nisi tamen appareat, totum illud, quod amplius exactum erit, jam fuisse vere conversum in præparamenta necessaria, aut aliam similem operam Seminarii. 155

Vel nisi Episcopus esset in quasi possessione exigendi majorem taxam impositam a Concilio Provinciali. *Sac. Congr. Conc. in Surrentina*. Quæ *in Materana* concessit posse taxari in plus dimidia decima. 156

Alias, si non potest erigere Seminarium formale, debet erigere Scholam, *in Marsicana*. Et pro hujusmodi Schola permittitur dimidium taxæ, quæ solveretur Seminario. 18. *Nov.* 1587. 157

Simili modo potest Episcopus cogere Capitulum & alios ad contributionem pro Magistro Musicæ, dummodo & ipse contribuat pro rata; *in Adriansi*. 158

Circa hujusmodi Scholam notandum, quod cum plures Episcopi, qui Seminarium erigere minime pote- 159

poterant, Scholam instituissent, ac certam portionem ex Beneficiis propterea detraxissent, animadversum fuit in Congregatione Concilii, quod hujusmodi facultas tributa erat Episcopis a Concilio, cum non posset institui lectio Theologiæ, non autem cum non posset institui Seminarium, ut habetur *cap.* 1. *sess.* 5. *vers. Ecclesiæ*; Ideoque Congregatio jussit ea de re agi cum Sanctissimo, ad quem cum D. Cardinalis Matthæus die 16. *Februarii* 1598. in Consistorio retulisset, Sanctitas sua mandavit, has beneficiorum taxationes de cetero pro Schola in alio casu, quam in eo, de quo Concilium loquitur, non esse permittendas, sed hactenus institutas confirmavit.

160 Ex reditibus Parochiarum, quæ apud Indos Doctrinæ vocantur, fit contributio Seminario, deducta congrua Parochorum sustentatione. *Sac. Cong. Conc.* 7. *Septembr.* 1603. *cor. Clemente VIII.*

161 Pensionarii etiam Regulares tenentur contribuere Seminario. 17. *Aug.* 1652.

162 Et notandum, Pensionarios ante Concilium teneri contribuere indistincte: Si vero Pensio reservata fuerit post Concilium, ita demum Pensionarios ad contributionem teneri, si per sedem Apostolicam a tali contributione non fuerint exempti; Verum etiam in casu, quo Pensionarii contribuere tenentur, Beneficiorum possessores ab Episcopo debere compelli ad solvendam portionem taxatam non solum pro se, sed etiam pro pensionibus, quas solvunt. Licet tamen postea ita solventibus, retinere pro rata quidquid pro Pensionibus ipsis solverunt. *In Tridentina.*

163 Tenetur autem Pensionarius contribuere Episcopo Seminarii, ubi situm est beneficium, non ubi habitat ipse Pensionarius, licet sit perpetuus, & persona ficta, ut Capitulum, sacrarium &c.

164 Seminarium non est erigendum super mendicitate. *Cong. Propag.* 1627.

165 Beneficium unitum Seminario alterius Diœcesis tenetur nihilominus contribuere Seminario propriæ, quod ante unionem contribuere consueverat; *in Cremonensi* 16. *Jul.* 1588. *Congreg. Concil.*

166 *Eadem tamen Congr. Conc.* 2. *Feb.* 1606. declaravit, quod Beneficium fundatum a Patrono certa lege de consensu Episcopi apposita, ut ad nulla onera teneatur, dummodo fundatio post Concilium facta fuerit, non tenetur contribuere Seminario. Multo minus si id etiam expresse caveatur in fundatione, ut neque ad Seminarium contribuere debeat.

167 Illa Beneficia, quæ ob tenuitatem decimis Papalibus non contribuunt, neque Seminario contribuere teneri. *S. Cong. Conc.* 21. *Mart.* 1602. *&* 23. *Mart.* 1604.

168 Ex fabricarum reditibus, si Ecclesiasticæ sunt, contribuendum est Seminario, quamvis a Laicis administrentur. *Cong. Conc.*

169 Beneficia Cameralium, licet simplicia, non possunt uniri Seminario. *In Murana.*

170 Ordinarius non potest unire Seminario Beneficia Curata, nequidem habitu tantum. *Cong. Conc.* 12. *Febr.* 1622.

171 Capellanias vero, quæ celebrandi Missas onus habent, & in Titulum dantur, unire potest Seminario modo oneri injuncto satisfiat. *Eadem Sacr. Congr.*

Unio facta Seminario non erecto ad formam Conc. ut si pueri non vivant simul, nulla est. *In Pisaurensi arg. c. Ad audientiam* 2. *de Eccles. ædif.* 172

Unio Beneficiorum alioqui legitime facta non impeditur, aut suspenditur per resignationem, etiamsi in Curia suum effectum sortita sit, & in favorem tertii; *in Bellunen.* Quod intelligendum est cum vacaverit. Quia per resignationem in favorem tertii non dicitur proprie vacare Beneficium; Et sic si Beneficium non vacans uniatur vigore Concilii *d. c.* 18. & postea resignetur in favorem tertii, ac resignatio admittatur, unio pro illa vice suspenditur, ut *in Hostunensi superius adducta* 23. *Februar.* 1581. Maxime quia in Litteris resignationis inseri solet illa Clausula: *Cum suspensione omnium & quorumcumque unionum*; 19. *Junii* 1608. *in Bellunen.* 173

Regula de triennali non impedit unionem Seminario legitime factam, *in eadem.* 174

Si Episcopus prædecessor Beneficium simplex, non servata forma Concilii, ac per consequens nulliter, Seminario univit, non potest successor illud eidem Seminario valide unire servata forma Concilii. Quia Concilium non videtur dare facultatem uniendi Beneficia devoluta, 16. Junii 1599. 175

Neque potest unire Beneficia Regularia. *In Hispalensi.* 176

Sac. Concilium *d. c.* 18. non prohibet transferri Pensiones super Beneficiis Seminario unitis. *Cong. Conc. in Æsiva* 26. *Apr.* 1602. 177

Supradicta autem Decreta, & omnia supra exposita moderanda sunt, & intelligenda juxta novissimam Constitutionem Benedicti XIII. inc. *Creditæ*. Quæ Constitutio, cum sit modo attendenda tamquam regula in iis, quæ ad Seminaria spectant, ad litteram hic pro omnium commodo subnectitur. 178 179

Constitutio, qua locorum Ordinariis Italiæ, Insularumque adjacentium districte mandatur, ut Seminariorum erectionem sedulo promoveant, eorumque honestæ sustentationi provideant Taxam & subsidia respective unione Beneficiorum juxta modum a Sacro Tridentino Concilio præscriptum, ac insuper nova instituitur Congregatio Seminariorum nuncupanda, quæ recto illorum regimini, & administrationi præsideat cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS &c.

Creditæ Nobis cœlitus dispensationis Officium salubriter exequi, adjuvante Domino, satagentes, ad ea mentem, curasque Nostras libenter convertimus, per quæ sedulæ Clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, ceu plantæ novellæ benigniori cultura educentur, Litterarumque scientia in Seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa Ecclesiastica Ministeria in viam Dominicam transplantantur,

tur, Ecclesiarum regmini populorumque saluti maxime fructuosos, ac utiles esse diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

§. 1. *Cum itaque Seminarii Ecclesiastici erectio a Sacra Tridentina Synodo* c. 18. sess. 23. de reformat. *Episcopis omnibus tantopere commendata, & ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria, in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi nostri mœrore accepimus, hucusque neglecta fuerit; Nos pro pastorali vigilantiæ nostræ debito pium hoc, & sanctum opus strenue promovere cupientes; motu proprio, & certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, universis & singulis Locorum Ordinariis Italiæ, Insularumque adiacentium hac Nostra perpetuo valitura Constitutione districtæ injungimus, præcipimus, & mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino institui curent. Ubi vero jam reperitur erectum, sed congruis reditibus ad Alumnorum, Magistrorumque sustentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant. Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi Seminarii, quam pro supplemento redituum Seminarii jam erecti Taxam cum consilio duorum de Capitulo, & totidem de Clero conficiant a memorato Tridentino concilio* cap. 18. sess. 23. de reformat. *præscriptam, incipiendo ab integris fructibus mensæ Episcopalis, & absque ullo discrimine prosequendo juxta normam ibidem expressam, & provide constitutam. Eidem vero Taxæ omnia & singula Beneficia sæcularia, & Regularia per quoscumque etiam Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, nec non Nostros, & pro tempore existentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ nostræ Apostolicæ Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque præsentes, & futuros obtenta, & in posterum obtinenda, ac omnia insuper Beneficia sæcularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum Sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda, nec non fructus, ac reditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis, & capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet mense, vel anno vel per modum eleemosynæ, vel in vim statutorum contribuuntur) subjici, & ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, & mandamus. Declarantes ab ea exemptos esse debere Regulares pro iis tantum Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte, ac expresse, & ex causa vere ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere Taxæ pro Seminario exempti sint.*

§. 2. *Porro ejusmodi Taxa juxta locorum qualitatem respondere debeat summæ scutorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, & si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario, itaut numquam minor scutis tribus neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario, & anno, ac in illius confectione regula a Tridentino Concilio in prædicto* cap. 18. *sancita accurate, & ad amussim observetur. Donec autem nova hæc Taxa confecta, & a Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia Taxa, quam Seminarium antea exigere consueverat, omnino persolvatur. Ceterum novæ taxæ exactio semper committatur Personæ fide, & facultatibus idoneæ ab Episcopo, & Cathedralis Ecclesiæ Capitulo specialiter approbandæ, ac deputandæ, ita quidem, ut quoties Exactor hujusmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem Episcopus, & Capitulum præstare debeant, & pro non exactis, atque deperditis respective de proprio teneantur, liceatque Seminario, tam contra Exactores, quam contra Deputantes, eorumque heredes quocumque tempore agere, nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad præcisam Taxæ faciendæ normam, & quantitatem.*

§. 3. *Præterea Episcopi, & Capitula portiones, seu quotas sibi obtingentes juxta præfatam Taxam quolibet anno realiter, & cum effectu deponere teneantur penes Exactorem deputatum, qui eas solvat seu eroget in sumptus pro Seminarii manutentione necessarios, & tam hujus depositi, quam successive solutionis, seu erogationis, simulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, & qua de causa, documentum per eosdem Episcopos, & Capitula ad antedictæ Congregationis Secretarium quotannis transmittatur.*

§. 4. *Quod si in aliqua Diœcesi computatis propriis Seminarii reditibus si qui sint, nec non Beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum Conventuum suppressorum præcedenter applicatis (quas quidem tum Beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum Conventuum firmas esse volumus) per hujusmodi etiam Taxam erectioni, & sustentationi Seminarii ad necessitatem nimirum uniuscujusque Diœcesis, & Alumnorum, non autem ad pompam, & voluptatem sufficienter provideri nequiverit, tunc, & eo casu, ac in subsidium tantum Ordinarii Locorum eidem Seminario unire, & applicare possint, ac debeant Beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam Jurispatronatus Ecclesiastici, vel quomodocumque affecta, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, sine tamen ullo Divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porro unio fiat statim, & ante eorumdem Beneficiorum vacationem, nempe uniantur Beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui reditus quantitatem in ipsa unione specificandam, quæ computata Taxa insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario designatorum, ipsaque unio, statim ac Beneficia prædicta quomodocumque vacaverint, debitum, atque integrum sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. nec non aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutionibus, vel Decretis in contrarium facientibus non obstantibus.*

§. 5. *Ceterum considerantes Monasteria, Prioratus, & Beneficia Consistorialia, nec non aliqua alia indispensabiliter necessaria esse, ac fore pro congrua sustentatione S. R. E. Cardinalium, & Ministrorum Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ actualiter inservientium, volumus & declaramus, quod*

Abla-

Abbatiæ, Prioratus, & Monasteria Consistorialia, seu Beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata, & ad præsens obtenta, ac in futurum obtinenda per antedictos Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, seu veros, & proprios Papæ familiares, Nuncios Apostolicos, & Prælatos Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretarios duntaxat, memoratis Seminariis uniri, & applicari nunquam possint, & uniones, quas forsan fieri contigerit, nullæ, ac irritæ prorsus sint, firma in reliquis remanente libertate, & facultate uniendi (servata tamen forma superius expressa, & non aliter) cetera omnia Beneficia, etiam, ut præfertur, affecta, & reservata, vel alias ad provisionem, ac dispositionem Sedis Apostolicæ quomodolibet pertinentia.

§. 6. *Cum autem, sicut accepimus, Seminaria plerisque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia Episcopi Taxam conficere detrectant, ne illam a semetipsis inchoare cogantur, vel quia Beneficia simplicia quorum dispositio ad eos libere spectat, occurrente illorum vacatione, suis Familiaribus, aliisve personis sibi gratis, & benevisis conferre volunt: Hinc est, quod Nos omne scopulum, & obicem impeditivum boni spiritualis ab ejusmodi Seminariorum erectione provenientis e medio prorsus tollere, ac removere intendentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, Congregationem Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi super negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium, nec non Congregationi Interpretum Concilii Tridentini præfati utriusque Congregationis Secretarii, Datarius, seu Prodatarius, ac Subdatarius, nunc, & pro tempore existentes esse debeant, tenore præsentium perpetuo erigimus, ac instituimus, ejusdemque Congregationis Secretarium illum ipsum, qui Congregationis Concilii prædicti Secretarius pro tempore fuerit, constituimus, ac deputamus: prædictæque Congregationi, ac illius Secretario omnium & singulorum seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, & ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent reditus, iis pro modo indigentiæ, ut præfertur augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus, nec non ejusdem Congregationis Deputatis prædictis semel singulis mensibus, & quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum Seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum statum, & proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportune consulendi, Taxas approbandi, reformandi, & augendi, numerum Alumnorum in singulis Seminariis taxandi, & præfigendi, eumque pro modo redituum augendi, & minuendi, statuta pro recto felicique eorumdem Seminariorum regimine, & administratione condendi, eaque mutandi, viriandi, corrigendi, ac toties, quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summarie, solaque facti veritate inspecta cognoscendi, & definiendi, Visitatores etiam, qui ejusmodi Seminaria diligenter perlustrent, & an recte, atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulæ a Trid. Conc. præscriptæ, sedulo adimpleantur, inspiciant, & recognoscant, ubi, quando, & quoties opus esse judicaverint, facto tamen prius verbo cum Rom. Pontifice pro tempore existente delegandi, ac deputandi; aliaque in præmissis necessaria, & opportuna pro data ipsis a Domino prudentia decernendi, & gerendi, & exequendi plenariam, atque omnimodam facultatem, potestatem & auctoritatem tribuimus, concedimus, ac impartimur.*

§. 7. *Universis itaque Episcopis, quorum in diœcesibus non adsunt, vel congruis reditibus instructa non sunt Seminaria, per præsentes injungimus, & mandamus, ut quam primum præfatam Taxam sedulo conficiant, eamque ad antedictæ Congregationis Secretarium infra sex menses a die publicationis præsentis Constitutionis computandos omnino trasmittant, una cum distincta, & accurata relatione omnium Beneficiorum suarum Diœcesum, eorumque annui valoris, nec non locorum, animarumque, & Ecclesiarum in illis existentium cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio omnibus mature perpensis, statuere possit, an prædicta Taxa approbari nec ne debeat, simulque numerum alumnorum in unoquoque Seminario retinendorum, & summam pro singulorum substentatione necessariam præscribere, & reliqua tandem omnia, quæ pro recta eorumdem Seminariorum administratione, sedulaque Alumnorum institutione utilia ac oportuna salubriter decernere valeat.*

§. 8. *Omnibus insuper Episcopis præfatis, ne de cetero pro se, vel suis Vicariis, aut Familiaribus quibuscumque sub quovis colore, & prætextu, habitatione, coquina, famulis, Ministris, aut Officialibus Seminarii, vel Lectoribus, Magistris, Sacerdotibus, Clericis quoquomodo inservientibus eidem Seminario, & Alumnis, vel a Seminario salariatis, & substentatis, ac quomodocumque retentis, uti audeant, districte sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ vetamus, ac inhibemus. Non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo Pontificalia exercenti, ne Cæremoniarum Magistro, vel Sacerdotibus a Seminario retentis uti possit, immo ut eorum opera, ac assistentia in hujusmodi sacris functionibus libere uti valeat, plenam ipsi Episcopo tribuimus facultatem.*

§. 9. *Postremo saluberrimæ præfati Concili dispositioni inhærentes volumus, præcipimus, & sancimus, ut in omnibus Seminariis, tam hactenus erectis, quam imposterum erigendis, Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, computi, aliaque bonarum artium tantum disciplina erudiantur, & Sacræ Scripturæ, Catechismi, aliorumque Ecclesiasticorum Librorum, præsertim vero de Sacramentis, Sacrisque Ritibus, & Cæremoniis tractantium, Lectioni diligenter incumbant, ut cum ad Vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos, utilesque Operiarios sese probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis.*

§. 10. *Decernentes, præsentes Litteras &c.*

§. 11. *Non obstantibus, &c.*

§. 12. *Ut autem præsentes Litteræ &c.*

§. 13. *Nulli ergo omnino hominum &c.*

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, septimo idus Maii, Pontificatus Nostri Anno I.

180 Insuper ad complementum subnectuntur hic instructiones, quæ de Mandato dicti Benedicti XIII. emanarunt circa Taxam Seminariorum, quæ transmissa fuit ad Episcopos Italiæ, & insularum adjacentium cum sequenti Encyclica Epistola.

Rever. D. uti Fr. Cum in omni Republica experimento semper compertum fuerit, tales esse Cives, quales educatione informantur, nihil certe opportunius ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam, vel restaurandam excogitari potuit, quam institutio Collegiorum, in quibus adolescentes Ecclesiasticis Ministeriis addicendi, Religione, & bonis artibus instruerentur, adeo, ut ejusmodi Collegia, quasi perpetua essent egregiorum Dei Ministrorum, & pro Animarum salute Operariorum Seminaria. Jure itaque ac merito in immmortali laude versabitur hoc, quod a Patribus Sacrosancti Conc. Tridentini in eam rem providentissime fuit constitutum. Fidem quippe fecit eventus, quam vere tunc a nonnullis (ut habetur in historia a Cardinali Pallavicino perscripta) dictum fuerit, satis utiliter labores omnes impensos, omnemque operam positam, ubi etiam nihil aliud commodi in Christianam Rempublicam inde manasset, quam recta ubique ejusmodi Collegiorum institutio.

Primus porro, qui memorati Concilii sanctionem ad effectum perduxit, fuit Divus Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, & adeo quidem apposita ad Clericos bonis moribus, ac disciplinis imbuendos ratione, adeoque sapientibus pro recta Seminariorum gubernatione legibus conditis, ut in hoc etiam de Universa Ecclesia optime meritus dicendus sit, cum plurimi inde sumpserint exemplum, quod publico, uberrimoque cum fructu imitarentur.

Inter ceteros vero Antistites qui gloriosi illius Archiepiscopi vestigia sunt persecuti, maxime enituit Cardinalis Vincentius Maria Ursinus, quem modo summum Catholicæ Ecclesiæ moderatorem veneramur. Is enim Sypontinæ Metropolitanæ Ecclesiæ gubernaculis admotus cum ejus Seminarium invenisset jam pridem Turcarum incursione anno 1620. vastatum, funditusque eversum, nihil habuit antiquius, quam ut illud redintegraret, idoneisque proventibus instrueret, multo etiam ære suo in eam causam collato, id, quod honorificentissimis, ut par erat, verbis laudavit sub annum 1679. sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita. Deinde vero ad aliam Archiepiscopalem Sedem Beneventanam translatus pari pietate, ac liberalitate Seminarii ædes horribili terræmotu bis quassatas prostratasque longe magnificentius restauravit, illudque saluberrimis Constitutionibus, & documentis firmavit, ac opimis largitionibus auxit, quarum monumenta extant in Synodorum Beneventanarum Volumine; Cumque Tusculanæ quoque postmodum regimen Ecclesiæ suscepisset, Seminarium numero, & loco perangustum, & amplificari jussit, & augeri, adjunctisque Collegio Patrum Societatis Jesu novis ædibus, Alumnos, Convictoresque sub eorum disciplina, bonis moribus & litteris voluit informari.

Ex his sane, quæ fecit Archiepiscopus de Seminariis Ecclesiarum, quibus præfuit, certam capere licuit conjecturam solicitudinis, & Curæ, quam Pontifex Maximus de omnium Ecclesiarum Seminariis esset suscepturus. Et expecationi quidem cumulate respondit eventus. Nam in Romano Concilio superiore anno habito Sanctitas sua non solum plura edixit monita bene gerendæ hujusmodi Collegiorum administrationi consentanea, verum etiam peculiarem Constitutionem promulgavit in ejusdem Concilii appendice relatam, qua omnibus Præsulibus Ecclesiarum in Italia, Insulisque adjacentibus existentium jussit, omni cunctatione abjecta institui Seminaria, sicubi hactenus non essent, nec non sustentationi Collegiorum, sive institutorum, sive instituendorum congruentia subsidia comparari, facta quoque ad id facultate imponendi augendique Taxam super omnibus Beneficiis, quibus etiam fruerentur personæ exemptioni ante hac assuetæ, itemque, ubi opus fuerit, & quatenus Taxa non sufficeret, uniendi iisdem Seminariis Beneficia simplicia, etiam quomodocumque affecta, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, quemadmodum fusius in memorata Constitutione habetur.

Cum vero ibidem quoque Sanctissimus D. N. peculiarem Congregationem instituerit, quam voluit præesse istiusmodi Seminariorum negotio, hæc, ut mandato sibi muneri satisfacere aggrediatur, Amplitudini Tuæ, itemque aliis prædictorum Locorum Ordinariis per has Litteras, Sanctitate sua annuente scriptas significandum duxit, quid facto opus esset.

Primum igitur renunciabit Amplitudo Tua num in ista Diœcesi Seminarium Clericorum fuerit hactenus institutum, quod si non fuerit, commodiorem pro suo Judicio illius instituendi rationem indicabit, referetque etiam, tum quot sint annui proventus Mensæ Episcopalis, Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum totius Diœceseos, tum vero an ulla sint Beneficia simplicia, quæ Seminario fundando adscribi unione perpetua possint, vel etiam an in aliqua Confraternitate, aut Loco pio reditus annui redundent, postquam oneribus, quæ ipsis inhærent, satisfactum fuerit, & demum an in Ecclesia Metropolitana, cui tamquam Suffraganeus subsit, commodum inveniatur Seminarium ut cum Archiepiscopo agi possit, ut aliquos suæ Diœcesis Alumnos ad illud admittat.

Si autem extat Seminarium, partes tuæ erunt, memoratam Sacr. Congregationem de iis, quæ subjicientur, diligenter certiorem reddere. I. Videlicet an ejusdem Seminarii ædes tales sint, ut in iis convenienter habitare Alumni & præceptores possint. II. Quot ibi commorentur Adolescentes, quotve Præceptores, aliique Ministri. III. Quot sint Clerici, qui ob egestatem suam gratuito alantur, quotque alii, qui quotidiani victus pretium de suo respondeant. IV. An numerus Adolescentum, qui in Seminario non educantur, satis respondeat necessitati totius Diœceseos, vel si impar sit, quot præterea addendi videantur. V. An certæ leges pro Seminarii gubernatione conditæ jam fuerint, eæque accurate serventur. VI. An Alumni pias illas exercitationes obeant, iisque bonis artibus

artibus ediscendis dent operam, quæ præscriptæ sunt a Sacro Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 18. *de reformat.* VII. An Seminarium idoneis proventibus sit instructum, & quænam sit annua eorum quantitas. VIII. Num ab Amplitudine, vel a Prædecessoribus tuis unita Seminario fuerint ulla Beneficia simplicia, vel bona parvorum Cœnobiorum suppressorum. IX. An Seminarii commodo, imposita jam fuerit super Beneficiis, aliisque Ecclesiasticis reditibus istius Diœceseos Taxa ulla, vel quanta, & ad quam normam constituta. X. An hujusmodi contributio re ipsa diligenterque persolvatur a Mensa Episcopali, ceterisque omnibus huic oneri obnoxiis. XI. An in ista Diœcesi ulla sint Beneficia simplicia, quorum unione suppleri valeat id, quod forte necessariæ sustentationi Seminarii desit, vel in ordinariis ejus proventibus, vel etiam in prædicta contributione. XII. An, quomodo exigatur quotannis a Seminarii Ministris ratio administrationis redituum ad illud pertinentium.

Quoniam, vero in citata Constitutione SS. D. N. præcipitur, exactionem Taxæ, ubi hæc imponenda fuerit, mandari idoneo Viro deligendo ab Amplitudine Tua, & a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, communi quidem periculo, si ille Officii sui partes haud impleverit, recte significari quoque sibi optat Sacra Congreg. quisnam tali muneri idoneus istic existimetur.

Denique, ut uberior haberi hic possit notitia omnium, quæ ad Seminaria Ecclesiastica spectant, Amplitudo Tua referre etiam non gravabitur, quonam anno, & a quonam Antistite Seminarium fuerit institutum, vel quinam alii Præsules institutionem ejus, vel amplificationem, opere aut ære suo juvaverint. Ad hæc quinam liberalium artium Sacrarumque scientiarum Magistri, præ ceteris ibi floruerint, quive Alumni ex eodem Seminario prodierint doctrinæ laude præstantes, vel obitis subinde muneribus, partisque dignitatibus præclari.

Una cum hac Epistola instructio super Taxa Seminario solvenda ad Amplitudinem tuam transmittitur, cui se conformare debebit, & interea fausta omnia a Deo Optimo Maximo precamur, Romæ hac die 30. Martii 1726.

Amplitudinis Tuæ &c.

181 *Istruzione supra la Tassa da imporsi, o pagarsi per l'istituzione, e mantenimento respettivamente de' Seminarj.*

1. Oltre la Costituzione fatta dalla Santità di Nostro Signore Papa Benedetto XIII. sopra l' erezione, e sostentamento de' Seminarj per l' Italia, e l'Isole Aggiacenti, ed oltre la Lettera circolare scritta sopra la medesima materia per ordine della Santità Sua a tutti gli Ordinarj dei Luoghi predetti, si è stimato necessario fare la presente Instruzione da mandarsi unitamente colla Lettera poc'anzi accennata a i predetti Ordinarj, e di regolarla colle risoluzioni prese altre volte dalla Sacra Congregazione del Concilio, ad effetto d'imporre a dovere la Tassa, e di levare per quanto sarà possibile ogni occasione di lite, che potesse insorgere nella detta imposizione, coll'avvertenza, che quanto si dirà nella presente Istruzione, dovrà avere luogo tanto nel caso, in cui non sia stato eretto nella Diocesi il Seminario, ma debba erigersi, quanto nel caso, in cui il medesimo già sia stato eretto, e debba mantenersi, vendo altre volte la Sacra Congregazione del Concilio (*Sac. Congreg. Conc. In Visitationis SS. Lim.* 10. *Mart.* 1663. *lib.* 23. *Decr. pag.* 451. *& seq.*) risoluto, che i rimedj prescritti dal Sacro Concilio di Trento alla *sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* per l'erezione de' Seminarj debbano ancora adoprarsi per la loro conservazione in tal maniera, che chiunque è obbligato a contribuire per l' erezione del Seminario, resta altresì obbligato a contribuire per la conservazione del medesimo, dopo che è stato eretto.

2. E perchè il procedere con ordine, e distinzione sembra la metodo più adattata, tanto per la Teorica, quanto per la Pratica, quindi è, che nella presente Istruzione s' incomincierà a parlare dell'Obbligo dell' Ordinario circa la contribuzione, che deve fare al Seminario, per proseguire dopo tutto ciò, che risguarda l' obbligo degli altri inferiori.

§. I.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi dall' Ordinario al suo Seminario.

3. Cosa certa si è, che la mensa, o patriarcale, o arcivescovile, o vescovile è obbligata a pagare la contribuzione, o sia la tassa al Seminario, derivando quest' obbligo della lettera del sagro Concilio di Trento alla *sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* qual disposizione conciliare è rinnovata nella costituzione di Nostro Signore Papa Benedetto XIII. al §. *Cum itaque Seminarii*.

4. In esecuzione dunque non meno del Sagro Concilio, che della Costituzione di Nostro Signore dee ogni Ordinario attentamente riconoscere a qual somma ascendino l'annue entrate della sua mensa, ed istabilita la rendita dee obbligarsi a pagare, e con effetto puntualmente pagar ogni anno al Seminario, quella quota, che ogn'altro Beneficiato, e qualunque altra persona obbligata a contribuire paga ogni anno al predetto Seminario, quale quota non deve esser meno del tre per cento, nè maggiore del cinque per cento dell'annua sopradetta entrata, secondo ciò che altrove si accennerà, essendo la contribuzione al Seminario un vero debito, a cui gli Ordinarj, e gli altri, che hanno il peso di pagare, sono obbligati tam in Foro Poli, quam in Foro Fori, ed al quale pagamento in caso di renitenza non si mancherà dalla Congregazione particolare deputata da Nostro Signore su queste materie d' astringere secondo i termini di giustizia.

5. Ed avvegnachè siano nate, e possino altresì nascere alcune controversie intorno alla liquidazione dell'annua entrata, o per le spese, che devono

vono farsi per raccogliere i frutti, e l'entrate, o per altri obblighi fissi, che abbiano gli Ordinarj, o pure per le pensioni, che sono obbligati a pagare, si soggiunge, che l'annua entrata regollativa della contribuzione, o sia tassa del Seminario; (*Sac. Congr. Conc. in Ulyxipponen. anni* 1673. *lib.* 1. *Decr. pag.* 174. *a tergo & p.* 175.) è quella, che sopravanza, detratte le sole spese necessarie per la percezione de' frutti, che parimente per fissare l'annua entrata, si deono dedurre, quegli obblighi soli, che sono stati imposti avanti il Sagro Concilio di Trento, e che finalmente in ciò, che risguarda le pensioni o fisse, o vitalizie, dee l'Ordinario (*Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 18. *de reform.*) pagare non solamente la quota corrispondente alla sua annua entrata, ma altresì la quota appartenente al pensionario, ritenendosi al pagamento della pensione ciò, che avrà per esso pagato al Seminario, nel caso però, in cui il pensionario nell'imposizione della pensione non fosse stato con ampio, e litterale privilegio esentato dal Papa dal contribuire al Seminario. Imperocchè in questo caso l'Ordinario sarebbe obbligato (*Sac. Congr. in Foroliviensi.* 16. *Jul.* 1661. *lib.* 22. *Decr. pag.* 584. *a tergo & p.* 585.) a pagare per esso, e non potrebbe nel pagamento dell'annua pensione ritenersi ciò, che ha pagato per esso. Il che però, non puo succedere, nè succederà oggidì non solo per ciò, che è stato istabilito dalla Santità di Nostro Signore nella sua costituzione, come dirassi più a basso, ma ancora per avere con molta maturità la Sagra Congregazione del Concilio (*Sacr. Cong. Conc. in Romana Contributionis Seminarii* 3. *Febr.* 1646. *lib.* 18. *Decr. fol.* 20. *a tergo*, *in Spoletana die* 30. *Sept.* 1710.) altre volte determinato, che non sono esenti dalla tassa del Seminario per i benefizj, e le pensioni che hanno, se non quelle persone, che sono eccettuate nel Sagro Concilio di Trento, e che però sono tenuti al pagamento gli Eminentissimi Signori Cardinali ancorchè Camerali, li Prelati, e li famigliari del Papa, nè suffragare a questi verun privilegio d'esenzione, se in esso non si fa una speciale, ed individua deroga al Sagro Concilio, ed un'espressa menzione del pagamento, che facevasi al Seminario da i predetti benefizj, e pensioni, avanti che i benefizj fossero stati conferiti, e le pensioni fossero state assegnate a i predetti personaggi.

6. Aggiungendo che il detto sin'ora rispetto alle spese per la collezione de' frutti, per gli obblighi, e per i pagamenti per i pensionarj, procede non solo per gli Ordinari, ma ancora per i benefiziati, ed ogn' altra persona obbligata alla più volte nominata tassa del Seminario.

§. II.

Della Contribuzione o sia Tassa da pagarsi da' Capitoli della Metropolitana, o Cattedrale, e Collegiata della Diocesi al Seminario della medesima.

7. Sono i predetti Capitoli, Dignità, & Canonici tenuti al pagamento della Contribuzione, o sia Tassa del Seminario, come si deduce dal Sagro Concilio di Trento alla *citat. sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* e nel liquidare l'annue entrate, ad effetto di regolare la Tassa, dovranno osservarsi (*Sacr. Congreg. Concil. in Panormitana anni* 1585. *pag.* 73. *a tergo*, *in Salernitana anni* 1589. *in respons. ad* 4. *lib.* 6. *decret. p.* 22. *a tergo*, *in Avellina* 15. *Januar.* 1601. *lib.* 9. *Dec. p.* 120. *in Eugubina* 1. *Decembr.* 1605. *lib.* 10. *Dec. p.* 140. *in Sabin.* 23. *Jun.* 1640. *lib.* 16. *in respons. ad* 1. *p.* 394. *&* 395.) le regole poc'anzi accennate, ed inoltre la seguente, ed è di non valutare nell'annua entrata ciò, che si dà a chi interviene a Divini Offizj a titolo di distribuzione, essendo queste esenti dal pagamento al Seminario in tal maniera, che se i Canonicati non hanno Prebenda, e se tutta l'entrata consiste nelle distribuzioni, non si devono questi Canonici astringere al pagamento a proporzione di tutta l'entrata, ma di due delle tre parti della medesima, facendo in questo caso le dette due parti la figura di Prebenda, e la terza delle distribuzioni secondo la vera intelligenza delle risoluzioni della Sagra Congregazione del Concilio.

8. E nel caso, in cui fossero stati uniti al Capitolo, o alle Prebende alcuni Benefizj, acciò colle rendite di questi si costituissero le distribuzioni quotidiane a proporzione dell'annue entrate de' Benefizj uniti, il Capitolo, o i Prebendati sarebbero obbligati al pagamento della Tassa al Seminario, come pure più volte è stato risoluto dalla Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Congr. in Narnien. contributionis Seminarii* 2. *April. &* 30. *Maii* 1661. *pag.* 483. *&* 526. *lib.* 22. *Dec. & in Lucana* 29. *Januarii* 1686. *lib.* 35. *Dec. pag.* 13. *a tergo.*)

9. E per terminare ciò, che risguarda i Capitoli, si soggiugne, che per regolare la Tassa non si doveranno calcolare i Legati Pii delle Messe, che ad essi siano stati lasciati, siccome nè meno l'elemosine, che si fanno alle loro Sagrestie, ma solamente le rendite fisse, e stabili d'esse, ancorchè le medesime provengano da Legati pii giusta la risoluzione della Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Congr. Conc. in cit. Sabinens.* 23. *Jun.* 1640. *lib.* 16. *Decr. pag.* 394. *&* 395. *in respons. ad primum.*)

§. III.

Della Contribuzione, o sia Tassa da pagare al Seminario della Diocesi da qualunque Benefiziato, o con cura d'Anime, o senza cura d'Anime.

10. Sono i benefizj curati obbligati alla contribuzione del Seminario (*Sacr. Congr. in Nicien.* 28. *Nov.* 1676. *lib.* 29. *Dec. pag.* 312. *& a tergo*) essendo generalissime le parole del Concilio di Trento nella più volte citata *sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* e dovendosi considerare, che sono stati principalmente istituiti i Seminarj per allevare i Chierici, ed abilitarli alla cura dell'Anime, nè possono i Parrochi pretendere esenzione per il motivo, che l'annua rendita della Parrocchia non eccede la congrua de i cento scudi, conforme ha altre volte risoluto la Sagra Congregazione del Concilio, e proseguendo il discorso de Benefizi curati, o sia-

o siano Parrocchiali fa di mestieri l'avvertire, che la Tassa dee cadere sopra l'annua fissa entrata delle medesime, e sopra ancora quei proventi, che si dicono *certi de incertis*, ma non sopra le rendite totalmente incerte secondo un'altra risoluzione della Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Congreg. in Panorm. de mense Octob.* 1587. *lib.* 5. *Decr. pag.* 23. *& a tergo.*)

11. Passando agli altri Benefizj, devono i medesimi contribuire al Seminario, ancorchè sieno di Juspadronato, come si legge nel Sagro Concil. di Trento, ed ancorchè la nomina loro appartenesse a qualunque persona, benchè degna di specialissima menzione, conforme è stato risoluto dalla Sagra Congregazione del Concilio (*Sac. Cong. in Civitatis Reg. mense Febr.* 1586. *lib.* 4. *Decr. pag.* 11. *& in Messan. mense Febr.* 1588. *lib.* 5. *Dec. pag.* 96. *a tergo*) Nè possono i Benefizj Secolari pretendere d'essere esenti dalla Tassa del Seminario, ancorchè la nomina, e l'istruzione appartenga a qualche Religione, o Monastero, come si deduce da una risoluzione della Sagra Congregazione del Concilio (*Sac. Congreg. Concil. in Caputaquen. de mense Jul.* 1586. *lib.* 4. *Dec. in respons. ad* 1. *p.* 159. *& seq.*) e ritrovandosi alcuni Benefizj, che ricusano di pagare al Seminario per l'incertezza a qual Seminario debbano pagare, essendo il titolo del Benefizio in una Diocesi, ed i beni in un'altra, sembra a proposito il soggiungere, che la regola istabilita dalla Sagra Congregazione del Concilio (*Sac. Cong. in Lunen. Sarzan.* 19. *Febr.* 1604. *lib.* 10. *Decr. pag.* 74. *a tergo*) si è, che il pagamento si faccia al Seminario di quel luogo, in cui è la Chiesa, o il titolo del benefizio, ancorche i beni appartenenti al medesimo siano in un'altra Diocesi, eccettuando il caso, in cui in questa seconda Diocesi vi fosse una qualche Chiesa, che fosse come membro del titolo del benefizio, poichè in queste circostanze si dovrebbe a proporzione dell'annua entrata pagare il Seminario di quella Diocesi, in cui sono situati i beni, ed è situata la predetta Chiesa, purchè questa Chiesa fosse stata fabbricata avanti l'acquisto de' beni. (*Sac. Congr. Concil. anno* 1573. *lib.* 1. *Decr. p.* 23. *a tergo, & in Melphien. eodem anno lib.* 1. *Decret. pag.* 190. *& a tergo*) in tal maniera, che se prima fossero stati uniti i beni, ed applicati al titolo del benefizio situato nell' altra Diocesi, e dappoi fosse stata fabbricata la Chiesa, non dovrebbe il pagamento farsi al Seminario del Vescovo, in cui è situata la Chiesa, e sono situati i beni, ma al Seminario dell'altra Diocesi, in cui è situato il titolo del Benefizio.

12. Finalmente tutti, e singoli benefizj, o secolari, o Regolari generalmente parlando sono tenuti al pagamento della tassa, ancorchè siano posseduti o dagli Eminentissimi Signori Cardinali, e da i Famigliari dello stesso Romano Pontefice, e da i Chierici della Rev. Camera Apostolica, o da qualsivoglia altro ministro, o offiziale, e ciò, parlando de i benefizj, che hanno avuto fino ad ora, e degli altri, che possono avere in avvenire, o essi, o gli altri, che ne' tempi futuri saranno promossi alle sopraddette dignità, uffizj, ed impieghi, come chiaramente si stabilisce nella Costituzione di Nostro Signore §. *Cum itaque Seminarii*, e le Capellanie devono contribuire al Seminario, se sono perpetue, e se si conferiscono in Titulum, ma non già quando sono amovibili. (*Sac. Congregat. Concil. in Sabinen.* 21. *Jun.* 1640. *in respons. ad* 2. *lib.* 16. *Decret. pag.* 394. *a tergo & pag.* 395.)

§. IV.

Della Contribuzione, o sia Tassa da pagarsi al Seminario da i Regolari, e dalle Monache.

13. La Tassa pel Seminario deve pagarsi da Regolari, e da essa secondo la Costituzione di Nostro Signore, sono esenti i Regolari per quei benefizj solamente, e frutti, sopra i quali la Sede Apostolica ha ad essi conceduta l'esenzione dalla Tassa del Seminario chiaramente, ed espressamente, e per una causa veramente, e propriamente onerosa, e nel liquidar la Tassa s' osserverà quanto di sopra s'è detto.

14. Rispetto a i Religiosi di Malta, se qualcheduno di loro avesse qualche benefizio ecclesiastico, che non appartenesse alla Religione, dovrà questi pagare per il detto benefizio la Tassa al Seminario, come fu risoluto dalla Sagra Congregazione del Concilio. (*Sacr. Congreg. Conc. in Bracaren. anni* 1573. *lib.* 1. *Decr. p.* 41. *a tergo, & p.* 42.) e parimente se a' Priorati, Commende, e Baliaggi del predetto Ordine di Malta saranno stati uniti, o si uniranno Benefizj Secolari, dovranno i Religiosi di Malta contribuire ad ratam dell'annua entrata di questi al Seminario, com' è stabilito da Nostro Signore nella sua Costituzione al luogo citato. E perchè il Sagro Concilio di Trento eccettua dalla contribuzione quei Collegj, ne' quali si insegna, e si promovono i studj per il comun bene della Chiesa, dal che è derivato, che qualche volta i Regolari hanno preteso di non dover contribuire a i Seminarj anche per i benefizj uniti a qualche loro collegio, in cui si promovono detti studj, la Sacra Congregazione del Concilio; (*Sac. Congreg. Conc. in Velitern. Taxæ Seminarii* 24. *April. &* 31. *Jul.* 1703.) ha dichiarato, che la predetta esenzione ha luogo ne' Collegj de' Secolari, e non de' Regolari, e quando si è trattato di Religiosi, che hanno preteso d' essere esenti per il motivo d'insegnar la Gramatica, ed i casi di coscienza tanto a i suoi Religiosi, quanto ad altre persone, che andavano alle lor Scuole, la Sagra Congregazione (*Sac. Congr. Conc. in Bracaren. anni* 1573. *lib.* 1. *Decret. p.* 41. *a tergo, &* 43.) ha dichiarato doversi detrarre la spesa, che fanno per i Salarj de' Lettori, e che fatta la detta detrazione, paghino sopra il resto la tassa al Seminario.

15. Subentrano le Monache, che pure sono tenute alla contribuzione, o sia tassa per il Seminario a proporzione dell'entrate, che hanno, ed osservata nella liquidazione dell'entrate la regola pure esposta di sopra, dovendo esse riflettere, che se non vi fossero i Seminarj, non avrebbero confessori, e direttori idonei per l'anime loro, e però

rò è regola generale, che i beni posseduti dalle monache, per i quali pagano gli altri pesi ecclesiastici, non siano immuni dalla contribuzione del Seminario (*Sacr. Congr. Conc. in Caputaquen.* 1589. *in respons. ad* 5. *lib.* 4. *Decret. pag.* 159. *& seq.*) se non hanno un titolo specialissimo d'esenzione dal detto pagamento, ed avvegnachè più volte succeda, che dalle monache s'allega il titolo della povertà per esentarsi dal pagamento, sembra necessario l'avvertire, che il titolo della povertà suffraga a quelle monache (*Sac. Cong. in Catanien.* 20. *Martii* 1595. *lib.* 9. *Dec. p.* 9.) che non hanno entrate, e che vivono di pure elemosine, o pure a quelle Monache, che benchè possiedono alcuni beni descritti, e tassati nel libro delle Decime, ed altri pesi Ecclesiastici, sono però state esentate dal pagamento delle predette decime, e pesi per il titolo della loro povertà, come altre volte ha risoluto la Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Congr. Conc. in Patavina* 1573. *lib.* 1. *Decr. p.*97. *a tergo*, *& in Avenionen.* 22. *Aug.*1609.*lib.*12. *Dec. pag.* 73. *a tergo & 74.*)

§. V.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi dagli ospedali, confraternite, fabbriche delle Chiese, Monti di Pietà, e Legati Pii.

16. Secondo il Sagro Concilio di Trento alla più volte citata *sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* quegli ospedali, che si danno in titolo, o amministrazione, devono pagar la tassa, o sia contribuzione al Seminario, dal che deriva, che sono esenti da questo pagamento gli ospedali puramente Laicali, (*Sac. Congreg. Concil. in Gravinen.* 23. *Jun.* 1594. *lib.* 8. *Decret. p.* 43.) che non si danno per conseguenza, nè in titolo, nè in amministrazione, come ha altre volte risoluto la Sagra Congregazione del Concilio, se per accidente non fossero stati uniti a questi ospedali alcuni benefizj, mentre ad ratam de' frutti di questi dovrebbero li predetti ospedali pagare al Seminario, (*Sac. Congr. Concil. in Messanen.* 2. *August.* 1696. *in resp. ad* 5. *lib.* 8. *Decr. pag.* 183. *a tergo*.

17. Circa le confraternite de laici erette coll'autorità ordinaria anche nelle Chiese de' Regolari, sono esse obbligate (*Sac. Congreg. Conc. in Lucana* 13. *Maii* 1628. *in resp. ad* 4. *&* 5. *lib.* 13. *Decr. pag.* 452. *a tergo*) al pagamento della tassa, se han benefizj uniti, o non avendo, abbino fondi certi, capitali, e legati, devono pagar la tassa a proporzione ancora dei frutti, e delle rendite dei detti fondi, capitali, e legati con avvertenza, che nella tassa non si devono comprendere quell'altre rendite, che ricavano da certe quote pecuniarie, che si pagano da i confratelli ogni mese, o ogni anno, o per titolo d'elemosina, o in sequela de' statuti, come ha determinato Nostro Signore nella sua Costituzione §. *Cum itaque Seminarii*.

18. Le fabbriche delle Chiese, che hanno i loro assegnamenti, le decime, che per qualsisia capo sono venute in mano de' Laici, e delle quali si vogliono pagare gli altri sussidj ecclesiastici, giusta il Sagro Concilio di Trento al luogo più volte citato, non possono esentarsi dal pagamento a favor del Seminario, il che pure ha luogo rispetto a' monti di Pietà (*Sacr. Congreg. Conc. in Messanen.* 2. *Aug.* 1596. *lib.* 8. *Decr. pag.* 185. *a tergo*) se ad essi saranno uniti i benefizj, poichè questi monti di Pietà saranno obbligati a pagare in vigore de' benefizj uniti.

19. Resterebbe il dire qualche cosa circa la quantità della tassa, ma parlando di questa, altro non occorre soggiungere, se non che secondo la costituzione di Nostro Signore ella non può esser meno del tre, nè più del cinque per cento, e che sin tanto, che dalla congregazione deputata da sua Beatitudine non sarà approvata la nuova tassa, si paghi pontualmente la tassa, che si è per lo passato pagata al Seminario, il pagamento della qual tassa non può essere in veruna maniera ritardato da qualunque inibizione, che si spedisca da qualsisia Tribunale, come ha altre volte risposto la Sagra Congregazione del Concilio (*Sac. Congreg. Conc. in Sabinen.* 2. *Jul.* 1650. *lib.* 19. *Decr. pag.* 63. *a tergo*, *&* 64. *& in Interamnen. Taxa Seminarii* 11. *Maii* 1720.) ed acciò per bene imporre la tassa si cammini colla maggior possibile sicurezza, dovrà ciascun ordinario imporre a tutti quelli, che sono obbligati al pagamento d'essa l'esibire nella sua cancellaria dentro un termine conveniente la notula giurata dell'annue rendite, che detratte le spese, come si è detto di sopra, ricavano da' benefizj o beni da loro posseduti, ed obbligati alla predetta tassa, come per appunto si tratta nell'esazione delle decime papali.

20. Aggiungendosi per compimento di questa Istruzione, che essa è stata letta, considerata, e corretta dalla Santità medesima di Nostro Signore, quale ha comandato, che si stampi, e si trasmetta, come si fa, ad ogni ordinario.

Seminaria Clericorum debent institui, ubi adhuc 182
non sunt, & augeri ubi opus fuerint, & ab Episcopis sæpe visitari, singulorum adolescentium vitam, indolem, & in studiis profectum explorando, Magistros ideoneos, virosque Ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando, litterarias ipsorum exercitationes, sive Ecclesiasticas functiones quandoque præsentia sua decorando, aliqua demum beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo. Sic expresse Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 2. incip. *Ubi primum*.

Hinc juvat afferre aliqua ad rem edita a Sacra 183
Congregatione Concilii Decreta erudite congesta ab Eminentissimo Cardinali Cavalchino, dum erat Secretarius ejusdem Congregationis, *in Tricaricen. Administrationis Seminarii* apud tom. 7. Thesauri
Resolutionum Sac. Congreg. Conc. ibi: In Oscen. 184
proposita sub mense Octobris 1585. ita habetur: Alias Sacra Congregatio ad interpretationem Decreti cap. 18. sess. 23. censuit, Episcopum Oscen. cum consilio Deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam, & mores Clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere; sufficere tamen, quod Episcopus hujusmodi

di consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse Episcopum statuere, & deliberare, quæ pro prudentia sua magis expedire judicaverit, exactionem vero, quæ fit pro Seminario, ad solum Episcopum pertinere. Dubitatur modo, mortuo Episcopo, & in Sede vacante, ad quem pertineat erectio & administratio dicti Seminarii, & videtur, quod pertineat ad Capitulum, quia, Sede vacante, Capitulum fungitur vice Episcopi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus; cap. penult. & ult. de supplen. neglig. Prælat. in 6. & cap. Is, cui de elect. in 6..... Sacra Congregatio censuit, pertinere ad Capitulum...... ut in lib. 4. Decr. pag. 84.

185 In Curien. anno 1594. editum fuit hoc Rescriptum: Sacra Congregatio censuit, omnes quatuor Deputatos adhibendos esse in consilio in tota temporali administratione Seminarii, præterquam in exactione, quæ ad solum Episcopum spectat, ut in lib. 8. Decr. pag. 65. & consonat Resolutio, quæ prodiit in Nullius, sub annum 1595. hisce verbis..... Sacra Congregatio censuit, omnes quatuor Deputatos, de quibus agitur in cap. 18. sess. 23. vers. Et quia, adhibendos esse in consilio in administratione rerum ipsius Seminarii, præterquam in compulsione ad portionem Seminario debitam, cujus facultas ad solum Episcopum spectat, ut in lib. 8. Decr. pag. 97.

186 In Salernitana propositis ad petitionem Capituli Cathedralis inter cætera hisce dubiis.... I. An duo Canonici electi ab Archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum Seminarii possint pro libito Archiepiscopi mutari. II. An eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis universalibus Seminarii, quam in electione singulorum puerorum introducendorum, electione Magistrorum, librorum legendorum, Confessoris provisione, discolorum expulsione, visitatione, & similibus. III. An alii quatuor sint deputandi, & deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione Beneficiorum, & in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur, an etiam, in exactione, & temporalium administratione tam d. Seminarii, ut puta, deputatione, vel expulsione ministrorum, & famulorum temporalium, expensis quotidianis provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcumque, & redituum ipsius Seminarii ex beneficiis unitis, ut puta locationibus, cessionibus, aliisque contractibus, & litibus. IV. An hi quatuor deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles, servata tamen ratione Concilii in eorum electione, & dicta electio spectet ad Capitulum..... Responsum fuit..... Ad I. non posse amoveri, nisi ex legitima causa. Ad II. in omnibus his esse adhibendos. Ad III. teneri Episcopum adhibere Deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam, & mores, quam temporalium rerum administrationem. Ad IV. esse perpetuos.... ut in lib. 6. Decr. p. 22. & sequent.

187 In Papien. 7. Julii 1591. eadem Sacra Congregatio censuit, Canonicos ab Episcopo electos ad Seminarii administrationem ad præscriptum cap. 18. sess. 23. vers. Quæ omnia, esse perpetuos, nec posse amoveri, nisi ex justa, & legitima causa, ut in lib. 7. Decr. pag. 14. & in Sarzan. 25. Junii 1693. rescripsit, Oratorem ab Episcopo electum ad Seminarii administrationem juxta præscriptum Sacri Concilii cap. 18. sess. 23. vers. Quæ omnia, non posse amoveri, nisi ex justa, & legitima causa,..... ut in lib. 16. Decret. pag. 221.

In Fundana denique deputationis Official. Seminarii, inter cetera fuerunt discussa duo hæc dubia. I. An Episcopus potuerit, & possit deputare Rectorem, aliosque Officiales Seminarii absque consilio deputatorum a capitulo. II. An Episcopus in revisione, & solidatione computorum dicti Rectoris debuerit sequi consilium eorumdem deputatorum; .... die vero 26. Martii 1689. responsum fuit: Ad I. negative: Ad II. teneri adhibere consilium, sed non sequi...... ut in lib. 39. Dec. p. 129. & sequent.

Et in dicta Tricaricen. administrationis Seminarii 24. Martii 1736. ad sequentia dubia. 188

I. An administratio œconomica Seminarii exerceri debeat per Episcopum, vel potius per Deputatos.

II. An constet de sufficienti redditione rationis administrationis exercitæ per Deputatos Seminarii.

III. An sit locus remotioni Canonici Filiucci Deputati Seminarii in casu &c.

Eadem Sacra Congregat. Concil. Respondit: *Ad primum administrationem competere Episcopo cum consilio Deputatorum; præterquam in exactione, quæ spectet ad solum Episcopum. Ad secundum negative, & Episcopus procedat prout de jure contra Debitores. Ad tertium affirmative.* 189

Seminarii Rectorem esse ab Episcopo constituendum, cum deputatorum consilio, juxta allata decreta, limitationem patitur, ut scite, & erudite tradit Benedictus XIV. *in Synodo Diœcesana lib. 5. cap. 11. num. 9.* quoad Seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sunt curæ, & regimini alicujus Ordinis Regularis sub expressa conditione, ut ejusdem Ordinis Prælato integrum sit, quem maluerit, sui instituti Religiosi in Seminarii Rectorem eligere & deputate, uti patet de Seminario Romæ, quod Pius IV. commisit Curæ, & Regimini PP. Societatis Jesu, ut legitur in Bulla 134. Urbani VIII. §. 4. *Bullar. tom. 5.* ibi. *Ipsumque Seminarium sic erectum, & institutum curæ, & regimini, & administrationi Præpositi Generalis, & Presbyterorum Societatis Jesu, & sui, ac Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis tutelæ, patrocinio, & protectioni commisit.* Et de Seminario Civitatis Conceptionis in America Meridionali commisso pariter curæ, & regimini Patrum ejusdem Societatis Jesu ex facultate Sacræ Congregationis Concilii concessa sub die 13. Junii 1722. in dicta Americana apud Thesaur. Resolutionum *tom. 2. pag. 191.* ibi: *Pro facultate, ita tamen ut Alumni nominentur ab Episcopo, & Seminarium sit sub patrocinio, protectione, & subjectione Episcopi.* Insuper sub eisdem legibus alia quoque Episcoporum Seminaria aliorum Regularium gubernio reperiuntur commissa; cura siquidem Seminariorum civitatis Albani, & Seno- 190 191 192

Senogalliæ tradita est Clericis Regularibus *Scholarum Piarum* nuncupatis; & ipsemet Benedictus Seminarii Bononiensis regimen dedit Clericis Regularibus Sancti Pauli vulgo *Barnabitis*, non amotis quidem deputatis, qui juxta Tridentini sanctiones Seminarii disciplinæ, atque administrationi invigilant, sed eorumdem auctoritate intra certos limites coercita. Hæc ille *loc. cit. num.* 9.

193 Quibus adde Seminarium Civitatis Viglevanensis legitima auctoritate commissum curæ Patrum Congregationis Somaschæ, ut videre est *in Thesauro Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii tom.* 9. *fol.* 90. *& sequent.* ubi proposita, & resoluta fuerunt sequentia dubia.

I. An omnes Alumni sint eligendi per Episcopum. Et quatenus negative;

II. An illi octo nominandi per P.Rectorem ejusdem Seminarii indigeant examine, & approbatione Episcopi, ut admittantur in casu &c.

III. An exactio redituum assignatorum pro alimonia Alumnorum spectet privative ad Episcopum cum consilio Deputatorum Seminarii, excluso Rectore Seminarii? Et quatenus negative;

IV. An saltem administratio, & exactio facienda sit per dictum Rectorem, cum participatione tamen, consensu, & mandato Episcopi pro tempore in casu &c.

V. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de administratis Episcopo cum assistentia Deputatorum Seminarii in casu &c.

VI. An liceat Episcopo cum assistentia, ut supra, toties quoties voluerit visitare Seminarium tam in spiritualibus, quam in temporalibus in casu &c.

VII. An idem, cum assistentia, ut supra, licitum sit Capitulo, seu Vicario Capitulari, Sede vacante in casu &c.

VIII. An Magistri missi a Congregatione Somaschensi ad servitium Seminarii, pro Grammatica, Rethorica, & casibus conscientiæ debeant examinari, & approbari ab Episcopo in casu &c.

IX. An hoc ipsum tempore Sedis Vacantis spectet ad Capitulum, ut supra in casu &c.

X. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de annuis libris 3256. pro toto tempore, quo in Seminario non fuerunt Alumni, & cui, ac quibus remediis cogi possint in casu &c.

XI. An iidem teneantur restituere pro eodem tempore, quo Seminarium remansit clausum, proventus pro eorum manutentione, & salario assignato in casu &c.

XII. An PP. Somaschensibus, ultra præfixum numerum viginti Alumnorum liceat in Seminario recipere alios Convictores de aliena Diœcesi in casu &c.

194 Sacra Congregatio die 13. Januarii 1714. distulit resolutionem, die vero 27. ejusdem mensis, & anni respondit, Ad I. negative. Ad II. indigere approbatione Episcopi. Ad III. negative. Ad IV. affirmative. Ad V. VI. VII. affirmative. Ad VIII. negative. Ad IX. negative. Ad X. affirmative Episcopo, ac per eum cogi juris remediis. Ad XI. negative. Ad XII. affirmative de licentia Episcopi, & amplius in omnibus.

* Tenetur Episcopus providere sibi consilium 195 duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo eligatur, item duorum de Clero Civitatis, quorum alterius erectio ad Clerum spectat, quæ omnia sunt *ex cap.* 18. *sess.* 23. Tridentini. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum Seminarii; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem & disciplinam ejusdem Seminarii; quamquam Episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur; *de Synod. Diœc. cap.* 2. ex pluribus Sac. Congr. Decretis.

Additiones ex aliena manu.

De exordio, & progressu Seminariorum, tum 196 de optima eorum regiminis ratione, vide *Joannem de Joanne in Historia Seminariorum Clericalium*. Confer etiam *S. M. Benedictum XIV. de Synodo diœcesana lib.* 5. *cap.* 11. *per tot.*

Tria vero hic haud sunt omittenda. Primum 197 est, quod id quod dicitur, Seminarii Rectorem esse constituendum ab Episcopo cum consilio deputatorum, limitationem recipit quoad Seminaria, quæ *legitima auctoritate* tradita sunt curæ, & regimini alicujus Ordinis Regularis, data Prælato ejusdem Ordinis facultate eligendi quem maluerit ex suis Religiosis in Rectorem; *S. M. Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana lib.* 5. *cap.* 11. §. 9. *Legitima* inquam *auctoritate*, scilicet Sacræ Con- 198 gregationis Concilii interpretis; nam ab Episcopo propria auctoritate haud potest Seminarium tradi curæ, & regimini alicujus Ordinis Regularis. Hinc 199 Episcopus Civitatis Conceptionis in America Meridionali die 13. Iunii 1722. hanc facultatem impetravit a mox dicta Sac. Cong. Vide supra *numer.* 192.

Alterum est, quod necesse haud habet Episcopus 200 rationes redituum Seminarii accipere ab Administratoribus in Synodo, ut sentiunt *Piasec. in Prax. Episcop. par.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. *nu.* 11. *Barbos. de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 93. *nu.* 2. sed potest etiam accipere extra Synodum, dummodo ad normam *Tridentini Concilii sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* accipiat præsentibus duobus a Capitulo, ac totidem a Clero Civitatis deputatis; *S. M. Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib.* 1. *cap.* 11. §. 4. ubi solum limitat si consuetudo Diœcesis ferat, ut rationes hæ accipiantur in Synodo.

Tertium demum est, quod si duæ Ecclesiæ Ca- 201 thedrales æque principaliter unitæ sint, non aliter Episcopus satisfaciat præcepto *Concilii Tridentini*, quam si in una itemque altera Ecclesia Cathedrali erigat Seminarium; idque quia verbum *Singulæ*, quo *Concilium Tridentinum* utitur distributive, refert dispositionem Decreti ad unamquamque Ecclesiam Cathedralem, ita ut tot esse debeant Seminaria, quot sunt Ecclesiæ Cathedrales; Consule *Lanfredin. Respons. Eccles.* 46. *fere per tot.* ubi etiam, & illud discutit, quando Seminarium dici queat erectum.

SEN-

SENTENTIA.

1 Sententia dicitur a *sentiendo*; eo quod Judex per eam quid super re proposita sentiat, declaret.
2 Unde Sententia est Judicialis decisio rei controversæ per pronunciationem Judicis rite factam liti finem imponens. *Est in re Communis*.
3 Sententia est duplex, una definitiva, & altera interlocutoria. *Communis*.
4 Sententia definitiva est illa, quæ principalem causam, seu controversiam in judicium deductam definit, eique finem imponit per absolutionem, vel condemnationem. Sic desumitur ex *l. 1. ff. de re judicata*, & eam ita definit Glossa *in Clementin. Unic. verb. Definita, de sequestr. possess.* Abbas ad *Rubric. de Sent. & re judicata num.* 4. Hostiens. *in summa num. 1. de Sentent. & re judicata*, & alii passim.
5 Sententia interlocutoria est illa, quæ non super principali causa, & controversia, sed super aliquo emergente, vel incidente articulo inter principium, & finem causæ fertur, ut v. gr. super dilationibus dandis, vel testibus producendis, recitandis, examinandis, repellendis, & similibus rebus incidenter in judicio se offerrentibus. Sic Glossa *loc. cit.* Abbas, *loc. cit.* Hostiens. *loc. cit.* & est *in re Communis*, & dicitur *Interlocutoria*, vel quia Judex in ista Sententia causam non definit, sed interloquitur inter principium, & finem. Vel quia inter partes loquendo sine solemnitate Scripturæ pronunciat; ut ex multis a se citatis tenet Fagn.
6 *in cap. Super, de appell. num.* 39. Unde quidquid Judex decernit, & statuit inter principium, & finem litis contestatæ ante Sententiam definitivam pertinens ad ipsam litem contestatam, dicitur Sententia interlocutoria. *Sic in re Communis Doctorum*.
7 Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam, & in interlocutoriam habentem vim
8 definitivæ. *Communis*. Sententia mere interlocu-
9 toria est illa mox definita. *Communis*. Sententia vero interlocutoria habens vim definitivæ est illa, quæ quidem causam principalem non definit, eam tamen ferme perimit, ut deducitur ex *l. Post Sententiam 6. Codic. de Sententiis, & interlocutionibus omnium Judic.* ubi dicitur: *Nec causam ullam, interlocutiones plerumque perimunt*: Dicitur enim notanter *plerumque*, quia interlocutio aliquando rem firme perimit, ut ex aliis notat Reiffenstuel
10 *lib. 2. Decretal. tit.* 27. §. 1. *num.* 17. Et proinde talis sententia interlocutoria dicitur habere vim Sententiæ definitivæ, ut est omnis illa sententia, postquam non speratur alia Sententia ferenda in eadem instantia, eo quod ipsi finem imponat, ut sententia absolutoria ab observatione Judicii. Sic etiam sententia per quam pronunciatur appellationem esse desertam, quia per talem quoque sententiam finitur instantia; Vel per quam alicui mulcta imponitur; Vel præcipitur aliquid esse dandum, aut faciendum; Vel per quam finitur Officium Judicis, ut si Judex interloquendo pronunciet se non esse Judicem competentem; Vel per quam definitur unus articulus substantialis controversiæ principalis; Vel per quam admittitur, seu rejicitur exceptio peremptoria, & aliæ similes, ut videri possunt apud Felinum *in Rubric. de sentent. & re judicata*, Pirhing *lib. 2. Decretal. tit.* 27. Reiffenstuel *ibidem*, & alios passim.

Inter sententiam definitivam, & mere interlocutoriam plures dantur differentiæ. Et prima est, 11
quod sententia definitiva non potest fieri nisi servato substantiali ordine Judiciario, aliter est nulla. Interlocutoria autem potest fieri sine ullo servato ordine Judiciario, cum de sua natura petat ferri solum super aliquo emergente, seu contingente articulo, circa quem interloquitur Judex, dum conficit processum, servato ordine Judiciario quo ad sententiam definitivam. Scaccia *tract. de Sentent. & re judicata, gloss.* 14. *q.* 4. *n.* 20. Maranta *par. 6. Speculi aurei tit. de Sententia n.* 31. Pirhing *lib. 2. Decret. tit. 27. numer. 1. vers. Porro*.

Secunda differentia est, quod Sententia definitiva non valet, nisi feratur in scriptis, & 12
ex scripto recitetur, *l. Statutis, 3. Cod. de sententiis ex periculo recitandis*, & *cap. Ultim. de sentent. & re judic. in 6.* Interlocutoria autem potest ferri sine scriptis, quamvis postea debeat redigi in scriptis, ut appareat de ipsa ex Actis. Glossa *in cit. cap. Ultim. verb. Definitiva, de sentent. & re judicat. in 6.* & alia Glossa *in c. Quoniam contra verb. Interlocutiones, de probationib.* Maranta *loco cit. num.* 12. Pirhing *loco cit. n. 1. vers. Porro*, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 29. & alii communiter.

Tertia differentia est, quod sententia definitiva non potest ferri, nisi Judice pro Tribunali se- 13
dente; *l. Cum sententiam 6. Cod. de sententia & interlocut. omn. Judic.* & nisi partibus præsentibus, aut saltem legitime citatis, & contumaciter absentibus, *l. Ea quæ 7. & l. Consentaneum 8. Cod. Quomodo, & quando Judex &c.* Secus autem est dicendum de sententia interlocutoria: Ista enim potest proferri etiam parte absente, ac per Nuncium, vel Epistolam; *l. Diem proferre 27. ff. de Receptis arbitr.* ubi Bartolus *in Summario*, Gloss. *in l. Nec quidquam, verb. Decretum, ff. de Offic. Proconsul.* Maranta *loco cit. num.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 30. Franciscus de Acceptantibus *tract. de Sententia definitiva, & interlocutoria num.* 8. & 10. & alii.

Quarta differentia est, quod sententia definitiva determinat controversiam principalem deductam 14
in Judicium, ut patet ex ejus Definitione tradita *supra num.* 4. Unde debet continere absolutionem, vel condemnationem, aliter non valet; *l. Res judicata 1. & l. Præses 27. ff. de re judicata*; Scaccia *loc. cit. n.* 1. Maranta *loc. cit. num.* 3. Reiffenstuel *loco cit. num.* 27. Speculator *tit. de Sententia §. Species, num.* 3. & alii; Interlocutoria autem non determinat, neque definit causam principalem, sed determinat solum articulos emergentes, & incidentes inter principium, & finem controversiæ principalis, ut liquet ex ejus definitione

tione tradita *supra numer.* 5. & tenet Communis Doctorum.

15 Quinta differentia est, quod sententia definitiva semel a Judice prolata ordinarie non potest ab eodem revocari; *l. Hac lege* 2. *Cod. de sententiis ex periculo recitand. & leg. Judex* 55. *ff. de re judicata*; *& cap. Quod bene* 6. *quæst.* 4. *& cap. In litteris* 9. *de Offic. Delegat.* Interlocutoria autem potest a Judice revocari ante subsecutam sententiam definitivam, *leg. Quod jussit* 14. *ff. de re judicata*, ubi Summarium ex Bartolo sic ait: *Judex potest suam sententiam interlocutoriam revocare, sed non definitivam*.

16 Et ratio hujus differentiæ est, quia *Judex posteaquam semel dixit sententiam* (definitivam) *Judex esse desinit. Et hoc Jure utimur, ut Judex, qui semel, vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit, semel enim male, seu bene officio functus est*, ut expresse dicitur *in citat. l. Judex*; Postquam autem dedit sententiam solum interlocutoriam, adhuc remanet Judex in eadem causa, donec eam totaliter terminet per sententiam definitivam, cum quo ad eum nondum transierit in rem judicatam, *cit. leg. Quod jussit* 14. *ff. de re judicata*.

17 Sexta differentia est, quod a sententia definitiva regulariter appellari potest; Secus autem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivæ, aut contineat damnum irreparabile; *leg. Ante sententiæ tempus* 7. *Cod. Quorum appellationes non recipiuntur*, juncta Glossa *verb. Discussores*. Et habetur expresse a Concilio Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 20. ubi sic decernit: *Neque appellationes ab eisdem* (Ordinariis locorum) *interpositæ per Superiores quoscumque recipiantur, nisi a definitiva vel a difinitæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat*. Et de hoc ipso adest *declaratio Sacræ Congr. Episcop. die* 16. *Octobris* 1600. *edita, & a Clemente VIII. approbata*, quæ per extensum una cum aliis novissimis Decretis refert sub verb. *Appellatio art.* 3. *a n.* 29. *usque in finem*. Vide *ibidem*.

18 Quibus autem in casibus, & quibus de causis possit appellari, tum a sententia definitiva, tum ab interlocutoria, tam de Jure Civili, quam Canonico, & Conciliari? Vide verb. *Appellatio art.* 4. *per tot.* ubi fuse de omnibus.

19 Antequam in Judicio ordinario deveniatur a Judice ad sententiam, debet prius a partibus fieri *conclusio in causa*. Sic expresse habetur *in cap. Judicantem* 30. *quæst.* 5. ibi: *Judicantem oportet cuncta &c. Nec litigantibus Judex prius velit sua sententia obviare; nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant*. Engel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 27. *num.* 1. Reiffenstuel *ibid. num.* 46. Vallensis *ibidem* §. 3. *num.* 1. & alii passim.

20 Dicitur autem notanter *in judicio ordinario*, quia in judicio summario, ubi simpliciter, & de plano proceditur, potest a Judice proferri sententia, etiam conclusione a partibus non facta, si ita ei videbitur expedire, textu expresso *in Clementina Sæpe contingit*, §. *Sententiam, de verb. significat. in* 6. ibi: *Sententiam vero definitivam* (*citatis ad id, licet non peremptorie, partibus*) *stans, vel sedens proferat, etiam* (*si ei videbitur*) *conclusione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in causa fuerit faciendum*.

Conclusio in causa potest fieri tam oretenus, 21 quam scripto, cum nulla certa solemnitas sit ad id a Iure præscripta. Immo non solum expresse, sed etiam tacite potest fieri conclusio in causa, si videlicet partes nulla facta formali renunciatione ulteriorum probationum, simpliciter a probationibus desistant, & a Judice sententiam postulent. *Communis*.

Consueta autem, & vulgaris formula faciendi 22 Conclusionem in causa est, quod partes in ultima sua Scriptura adjungant, quod *hisce in causa concludere, & se ad sententiam submittere velint*. Et hæc conclusio in causa solet interdum fieri *conditionate*, vel protestando, quod non aliter intendat quis in causa concludere, quam si etiam adversarius concluserit, & in sua Scriptura nihil novi posuerit, vel conclusioni suæ adjiciendo expresse hanc conditionem; *Nisi novæ probationes, vel nova instrumenta reperiantur*. Et revera hanc adjicere conditionem satis expedit, cum alioquin postquam partibus in causa conclusum pure, & absolute fuit ante sententiam, nulla admittatur nova exceptio, vel probatio, *cap. Cum venisset* 25. *& cap. De Testibus* 29. *de Testibus*, *cap. Cum dilectus* 9. *de Fide instrumentor.* Unde Mascard. *de probationib. quæst.* 17. *proœm. num.* 44. sic expresse *dicit*: *Conclusio in causa partibus os obstruit, & claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus*.

Respectu Judicis tamen nunquam concluditur 23 in causa; Unde ipse Judex, si sibi justum, & æquum visum fuerit, poterit etiam post conclusionem in causa factam a partibus novas probationes admittere, textu expresso *in cap. Pastoralis* 5. §. *penult. & ult. de causæ possess.* Immo ipse Judex post conclusionem in causa potest ex suo officio partes examinare, Testes interrogare, ac recipere pro informatione, & ulteriorem probationem ipsis partibus injungere, *cit. cap. Cum Joannes* 10. §. *ad hoc autem, de Fide instrum.* Fagnan. *in cap. Qualiter leg.* 2. *numer.* 67. *de accusat.* Gailus *lib.* 1. *Practic. Observat.* 107. *numer.* 5. Jason *in Repetit. leg. Admonendi num.* 62. *ff. de Jurejurand.* Farinac. *de Testibus q.* 75. *num.* 266. & alii apud ipsos.

Si una parte concludente in causa, altera pars 24 sese adhuc aliquid addendum habere asserat, est ei statuendus a Judice competens terminus ad id addendum, & allegandum, & in causa concludendum, & ne lites malitiose nimis in longum protrahantur, concedendæ ei sunt tres solum successivæ dilationes, seu prorogationes, quarum singulæ continent triginta dies, quibus elapsis Judex non amplius expectare, sed sententiam Legibus, & moribus, seu consuetudini consonantem proferre debet, textu expresso *in Authent. Jubemus*, *Cod. de Judiciis*, ibi: *Jubemus, ut si quando una pars allegationibus suis renuntiaverit, alia vero pars se habere, quod proponat, dixerit, Judex negotii modis omnibus eam partem, quæ utitur dilatione, compellat intra triginta dies, postquam altera pars alle-*

allegationibus renunciaverit, quidquid velit sine aliqua intermissione proponere. Quod si non fecerit, tunc ad ejus malitiam superamdam alius mensis indulgeatur a Judice. Si vero adhuc distulerit, alterius mensis dilatio ei præbeatur, ita ut, si usque ad prædictos tres menses suas non proposuerit allegationes, causæ cognitor non amplius expectans sententiam omnibus modis, Legibus, & moribus consonantem proferat, vel si voluerit, referat, ne litigatoribus male tractantibus liceat causarum exitus ultra protrahere; Reiffenstuel *loc. cit. num.* 53. Vallensis *loc. cit.* §. 3. *num.* 1. Engel *loc. cit. n.* 1. & alii passim.

25 Facta a partibus conclusione in causa, debet Judex, servatis ad rectam Sententiam requisitis, ad ipsam proferendam procedere; Requisita autem ad rectam sententiam difinitivam, quæ proprie, & absolute nomen sententiæ meretur, & de qua hic est sermo, alia sunt, quæ respiciunt solemnitatem Judicalem, seu modum, quo ipsa solemniter est promulganda, & alia, quæ concernunt ipsam ordinatam cognitionem causæ; Engel *loc. cit. n.* 6. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 57. & *Communis aliorum*.

26 Requisita prioris generis, nempe quæ respiciunt solemnitatem Judicialem sunt, quod sententia definitiva debeat in scriptis concipi, & per ipsum Judicem, & non per alium recitari: *leg. Arbitri* 1. & *leg. Hac Lege* 2. *Cod. de sententiis ex periculo recitandis*, & *cap. Etsi Sententia* 5. *de Sentent.* &
27 *re judicat. in* 6. Exceptis tamen Episcopis, & Personis illustribus quibus conceditur ob Dignitatis prærogativam, quod Sententiam a se latam per alios recitare possint, *leg. Hac Lege* 2. *Cod. de Sentent. ex periculo recitand.* & *cit. cap. Etsi*
28 *Sententia*. Item quod sententia proferatur a Judice non stante, vel ambulante, sed sedente pro Tribunali. *cit. cap. Etsi Sententia*, sive in loco publico, ubi Antecessores sui Jus reddere consueverunt; *leg. Cum sententia* 6. *Cod. de Sentent.* & *interloc. omn. Judic.* & *leg. penult. ff. de Justit.* &
29 *Jur.* Episcopus etiam potest in quolibet loco suæ Diœcesis non exempto per se, vel per alium pro Tribunali sedere, & Sententiam ferre; *cap. cum Episcopus* 7. *de Offic. Ordinar. in* 6. Sicuti, & Judex Delegatus ad aliquam causam particularem potest jurisdicendi causa eligere quemcumque sibi benevisum, honestum locum, cum ipse certam Sedem deputatam non habeat; *l. Si cum dies* §. *Si arbiter*, *ff. de Recept. Arb.*

(*) Id scilicet introductum est quo major foret judicii fides. Igitur discusso utrinque negotio judices deliberaturi secedebant post *Velum* in eum locum, qui *Secretarium* judiciis dicebatur, ubi formatam, emendatamque sententiam Actuario dictabant; mox statim in Auditorio partibus præsentibus recitabant ex libello. Hujus moris necessitatem confirmant Valens, Valentinianus, & Gratianus in *l.* 2. *Cod. de sent. ex peric. recit*. Jure Novellarum in litibus parvi momenti maxime inter viles personas judex potest absque scripto pronunciare. *Novell.* 17. *cap.* 3. Hoc quoque remittitur Episcopis, cum ipsi cognoscunt, ut præter jura a nostro auctore allegata definivit Justinianus *in Novell.* 83. *in princ.* Rursus ad modum quo sententia ferri debet illud quoque pertinet, quod decreta a Prætoribus latine interponi debent. *l.* 48. *ff. de rejudic.* (*).

Item, quod Sententia feratur, de die, & non 30
de nocte; *cap. Consuluit* 24. *de Offic. Delegat.*
Item quod Sententia feratur die non feriato; 31
cap. Omnes dies 1. & *cap. Conquestus* 5. *de Feriis* (*) nisi partibus consentientibus eo die sententia feratur. *l.* 4. *Cod. Quomodo, & quando Judex*. Item si judex sic datus est, ut certa die judicaret, sententia alia die lata injusta erit. *l.* 6. Cod. quando provocare. (*) Qui autem, & quot sint dies feriati? Vide verb. *Iudicium*. Item quod Judex citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam Sententiam; idque vel trina citatione, vel saltem una peremptoria; *leg. Ea quæ* 7. *leg. Consentaneum* 8. *Cod. Quomodo, & quando judex Sententiam proferre &c.* & *leg. De*
unoquoque 47. *ff. de re judicata*; Si autem aliqua 32
pars legitime citata, fuerit contumax, & cessante justo impedimento, noluerit comparere, poterit judex nihilominus procedere ad sententiam, cum legitime citati, & contumaciter absentes habeantur pro præsentibus, *leg. Properandum* 13. §. 3. *ff. de judiciis*, atque eorum contumacia litis damno coerceatur; *leg. Contumacia* 63. *ff. de re judicata*, ibi: *Contumacia eorum, qui Jus dicenti non obtemperant, litis damno coercetur: contumax est, qui tribus Edictis præpositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus, præsentiam sui facere contemnet*.

(*) Non modo ratione diei, verum etiam ratione loci injusta esse potest sententia si non publice, & in loco majorum feratur. *l.* 6. *Cod. de sent. & interlocut.* Item si certus locus ferendæ sententiæ designatus sit, alibi prolata nullius roboris est *l.* 5. *Cod. quomodo & quando judex* (*).

Requisita posterioris generis, nempe quæ con- 33
cernunt ipsam ordinatam causæ cognitionem, sunt, quod Sententia debet esse *Libello conformis*, idest conformis Scripturæ Actoris petitionem, & ejus causam continenti, *l. Ut fundus* 18. *ff. Communi dividundo*, *c. Qualiter, & quando* 24. *circa finem*, *de Accusationibus*, & *Clementin. Sæpe contingit*, *de verb. significat.* ibi: *Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet*. Et Glossa *ibidem verb. Formam*, ubi allegat alia Jura.

(*) Quamvis nihil referat, qua verborum conceptione utatur judex in condemnando vel absolvendo *l.* 59. *ff. de rejudic.* debet tamen sententia si definitiva sit, essentialiter continere vel condemnationem vel absolutionem *l.* 3. *l.* 11. *Cod. de sent. et interlocut.* Ea pariter irrita est Judicis pronunciatio, per quam mandetur partibus ut ad invicem paciscantur. *l.* 7. *Cod. eod.* Judex respondere debet de jure, non jubere concordiam, quam si voluissent, non adivissent judicem. Non proibetur tamen judici, quominus suadeat partibus, ut ineant concordiam, ut interdum contigisse apparet in Sacræ Rotæ tribunali, a quo pluries rescriptum fuit in causis maxime dubiis *placere de concordia* quin tamen partes ad concordiam adigeret (*).

Item quod Sententia sit certa, idest per eam 34
res,

res, vel quantitas determinetur, Non enim sufficit dicere: *Solve quod debes*: Sed quantitas ipsa rei debitæ est exprimenda, §. *Curare* 32. *Institut. de Actionibus*, ibi: *Curare autem debet Judex, ut omnino quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ, vel rei Sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est*. Et Glossa *ibid. verb. Possibile*; *leg. Hæc Sententia* 3. *& leg. Hæc Sententia* 4. *Cod. de Sententia, quæ sine certa quantitate profertur*.

(*) Nota tamen quod incerta dici nequit et proinde injusta dici nequit ea sententia, quæ certam quantitatem, aut certam rem non contineat, dummodo tamen relationem habeat ad aliquid, quod determinat id quod in sententia continetur. Hujus rei exempla habes in *l.* 5. §. 1. *l.* 59. §. 1. *ff. de rejudic. l.* 1. *&* 2. *Cod. de sent. quæ sine certa* (*).

35 Item quod Sententia non feratur sub conditione, dicendo, v. g. *condemno te, si Actor probaverit*, sed debet continere puram absolutionem, vel condemnationem; *leg.* 1. §. *Biduum, ff. Quando appellandum sit*, ibi: *Sane quidem non est dicenda sub conditione Sententia*; Et ratio est clara, quia ut expresse habetur *in leg. Præses* 3. *Cod. de Sententiis, & interlocutionib. omn. Judic. Præses Provinciæ non ignorat definitivam Sententiam, quæ condemnationem, vel absolutionem non continet, pro justa non haberi*.

(*) Item pro injusta haberi debet ea sententia, quæ aliquod impossibile præceptum continet, a qua ideo etiam sine causa appellatur. *l.* 3. in prin. & §. 1. *ff.* quæ sent. sin. Appel. (*).

36 Item Sententia debet esse Juri conformis, *leg. Si cum inter te, Cod. Quando provocare non est necesse, leg. Si expressim, ff. De appellationibus*, cum similibus, & *cap. Sententiam* 1. *de Sententia, & re judicata*, ubi sic expresse habetur: *Sententia contra Leges, Canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso Jure*.

(*) Multo magis injusta censenda est ea sententia, per quam definitur leges non esse observandas, per text. in l. 27. & l. 32. ff. de re judic. Possunt tamen contingere casus, in quibus videri queat, per sententiam leges tolli, & tunc hujusmodi sententia in suspenso manere debet per appellationem. Hujusmodi sententiarum exemplum habes in l. 1. §. 4. ff. quæ sent. sine appell. quæ lex, cum aliquantisper obscura sit, non sine Interprete videnda (*).

37 Sententia ferenda est intra tempus a Jure præscriptum; quod tempus de Jure Civili in causis Civilibus (exceptis causis Fiscalibus, & publicarum Functionum) est triennium; Causæ enim Civiles debent terminari intra triennium a tempore litis contestatæ numerandum, ne lites fiant pene immortales, textu expresso *in leg. properandum* 12.

38 §. 1. *Cod. de Judiciis*. In causis autem Criminalibus est biennium; Causæ enim Criminales intra duos annos pariter a contestatione litis computandos, terminandæ sunt, textu expresso *in leg. Criminales causas* 3. *Cod. Ut intra certum tempus Criminalis quæstio terminetur*, ibi: *Criminales causas intra duos annos a contestatione litis connumerandos finiri censemus. Nec ulla alia occasione ad ampliora produci tempora, sed post biennii excessum minime ulterius lite durante accusatum absolvi*. Unde ex citatis Juribus, aliisque consimilibus stat clarum; quod de Jure Civili perimitur instantia Judicii ex lapsu Triennii in Civilibus, si causa intra præfatum tempus a litis contestatione computandum, non finiatur, & a Judice non proferatur definitiva Sententia.

Secus autem est de Jure Canonico, ut clare pa- 39
tet ex *cap. Venerabilis* 20. *de Judiciis*; ubi Summus Pontifex Honorius III. expresse mandat Judici a se Delegato, ut lapsu triennii non obstante, procedat in causa sibi commissa. Et notat Glossa *ibid. verb. Non obstante*; Abbas *num.* 6. Barbosa *num.* 2. cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia, ut inquit Abbas *loco cit.* Jus Civile quo ad propositum, non fuit moribus receptum in Foro Ecclesiastico. Sic enim jam antea *in cap. Cum olim* 14. §. *Judiciis, Privilegiis* legitur factam esse condemnationem in expensis per quadriennium, quo Judicium duravit., & *in cap. Tum ex litteris* 5. *de in integrum restitut.*, lis duravit longe ultra triennium, prout declarat Glossa *ibid. verb. Sententia*.

Novissimo tamen Jure Civili Tridentini *Sess.* 24. 40
cap. 20. *de reformat.* statutum est, quod omnes causæ ad Forum Ecclesiasticum spectantes in prima instantia saltem infra biennium a die motæ litis terminentur, alioquin vero liceat partibus competentes Judices Superiores adire.

(*) Hactenus de requisitis tum intrinsecis, tum 41
extrinsecis sententiarum: sed de judicum, & litigantium personis nec quidem verbum factum est, ideo de his quoque nonnulla breviter indicanda. Quoad judicis personam generaliter statuendum est, ut is, *qui neque juris dictioni præest, neque ab eo, qui jus dandorum judicum habet, datus est, nec ex compromisso sumptus, vel ex aliqua lege confirmatus est, judex esse non potuit*. *l.* 81. *ff. de judiciis*. Sed nec cujusvis magistratus, qui alicui jurisdictioni præsit, aut judicis ab eo dati, sententia justa erit, sed ejus demum, qui inter litigatores, & de causa de qua litigatum est, fuerit competens. *l.* 4. *Cod. si a non compet. judic.* Sic exempli gratia cum magistratus militares, puta Magistri peditum aut equitum, nullam in privatæ conditionis homines jurisdictionem habeant. *l.* 1. *&* 2. *Cod. de offic. milit. judic.* ita nec in privatorum causis judices dare possunt. *l.* 2. *Cod. eod.* l. 23. §. 1. ff. de appellat. Qui vero judices competentes sint, jam alibi ostensum est. Judici incompetenti similis est, qui in judicando fines suæ jurisdictionis excessit, puta mulctam sua jurisdictione majorem dixit. l. 5. Cod. quando provoc. non est cesse.

Cum a judice dato Sententia lata est, non solum 42
hoc requiritur, ut Magistratus, qui eum dedit, fuerit competens, sed item requiritur, ut is judex datus fuerit, qui judex esse possit. Item ut delegationis suæ fines non excesserit. *l.* 170., sive ut alii legunt. *l.* 130. *ff. de reg. jur.* Hinc *Judex ad certam rem datus*, si de aliis pronunciavit, quam quod ad eam rem pertinet, nihil egit. l. 1. Cod. si a non compet. judic. Cæterum quamvis formula, qua delega-

legatur judex, condemnationis dumtaxat mentionem facere soleat, tamen & absolvendi, si ita videbitur, facultas ei delegata intelligitur. l. 3. ff. de rejudic. l. 37. ff. de reg. jur. Similiter videntur fines delegationis suæ excessisse illi judices, qui, dum plures dati sunt, absentibus aliis, judicium dixerunt. *l.* 4. *Cod. quando provocare. l. 36. l. 37. l. 39. ff. de rejudicat.* Non tamen necesse est, ut omnes in eamdem sententiam conveniant, dummodo omnes adsint, & major pars conveniat. Diximus, modo omnes judices adfuerint, quod ex majoris partis sententia statutum est, valere; quamvis quidam aut juraverint de causa sibi non liquere, aut etiam contra senserint. At inter pares numero judices, si dissonæ sententiæ proferantur in liberalibus quidem causis, inter quas nunc recenseri possent causæ fidei commissariæ, & super legitimitate personarum, pro libertate statutum obtinet, in aliis autem causis pro eo, quod & in judiciis publicis obtinere oportet. *l.* 38. *ff. de re judic.* Enim vero favorabiliores rei, quam actores habentur. *l.* 125. *alias* 167. *ff. de reg. jur.* Hinc cum quis querela inofficiosi experitur, si pars judicantium de inofficioso testamento contra testamentum, pars vero secundum id sententiam dederit, quod interdum fieri solet, humanius erit sequi ejus partis sententiam, quæ secundum testamentum spectavit, nisi aperte judices inique secundum scriptum hæredem pronunciasse appareat. *l.* 10. *ff. de inoffic. Test.* Si duo judices oppositas pronuncient sententias, utraque in pendenti est, donec judex competens suum ferat judicium. Sed si diversis summis condemnent, tunc minima pendenda est. *l.* 28. *& l.* 38. §. 1. *ff. de re judic.* & ratio est quia minor summa in majori quoque continetur & ideo in hanc omnes conveniunt. l. 27. §. 3. ff. de receptis.

43 Hactenus de personis Judicum, nunc videndum de personis litigantium, circa quas id maxime requiritur, ut fuerint in humanis tempore latæ sententiæ, vel judicis dati. Nam contra defunctos nullum valet judicium. *l.* 2. *ff. quæ senten. sine appell. l.* 2. §. 1. *& l.* 59. §. *fin. ff. de re judic.* Illud quoque requiritur, ut inter eas personas sententia lata sit, quæ rem in judicium deduxerint. *l.* 1. *Cod. de sentent. & interlocut.* Item oportet, ut inter eas personas lata sit, quæ stare in judicio potuerint. Quæ autem sint personæ quæ in judicio stare possunt, vel non, vidimus supra de Judiciis. Si minor condemnetur, requiritur, ut sit defensus, alias sine tutore, vel curatore illi dato nulla erit sententia l. 45. §. 2. ff. de re judic. Quod dicimus de minoribus, obtinet etiam de republica, & Civitatibus *l.* 1. *Cod. de jur. Reipubl.* & de furiosis l. 9. ff. de re judic.

44 Denique requiritur ut omnes, quorum interest, adsint dum judicium profertur, ut supra notavit Auctor, & statuit. *l.* 47. *ff. de re judic.* Sed si quis litem contestatus sit cum pluribus, quorum alii adsint, alii absint, & causa dividi possit, potest judex de causa præsentium judicare *l.* 45. *ff. de judic.* Ut vero etiam contra absentes judicium ferri possit requiritur, ut si præcedant denunciationes, & denunciatus non responderit, tunc enim condemnatur per contumaciam, *l.* 3. *Cod. quomodo, & quando judic.* Hoc excepto casu, nunquam contra absentem lata sententia valet, at valet si ipsius favore prolata sit. l. 19. Cod. ad Leg. Jul. de adult. 45

Antequam ad res judicatas transeamus videndum primo quæ, & quorum judicum sententiæ rem judicatam faciant. Non enim omnes sententiæ in rem judicatam transeunt, sed *res judicatæ videntur ab his qui imperium potestatemque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur, itemque a magistratibus municipalibus usque ad summam, de qua jus dicere possunt, itemque ab his, qui ab Imperatore extra ordinem petuntur.* Ita docet *Paulus recep. sent. lib.* 5. *tit.* 5. §. 1. & prosequitur ad alias sententias quæ rem judicatam non faciunt ibidem. Ex compromisso autem judex sumptus rem judicatam non facit, sed si pœna inter eos promissa sit, pœna rei in judicium deductæ ex stipulatu peti potest. Quidquid illi, quos enumeravimus, definitive pronunciaverunt seu statuerunt, si nullo formæ vitio laboret, rem judicatam facit (*).

Tunc vero demum Sententia definitiva regulariter transit in Rem judicatam, si post decendium, seu infra decem dies a sua prolatione non appelletur ab ipsa, adeo ut postea retractari non possit, & contradicere volens amplius non audiatur. *Communis*, textu expresso *in Authent. Hodie*; Juncta Glossa *ibidem*, *Cod. de Appellat.* & *cap. Anteriorum* 28. *caus.* 2. *qu.* 6. ubi revocato biduo, vel triduo antiquitus ad appellandum duntaxat concesso sic expresse statuitur: *Sancimus, omnes appellationes, sive per se, sive per Procuratores, sive per Defensores, vel Curatores, & Tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione Sententiæ numerandum, Judicibus, ab his, quorum interest, afferri*, & clarissime in ejus Summario: *Infra decem dies remedium appellationis conceditur*, & expresse habetur *in cap. Quod ad consultationem* 15. *de Sententia & re judicata*, ibi: *Cum post decem dierum spatium Sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpretationem Juris latæ Sententiæ paruisse.* 46

Item Sententia definitiva transit in Rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum est; postea tamen appellatio fuit deserta, textu expresso *in Authent. Ei, qui appellat, Cod. de temporibus, & reparationibus appellationum*, ibi: *Ei, qui appellat, impertitur annus, intra quem secundum se communiterve cum adversario litem exequatur, aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur, quo transacto, lite non completa, rata manet Sententia*, ac si non fuisset appellatum, subjungit Glossa *ib. vers. Manet.* 47

In aliquibus tamen causis Sententia post decendium non transit in rem judicatam, & signanter Sententia lata in causis Matrimonialibus, quæ revocantur, quandocumque constat de errore. *Communis*, textu expresso *in cap. Lator* 7. *de Sententia, & re judicata.* 48

Item sententia non transit in rem judicatam in Beneficialibus, argumento a simili desumpto ex Matrimonio carnali ad spirituale, juxta *cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* & tenent Abbas 49

bas *in cap. Cum dilectus n. 3. de Election.* Maranta *part. 6. Speculi aurei tit. de Sententia num.* 150. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 123. & alii. Qui tamen istud intelligunt quoad præjudicium Superioris, per text. *in cap. Cum Bertoldus* 18. *de sententia & re judicata*, Secus quo ad præjudicium ipsarum partium ut tenet etiam Glossa *in cap.* 1. *de concessione Præbendæ*.

45 Item sententia non transit in rem judicatam in iis causis, & casibus, in quibus ejus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile, *arg. cap. cum tanto* 11. *de consuetudine*, *& cap. Quoniam omne* 20. *de præscription.* cum similibus & docent Glossa *final. in cap. Inter Monasterium*, *de Sentent. & re judicata*, Innocent. *ib. in fine*, Maranta *loc. cit. num.* 147. Abbas *in cap. Lator* 7. *de Sentent. & re judicat. n. 9.* Hostiens. & Joannes Andreas *ib. num.* 5. Pirhing *lib.* 2. *Decret. tit.* 27. *numer.* 49. Reiffenstuel *ibid. numer.* 125. & alii passim.

46 Res autem judicata proprie sumpta dicitur Sententia, quæ post lapsum decem dierum accepit auctoritatem, & vires rei judicatæ; adeo ut pro veritate accipiatur, & postea retractari non possit, & quicumque velit contradicere, non audiatur. Unde *in l. Res judicata* 207. *de Reg. Iuris*, sic expresse dicitur: *Res judicata pro veritate accipitur*.

47 Quandonam vero incipiat currere, & quomodo debeat currere dictum decendium, post quod Sententia transit in rem judicatam? Vide verb. *Appellatio art.* 8. *n.* 6. 7. 8.

48 Sententia inter aliquos lata nec præjudicat, nec prodest aliis. *Communis*, textu expresso *in l. Res inter alios judicatæ* 2. *Cod. Quibus res judicata non nocet*, ibi: *Res inter alios judicatæ neque emolumentum afferre his, qui in Judicio non interfuerunt, neque præjudicium solent irrogare*. Et concordant *l. si neque* 1. *l. Juris manifestissimi* 3. *l. Nec in simili* 4. *Cod. eod. l. Inter alios res gestas* 1. *l. Inter alios factam* 2. *l. Si cum fratre* 3. *Cod. Inter alios acta, vel judicata aliis non nocere*, *l. Sæpe constitutum est* 63. *ff. de re judicata*, *& de effectu Sententiar. & de interlocutionib. cap. inter dilectos* 6. §. *In omnibus*, *de Fide Instrumentor.* ibi: *Cum ipsa Sententia lata fuerit inter alios, & res inter alios acta aliis non præjudicet*, *cap. Cum super* 17. *de Sententia & re judicata, in fine*, ibi: *Cum res inter alios acta non noceat regulariter aliis juxta Constitutiones Canonicas, & Civiles*, *cap. Quamvis* 25. *eod. tit.* ibi: *Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios judicata*.

49 In variis tamen causis Sententia lata inter alios potest aliis nocere, aut prodesse. Et signanter in causis connexis, ut colligitur clare *ex cap. Tantis Daniel* 3. *dist.* 81. ubi sententia lata contra indigne Ordinatum præjudicat Ordinanti, ut recte notat Glossa *ibid. in fine*. Et concordat *cap. ad petitionem* 22. juncta Glossa *ibid. verb. Per consequentiam*, *de Accusationib. cap. Hæc quippe* 10. *caus.* 3. *qu.* 6. juncta Glossa *ibid. verb. His amotis*.

50 Item in re individua, & pluribus communi; Tunc enim *victoria unius aliis proderit*, ut statuitur *in l. Loci* 4. §. 3. *ff. Si Servitus vindicetur*, ubi est sermo de servitute itineris, respectu cujus competit actio pluribus in solidum, & concordat *cap. Una sententia* 72. *de appellat.* ubi sic expresse habetur: *Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria Jure communi ceteris suffragatur, si communi Jure juventur, idemque negotium, & eadem causa defensionis existat*.

Item in duobus casibus assignatis *in cap. Quamvis* 25. *de sententia, & re Judicata*, ibi: *Quamvis regulariter alii non noceat res inter alios judicata. Et tamen, cui cum sibi primum de ea re actio, vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere: At illi etiam, qui passus est eum, a quo causam habuit, experiri, est præjudicium generatum*. Ubi ut vides, statuit Pontifex, quod sententia contra alterum lata noceat etiam ei, qui cum sibi primum de re quapiam actio, vel defensio competeret, passus fuit litigare sequentem, id est illum, cui secundo loco competebat ejusmodi actio. Et sic etiam de illo, qui passus est alterum agere, a quo causam habuit. Et idem clare statuitur *in l. Sæpe constitutum est* 63. *ff. de re judicata*, in cujus Summario Bartolus sic expresse habet: *Sententia lata contra unum non præjudicat alteri qui eum prohibere non poterat, vel ab eo causam non habebat; Secus si poterat prohibere, & ab eo causam habebat, & sciens erat*. 51

Item sententia lata contra unum nocet alteri, 52
quod is actionem mandavit, vel ratam habuit. *Communis*, & colligitur clare a sensu contrario ex *leg. Si neque* 1. *Cod. Quibus res judicata non nocet*, ibi; *Si neque mandasti fratri tuo defensionem rei tuæ, neque quod gestum est, ratum habuisti, præscriptio rei judicatæ tibi non oberit*; Ubi, ut vides, a sensu contrario videtur statui, quod tibi obsit, si mandasti, quod gestum est, vel ratum habuisti.

In sententia victus victori in expensis est con- 53
demnandus; *leg. Eum quem temere* 79. *ff. de judiciis*, *leg. Properandum* 13. §. 6. *Cod. de judiciis*, *Institut. de pœna temere litigantium* §. 2. *in fine*, ibi: *Improbus litigator, & damnum, & impensas litis inferre adversario suo cogatur*, *cap. Finem litibus* 5. *de dolo, & contum. c. Contumac.* 4. *de pœnis*.

Et hoc procedit nedum in causis Civilibus, sed 54
etiam in Criminalibus, Glossa *final. in cap. Cum dilecti* 6. *de dolo, & contumac.* & Abbas *ibid. num.* 17. Gailus *lib.* 1. *Pract. observ.* 152. *num.* 1. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *l. cit. numer.* 177. Card. de Luca *disc.* 39. *de Judiciis num.* 7. ubi dicit, quod, refectio expensarum Judicialium est debita tamquam species pœnæ injunctæ temere litigantibus ex dispositione Juris, adeoque debet habere locum in omni causa etiam Criminali, ubi talis temeritas litigatoris intervenit.

Non est tamen victus condemnandus in expen- 55
sis, quando habuit justam causam litigandi; In tali enim casu expensæ compensantur; *leg. Qui solitum* 78. §. 2. *ff. de Legatis* 2. Glossa *ibidem verb. In litis sumptibus*. Inde inferens, quod *justa ignorantia excusat a litis sumptibus*. Idem tradit Glossa *in cap. Finem litibus* 5. *de dolo, & contumac. verb. Expensas*, Abbas *ib. num.* 22. Barbosa *num.* 6. & Gai-

& Gailus *tit. Observ.* 152. *numer.* 3. testans de com.

56 Quando autem quis censeatur habere justam causam litigandi? relinquitur arbitrio Judicis, qui ex qualitate facti, & conditione personarum id debet arbitrari. Ita Abbas *in cit. c. Finem num.* 25. *&* 26. Barbosa *ibid. num.*7. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Judic. caus.* 177. *num.* 2. *& seq.* Jason *in cit. l. Properandum* §. 6. *num.* 8. *C. de Judiciis*, Reiffenst. *loc. cit. num.* 179. ubi *a num.* 180. ex Menoch. & Jason affert pro exemplis plures casus, in quibus litigans censetur habere justam causam litigandi. Unde si succumbat, non est in expensis condemnandus.

57 Judex non condemnans victum victori in expensis, quando istæ sive explicite, sive simplicite, fuerunt petitæ, tenetur ipsas resarcire de suo, textu expresso *in cit. l. Properandum* 13. §. 6. *Cod. de Judiciis*, ibi: *Omnes judices, qui sub imperio constituti sunt, sciant victum in expensarum causa victori esse condemnandum quantum pro solitis expensis litium juraverit. Non ignorantes, quod si hoc prætermiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subjacebunt, & reddere eam parti læsæ coarctabuntur; leg. Constitutio* 5. *Cod. de fructibus, & litium expensis*, ibi: *Quod si judex hoc non fecerit, ipse parti victrici damnum illud compensare cogitur.* Et sic tenent Doctores commun.

58 In eadem causa non potest ab eodem tertio appellari a sententia, quæ fuit bis confirmata, *leg. Unic. Cod. Ne liceat in una eademque causa ter provocare*, *cap. Sua nobis* 65. *de Appellat.* juncto ejus Summario, in quo præcise dicitur: *Ab eadem sententia ab eodem tertio appellare non licet.*

59 Et hoc verum est non solum in Appellatione a definitiva, sed etiam in Appellatione ab interlocutoria. Barbosa *in cap. cit. Sua nobis num.* 2. cum aliis multis ibi citatis, Scaccia *tract. de Appellat. qu.* 17. *limit.* 1. *numer.* 3. Reiffenstuel *lib.* 2. *decretal. tit.* 28. *num.* 312. Pirhing *ibid. num.* 130. &

60 alii passim. Immo hoc verificatur etiam in sententiis, quæ non transeunt in Rem judicatam. Licet enim in his possit causa de novo inchoari, non potest tamen tertio appellari. Abbas *in cit. cap. Sua nobis n.* 3. Barbosa *ib. n.* 2. Pirhing *lib.* 2. *Decretal. tit.* 28. *n.* 126. Reiffenstuel *ibid. num.* 312.

61 & alii. Et hoc adeo verum est, ut nec Papa, nec alius Princeps Supremus possit potestate ordinaria per viam Rescripti concedere, quod tertio appelletur ab eodem in eadem causa, quamvis possit per viam privilegii, & ex certa scientia hoc Princeps supremus concedere; Pirhing *lib.* 2. *Decretal. tit.* 28. *n.* 126. Alexander de Nævo *ib. num.* 20. Reiffenstuel *l. c. n.* 315. Scaccia *l. c. n.* 2. Marchesanus *de Commis. part.* 2. *de Com. super nullit. cap.* 2. *num.* 1. *fol.* 140. & alii.

62 Potest tamen ab eodem appellari pluries, v. g. centies, & millies, si centies, & millies gravaretur supra diversis articulis, licet in una eademque causa, *cap. Quoties Episcopi* 16. *caus.* 2. *quæst.* 6. ubi dicitur, quod quoties Episcopi putaverint se gravari a suo Metropolitano, possint ad Romanam Sedem appellare. Glossa *in cap. Directæ* 39. *de Appellat. verb. Appellare*, Abbas *in cap. Sua nobis* 65. *de Appell. num.* 7. Barbosa *ib. num.* 2. cum variis aliis, Scaccia *in tract. de appell. quæst.* 17. *num.* 18. *&* 40. Pirhing *lib.* 2. *Decr. tit.* 28. *num.* 127. & alii passim.

In eadem causa, & super eodem articulo licet 63
utrique parti collitigantium bis appellare successive, & sic in eadem causa, & super eodem articulo possunt utrinque interponi quatuor appellationes. Detur casus, v. g. quod Petrus contra Paulum litigans appellet a sententia contra se lata, & succumbat, tunc Petrus potest adhuc secundo appellare, & si in secunda sua appellatione obtineat victoriam causæ, tunc Paulus ejus adversarius poterit etiam ipse appellare, & erit tertia appellatio in eadem causa, & super eodem articulo & si feratur sententia contra ipsum Paulum, poterit adhuc Paulus appellare, & erit quarta appellatio in eadem causa, & super eodem articulo, post quam quartam appellationem nec Petro, nec Paulo licebit amplius appellare, cum jam uterque bis appellaverit, & sic victoria causæ remanebit illi, qui in quarta, & ultima appellatione sententiam favorabilem obtinendo tres conformes sententias in eadem causa, & super eodem articulo reportavit, *arg. Clementin. Ut calumniis litigantium*, *de Sententia, & re judicata*, Abbas *loc. cit. num.* 8. Barbosa *loc. cit. num.* 2. & alii passim.

Hinc is, contra quem in aliqua causa, sive Ci- 64
vili, sive Criminali, sive Mixta, sive in petitorio, sive in possessorio tres sententiæ conformes sunt latæ, admitti non debet ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum antequam hujusmodi sententiæ plene fuerint executioni mandatæ, textu expresso *in cit. Clementin. Ut Calumniis litigantium* 1. *de sententia, & re judicata*, juncta Glossa *ib. verb. Quavis*. Rota recent. *part.* 9. *tom.* 2. *decis.* 488. *num.* 21. *part.* 17. *decis.* 86. *num.* 2. Pirhing *lib.* 2. *tit.* 27. *num.* 114. Ventrigl. *tom.* 1. *annot.* 35. §. *Unic. de sententiis conformibus num.* 2. *& Comm. aliorum*.

Et hoc procedit de tribus sententiis conformibus, 65
sive definitivis, sive interlocutoriis. Dicta enim Clementina loquitur simpliciter de tribus sententiis conformibus, non distinguens de definitivis, aut interlocutoriis; Ubi autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *l. De pretio* 8. *ff. de Publiciana in rem actione*, *c. Quia circa* 22. *de privileg.* ideo debet intelligi tam de interlocutoriis, quam de definitivis. Glossa *in d. Clement. Ut calumniis verb. Sententias*, & Abbas *ibid. num.* 3. Covarruv. *Pract. quæst. c.* 25. *num.* 3. §. 5. Pirhing *loc. cit. n.* 116. & alii passim.

Item dicta Clementina procedit de tribus sen- 66
tentiis conformibus in quavis causa, sive Civili, sive Criminali, sive Mixta; Id enim clare indicant verba ipsiusmet Clementinæ, *in quavis causa*, ut expresse notat Glossa communiter recepta *ibid. verb. Quavis*, Covarruvias *loc. cit. num.* 115. Ventriglia *loc. cit. num.* 2. & alii passim.

Cum hoc tamen, quod in causis Criminalibus 67
tres sententiæ conformes prius exequi debent, antequam agatur de nullitate sententiarum, solum ubi agitur de pœnis, quæ post executionem retractari adhuc possunt, ac revocari; Ut si Reus condemna-

demnatus sit ad pœnam pecuniariam, tunc equidem debet prius fieri executio dictæ pœnæ pecuniariæ, & postea agi de nullitate sententiarum. Secus autem ubi agitur de pœnis, quæ post executionem retractari, ac revocari amplius non possunt. Ut si Reus condemnatus sit ad triremes, ad mutilationem, vel ad mortem, tunc enim prius agi debet de nullitate Sententiarum, quam fiat executio, alias frustra postea ageretur de illa. Sic Abbas *in cit. Clementin. num.* 1. Covarruv. *loc. cit. num.* 3. cum multis aliis ibi relatis, Pirhing *loc.cit. num.* 115. Franch. *decis.* 139. Ventriglia *loc.c. nu.* 2. &

68 alii. Immo, ut tenet Abbas *in cit. Clementin. numer.* 5. Ricc. ad Franch. *dec.* 139. cum pluribus aliis ibi citatis, Ventriglia *loc. cit. numer.* 2. & alii, hoc procedit etiam in causis Civilibus: In ipsis enim, quando executio est irretractabilis, non proceditur ad illam vigore trium conformium sententiarum, antequam agatur de earum nullitate.

69 Ad hoc, ut tres Sententiæ conformes debeant, & possint exequi, non obstante exceptione nullitatis, vel appellatione, debent esse latæ super eodem articulo, & non super diversis; habetur clare *ex dicta Clem.* & notant Glossa *ibid. verb. Tres*, & Abbas *num.* 2. Pirhing *loc. cit. num.* 115. *vers. Notandum tertio*; Ventriglia *loc. cit. num.* 3. & alii. Et ratio est, quia si sententiæ essent latæ super diversis articulis, cessaret ratio dispositionis dictæ Clementinæ, quæ est præsumptio calumniæ, in qua illa fundatur.

70 Potest tamen aliquis tertius pro suo interesse opponere exceptionem nullitatis sententiæ, & impedire executionem trium sententiarum conformium Dummodo ille tertius nondum bis appellaverit (cum de Jure ex dictis *supra n.* 58. non possit nisi bis, & non tertio appellari) sed adhuc appellare possit a sententia, quæ illi nocet. Tunc enim poterit ille tertius per exceptionem nullitatis impedire executionem sententiæ. Covarruv. *Practic. qu. cap.* 25. *num.* 9. Gabriel *commun. conclus.* 2. *tit. de executión. Sentent. conclus.* 1. *num.* 10. Pirhing *loc. cit. num.* 116. *vers. Notandum quinto*, Ventrigl. *loc. cit. num.* 16. Marescot. *Var. resolut. lib.* 1. *cap.* 86. *num.* 55. & alii.

71 Sententiæ illæ dicuntur conformes, quarum una confirmat aliam. Ad hoc tamen non est necesse, quod una confirmet aliam expresse, sed sufficit, quod in substantia idem contineant, & non sint difformes quo ad substantiam, vel qualitatem principalem. Gabriel *loc. cit. num.* 33. *&* 34. Barbosa *in cit. Clementin. Ut calumniis num.* 11. Pirhing *loc. cit. vers. Notandum sexto*, & alii communiter.

72 Non dicuntur tamen tres sententiæ conformes, si duæ sententiæ sint latæ in principali, & tertia super desertione appellationis propositæ a duabus prædictis sententiis. Unde in hoc casu potest impediri executio per exceptionem nullitatis, & sic non habet locum dispositio dictæ Clementinæ. Sic Rota *in antiquis decis.* 427. Bald. *in leg.* 2. *Cod. de Episc. aud. & in leg. Eas, Cod. de Appellat. in princip.* Oldrad. *consil.* 106. Felin. *in rubr. de Re judicat. Col.* 8. Romani *Singul.* 487. & alii.

73 Executio sententiæ fieri debet regulariter ab illo Judice, qui eam tulit, dummodo is sit Judex Ordinarius: *leg. A Divo Pio* 15. *in princ.* juncta Glossa *verb. a se*, *ff. de re judicata*, *c. Si quis* 4. juncta Glossa *ib. verb. Ipsius solicitudine*, *de Foro competenti*, Maranta *de ordin. judic. part.* 6. *tit. de execut. sentent. in* 3. *actu num.* 2. Pirhing *lib.* 2. *Decretal. tit.* 27. *num.* 99. Reiffenst. *ib. num.* 167. & alii passim.

Judex Delegatus Papæ potest sententiam suam exequi, & quidem usque ad annum, *cap. In litteris* 9. *cap. Quærenti* 26. *& cap. Pastoralis* 28. §. *Præterea*, *de Offic. Delegati*. Quam sententiam exequi potest sive per se, sive per alium, *cit. cap. In litteris*. Immo Delegatus Papæ potest executionem suæ sententiæ committere Judici Ordinario, qui omnimode tenetur ejus mandato obedire, & ejus sententiam exequi, *cap. Significasti* 7. *& cit. cap. Pastoralis* 28. §. *Quia vero de Offic. Delegat.* 74

Item Delegatus Principis supremi potest suam sententiam exequi; *leg. Cum specialis Judex* 18. *Cod. de Judiciis*, Menoch. *lib.* 1. *de Arbitr. Judic. q.* 74. *num.* 48. cum aliis ibi citatis, Pirhing *l.cit. num.* 99. testans de communi. 75

Delegatus ab inferiori Magistratu, ut ab Episcopo, seu ab alio, quam a Principe supremo, probabilius non potest exequi suam sententiam, sed debet executionem Deleganti remittere; *leg. A Divo Pio* 15. §. 1. *ff. de re judicata*, ibi: *Judicum a se datorum, vel Arbitrorum sententiam exequantur ii, qui eos dederunt*, ac tradit Bartolus *ibidem* cum aliis. Et idem colligitur *ex cap. Si quis contra* 4. *de Foro competenti*, ubi Episcopus, qui ut suspectus legitime recusatur, potest dare Delegatum partibus non suspectum, cujus sententiam ipse exequatur. Sic tenet etiam Menoch. *loc. cit. nu.* 52. Maranta *loc. cit. num.* 4. Reiffenstuel. *loc. cit. n.* 170. testans de de communiori. Pirhing *l. c. n.* 99. dicens id communiter teneri, quia lata sententia a delegato ab alio, quam a Principe supremo, statim omne ejus officium expirat; *l. Judex* 5. *ff. de re judicata*, adeoque non potest ipse exequi suam sententiam, sed debet ejus executionem remittere ad delegantem. 76

Contrarium tamen docet Glossa *in cit. cap. Si quis contra* 4. *de Foro competenti*, *verb. Ipsius solicitudine*, & *ibid.* Abbas *n.* 32. Imola *n.* 2. quia, inquit Glossa a supradictis secuta, eo ipso, quod Judici Delegato causa committitur, intelliguntur ei omnia illa commissa esse, quæ ad causam ipsam spectant, & sine quibus causa ipsa expediri non potest, *ut cap. Præterea* 5. *& c. Suspicionis* 39. *de offic. Delegat.* Et *ibid.* Glossa respondet ad textus *n. præcedenti* allegatos, quia, dicit, quamvis in in ipsis dicatur, quod Ordinarius exequitur sententiam a Delegato latam, non tamen ibi prohibetur quo minus etiam id possit Delegatus, saltem si absens sit Judex Ordinarius. 77

Post latam a Judice sententiam definitivam non est statim ipsa executioni mandanda in actionibus, & causis Civilibus, sed in actionibus realibus expectandum est saltem per decem dies, priusquam executio fiat, & in actionibus, & debitis personalibus expectandum est per quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur; *cap. Quod ad consultationem* 15. *de sentent. & re judicata*, 78

cata, *l. Eos*, *qui* 2. & *l. Sancimus* 3. *Cod. de usuris rei judicatæ*. Et quidem quod in actionibus realibus expectandum sit saltem per decem dies, clare patet; quia ante elapsum decendium sententia nec dum transiit in rem judicatam, immo ab eadem potest adhuc condemnatus appellare. *Authent. Hodie*, *Cod. de appellat. cap. Anteriorem* 28. *caus.* 2. *q.* 6. *c. Quod ad consultationem* 15. *de sentent. & re judicata*, adeoque ante elapsum decendium non potest fieri executio sententiæ in actionibus realibus. Quod autem in actionibus & debitis personalibus expectandum sit per quadrimestre, ratio est, quia alteri obligatus actione personali non detinet rem alterius, pro ut contingit in obligato alteri actione seu debito reali. Unde jure merito pro executione sententiæ in actionibus, & debitis personalibus Jura concesserunt quadrimestre ad solvendum, *cit. l. Eos*, *qui* 2. & *l. Sancimus* 3. *Cod. de usuris rei judicatæ*, *c. Quod ad consultationem* 15. *de sent. & re judicata*, *c. Quærenti* 26. juncta Glossa *verb. Quadrimestre*, *de Offic. Delegati*. Sic Pirhing *loc. cit. num.* 100. Reiffenst. *loc. cit. a num.* 160. & alii passim.

79 Dicitur autem notanter *In actionibus & causis Civilibus*, quia secus dicendum est de causis, & actionibus Criminalibus. In istis enim crimine liquidato, & prolata sententia, statim fieri potest executio; *l. Cum reis* 18. *Cod. de pœnis*, & docent Bartol. *in l. Quod ultimo* 29. *numer.* 5. *ff. de pœnis*, Pirhing *loc. cit. num.* 100. Reiffenst. *loc. cit. num.* 161. Layman *in c. Quærenti* 26. *num.* 2. *de Offic. Delegati*, cum aliis ibi citatis, ubi insuper subjungit, quod in Imperio criminaliter condemnatis remedium appellationis non concedatur; Ursaya *Instit. Crimin. lib.* 4. *tit.* 9. *num.* 27. & alii contra alios.

80 Si condemnatus ad mortem nolit se disponere ad Christiane moriendum, sed mori velit desperatus, & impœnitens, adhuc ducitur ad patibulum, & suspenditur. Muta *ad Pragmatic. Regni Sicil. tit.* 41. *ne condemnat. ad mortem n.* 15. Rayn. *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. *vers. Dicit quarto*, cum Cassan. ibi cit. Ursaya *Instit. Criminal. lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 115. ubi *n.* 16. sic subjungit: Verum tamen est, quod omnes solent adhiberi diligentiæ, antequam id ad praxim reducatur, quia raro id evenit, ex quo quando condemnati observant, quod eodem prætextu non obstante, ad executionem deveniunt Justitiæ Ministri, ut plurimum ad bene moriendum se disponunt. Et *de Angel. ubi proxime*, ubi quod non debet fieri executio, nisi consulto Principe. Hactenus ille.

81 Alia ad rem; Vide verb. *Appellatio*, verb. *Judex*, verb. *Judicium*.

82 Sententiam condemnatoriam D. N. J. C. sequentibus verbis fuisse conceptam refert P. Mazzolin. nella *Predic.* 36. *num.* 13. *Jesum seducentem populum blasphemantem Deum*, *dicentem se Christum Judæorum esse*, *Cruci affigendum condemno*, & *adjudico* .... Illius vero tenorem diversimode refert Nicolius *in Floscul. verb. Judicium ante finem*. *Ego Pontius Pilatus Judex in Jerusalem sub potentissimo Cæsare Tiberio*, *cui felix*, & *faustum sit Imperium*, *cum sederem pro Tribunali*, *ac Jus omnibus etiam Synagogæ Judæorum dicerem*, *audita*, & *cognita causa Jesu Nazareni*, *quem Judæi vinctum adduxerunt*, *sic judico*, *quando ipse quidem arrogantibus verbis se fecit Filium Dei*, & *se Regem Judæorum prædicavit*, *tametsi pauperrimis parentibus sit prognatus*, & *se Templum Salomonis destructurum dixit*, *cum duobus Latronibus ad Crucem damnetur*. Sic refert Ursaya *in Miscellaneo Sacro & Profano part.* 2. *litt. S. n.* 28.

Pro justa ferenda sententia debent judices præ oculis habere, & diligenter ponderare causæ merita secundum utriusque juris dispositionem; *arg. cap. Intelleximus* 1. *de novi operis nunciat.* ibi: *Quia vero sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari*, *ita & Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*, *Fraternitati tuæ mandamus*, *quatenus diligenter considerans* .... *negotium ipsum secundum Legum*, & *Canonum statuta non differas terminare*. Unde Judices tum Jure Civili, tum Canonico satis instructi esse tenentur, quia, ut recte notarunt Ludovicus Romanus *Singulari* 654. & post ipsum Zoesius *in prœmio Juris Canonici n.* 5. Fagnan. *in cap. Super specula nu.* 30. *Ne Clerici*, *vel Monachi*, Rota *dec.* 26. *nu.* 30. relata ab Antonell. *de jurib. Cleric. circa fin.* Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. in prœmio* §. 13. *num.* 226. & alii passim: *Legista sine Canonibus parum valet*, *Canonista sine Legibus nihil*, & Rebuff. cit. & secutus a Rota *in dict. dec.* 26. *n.* 33. expresse habet: *Immo audacter dico*, *quod Jus Pontificium perfecte non potest intelligi sine Legibus*, *cum sit medulla Legum*, & *Jus Canonicum est practica Juris Civilis*. Aliter illi subjacerent censuræ, cui subjacere quosdam Doctores ex And. Mend. *lib.* 1. *select. quæst. de Acad. qu.* 15. refert Brancacc. *de Jur. Doctor. c.* 1. *in fine*, & Ursaya *Institut. Crimin. lib.* 3. *titul.* 10. *n.* 13. ibi: 83 84 85

In institutis comparo vos brutis.
In Digestis nihil potestis.
In Codice scitis modice.
In Novellis comparamini asellis.
Et tamen creamini Doctores.
O tempora, *o mores!*

Possentque vocari non *Juris Doctores*, sed *Juris dolores*, ut aliquos vocat eruditissimus de Rubeis *in discurs. ad scient. amat. in princ. par.* 4. *tom.* 3. *n.* 26. appellando etiam ipsos *Doctores necessitatis*, hoc est sine Lege, quia necessitas non habet Legem, *cap. Sicut* 11. *de consecrat. dist.* 4. *c. Consilium* 2. *de observat. jejun.* cum similibus; in quo sensu vocari etiam possent *Doctores monetæ tonsæ*, hoc est sine litteris, quia istæ primæ in monetæ tonsione abraduntur. De quibus ut advertit Ursaya *Instit. Crim. lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 103. & *seq.* quando causas quærunt, semper verificatur lepidum illud dictum communiter per ora Curialium volitans quod sint *Advocati*, seu *Procuratores Pilati*, in quibus scilicet nullius reperiuntur causæ defendendæ, juxta id, quod legitur *Joan. cap.* 18. *n.* 38. *Nullam invenio in eo causam*. *Advocati de Repertorio* appellantur a Pacichel. *de distant. cap.* 4. *sub num.* 1. *fol.* 7. Illosque *Doctores privilegio non autem sapientia*, vocat Rota *in Romana*, *seu Spoletana Legati* 5. 86

 Mart.

Mart. 1717. §. *A quo sane*, *in fine coram Cerro*, Leonard. vero *de Doctor. par.* 1. *q.* 13. *fol.* 9. vocat illos *Doctores honorarios*; Sic expresse refert Ursaya *cit. n.* 103. *& seq.* Unde caveant si qui sint hujus furfuris Doctores, & Advocati, ne quærant fieri Judices, juxta illud *Ecclesiastici cap.* 6. *n.* 6. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, quia solum Judex sapiens judicabit populum. Ecclesiastici cap.* 10. *n.* 1.

87 Advertant Judices, quod prætextu æquitatis non scriptæ, in concursu Legis claræ, & contractus litteralis, non est locus sententiæ innixæ eidem æquitati, quæ in hoc casu vocatur potius duplex iniquitas. Conciol. *alleg.* 50. *num.* 38. *&* 39. Andreol. *controv.* 92. *num.* 17. *in fin.* Gobat *consult.* 97. *num.* 40. & sequnt. ab Ursaya *Inst. Crim. lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 53. *& seq.* ubi, quod Judex sequi debet æquitatem legis, non proprii capitis, ne contra admittentes talem æquitatem deprecari contingat id, quod de Parlamento, & Magno Consilio refert Franc. Marc. *dec.* 2. *in fine p.* 1. nempe: *Ab illius æquitate, & expedienti liberet nos Deus*, & Grat. *discept. forens.* 669. *num.* 55. *& seq.* ubi *n.* 27. quod quidam amicus blande redarguit Judicem illum, qui sententiam æquam voluit dare, præ oculis nimirum habendo æquitatem, asserendo fuisse equam,
88 sed sine diphtongo. Hactenus Ursaya *loc. cit.* Qui *ib. numer.* 56. *& seq.* subjungit coincidere lepidam illam responsionem a Bulgaro datam Federico Imperatori, qui incidens medius inter eundem Bulgarum, & Martinum ejus æmulum, eosdem interrogavit, cujusnam esset merum imperium? Martinus solius Cæsaris respondit, Bulgarus vero non Cæsaris tantum, sed & Præsidum Provinciarum; Cum autem gratior fuisset Imperatori assentatio Martini, eique proinde equum donasset, ille dicere solebat, *se æquum dixisse, equum vero adduxisse Martinum*; qui cum esset obstinatissimus in sustinendis suis opinionibus, quamvis erroneis, & singularibus, ex ejus cervicosa duritie ortum est vulgare adagium, quod *Martinus* appelletur quicumque in aliqua singulari seu sententia, seu opinione pertinaciter ac contumaciter perseverat *.

Unica sententia pro nullitate Matrimonii prolata, nemini licet ad alia vota transire. Ben. XIV. 89
tom. 1. Constit. 33. incip. *Dei miseratione* §. 9. *&* 14. Appellatio a sententia lata super nullitate Ma- 90
trimonii in quacumque instantia semper suspendit executionem. Idem *ibid.* §. 11. Appellatio in causis 91
Matrimonialibus impediri nequit per pacta pœnalia. Idem Const. 85. incip. *Nimiam* §. 4. *&* 7. Sententia super nullitate Matrimonii numquam tran- 92
sit in rem judicatam, sed ex noviter detectis quandocumque revideri potest. Idem cit. Constit. *Dei miseratione* §. 11. Vide alia tom. 5. *ad verb. Matrimonium*.

Sententia unica lata in prima instantia super 93
nullitate Matrimonii, non licet ad secunda vota transire, sed duas conformes sententias ad hunc effectum prodiisse oportet. Idem tom. 3. Const. 47. incip. *Si Datam*. Idipsum a Pontifice statuitur 94
pro causis super nullitate Professionum Regularium & reclamanti prohibetur e Claustris exire post unicam sententiam. Idem *ibid.* Nisi quis antea per duas conformes resolutiones obtinue- 95
rit restitutionem in integrum adversus lapsum quinquennii. Idem *ibid.* Sententia super nul- 96
litate Professionis expectanda est etiam post legitime obtentam restitutionem in integrum, ad hoc ut reclamans e Claustris migrare possit. Idem *ibid.* Sententiæ, quæ proferuntur in causis nulli- 97
tatis Professionis Regularis, postquam a Sancta Sede concessa fuit in integrum restitutio, ut plurimum sunt pro Professionis invaliditate. Idem *ibid.* Sententia super nullitate Professionis prolata 98
absque processu secundum juris ordinem confecto, nulla definitur. Idem *ibid.* Item si citati non 99
fuerint omnes interesse habentes in sustinenda illius validitate. Idem *ibid.* Vide alia tom. 6. ad verb. 100
Professio Regularis.

Additiones ex aliena manu.

Regulariter sententia habet effectus inter solos 101
Litigantes, *aliis* vero non nocet; *l.* 63. *ff. de re judicat. l.* 2. *C. quibus reis judicat. non noceat*. Idque

Nota Romani Theologi.

* Quæ Auctor a *num.* 82. ad *num.* 88. adducit, serio legenda sunt; quare, vos rogo, *risum teneatis, Amici*.

Responsio Auctoris.

Quæ *locis cit.* a me tradita sunt, ridenda videntur Rom. Theologo; & tamen ab Auctoribus nedum non irridendis, sed & gravissimis, & celeberrimis illa desumpsi, qui longe ante me in suis respective operibus ea protulerunt. Etenim quæ adducuntur sub *n.* 62. ea tradiderunt P. Mazzolin. Nicolius, & Ursaya celeberrimus Advocatus Romæ caussarum Patronus. Quæ sub *num.* 83. collecta sunt ex verbis præcisis *cap. Intelleximus* 1. *de novi operis nunciat.* Quæ sub *nu.* 84. tradiderunt Ludovicus Romanus, Zoesius, Fagnanus, Rota Romana, Antonell. Reiffenstuel, Rebuffus citatus, & secutus a Sacra Romana Rota. Quæ *num.* 85. Andr. Mend. Brancac. & cit. Ursaya, Quæ *num.* 86. Eruditissimus jurisperitus de Rubeis, Rota Romana, & ex aliis multis allegatus Ursaya, & quæ *ibi in fine* trado ego, habentur Ecclesiastici præcisis suis verbis non certe ridendis. Quæ *n.* 87. tradiderunt Conciol. Andreol. Gobat, Franciscus Marc. Gratian. citati, atque secuti a dicto Ursaya. Quæ *nu.* 88. typis tradidit Romæ in celeberrimo suo opere dictus Ursaya. Hinc judicet prudens, & eruditus Lector, an juste poterit Theologus rogare, ut dicta legendo, *risum teneatis amici*.

102 quę tum naturali ratione, quod alter ex facto alterius prægravari non debet, tum ratione civi-
103 li, quod in judicio quasi contrahitur, atque adeo obligatio judicati inter eos tantum operari debet, inter quos quasi contractum, idest inter Litigantes.
104 Ad rectam vero hujus Regulæ applicationem inquirendum quinam in sensu juris maxime in hac materia *alii* dicantur. *Alii* in hac Regula dicuntur, qui non eamdem cum Litigatore personam gerunt, quales sunt heredes, sed proprium principale, separatum, & diversum plane jus ab eo habent, quod non dependeat a jure ejus, contra quem
106 judicatum est. Contra vero in effectu juris in hac materia pro *aliis* non habentur, quorum jus dependet a jure legitimi contradictoris, quo cum hactenus actum, & adversus quem judicatum; & sic facile æquissima ratione contingere potest, ut sententia prosit adversus Tertium, vel eum qui non quidem fuit in lite, sed tamen idem jus habet cum legitimo contradictore. Sic enim sententia tota jus facit quoad omnes, tametsi nec litigaverint, nec ad judicium fuerint vocati, nec scientiam litis controversæ habuerint.
107 Res exemplis illustrior redditur. Initium sumamus a statu personarum, qui triplex est, Liberta-
108 tis, Civitatis & Familiæ. De statu libertatis *in l. 15. ff. de statu homin.* habetur: *Ingenuum etiam accipere debemus eum, de quo sententia lata est, quamvis fuerit libertinus, quia res judicta pro veritate accipitur.* Potest de ingenuitate duplici modo ferri sententia, ut probet is qui aliquem servum esse asse-
109 rit, aut qui se ingenuum ait. Si prius fiat, & hic in probando deficiat, tantum pronunciatur non probatum esse, quod probandum erat, & servum non videri; *l. 27. §. 1. ff. de Liberal. caus.* & hæc sententia aliis non præjudicat, quia non de jure & statu ipsius servi, sed tantum de jure Actoris pronunciatum est.
110 Si vero posterius contingat, quod contingere potest, si volens onus probandi subierit; *leg. 14. ff.*
111 *de Probat.* jam super ipsius statu directo pronunciatur; & ita si ingenuus pronunciatus fuit, hæc sententia etiam prodest contra omnes, qui talem libertinum esse asserere contendunt. Sunt enim hic verba sententiæ concepta in rem, sive de ipso statu, & ita semel status personæ per rem judicatam adjudicandus est. Confer *Hartman. Pistor. part. 4. quæst. 29. fer. per tot. Carpzov. Jurisprudent. Forens. part.*
112 *1. Constit. 26. defin. 16. num. 1. & 2.* Necesse vero est in hoc casu, ut sententia de statu sit lata contra Dominum, vel Patronum, eumque præsentem, non vero ex contumacia absentem; *leg. 17. §. 1. ff. de inoffic. Testam.*
113 Eodem ex fundamento sententia pro filiatione lata contra omnes prodest; *l. 1. §. final. ff. de agno-*
114 *scend. liber.* Intellige tamen si quæstio filiationis cum ipso Patre, qui est unicus contradictor legitimus, non cum aliquo de agnatis fuerit. Consule *Alexandr. in l. penult. n. 69. ff. de re judicat.*
115 Idem dicendum de sententia lata pro Uxore, modo Maritus fuerit contradictor.
116 Quatenus vero sententia in causa notabili lata jus faciat, vide *Tiraquell. de nobilit. cap. 37. num. 2. & plur. seq.* ubi etiam disserit de viribus contra tertium sententiæ pro cive latæ.

Gravior quæstio est, an sententia lata super Primogenitura, vel majoratu, & bonis inde dependentibus, noceat ei, qui post illum, qui hactenus in lite fuit, sed superatus est, ad illam Primogenituram aspirare potest. Affirmant per text. in *l. 44. ff. de Re judicat. Brunemann. in d. l. 44. n. 1. Hartmann. Pistor. part. 4. q. 29. Molin. de Primogen. Hispan. lib. 4. c. 8. n. 3. Carpzov. par. 3. dec. 254. num. 13.* 117

De sententia contra Vassallum lata an noceat domino, adi *Rasenthal. de Feud. c. 9. membr. 1. conclus. 23. num. 3. & plur. sequent.* 118

Et de sententia lata de statu subjectionis an prosit contra omnes, consule *Zasium ad leg. 65. ff. de Re judic. Gail. lib. 1. observ. 70. num. final.* 119

Sed hæc quidem de statu Personæ sufficiunt. 120
Transeo nunc ad jura rerum, ubi itidem sæpe contingit rem judicatam jus facere inter alios, quam qui in lite fuere, & quidem potissimum inter illos, qui ab eo qui victus est, causam habent. Ta- 121
les sunt Legatarii; Iis porro nocet sententia lata contra Heredem super testamento, dummodo tamen bona fide ab Herede actum sit, heres sit victus propterea quod testamentum valere non potuerit, & per incuriam Judicis victus non fuerit, & demum ab ipsis Legatariis non fuerit appellatum. Diversum autem est, si sententia contra unum ex Legatariis lata sit, nam aliis non nocet.

Tales etiam sunt substituti. Hinc sententia con- 122
tra heredem lata substitutis nocet. Aliter se res habet quoad sententiam latam contra coheredem. Hæc enim alii coheredi qui in judicio non fuit non nocet. Confer *Zasium in l. 63. num. 17. ff. de Re judicat.*

Ex alio etiam fundamento sententia inter alios 123
jus facit. Hoc suppeditat Jurisconsultus *in citata l. 63. ff. de re judic.* scilicet: *Quum quis de ea re, cujus actio, vel defensio primum sibi competit, sequentem agere patitur.* Subjungit Jurisconsultus exemplum. *Veluti si Creditor experiri passus sit debitorem de proprietate pignoris.* Sed vide *Zasium in dict. l. 63.* qui *num. 24. & plur. sequent.* materiam illustrat.

Pariter contra alios etiam sententia prodest, si 124
per necessariam consequentiam sit etiam juris tertii exclusiva. Desumi exemplum potest *ex l. 1. §. final. ff. de Carbon. Edict.* quando scilicet Mater 125
subjecti partus arguitur, ubi primum quæritur, an propter statum Pueri quæstio differenda sit? Quod 126
negatur, quia principaliter hic Mater rea postulatur, & sic recenti tempore, hoc est de præsenti potest cognitio fieri, & porro Jurisconsultus subjicit: *Et post eventum cognitionis, si suppositum partum apparuerit, actiones hereditariæ puero denegandæ sunt, omniaque perinde habenda, atque si heres scriptus non fuisset.* Revera enim ex errore 127
scriptus est a Patre putativo heres, qui si partum suppositum esse cognovisset, nunquam eum scripsisset heredem. Neque obstat, quod sententia principaliter contra Matrem sit lata. Nam quum 128
ipsa de crimine suppositi partus satis convicta sit, ne-

necessario hæc sententia est exclusiva juris ipsius pueri, quum nullum jus possit habere, ubi constat per sententiam eum esse suppositum.

SEPULTURA.

1 NOmen Sepulturæ tribus modis sumi potest. Primo, pro Jure sepeliendi Corpora, seu Cadavera mortuorum, *arg. Clementin. Dudum 2. de Sepulturis* cum similibus. Secundo, pro actu, ritu, seu officio, quod in associandis ad Sepulturam, & sepeliendis Cadaveribus mortuorum impenditur, *c. Dictum* 105. *caus.* 1. *qu.* 1. *c. Præcipiendum* 5. *caus.* 113. *q.* 2. cum similibus. Tertio, pro ipso loco, & situ, in quo Cadavera mortuorum sepeliuntur, *c. Aurum 69. caus.* 12. *q.* 2. *c. Fraternitatem 3. de Sepulturis*, & de Sepultura hoc tertio modo sumpta erit sermo.

2 Sepultura igitur hoc tertio modo accepta est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie decedentium sepeliuntur. *Sic in re Communis.*

3 Locus Sepulturæ regulariter olim erat atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope Ecclesiam, quod hodie Cœmeterium appellatur, textu expresso *in cit. c. Præcipiendum* 15. *caus.* 13. *qu.* 2. ibi: *Præcipiendum est etiam secundum Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepellantur, sed in atrio, porticu, vel in Exedris Ecclesiæ.* (1)

Cœmeterium autem Græce significat idem ac latine *Dormitorium*, eo quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ratione Fidei infallibilis, finaliter resurgendi, non tam mortui ibi jacere, quam dormire dicuntur, Joan. *cap.* 11. *n.* 11. ibi: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.* Et Epist. 1. *Ad Thessalonicen. c.* 4. *n.* 12. ibi: *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus*, quem textum sic exponit S. Hieronymus dicens, *Eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos.* 4

Quamvis tamen olim in solis Cœmeteriis, & nullus in Ecclesia sepeliri posset, ut patet *ex cit. cap. præcipiendum* 15. *caus.* 13. *q.* 2. *& cap. Nullus* 18. *ead. caus.* 13. *quæst.* 2. ibi: *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fideles Laici*, idest fama Sanctitatis, & miraculis clari, ut explicat Glossa *ibid. verb. Fideles*, tamen hodie, & Jure, & consuetudine introductum est, ut omnes Catholici, sive Clerici, sive Laici in Ecclesiis sepeliantur, *cap. Fraternitatem 3. cap. Ex parte 5. & cap. Cum liberum 6. de Sepulturis*, juncto *c. Cum gravia* 17. *caus.* 13. *quæst.* 2. ubi additur ratio, ibi; *Prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem Sacra loca veniunt, suorum, quorum Sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.* (2) 5

Qui-

(*1) Concilium Nannetense *cap.6.* ita edicit: *Prohibendum etiam, secundum majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut exedra Ecclesiæ. Infra Ecclesiam vero, aut prope altare, ubi corpus Domini, & Sanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi.* Tria igitur, inquit Baluzius ad Reginon. lib. 1. cap. 125., ubi adlatus Nannetensis Canon redditur, extra Ecclesiam loca erant, in quibus sepeliri poterant corpora mortuorum, atrium videlicet, porticus & exedra. Honorificentior autem sepulturæ locus per illas tempestates erat in atrio, ante portam Ecclesiæ, idest, in nobilissima atrii parte. Adnotat enim Gretserus in libro secundo *de funere Christiano cap.* VIII., Constantinum M. sepeliri voluisse in vestibulo Ecclesiæ CP., eodemque loco deinceps sepultos esse plurimos Imperatores, ac Pontifices. De Ottone secundo Imperatore testatur Leo Marsicanus in libro secundo *Chronici Cassinensis cap.* IX., eum sepultum esse in atrio Ecclesiæ beati Petri Apostoli. Et *lib.* IV. *cap.* VIII. agens de Elgaita Roberti Ducis uxore, ait, eam in Ecclesiæ paradiso ante Basilicam Petri Apostoli tumulari voluisse. Sic antiquitus sepulcra Comitum Tolosanorum erant in atrio Ecclesiæ Sancti Saturnini, prope portam, ubi hactenus videntur, donec Urbani secundi auctoritate coœmeterium eorum constitutum est in atrio basilicæ deauratæ. Sic etiam vestibulum Ecclesiæ Tutelensis erat olim locus destinatus sepeliendis Vicecomitum Turennensium corporibus, quorum erant ampla ac magnifica in Ecclesiam illam merita, ac beneficia, eorumque sepulcra etiamnum manent post tot sæcula. Alicubi tamen porticus erat honorificentissimus sepulturæ locus. Legimus enim apud Bedam *in lib.* 2. *Hist. Eccl. Angl. cap.* III., Augustinum, & ceteros Cantuarienses Archiepiscopos in porticu Cantuariensis Ecclesiæ sepultos fuisse, donec necessarium fuit eos sepeliri intra Ecclesiam, quia porticus illa plures capere non poterat. Præter atrium illud, quod erat ante principalem portam Ecclesiæ, in quo viri Principes sepeliebantur, aliud atrium erat, in quo sepeliebantur omnis conditionis homines. Erat autem atrium illud proprie cœmeterium. Vetus charta Archambaldi Vicecomitis Combornensis pro Monasterio Tutalensi: Hoc autem ipse Gaucelinus de Petrabuferia postea devote adimplevit ad ostium cimiterii Sancti Martini, quod est ante portam Ecclesiæ Sancti Martyris Juliani.

(2) Ambrosius, inquit Dungalus Diaconus contr. Claud. Taurin., suum fratrem Satyrum, quem nimium dilexerat, juxta sanctum martyrem *Victorem*, sepelivit, ... cujus epitaphium hoc ditatur Tetrastico

Urbanio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam, detulit Ambrosius
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluit exuvias.

San-

6 Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere Sepulturam in qualibet Ecclesia ad id jus habente. *Communis*, per claros textus *in cap. Nos instituta* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. Cum liberum* 6. *cap. Cum super* 8. *cap. In nostra* 10. *de Sepulturis*, *cap. Animarum* 1. *& c. Cum quis* 2. *de Sepulturis in* 6.

7 Et si Cadaver illius, qui elegit Sepulturam in aliqua Ecclesia, etiam Regulari, & per vim Parochi, aut alterius, non ibi, sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus Ecclesiæ electæ, textu expresso *in c. Ex parte* 5. *cap. Cum liberum* 6. *de Sepulturis*, *cap. Animarum* 2. *eod. in* 6. Et sic pluries decrevit *Sacra Congregatio* in facti contingentia, ut videri potest *verb. Cadaver* *n.* 11. ubi referuntur Decreta una cum confirmatione facta ab Alexandro VII. Constitut. incip. *Alias pro parte*.

8 Qui sibi Sepulturam non elegit, sepeliri debet in Sepulcro Majorum suorum, textu expresso *in c. Nos instituta* 1. *de sepulturis*, ibi: *Statuimus, unumquemque in Majorum suorum sepulcris jacere, ut Patriarcharum exitus docet*, *c. Cum quis* 2. *& cap. Is qui* 3. *eod. in* 6. ibi: *Is qui .... non electa Sepultura decedit .... in ea, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari*.

9 Majorum nomine ad hunc effectum veniunt Pater, Avus, Proavus, & alii ascendentes in linea recta, *l. Juris consultus* 10. *ff. De gradibus*, *l. Appellatione* 51. *ff. de verb. significat.* Panimol. *decis.* 5. *adnot.* 3. *num.* 15. Barbos. *de Offic. & potest. Parochi cap.* 26. *num.* 32. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 10. & alii passim.

Si majores non in uno, & eodem sepulcro se- 10
pulti fuerint, sed in diversis, verb. grat. Avus, Proavus, Abavus, aliique omnes Majores in uno, Pater vero in alio, tunc secundum Glossam *in cap. Is qui* 3. *verb. Antiquo*, *de sepulturis in* 6. Engel *l.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 6. Reiffenstuel *ibid. num.* 11. Silvester *verb. Sepultura q.* 8. & alios, filius decedens, non electa Sepultura, sepeliri debet in sepulcro majorum, & non Patris, nisi Pater pro se, & posteris aliam Sepulturam expresse elegisset. Et id tenent, & probant ex quo semper in Iure fiat locutio in plurali, ut patet *in cap. Nos instituta* 1. *de sepulturis*, ibi: *in Majorum suorum sepulcris*, *c. Fraternitatem* 3. *eod.* ibi: *Patrum, aliorumque Parentum Sepulturis*, quo nomine etiam Majores veniunt *cit. l. Jurisconsultus* 10. §. 8. *ff. de Gradibus affinit.* ibi: *Parentes usque ad Tritavum nominantur*, *& c. Cum quis* 2. *de Sepulturis in* 6. ibi: *Cujus Majores sunt soliti ab antiquo in aliqua Ecclesia sepeliri*, *c. Is qui* 3. *eod. in* 6. ibi: *In qua majorum ipsius ab antiquo Sepultura extitit, sepeliri debebit*. Hæc autem Jura magis verificantur; si in

Sanctus vero Maximus in Nat. *SS. Mart. Taurin.*, *ideo*, inquit, *hoc a majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo martyribus quiescentes, evadimus Inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen socii sanctitatis: ait enim Dominus Petro:* Tu es Petrus &c. *Si ergo Apostolo & Martyri Petro Inferni porta non prævalet, quisquis sociatur Martyri, Tartaro non tenetur; Martyres enim Inferni porta non possidet &c.* Disputat egregie de eodem more D. Augustinus hac occasione. Quum quædam Flora religiosissima femina *materno & pio affectu* optaret, ut Cynegii filii sui corpus in beati Felicis Nolani Confessoris Basilica tumularetur, S. Paulinus Nolanus Episcopus consulit per litteras Augustinum, *utrum prosit alicui post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur?* Et adjunxit, *videri sibi non esse inanes motus animarum religiosarum, atque fidelium pro suis ista curantium*. S. Augustinus in hunc modum respondit: „ Profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum. Quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse quando, ubi sepeliantur, adtenditur. Sed quum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adjumenta mortuorum; nisi ad hoc, ut dum recolunt, ubi sunt posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tamquam Patronis susceptos apud Dominum adjuvandos, orando commendent. „ Et quibusdam interjectis: „ Quum itaque recolit animus, ubi sepultum sit carissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. „ Addit vero capite sequenti, illud ipsum matris desiderium, ex fide profectum, supplicationem quamdam fuisse filio profuturam. *Quum ergo*, inquit, *fidelis mater fidelis defuncti corpus desideravit in Basilicam martyris poni, si quidem credidit, ejus animam meritis martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit, & hæc profuit, siquid profuit*. Laudatam D. Augustini sententiam explanat, & ampliat S. Julianus Archiepiscopus Toletanus (qui claruit anno 680.) his verbis: Plerique fidelium quum fidei præcedentis affectu, aut sua, aut suorum corpora apud memorias Martyrum præcipiunt tumulari; non puto infructuosum esse, quod creditur, aut inane quod fideliter de divino auxilio speratur, tantum si non sint in hujusmodi qui in Ecclesiis sepeliuntur, insolubiles culpæ (hoc est lethales culpæ in vita non expiatæ per pœnitentiam) quæ eos non sinant, etiam oblatis Deo sacrificiis, adjuvari post mortem. Ac proinde si fides illa habere meritum creditur, qua quisquis ille impletus pro defuncto suo in locis martyrum tumulato deprecatur (ut ajebat Augustinus) quanto magis illa fides spei suæ fructum consequetur, quæ in vivente adhuc remediabilem sui cadaveris providet locum?

si in dicto casu Filius non in Sepulcro solius patris, sed in Sepulcro Majorum antecedentium sepeliatur, ut ex verbis patet, adeoque &c.

11 Multi autem alii tenent contrarium, nempe quod Filius decedens, non electa Sepultura, debeat in tali casu sepeliri, non in Sepulcro omnium Majorum, sed in sepulcro Patris; Dummodo Pater ex propria electione, & non casu, vel ex aliquo accidenti sepultus fuerit in Sepultura diversa ab antiqua majorum. Sic late Oldrad. *cons.* 25. *n.* 2. *vers. Contrarium usque ad fin.* Abbas *in cit. c. Nos instituta* 1. *n.* 5. *de Sepulturis*, Sperell. *tom.* 1. *dec.* 88. *n.* 9. cum aliis ibi relatis, Barbosa *de Offic. & potestat. Parochi c.* 27. *num.* 32. *& lib.* 2. *Jur. Eccles. univers. cap.* 10. *num.* 32. Medic. *de Sepultur. qu.* 7. *num.* 22. 1. *part.* Panimol. *decis.* 5. *adnot.* 3. *num.* 19. ubi dicit, quod hæc est receptior sententia, Ventriglia *part.* 1. *Annot.* 52. §. *Unic. n.* 24. Matthæucc. *Official. Cur. quoad Sepulturas cap.* 48. *num.* 23. Zechius *de Republic. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 28. *de Parocho num.* 27. *vers. Fallit*, Cardin. Petra *tom.* 2. *Commentar. in Constit.* 2. *Honorii III. n.* 25. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 4. & alii, quorum tamen varii, ut Card. Petra, Barbosa, Matthæucc. & alii, ut eos legenti patet, id solum affirmant, quando Proavus, Abavus, & alii ascendentes majores sepulti sunt in uno Sepulcro, Avus vero, & Pater sepulti sunt in alio, & non quando omnes majores sepulti sunt in uno, & solus Pater in alio. Sicque non videntur dissentire a Doctoribus primæ sententiæ relatis *supra num.* 10.

12 Et revera si Abavus, & Proavus sepulti sint in uno Sepulchro, Avus vero, & pater in alio, Filius decedens, non electa sepultura sepeliendus est cum Patre, & Avo, Pirhing *loco cit. num.* 4. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 11. Engel *loc. cit. num.* 6. Petra *loco cit. num.* 25. Matthæucc. *loc. cit. num.* 23. Oldrad. *cit. consil.* 25. Barbosa *de Offic. & potestate Parochi cap.* 26. *num.* 32. *& in cap. Nos instituta* 1. *num.* 2. *de Sepulturis*; Silvester *loco cit. q.* 8. & alii; Et ratio est, quia Sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; Atqui Filius sequitur originem, & Domicilium proximiorum Parentum, seu majorum, Patris scilicet, & Avi, & non remotiorum ascendentium, *l. Assumptio* 6. §. *Filius, ff. ad municip. cap. Fraternitatem* 3. *de Sepulturis*, ergo &c. Tum quia, in dicto casu æque satisfit Juris textibus, ac si in sepulcro remotiorum sepeliretur.

13 Si autem Pater pro se, & posteris aliam Sepulturam elegisset expresse, tunc utique Filius, ut dictum fuit *supra num.* 10. deberet repeliri in Sepultura Patris, *arg. cap. Unaquæque* 3. §. *Item in novo caus.* 13. *q.* 2. quia si posteri aliam Sepulturam non eligant, in similem Patris electionem consentire, sicque ipsis Sepulturam tacite elegisse censentur. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 11. & a fortiori omnes citati Doctores *supra num.* 11.

14 Si adsit sepulcrum gentilitium, seu familiare, & sepulcrum hæreditarium, attendendum est primum, & postea secundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo sepulcrum majorum. Sic cum aliis Card. Petra *cit. tom.* 2. *Commentar. in Constitut.* 2. *Honorii III. sect. unic. num.* 35. Matthæucc. *loco cit. num.* 23. *vers. Sicut*, Passerin. *de statu homin. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 4. *inspect.* 4. *cap.* 2. & alii.

Etiam infantes, quamvis juxta Rituale Romanum *tit. de Exequiis pueror.* debeant sepiliri in sepulcro separato, adhuc tamen sepeliri possunt in Sepulcro Majorum. Sic expresse decrevit *Sacra Congreg. Episc. & Regul. in Asculana* 21. *Octobris* 1616. apud Barbosa *de Offic. & potest. Parochi c.* 26. *num.* 8. Card. Petram *loco cit. n.* 26. Panimol. *loc. cit. num.* 18. Sperell. *cit. decis.* 88. *in fine*, & novissime *Sacra Congreg. Concil. in Novarien. Funerum* 15. *Mart.* 1704. *in respons. ad primum*. Vide verb. *Quarta Funeralis num.* 32. ubi una cum aliis datur ad litteram Decretum. 15

Filii illegitimi, & naturales sepeliendi sunt in sepulcro Patris, nisi is in Dignitate sit constitutus. Non item Filii Spurii, quia isti sepeliendi sunt in Sepulcro Matris, nisi sit femina illustris. Silvester verb. *Sepultura quæst.* 8. *dict.* 4. Pirhing *loco cit. sub num.* 4. & alii. 16

Filii adoptivi, & arrogati, si moriantur vivente Patre, in cujus potestate erant, debent sepeliri in sepulcro ejusdem. Secus autem, si eo jam mortuo, decedant, quia tunc debent sepeliri in sepulcro Patris naturalis, cum jam expiraverit in tali casu adoptio. Silvester *loc. cit. dist.* 4. Pirhing *loc. cit. sub n.* 4. & alii. 17

Infantes expositi non in Sepultura Patris, seu Majorum, sed in Sepultura Hospitalium, in quibus exponuntur, sunt sepeliendi, *arg. cap. Si a Patre unic. de infantibus exposit.* Sebastianus Medices *p.* 1. *de Sepultur. quæst.* 7. *num.* 25. Ventrigl. *loco cit. num.* 25. & alii. Si autem tales infantes non essent expositi in Hospitalibus, nec Hospitalium expensis alerentur, essent sepeliendi in Parochia, in qua contingeret eos decedere, quia decedentes, non electa Sepultura, sepeliendi sunt in sua respectiva Ecclesia Parochiali; *cap. Ex parte* 5. *cap. Cum sit liberum, cap. in nostra* 10. *de Sepulturis*, cum similibus. 18

Supradicta regula, quod decedens sine electione Sepulturæ sepeliendus sit in Sepulcro Majorum, non procedit e converso, taliter quod, si moriatur Pater, vel Avus, sepeliendus sit in sepulcro Filii, vel nepotis; Et ratio est, quia ascendentes non sequuntur sepulcrum descendentium, nec transversales sepulcrum transversalium, nisi sint heredes, & Sepultura sit hereditaria, nec sit ibi facta electio; Lavorius *variar. lucubrat. tit.* 2. *c.* 11. *n.* 121. Sebastianus Medices *loc. cit. n.* 24. Ventriglia *loco cit. n.* 24. & alii. 19

Si quis nullam habeat sepulturam Majorum, nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria Parochia, ubi Sacramenta suscepit. *Communis*, per text. *in cap. Ex parte* 5. *& cap. In nostra* 10. *de sepultur. cap. Animarum* 1. *& cap. Is qui* 3. *eod. in* 6. 20

Et nullam habere sepulturam Majorum censetur etiam Filius ille, cujus Majores singuli sepulti sunt in diversis Sepulcris, nempe Proavus in uno, Avus in alio, Pater in altero, cum ad hunc effectum requiratur concursus plurimorum, qui ab antiquo in eodem Sepulcro sepulti fuerint, quia ab uno solo denominari non potest sepulcrum Majorum; 21

rum; Unde cessante hoc casu majorum Sepulcro, talis filius sepeliendus erit in sua Parochia. Sic Ancharanus *in cap. Is qui sub num.* 4. *de Sepultur. in* 6. Silvest. *verb. Sepultura sub num.* 8. Barbosa *in cap. Nos instituta* 1. *num.* 2. *de sepultur.* Reiffenstuel *loco cit. num.* 11. *in fin.* Engel *loco cit. n.* 6. & alii; Contrarium tamen, nempe quod hoc casu sit attendendum sepulcrum Patris, tenet Abbas *in cap.* 1. *n.* 5. *Extrav. de sepulturis*, & ita de consuetudine servari testatur Lavorius *variar. lucubration. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 113. Sperell. *tom.* 1. *dec.*88. *num.* 10. At isti intelligendi sunt in casu, quo Pater pro se, & posteris Sepulturam elegisset, juxta dicta *supra num.* 13. Alias non esset, qui non haberet sepulcrum Majorum, cum quilibet habeat suum Patrem in aliquo sepulcro sepultum loquendo de Patribus jam suis filiis præmortuis.

22 Peregrini pertranseuntes, & viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in Cathedrali; Advenæ autem, seu exteri, & peregini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua Parochia, sepeliendi sunt in ipsa. *Sic Sac. Congregat. Episc. & Regular. in Fulginaten.* 3. *Julii* 1592. rescribens Episcopo: *Etiam circumscripta consuetudine advenas, & pertranseuntes in Cathedralibus, & reliquos in Parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos*, Sperell. *decis.* 87. *num.* 14. Lavorius *loc. cit. n.*144. Card. Petra *tom.* 2. *Comment. in Constit.* 9. *Innocent. III. sect. unic. num.* 50. Matthæucc. *loco cit. num.* 12. & alii referentes dictam Sacræ Congregat. resolutionem; Si autem adesset alibi legitima aliqua consuetudo, tam favore Cathedralis, quam Parochi, esset servanda, ut concordant Doctores apud Sperell. *loc. cit. num.* 14. Panimol. *loco cit. num.* 43. Card. Petra *loc. cit. nu.* 50. *arg. c. Cum dilectus* 8. & *c. Cum tanto* 11. *de consuetudine*, *l. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*.

23 Studiosi, famuli conductitii, milites, Officiales, aliique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habitantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in Parochia, ubi sic habitabant, & decesserunt. *Communis*, & servat recepta consuetudo, quæ non solum est in dubiis optima Legum interpres, *cit. l. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*, *cap. Cum dilectus* 7. *de consuetudine*. Sed etiam claræ Legi derogat; *cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*. Miles tamen præsidiarius sepeliri debet in Parochia Arcis ubi actualiter moratur, non autem in alia Parochia ubi retinet domum apertam cum uxore, & filiis. *Sac. Congreg. Conc. in Romana* 17. *Aug. apud Ursayam in Miscellaneo Sacr. & profan. litt. M.*

24 Qui habet domicilium in Civitate, vel Castro, & ad Villam ruralem se transfert recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, & inibi, non electa sepultura, nec habens Sepulcrum Majorum decedat, debet sepeliri in propria Parochia Civitatis, vel Castri, si absque periculo ad ipsam possit deferri, textu expresso *in cap. Is, qui* 3. *de Sepulturis in* 6. ibi: *Is qui habet domicilium in Civitate, vel Castro, quando ad Villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut rualia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ Villæ, sed in sua Parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo Sepultura extitit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari*. Qui autem habet Domum hyemalem, v. gr. in Civitate, & æstivam in rure, & sic æquali tempore, modo in una, modo in altera habitat, seu moratur, sepeliendus est in Parochia, in qua decedit. Et ratio est, quia parificatur cum eo, qui in duobus locis æque principale domicilium habet; & sic efficitur utriusque Parochiæ Parochianus, adeoque sepeliendus est in Parochia, in qua decedit, cum ipsa sit pro tunc vera ipsius Parochia; *argument. cap. Ex parte* 5. *cap. In nostra* 10. *de Sepulturis*, *cap. Animarum* 1. *eod. in* 6. 25

Advenæ, seu hospites, aliique casu decedentes in Regularium Conventibus, nisi eligant ibidem Sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in Parochiali, *cap. In nostra* 10. *de Sepulturis*, ubi expresse cavetur non posse Regulares sepelire nisi eos, qui vere in suis Ecclesiis Sepulturam elegerint. Et ita censuit *Sacra Congregatio Concilii in Ripana* 3. *Februarii* 1652. nempe non licere Regularibus commoranti per aliquot dies in eorum Conventu, ibique defuncto omnia Sacramenta ministrare, & in eorum Ecclesiis dare Sepulturam sine licentia Parochi, cui quarta Funeralis debetur. Sic referunt Pignatell. *tom.* 1. *Consult.* 306. *n.* 1. Cardin. Petra *tom.* 1. *Comment. in Constitut.* 9. *Innocentii III. num.* 49. & alii. Item *eadem Sacra Congregatio Concilii in Ravennaten.* 20. *Januar.* 1674. *censuit*: *Spectare ad Parochos sepelire, & ad proprias Parochias deferre Cadavera eorum, qui in Monasterio recepti, sepultura non electa, decesserant*. Item *eadem Sacra Congregatio Concilii in Gerunden.* 3. *Februar.* 1694. Expugnato enim a Gallis præsidio de Roses in eodem vulneratus est Didacus Fonseca, qui hospitii causa se recipiens ad Conventum S. P. Dominici Gerundæ, ibi Parocho irrequisito, Sacramentis munitus decessit, & sepultus fuit. Qua de re proposito dubio: *An dicto militi Fonsecæ potuerint Religiosi, irrequisito Parocho, Sacramenta ministrare, & Corpus deponere*, Sacra Congregatio respoodit: *Detur Decretum in nullius* 19. *Septembr.* 1637. tenoris sequentis: *Quidam miles occasione infirmitatis divertit in Monasterium Regularium, ibique ab eisdem Sacramentum Eucharistiæ pro Viatico, & extremam Unctionem recipit, & exinde obiit, Parocho intra cujus fines Monasterium existit, reluctante*. Quæritur: *An Administratio hujusmodi Regularibus esset permissa?* Sacra Congregatio Concilii respondit: *Non esse permissam*: Card. Petra *tom.* 2. *Comment. ad Constitut.* 9. *Innocent. III. Sect. unic. n.* 49. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 306. Passerin. *de statib. hominum tom.* 2. *pag.* 187. *art.* 2. *num.* 229. & *seq.* Bordon. *Oper. moral. tom.* 3. *resolut.* 51. *n.* 216. Matthæuccius *Offic. Curiæ quoad Sepulturam c.* 58. *num.* 14. Antonell. *de Regimine Eccles. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 11. *vers. Infertur tertio*, ubi sic expresse dicit: *Infertur tertio, eos qui hospitii causa recipiuntur in Conventu Regularium, ibique infirmantur, & moriuntur, in Parochiali Ecclesia sepeliendos esse*, & sic alii. 26

Oblati, Donati, seu Tertiarii, atque etiam sæcula- 27

culares, qui Regularibus deserviunt, & intra eorum Monasteriorum septa, ac domus resident, & sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, sed ratione servitutis, si inibi decedant, sunt ibi irrequisito Parocho tumulandi; isti namque eximuntur a subjectione Ordinariorum, & Parochorum, & gaudent Privilegiis Religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati. Vide verb. *Approbatio pro Confessionibus expediendis art.* 1. *a num.* 64. ubi fuit jure, & ratione conclusum, posse Regulares supradictorum omnium Confessiones excipere cum sola approbatione sui Prælati Regularis sine approbatione Episcopi; Unde cum sepultura potissimum dependeat ab administratione Sacramentorum, ut ponderavit Rota recent. *part.* 11. *decis.* 384. *num.* 9. & notant Doctores communiter, si supradicti omnes recipiunt Sacramenta independenter ab Ordinario, & Parocho, ab ipsis Regularibus sepeliendi etiam sunt independenter ab Ordinario, & Parocho in Regularium Ecclesia; Et sic in terminis firmat Card. Petra *loco cit. n.* 42. Card. de Luca *de Regularibus disc.* 1. *num.* 50. Passerin. *cit. tom.* 2. *de statib. homin. quæst.* 187. *art.* 3. *a num.* 228. Matthæucc. *loco cit. num.* 15. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 21. Pirhing *loco cit. num.* 9. & alii communiter.

28 Secus autem sæculares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui commensales, & cum sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, & vivunt; Isti enim, si non habeant sepulcrum Majorum, vel sepulturam non elegerint, sepeliendi sunt in propria Parochia, juxta resoluta sub dict. verb. *Approbatio n.* 65. *&* 69.

29 Monialium famuli, & famulæ habitantes in mansionibus intra atria Monasteriorum, ubi debeant sepeliri? Vide verb. *Moniales art.* 6. *num.* 41.

30 Puellæ educandæ, & mulieres sæculares in Monasteriis Monialium legitima facultate commorantes, & inibi decedentes ubi sint sepeliendæ? Vide verb. *Miniales art.* 1. *num.* 61. *ad* 63.

31 Novitii, & Novitiæ sepulturam sibi non eligentes, debent sepeliri in Monasterio, ubi decedunt, & absque ulla obligatione solvendi portionem Canonicam Parocho loci. Engel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 12. Reiffenstuel *ib. n.* 20. Cardinal. Petra *loco cit. num.* 38. & alii communiter; & ratio est, quia in favorabilibus Novitii, & Novitiæ veniunt nomine Religiosorum, & Religiosarum, *arg. cap. Religioso* §. *Quamvis* 21. *de sentent. Excommunication. in* 6. Accedunt specialia circa hoc privilegia Religiosis concessa, de quibus testatur Donatus *tom.* 3. *tract.* 10. *quæst.* 4. *num.* 2. & etiam universalis consuetudo Religionum, quæ derogaret Legi contrariæ, si quæ adesset, *cap. cum tanto* 11. *de consuetudine*. Insuper debent Novitii, & Novitiæ sepeliri in Monasterio, ubi decedunt, etiamsi habuissent animum determinatum exeundi a Religione. Cardin. Petra *loco cit. num.* 38. cum Palao, & aliis ibi citatis, Silvester verb. *Sepultura quæst.* 8. Engel *loco cit. num.* 12. Reiffenstuel *loco cit. nu.* 20. & alii; & ratio est, quia non voluntas, & affectus, sed factum mutat statum, & domicilium, *l. Domicilium* 10. *ff. Ad municipalem*.

Immo in Monasterio, ubi decedunt, sepeliri debent etiam Juvenes sæculares, & puellæ nondum habitu Regulari induti, seu indutæ, sed de brevi induendi, seu induendæ, & jam in Novitiatum admissi, seu admissæ, ut sic sub Obedientia Regulari per aliquos dies incipiant experiri Religionis austeritates. Vide verb. *Novitius*, *Novitia num.* 16. *&* 17. 32

Novitii, & Novitiæ, & a fortiori dicti Juvenes, & puellæ adhuc sæculares, si habeant patrimonium, debent sepeliri propriis expensis, nisi adesset consuetudo, ut expensis semper Monasterii sepelirentur; Si autem patrimonio careant, debent sepeliri expensis Monasterii. Card. Petra *loco cit. num.* 38. cum aliis ibi citatis, Ventriglia *loco citat. num.* 8. cum aliis ibi adductis, & plures alii apud Donat. *loco citat. quæst.* 4. *num.* 1. *&* 3. 33

Regulares Professi decedentes extra Conventum, si commode ad ipsum deferri possint, debent in eo sepeliri. *Communis*, textu expresso *in cap. Religiosi* 5. *de Sepulturis in* 6. ibi: *Religiosi, nisi a propriis Monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi*. 34

In tali casu non tenentur Regulares solvere portionem Canonicam Parocho loci, in quo Regularis decessit, quamvis Religioso infirmo Viaticum, & extremam Unctionem ministraverit. *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Puteolana* 22. *Maii* 1615. apud Barbos. *de Offic. & potest. Parochi cap.* 26. *n.* 68. Possuntque Regulares dictos defunctos suos Religiosos deferre ad suum Monasterium, inconsulto Parocho; *Sacra Congreg. Concilii in Bononien.* 2. *Julii* 1620. *in responsione ad* 10. quod erat his verbis conceptum: *Decimo, morendo Frati, come avviene alle volte, ed in particolare de' Canonici Lateranensi, fuori del Monastero in casa de' loro Parenti, ed avendo i Curati amministrato loro i Santissimi Sacramenti, se possono i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chiesa, senza dirne cosa alcuna al Curato, e senza darli le ragioni Parocchiali? Ad decimum Sacra Congreg. Concilii* respondit: *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis*. Sic referunt Passerin. *tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 4. *num.* 214. Card. Petra *loco cit. n.* 7. Donat. *loco cit. qu.* 9. *nu.* 1. & alii passim. 35 36

Talis autem delatio, inconsulto Parocho, est facienda modo privato sine pompa, sine Cruce, & Processione, ut affirmant Card. Petra *loco cit. n.* 9. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 199. *num.* 9. Matthæucc. *loc. cit. num.* 16. referens sic in casu fuisse observatum Romæ. Si autem quandoque ex quibusdam circumstantiis congrua videretur solemnis delatio defuncti Regularis cum Cruce, & processione ad Monasterium suæ Religionis, deberet fieri cum assistentia, vel saltem de consensu Parochi, cum ratio, & consuetudo non patiatur, ut Regulares sine Parocho, aut ejus Delegato, qui posset in casu esse etiam aliquis Regularis causa exequiarum, procedant extra Monasterium processionaliter; Cardinal. Petra *loco cit. num.* 11. Pignatel. *loco cit. num.* 6. 37

Mat-

38 Matthæucc. *loco cit. num.* 16. & alii. Ast tamen in hoc dicerem servandam esse Locorum consuetudinem, cum ipsa non solum sit in dubiis optima Legum interpres; *leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*, *cap. cum dilectus* 8. *de consuetudine*, sed etiam clare Legi deroget; *cap. cum tanto* 11. *de consuetudine*.

39 In casu autem, quod Regulares decedant in locis a suis Monasteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non possint, sepeliri debent in Ecclesia ab ipsis electa, cum ad id in simili casu facultatem habeant a Jure sibi concessam per dictam limitationem *in cit. cap. Religiosi* 5. *de sepult. in* 6. ibi: *Nequeunt.... sibi eligere sepulturam ... nisi a propriis Monasteriis adeo sint remoti, ut ad ea commode portari non possint*. Sic Glossa *ibid. verb. Nota*. Donat. *loco cit. q.* 2. *num.* 3. Engel *loco cit. nu.*

40 11. Reiffenstuel *loco cit. num.* 18. & alii passim. Si tamen in dictis locis remotis decedant Regulares, non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia Parochiali, in qua moriuntur, idque expensis proprii Monasterii, si bona in communi possideat. Donat. *loc. cit. quæst.* 2. *num.* 4. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *loco cit. num.* 18. Glossa *in citat. cap. Religiosi*, *verb. Nota*, ubi citat communem Doctorum his verbis: *Sed quid si moriatur, non electa sepultura? Communis opinio Doctorum est, quod sepeliendus est in Ecclesia Parochiali, in cujus Parochia mortuus est*.

41 Tunc autem dicitur Religiosus mori in loco remoto, ut detur ei locus electioni sepulturæ, quando ejus cadaver distat a suo Monasterio per iter unius diei, idest ad quod per unicum diem Cadaver transferri nequit, ne forte putrescat, & inficiat aerem. Donat. *loc. cit. qu.* 2. *num.* 5. Bord. *tom.* 2. *resol.* 51. *n.* 161. Pelliz. *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 5. *n.* 29. & alii. Vel relinquitur arbitrio prudentis judicandum, ut notant Card. Petra *loco citat. num.* 31. Matthæucc. *loco citat. numer.* 16. *in fin.* & alii.

42 Quod dictum est de Professis decedentibus extra Claustra, dicendum est etiam de Novitiis, præsertim cum extra Claustra decedunt, quando ad exequendam Superiorum voluntatem exierunt, seu quando de consilio Medici, & licentia sui Superioris se transtulerunt ad Domum suorum Parentum pro recuperanda inibi sanitate; Tunc enim sepeliendi sunt in Monasterio sine obligatione solvendi Canonicam portionem Parocho, quia gaudent Juribus, & privilegiis Ordinis, & in favorabilibus veniunt nomine Professorum: *arg. cap. Religioso* §. *Quamvis* 21. *de sent. Excomm. in* 6. Donat. *loco cit. q.* 8. *num.* 5. Pelliz. *tom.* 2. *Man. tr.* 8. *c.* 5. *sect.* 4. *q.* 10. *num.* 137. Mancin. *in brevi tract. de infirmitat. in ordine ad sepulturam dub.* 9. Dicastill. *de Justit. lib.* 2. *tract.* 19. *d.* 3. *n.* 209. La Croix *lib.* 7. *n.* 248. cum Sanch. *ibi cit.* & pluribus declarat Pignat. *tom.* 7. *consult.* 70.

43 Regularis Confessarius Monialium pro earum cura spirituali habitans in Domo prope Monasterium ad præscriptum Alexandri VII. Constitut. incip. *Felici* §. 11. si infirmetur ad mortem, recipit Viaticum, & extremam Unctionem a suis Religiosis, & non a Parocho: Quamvis enim Regulares, qui infirmantur ad mortem in Domibus Sæcularium talia Sacramenta recipere debeant a Parocho, ut declaravit *Sacra Congregatio sub anno* 1620. apud Donat. *tom.* 3. *tract.* 10. *qu.* 9. *num.* 6. Itemque *ead. Sacra Congregat. Concil. in Collen.* 11. *Aprilis* 1609. & *Messanen.* 20. *Septembr.* 1698. Tamen hæc declaratio non videtur comprehendere dictum Confessarium, quia ipse non infirmatur proprie in domo sæculari, sed potius in Domo quasi Religiosa, & exempta ad hunc effectum, & quidem a Summo Pontifice præscripta quasi Domo Parochiali, seu Conventuali ipsius Regularis Confessarii inibi habitantis tamquam Parochi ad Curam spiritualem Monialium. Unde non est censendum, quod Pontifex statuendo talem mansionem pro dicto Confessario Regulari, voluerit ipsum reddere inferioris conditionis, quam sint alii Religiosi commorantes in suo Conventu, adeoque exempti a Jurisdictione Parochiali, cum ipse ibi manendo censeatur quo ad hunc effectum manere in Conventu, & de facto ibi maneat sub Obedientia sui Superioris in sibi tamquam Conventuali mansione designata a Pontifice, alias non reperiretur, qui vellet hoc onus subire, sicque Moniales remanerent destitutæ tam necessaria cura spirituali; Tum quia si infirmetur Parochus in propria sua Domo Parochiali recipit Sacramenta a sua Parochia independenter a quolibet, ergo etiam dictus Confessarius Regularis, qui velut Parochus habitat in dicta Domo sibi a Pontifice præscripta tamquam sua Domo Parochiali, potest independenter a quolibet recipere hæc Sacramenta ab Ecclesia Monialium tamquam a sua exempta Parochia; Talis enim Regularis nedum gaudet exemptione personali, sed quo ad hunc effectum etiam exemptione locali: Tum etiam quia nemo potest rationabiliter asserere, quod ipse Confessarius infirmus non possit refici eodemmet Sacramento, quod ipsemet sanus in sua velut Parochiali Monialium Ecclesia confecit, *argum. Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 9. *num.* 7. ibi: *Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit?* Accedit etiam recepta consuetudo, quæ non solum in dubiis est optima Legum interpres; *l. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*; *cap. Cum dilectus* 8. *de consuetudine*, sed etiam claræ Legi derogat; *c. Cum tanto* 11. *de consuetudine*.

Regularis viator, & hospes in Conventu alterius 44
Religionis, v. gr. Dominicanus in Conventu Franciscanorum, si ibi decedat, non sibi electa sepultura, & valde remotus, & distans sit Conventus proprii Ordinis, sepeliendus est in Ecclesia Parochiali, intra cujus fines est Conventus, in quo decedit; De ipso enim discurrendum est, ac de Regularibus decedentibus in locis sæcularibus, ita remotis a suis Monasteriis, ut ad ea deferri commode non possint, qui ut diximus *supra num.* 30. sepeliendi sunt in Parochiali.

Et inibi sepeliendus est expensis sui peculii, si 45
habeat, vel, eo carente, expensis proprii Monasterii. Card. Petra *loc. cit. num.* 36. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. c.* 14. *numer.* 4. Castropal. *part.* 3. *tract.* 19. *disp.* 4. *punct.* 13. §. 8. *num.* 6. & alii. Et ratio est, quia Monachus in vita acquirit Monasterio; *c. Statutum* 15. *caus.* 18. *qu.* 1. *cap. Quia ingredientibus* 7. *caus.* 19. *q.* 3. *c. In præsentia* 8. *de prob.* cum simi-

mili-

milibus, ergo Monasterium in ejus morte debet ipsius sepulturæ onus sentire; Qui enim sentit commodum, sentire debet & onus; *leg. Si merces* 25. §. 6. *ff. Locati*, *cap. Qui sentit* 15. *de regul. Jur. in* 6.

46 Quod usque nunc dictum est de Regularibus, est dicendum etiam de Monialibus, ita ut in omnibus dispositio *cit. cap. Religiosi* 5. *de sepulturis in* 6. cum eisdem procedat. Hinc si contingat, quod aliqua Monialis moriatur extra suum Monasterium, idem est concludendum, quod ibi statuitur de viris Regularibus. Murga *disp. for. tom.* 1. *disp.* 8. *de electione sepulturæ* §. 9. *&* 10. Card. Petra *loco cit. nu.* 40. & alii passim.

47 Regularis expulsus, seu ejectus, si non eligat sepulturam, ad quod habet facultatem, cum statim ac ejicitur a Religione, censeatur relinqui, ac si Religiosus non esset, & videatur nolle ejus corpus cum illis Religiosorum sociari, ut docent Murga *loco citat. disp.*8. §. 3. Molina *tract.* 2. *disp.* 276. Lessius *de Justit. & Jur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *n.* 113. Cardin. Petra *loco citat. num.* 37. & alii passim, sepeliendus est in Parochia, in qua decedit, *arg. c. Nos instituta* 1. *c. Ex parte* 5. *cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, *cap. Animarum* 1. *& cap. Is qui* 3. *eod. in* 6.

48 Et tunc expensæ faciendæ sunt de ejus peculio, si habeat, seu de peculio parentum, & in casu omnimodæ paupertatis debet a Parocho tumulari gratis, sicut gratis tumulari debent cadavera aliorum pauperum, ut statuit *Sacr. Congreg. Episc. & Regul. in Cassanen.* 5. *Maii* 1617.

49 Tertiarii, & Tertiariæ, habentes requisita a Leone X. in Constitutione incip. *Dum intra*, & alia incip. *Nuper*, & in Decreto Sacræ Congregationis edito *die* 20. *Decembr.* 1616. si decedant non sibi electa sepultura, & in Ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiatur, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri debent in Parochiali. Sic declaravit Sacra Congr. Concilii, ut ex Novario refert Card. Petra *loco cit. num.* 41. *vers. Si vero*, his verbis: *Præterea si contingat aliquos ex predictis Tertiariis absque sepulturæ electione decedere, eos sic decedentes ita demum in Ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis eorum sepultura communis reperiatur, sin minus, in Ecclesiis Parochialibus sepeliendos esse decrevit*; Nam ut prosequitur Eminentissimus Petra *loco cit.* uti gaudentes privilegiis Regularium, pars dicuntur ipsius Religionis, ut dixit etiam *Sacra Congr. Episcop. & Regular. in Nepesina* 11. *Decembris* 1615. *ad quintum*, *&* 20. *Decem-*
50 *bris* 1617. Verum Cadavera non possunt deferri a Domo, nisi cum præsentia Parochi, vel hoc requisito, ut *Sacra Congreg. cit. in Mutinen.* 17. *Junii* 1636. apud Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *Miscell. resolut.* 30. & Passerin. *de statib. tom.* 2. *num.* 246. *& seq.* qui *numer.* 248. adducit Epistolam per extensum. Sic Cardin. Petra *loco cit. num.* 41 *vers. Si vero*; Panimol. *decis.* 5. *Adnot.* 3. *num.* 47. *&* 48. Sellius *in Select. Canon. cap.* 35. *nu.* 20. Gavant. *in Manual. Episcop. verb. Tertiarii num.* 10. *&* 11. Tamb. *de Jure Abbatissar. disp.* 7. *qu.* 3. *vers. Tertiariæ*, *& vers. Sacra Congreg. Cardinal.* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi cap.* 26. *num.* 69. Sperel. *tom.* 1. *decis.* 87. *num.* 17. Lavor. *var. lucubr. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 102. *&* 103. Matthæucc. *Official. Cur. c.* 48. *num.* 31. *& cap.* 52. *numer.* 3. §. 2. *&* 3. & alii. Vide verb. *Tertiarii*, ubi dantur citatæ Constitutiones Leonis X. editæ in Concilio Generali Lateranensi, & cit. Decret. Sacræ Congregationis.

Quo ad sepulturam Chordigerorum utriusque se- 51
xus *Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in una Senogal.* 22. *Novembr.* 1580. sic observari mandavit: *Quod ubi adest sepultura communis pro Chordigeris in Ecclesia Fratrum Minorum, ubi est erecta Confraternitas, sepeliantur in ea, ubi vero non est talis sepultura, moderentur sicut ceteri sæculares, & sepeliantur in sæculari Ecclesia, si non sibi elegerint aliunde sepulturam.* Lantusc. *Theatr. Regul. verb. Confraternitas num.* 12. Matthæucc. *Offic. Curiæ quo ad sepulturas cap.* 48. *nu.* 21. sed quantum ad hoc attendenda est consuetudo, cum circa id habeantur posteriora Decreta contraria, ut apparet *in num. subseq.*

Confratres Confraternitatum existentium in Ec- 52
clesiis Regularium sepeliendi sunt in Parochia, nisi alibi elegerint sepulturam. Sic *Sacra Congreg. Concil.* prout in Constitutione Innocentii X. incip. *Ex injuncto* §. 6. ibi: *An liceat Regularibus sepelire in suis Ecclesiis Confratres Laicos, qui sepulturam non elegerunt?* Respondit: *Confratres Laicos, si non præcedat eorum electio sepulturæ, sepeliendos esse in eorum propria Parochiali Ecclesia.* Et hoc procedit, etiamsi in Ecclesiis Regularium adesset communis sepultura pro dictis Confratribus, ut respondit *Sacr. Congreg. Concilii in Neapolitana die* 12. *Februarii* 1666. *ad septimum dubium*. Vide verb. *Confraternitas art.* 5.

Confratres, ut possint sibi eligere sepulturam in 53
Oratorio Confraternitatis habente Jus sepulcri, requiritur, quod per sex menses ante obitum fuerint adscripti: Sic cavetur in Concilio V. Mediolanen. relato a Gavant. *in Manual. verb. Confraternitas n.*46. a Monacell. *part.* 4. *supplem. ad* 1. *tom. num.* 131.

Volentes sepeliri in habitu Religiosorum, non 54
est de necessitate, quod tumulentur in Ecclesiis eorum, quorum est Habitus, sed possunt sepeliri, ubi sepulturam elegerint, prout eorum relinquitur arbitrio a Leone X. Constitut. incip. *Dum intra*, ibi: *Volentes quoque sepeliri in Habitu eorumdem Fratrum in Claustro non degentes, sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint*. Et sic statuit etiam *Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in Novarien.* 23. *Novemb.* 1582. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.*17. *num.* 20. rescribens illius Civitatis Episcopo in hæc verba: *V. S. non permetta in modo alcuno, che i Terziarj si confessino, se non da quelle persone, che sono state ammesse alle Confessioni da lei, benchè siano Frati, perchè niun deve confessare senza l' approvazione dell' Ordinario. Facendo intendere inoltre alli Terziarj, che abitano nelle case loro, che s' ingannano pensando, che tutti quelli che hanno l' Abito da Terziario, si debbano senz' altro, quando muojono, sepellire nelle Chiese de' Frati, se essi non si sono eletta quella sepoltura, e gli faccia capaci, che non hanno tanti privilegj, quanti forse si persuadono, come si può vedere*

vedere nel Concilio Lateranense ultimo nella sess. 11. *Ne meno è vero, che ognuno, che lascia morendo d' esser vestito con l'Abito di Terziario, o di Frate, perciò debba esser sepolto nella Chiesa de' Frati, se non hanno mostrato più che chiaramente la loro volontà circa l'elezione della sepoltura, ma doveranno esser portati, dove di ragione sarebbero andati senza quell' Abito.* Et idem censuit *Sac. Congreg. Concilii in Neapolitana* 13. *Februarii* 1666. *in responsione ad* 9. *dubium*, quod erat conceptum his verbis, *Nono: An qui post mortem mandat suum Corpus indui Habitu Tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia Regularium? Ad* 9. *Sacra Congregat. censuit Negative.*

55 Barbosa tamen *lib.*2. *Jur. Eccles. univ. cap.* 10. *numer.* 73. *& de Offic. & potest. Parochi cap.* 26. *nu.* 73. refert sequens Decretum: *Suscipientes Habitum a Guardiano, vel ab alio, cui ille committendum duxerit, & cum eo decedentes, in Ecclesiis ejusdem Ordinis Ecclesiasticæ sepulturæ sunt tradendi, si Guardianus propter Habitum concessionem, & receptionem eos præmonuit eorum Cadavera ibi sepelienda esse*, ut censuit *Sacra Congreg. in d. Nepesina* 11. *Decembr.* 1615. *ad* 2. *&* Samuel. *de sepultur. tract.* 1. *controvers.* 15. *conclus.* 12. allegat, ut sequitur, Bullam aurea Sixti IV. ibi: *Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum specialiter gerentes devotionis affectum, eorum Cadavera cum Habitu FF. Prædic. & Minorum, seu Fratrum, vel Sororum de Pœnitentia utriusque Ordinis Prædicatorum, & Minorum sepeliri mandent, & persæpe antequam moriantur, Habitum hujusmodi eis postulent exhiberi;*

Decernimus, Habitum hujusmodi per Priorem Domus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum Domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere continget, vel per Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, Domorum, seu prioris, & Guardiani, vel cui illi duxerint committendum duntaxat, & non per alium quavis auctoritate, vel Prælatione fungentem, exhiberi debere. Qui prædictum Habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum Ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum Habitu, quorum Habitum, suscipiunt, & illorum sic indutorum Cadavera discooperta, nullo pallio, seu tegumento superposito, deferri posse; Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quoad hoc modificamus.

56 Adest præterea declaratio *Sacræ Congr. Episc. & Regul.* sub his verbis: *Prædicta Cadavera recto tramite sunt ad Ecclesias Regularium deferenda cum Parocho, quo requisito expresse si venire recusaverit, licere tunc eisdem Regularibus, etiam ipso invito, portare ad suas Ecclesias. Rota die* 11. *Dec.* 1615. *Antonius Maria Cardinalis Gallus.*

Loco ✠ Sigilli.

V. Theatinus Secr.

Eadem interrogata Sac. Congr. a Patribus Minoribus; An in eorum Ecclesiis sepelienda sint Cadavera illorum, qui dicti Ordinis Habitu induti ex hac vita migrarunt? Respondit id fieri debere, si tamen a Guardiano Domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel altero, cui id Superior committendum duxit, Habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior hujusmodi suscipientes præmonuerint, eorum Cadavera propter Habitus concessionem, ac receptionem penes ipsos Fratres, quorum Habitum gestant, esse sepelienda. Hactenus apud Samuellium *loc. cit. concl.* 12.

Papa decedens Romæ sine electione sepulturæ sepelitur in Basilica Vaticana, in qua non possunt sepeliri, nisi Summi Pontifices, & Personæ Regales prout patet de Principissa Methilda tam bene merita Ecclesiæ Romanæ, & novissime de Christina Regina Svecorum ibi sepultis. Et ne quidem Eminentissimis Cardinalibus permissum est inibi sepeliri. Cohel. *not. Card. privil. tit.* 90. Passer. *de statib. hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 139. Cardin. Petra *loc. c. n.* 27. referens dictam Basilicam amisisse Legatum cujusdam, qui mandaverat ibi sepeliri. Et de sepultura Pontificis Rota Romana *Juris tumulandi num.* 14. *die* 20. *Febr.* 1702. 57

Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulturæ decedere extra Urbem, nec posset commode transferri ad ipsam, esset sepeliendus in Ecclesia Cathedrali loci, ubi decedit, *c. Is qui* 3. *de sepultur. in* 6. Rota *in Romana Juris tumulandi n.* 16. *die* 20. *Februarii* 1702. *coram D. Priolo*; Lavorius *tom.* 1. *variar. tit.* 2. *num.* 45. Sebastianus Medices *de sepultur. part.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 7. *num.* 2. Card. Petra *loc. cit. num.* 29. referens id de facto evenisse in aliquibus Civitatibus, ut Neapoli, & Salerni &c. 58

Papa potest sibi eligere sepulturam in quacumque sibi benevisa Ecclesia, etiam Regularium, ut patet ex pluribus monumentis, quæ videntur in diversis etiam Regularium Ecclesiis in Urbe; Corpus tamen solet deferri semper ad dictam Ecclesiam S. Petri pro functionibus exequiarum explendis, & deinde defertur ad Ecclesiam electam. Card. Petra *loco cit. num.* 27. 59

Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulcrum Majorum, nec sibi elegerint sepulturam sepeliendi sunt, non in Parochia, sed in Ecclesia proprii Tituli; sic articulo late discusso firmavit Rota *in Romana Juris tumulandi* 20. *Febr.* 1702. coram Priolo in causa sepulturæ Eminentissimi Cardinalis Pallavicini, quæ decisio refertur a Monac. *tom.* 4. *in Appendic. decis.* 18. & a Pitonio *discept. Ecclesiastic. tom.* 2. *post discept.* 51. eamque citant, & sequuntur ultra prædictos, etiam Card. Petra *loc. cit. Comment. ad Constit.* 2. *Honorii III. num.* 32. Matthæucc. *Official. Curiæ quoad sepulturas cap.* 48. *num.* 9. ubi citat etiam aliam decisionem *de quinta die Mart.* 1703. refertque tali anno ratione dictarum Decisionum Cadaver Cardinalis Radolovich Titularis S. Bartholomæi in Insula, qui suum Corpus reliquit esse tradendum Sepulturæ in Ecclesia prout *de Jure*, redditum fuisse Ecclesiæ Titulari, & in ejus solo tumulatum, cum prius pendente lite inter Parochiam & Titulum, fuerit interim depositum in sua Parochia S. Marcelli. 60

Et

61 Et hoc etiamsi Cardinales non resideant in Titulo, cum non omnes Ecclesiæ Cardinalium Titulares habeant contiguas habitationes. Rota *cit. in Romana Juris tumulandi* 20. *Februarii* 1702. *numer.* 28. *&* 31. Card. Petra *loc. cit. num.* 32. & alii.

62 Et hoc procedit etiam in Cardinalibus Regularibus; Non enim ipsi in tali casu sepeliendi sunt in Ecclesia Regulari, si specialiter eam non elegerint, quia magis stringit vinculum speciale proprii Tituli Cardinalitii, quam generale Religionis; Tum quia dum Regulares assumuntur ad Cardinalatum, eximuntur ab Obedientia Religionis, adeoque sicuti remanent soluti a Lege vetante electionem sepulturæ, ita præsumptio oritur, ut electio debeat esse in eo loco, in quo uti Cardinales, & non uti Regulares sepeliri debuerant, etiamsi alibi Cardinales Sacramenta recipiant, ut prosequitur citata Rotæ decisio *num.* 34. *&* 35. Card. Petra *loc. cit. n.* 33. & alii.

63 Cardinales autem decedentes extra Urbem sine electione sepulturæ sepeliri debent in Ecclesia Majori loci, ubi decedunt, quia, ut dicit Rota *in cit. dec. n.* 16. ratione Dignitatis illa Ecclesia censetur Parochialis Cardinalis defuncti, sicuti censeretur in casu simili obitus Summi Pontificis. Sic Card. Petra *loco cit. num.* 34. Murga *de Sepulturis tract.* 8. *sect.* 2. *dub.* 7. *conclus.* 4. Matthæucc. *loc. c.*

64 *n.* 9. & alii passim. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui Parochiæ, ut notant Card. Petra *loc. cit. numer.* 34. Matthæucc. *loc. cit. num.* 9. & alii, *arg. cap. Instituta* 1. *cap. Ex parte* 5. *cap. In nostra* 10. *de sepultur. cap. Animarum* 1. *& cap. Is qui* 3. *eod. in* 6.

65 Debetur tamen semper Quarta Canonica Ecclesiæ Parochiali ratione administrationis Sacramentorum, prout debetur, si quis decedat sine electione sepulturæ, & sepeliatur in sepulcro Majorum, vel in Cathedrali. Sic Rota *in cit. decis. num.* 34. Card. Petra *loc. cit. num.* 35. Matthæuc. *loc. cit. num.* 9. Antonell. *de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 30. Pitonius *in addit. ad dictam disceptat.* 51. *in fine*, & alii.

66 Episcopi decedentes in propria Diœcesi, non electa Sepultura, nec habentes sepulcrum Majorum sepeliri debent in propria Cathedrali tamquam sua sponsa; si vero decedant extra Diœcesim, & commode possint deferri ad propriam Cathedralem, sunt in ea tumulandi; Si autem ad ipsam commode deferri non possint, tumulandi sunt in Ecclesia digniori loci, in quo decedunt, quia de ea ratione dignitatis eorum præsumitur voluntas. Cardin. Petra *loco citat. numer.* 36. Sperell. *decis.* 87. *numer.* 42. Antonell. *loc. cit. num.* 28. Panimoll. *decis.* 5. *Adnot.* 3. *num.* 45. Matthæucc. *loc. cit. num.* 11. & alii passim; Quod si habeant duas Ecclesias æqualiter unitas, sepeliendi sunt in ea, in qua decesserunt, at si non sunt æqualiter unitæ, sed una alteri subjecta, sepeliri debent in principali. Card. Petra *loc. cit. n.* 23. & alii.

67 Canonici Cathedralis decedentes, non electa sepultura, ubi tumulari debeant? Vide verb. *Canonicus art.* 8. *a num.* 11. *ad* 14.

68 Clerici, & Presbyteri decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in Cathedrali, si ibi adsit sepultura propria separata pro Presbyteris, & Clericis, etiam non attento sepulcro Majorum. *Sacra Congreg. Episcop. in Forosempronien.* 1. *Septembris* 1690. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *num.* 17. Samuel. *de sepultur. disp.* 5. *tract.* 1. *controv.* 9. *conclus.* 20. *num.* 30. Nicol. *lucubrat. Canonic. lib.* 4. *tit.* 15. *de sepultur. num.* 15. Matthæucc. *loc. citat. num.* 11. *vers. Canonici*; Passerin. *loc. cit. num.* 325. *cum seq.* & alii. Vide tamen verb. *Canonicus art.* 8. *num.* 11. 12. *&* 13.

Si vero non adsit in Cathedrali sepultura propria separata pro Presbyteris, & Clericis, Clerici & Presbyteri decedentes sine electione sepulturæ, sepeliendi sunt in sepulcro Majorum, si habeant, & si non habeant, in propria Parochia. *Communis*, *arg. cap. Nos instituta* 1. *cap. Ex parte* 5. *cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, *cap. Animarum* 1. *cap. Is qui* 3. *& cap. Licet* 4. *eod. in* 6. Et ratio est, quia Jura nihil speciale de eis statuunt, adeoque est discurrendum de eorum sepultura, ac de sepultura Catholicorum sæcularium, cum ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debeamus; *l. De pretio* 8. *ff. de Publiciana in rem action.* & verba generalia generaliter sint intelligenda, *c. Quia circa* 22. *de privil.* Unde cum quæsitum fuisset a Sacra Congr. Conc. *in una Fulginat. die* 10. *Julii* 1694. An liceret Capitulo Cathedralis privative quo ad omnes alias Ecclesias, tumulare Cadavera personarum in Sacris, vel in Minoribus Ordinibus constitutarum, etiam prima tonsura initiatarum, decedentium absque electione sepulturæ, Sacra Congregat. noluit decidere; sed remisit causam ad Judices suos; Cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem, ut dicit Card. Petra *loc. cit. num.* 40. subdens *ibid. n.* 41. bonum Jus favere Parochis, si non probetur legitima consuetudo; nam ipsi habent assistentiam Juris in tumulatione istorum carentium Sepulcro Majorum decedentium sine electione inter fines propriæ Parochiæ per Jura supra adducta. Card. de Luca *de Parochis disc.* 27. *num.* 2. Panimol. *decis.* 5. *nu.* 1. *&* 5. Rota *part.* 11. *recent. decis.* 348. *num.* 9. & in his terminis Passerin. *loco citat. num.* 325. *cum sequent.* & alii. 69

Si autem adesset consuetudo quadragenaria cum titulo, tunc deberet attendi prout etiam quando Ecclesia Cathedralis teneatur solvere quartam funeralem Parocho alterius Ecclesiæ, si ibi sepulturam quis elegerit, ut declaravit *Sac. Congreg. Concilii in Mantuana die* 23. *Julii* 1694. & confirmavit *die* 30. *Aprilis* 1695. Et ita si sibi reservatum fuisset tale Jus in signum Superioritatis, quando Parochiæ fuerunt distinctæ, seu creatæ. Sic Card. Petra *loc. cit. num.* 41. Panimoll. *decis.* 5. *adnotat.* 4. *num.* 8. *& seq.* Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 24. *num.* 16. Cavaler. *decis.* 649. *num.* 2. *& decis.* 295. *num.* 3. *coram Bichio*; Immo sufficeret etiam consuetudo immemorabilis sine titulo, cum ista quemcumque titulum præsumere faciat. 70

Clerici Beneficiati cum onere residendi, tam simplices, quam Curati decedentes sine electione sepulturæ, & carentes sepulcro majorum, sepeliri debent in Ecclesia sui beneficii, & residentiæ, & non in pre- 71

propria Parochia. Barbosa *im cap. Nos instituta* 1. *num.* 4. *de sepulturis*, Pirhing *lib.* 3.*Decretal.tit.*28. *num.* 9. Sannig. *ibid. num.* 8. Vallensis *ibid. num.* 6. Reiffenstuel *ibid. num.* 24. Tusch. *litt. P. conclus.*99. *num.* 5. Bursat. *Consil.* 226. *mum.* 18. *&* 19. Bellet. *disquisit. Cleric. par.* 1. §. 3. *mum.* 9. 10. 11. *&* 20. Joan. Asin. *in l. Familiaria*, *ff. de Rel. & sumpt. Funer.* Murga, & communis aliorum, teste Reiffenstuel *loco cit. arg. cap. Nos instituta* 1. *de sepult.* ibi: *In qua Cœlesti pabulo refici consueverunt, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum*, *cap. De his* 5. *eod.* ibi: *A quibus receperunt salutis pabula*; *& cap. Cum quis* 2. *eod. in* 6. ibi: *In qua ille Officia consuevit audire Divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta*. Ubi, ut vides, statuitur, decedentes sine electione sepulturæ, & carentes sepulcro Majorum, sepeliendos esse in Ecclesia, in qua consueverunt audire Officia Divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta: Atqui Clerici beneficiati cum onere residendi ibi Divina audiunt, & Sacramenta percipiunt; immo etiam Divina faciunt, & Sacramenta ministrant, ubi beneficium habentes servitium cum residentia præstant, ergo &c. Et ratio est, quia Clerici beneficiati cum onere residendi sunt potius Parochiani Ecclesiarum suorum respective beneficiorum, quam suorum domiciliorum, quia alias non in illis, sed in istis Sacramenta percipere, & Divina audire statutis a Jure temporibus deberent, *arg. cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnitent. & remissionib.* ubi statuitur, quod *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*; adeoque cum Clericis beneficiatis cum onere residendi, non Parochus domicilii, sed Parochus beneficii residentialis divina administret, potius iste, quam ille censendus est eorum proprius Parochus cum Jure eos sepeliendi.

72 Nec valet objicere, quod Clericis Beneficiatis Viaticum, & extremam unctionem administret Parochus domicilii, & non Parochus beneficii, adeoque potius ille, quam iste censendus est eorum proprius Parochus cum Jure eos sepeliendi. Non valet, inquam, quia, concesso antecedente, negatur consequentia, cum in ordine ad Sepulturas Sacri Canones non attendant locum, ubi quis in extremis recipit Sacramenta, sed locum, ubi in vivis sanus Sacramenta recipere consuevit, & patet ex *cit. Jurib. num. anteced.* & clare denotant illi termini: *Consueverunt*, *consuevit*, adeoque cum Clerici beneficiati in vivis, & sani Sacramenta recipere consueverint in Ecclesiis suorum beneficiorum cum residentia, & non in illis suorum respective domiciliorum, sunt tumulandi in illis, non obstante, quod in extremis ab istis receperunt Viaticum, & extremam unctionem, quia hoc non evenit, quasi ipsi sint eorum proprii Parochi, sed quia proprii Parochi Ecclesiarum dictorum suorum beneficiorum fines, & territorium Parochorum suorum respective domiciliorum intrare, ibique ipsis invitis Sacramenta ministrare nequeunt, *arg. cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *q.* 1. *cap. in Ecclesiis* 1. *de Capellis Monachor. cap. Cum singula* 32. *de Præbend. in* 6. cum similibus. Et de facto si quis recreationis, vel negotii causa in Villam extra suam Parochiam sitam se conferat, & ibi moriatur, non ibidem, sed si non habeat sepulcrum majorum, nec sibi elegerit sepulturam, in propria Parochia sepeliri debet, non obstante, quod in aliena Viaticum, & extremam unctionem receperit, text. expresso *in cap. Is qui* 3. *de sepulturis in* 6.

Uxor licet sit sub potestate Viri, potest libere 73
sine ejus licentia eligere sibi sepulturam, quia in hoc est sui Juris. *Communis*, textu expresso *in cap. De Uxore* 7. *de sepulturis*, juncto ejus Summario sic expresse dicente: *Mulier nupta libere potest sibi eligere sepulturam*.

Si autem uxor decedat, non electa sepultura, 74
& adhuc superstite suo Marito, debet sepeliri in sepultura Mariti, si hic aliquam jam sibi elegit, & determinavit, aut jam determinavit sepeliri in sepulcro majorum. Abbas *in cit. c. De Uxore n.* 6. Barbosa *ibid. num.* 4. Pirhing *loc. cit. num.* 12. Reiffenst. *loc. cit. num.* 24. Silvester verb. *Sepultura q.*8. *dict.* 5. & alii: *arg. cap. Ebron* 2. *caus.* 13. *quæst.*2. & sic censuit *Sacr. Congreg. Rit. in Senogallien.*15. *Januar.* 1633. apud Panimol. *decis.*5. *adnotat.*3.*n.*32. Et ratio est, quia Maritus destinatione, & determi- 75
natione animi jam censetur esse sepultus in tali sibi electa, & destinata sepultura. Si autem maritus nondum sibi sepulturam elegerit, nec voluntatem suam circa ipsam adhuc declaraverit, uxor est sepelienda in sepulcro suorum majorum, si habeat vel si non habeat, in Parochia, ubi decedit, *arg. cap. Nos instituta* 1. *cap. Ex parte* 5. *cap. In nostra* 10. *de sepultur. cap. Animarum* 1. *cap. is qui* 3. *& cap. Licet* 4. *eod. in* 6. Sic citat. Doctores & alii.

Si vero uxor remaneat vidua, & decedat, non 76
sibi electa sepultura, quamvis habeat sepulcrum majorum, debet sepeliri in sepulcro mariti. *Communis*, textu expresso *in c. Ebron. caus.* 13. *quæst.*2. ubi etiam redditur ratio his verbis: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separet*; Et concordat *cap. Unaquæque* 3. *eadem caus. & quæst.* ibi: *Unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte*.

Et si talis uxor vidua plures habuerit maritos, 77
sepeliri debet in sepulcro ultimi, textu expresso *in cap. Is qui* 3. *de sepulturis in* 6. §. *Mulier*, ibi. *Mulier autem, quæ plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda*.

Uxor vidua debet sepeliri in sepulcro mariti, 78
etiamsi locum habitationis mutet, & redierit ad domum paternam, vel aliorsum se contulerit, *ar. cit. c. Ebron* 2. *caus.* 13. *qu.* 2. quia in tali vidua aliorsum se conferente militat ratio ibi allegata, nempe: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum*; Tale enim privilegium est datum personæ, & non loco, & mulier vidua viduilem vitam servando, censetur durare in conjugio viri. Joannes Andreas *in cit. cap. Is qui* 3. *de sepultur. in* 6. Silvester verb. *Sepultura quæst.* 8. *dict.* 5. Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 28. *num.* 12. Reiffenstuel *ibid. num.* 22.

num. 22. Donat. *tom.* 3. *tit.* 9. *quæst.* 24. *num.* 9. cum aliis ibi allegatis, Sperell. *tom.* 1. *decis.* 88. *num.* 15. cum pluribus aliis ibi citatis, Panimol. *cit. decis.* 3. *adnotat.* 3. *num.* 36. & alii.

79 Non esset tamen uxor sepelienda in sepulcro mariti, si necdum ad ejus domum fuerit traducta, & ab ipso cognita, quia in tali casu non acquisivisset ejus domicilium, nec fuisset facta una caro cum ipso, quæ sunt motiva, ob quæ *ex cit. cap. Is qui* 3. *de sepulturis in* 6. *& cit. cap. Ebron.* 2. *caus.* 13. *q.* 2.

80 Uxor debet sepeliri in sepulcro mariti. Sic doctores citati, & alii passim. Item non est sepelienda uxor in sepulcro mariti in casu, quo ob ipsius adulterium factum sit divortium, & totalis separatio, quia tunc non est amplius de domo mariti, cum ejus domicilium juridice amiserit. Sic citati Doctores, & alii.

81 Si uxor moriatur prægnans, fœtus in utero existens una cum matre mortuus, & non extractus, tamquam pars ventris sepelitur una cum matre in Ecclesia. Si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, & mater in Ecclesia. *Communis* cum supracitatis Doctoribus.

82 An autem, sicuti ex supradictis uxor debet sepeliri in sepulcro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi Sepultura, debeat sepeliri in sepulcro uxoris? contendunt Doctores; Abbas enim *in cap. De uxore* 7. *de Sepulturis*, *num.* 7. tenet affirmativam sententiam, quam sequitur, & probabiliorem asserit Reiffenstuel *loc. cit. num.* 24. Et ratio istorum est, quia revera eadem prorsus militat Juris ratio in marito, quæ in uxore, *cit. cap. Ebron* 2. *caus.* 13. *quæst.* 2. adducta, nempe, *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separet.* Ubi autem eadem est ratio, eadem quoque est Juris dispositio, *cap. Inter corporalia*, 2. *de translation. Episcop. l. Ideo* 27. *ff. de Legibus*, ibi: *Semper quasi hoc Legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertinerent, quæ quandoque similes erunt*, quia ut expresse dicitur *in l. Non possunt* 12. *ff. eod.* ibi: *Non possunt omnes articuli singillatim, aut Legibus, aut Senatus Consultis comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui Jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita Jus dicere debet.* Silvester vero *loco cit. dist.* 5. Pirhing *loc. cit. num.* 10. Donat. *loc. cit. tract.* 9. *quæst.* 24. *num.* 11. Riccius 4. *part. Prax. resolut.* 293. *num.* 3. & alii partem negativam defendunt, *argum. cap. Unaquæque* 3. *caus.* 13. *quæst.* 2. ubi solum dicitur, quod *Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*, non autem dicitur, e contra de viro; Tum quia absurdum est, quod maritus sequatur dispositionem uxoris, arg. *l. Si ita* 45. *ff. de Legat.* 2.

83 Ast hæ rationes, & Jura per Auctores secundæ negativæ sententiæ adductæ de facili, & recte solvuntur a Reiffenstuel *loco cit. num.* 25. quia dicit ipse, licet Maritus non teneatur sequi Uxorem, & in vita, & in morte, sicuti Uxor tenetur sequi Maritum, tenetur tamen Maritus sequi Uxorem post mortem, si non vigore citati Canonis *Unaquæque mulier*, vigore tamen citati Canonis *Ebron*, ob rationis, & Juris omnimodam idemtitatem, nempe: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit homo non separet*; Tum quia Canon *Ebron* majorem vim præseferre videtur, utpote depromptus a Papa, nempe Gelasio, quam Canon *Unaquæque mulier* depromptus a non Papa, nempe a S. Augustino, ut ibi patet. Nec est absurdum, quod vir sequatur dispositionem Uxoris, si aut Jura ita exigant, aut Uxor rationabiliter disponat. Immo est summe laudabile, & quandoque necessarium, quod Maritus sequatur dispositionem Mulieris, præsertim in piis operibus ad salutem æternam tendentibus; Dicit enim Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 7. *num.* 14. quod sic faciendo *sanctificatus est Vir infidelis per Mulierem fidelem*. Nec in contrarium stat *cit. l. Si ita* 45. *ff. de Legat.* 2. ab Adversariis adducta; ibi enim non id, quod ipsi dicunt, sed solum dicitur quod vocabulo *femineo masculum non continetur*, ibi: *Exemplum enim pessimum est feminino vocabulo etiam masculos contineri*.

Habitans in confinio duarum Parochiarum, scilicet in domo sita partialiter in fundo duarum Parochiarum, si decedat sine electione sepulturæ, nec habeat sepulcrum majorum, sepeliri debet in illa Parochia, ex qua est ingressus in Domum; Si autem sint duæ portæ, sepeliri debet in illa Parochia, ex qua est porta principalis, sive anterior facies Domus, quia hæc censetur nobilior. Sic Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 5. *num.* 7. Barbosa *de Offic. & potest. Parochi par.* 2. *c.* 21. *num.* 43. *& de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 32. *n.* 71. Kugler. *de Matrim. n.* 298. De Justis *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 64. La Croix *lib.* 7. *num.* 241. cum Bartol. & Bald. ibi citatis. 84

Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens, & casu moriatur in aliena Parochia, non debet sepeliri in hac aliena, sed in Parochia proprii sui domicilii, quia per istum egressum, vel brevem absentiam non amisit propriam Parochiam, nec alteram acquisivit. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 151. La Croix *loco cit. nu.* 240. & alii. 85

Eligere sepulturam sibi benevisam potest quilibet, sive masculus, sive femina; Dummodo habeat debitam ætatem, & a Jure non prohibeatur. *Communis*, per text *in c. Nos instituta* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. Cum super* 8. *cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, *cap. Animarum* 1. *cap. Quis* 2. *eod. in* 6. 86

Et potest quis libere sibi eligere sepulturam, etiam extra propriam Patriam in diversa, & remota Provincia, etiam alienam. *Communis*, textu expresso *in cit. c. Nos instituta* 1. *de sepulturis*, ibi: *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam; Dominus enim, & Magister alienam elegit ut propriam*, juncta Glossa *ibidem verb. Alienam* id notante de Domino nostro Jesu Christo, *Qui natus in Betlehem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit in Hierusalem in sepulcro Joseph*. 87

Si quis autem eligat sepeliri in Sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus Patronis sepulturæ, quia, quod nostrum est, absque facto nostro auferri a nobis non potest, *l. Id quod nostrum* 11. *ff. de Regul. Juris*, ibi. *Id quod nostrum* 88

ctrum est, sine facto nostro ad alium tranferri non potest. Sebastianus Medices *de Sepultur. cap. 9. n. 4.* Barbosa *lib. 2. Juris Eccles. univers. cap. 10. n. 12.* Ventriglia *tom. 1. Adnotat. 52. §. Unic. nu. 3.* & alii passim.

89 Quoad hunc effectum autem non dicuntur Patroni Rectores Ecclesiarum, vel Superiores Regulares, sed illi, quibus per dictos Rectores, seu Superiores Regulares, concessa est sepultura. Unde in similibus casibus est expresse petenda prædicta licentia a dictis Patronis, vel eorum successoribus, sine qua licentia Rectores, vel Superiores Regulares in prædictis sepulturis aliquem sepelire non possunt, quia de Jure in fundo, in quo quis habet usum, non potest Dominus inhabitare, invito usufructuario, *l. Heres 12. ff. de Usu, & Usufructu, & habitatione*. Patroni enim prohibere possunt, ne alii in suis sepulcris tumulentur, *l. Locum 2. l. Familia 5. l. Vel quod 7. l. Si plures 41. ff. de Religiosis, & sumptibus Funer. l. Jus sepulcri 13. Cod. eod.* Ventriglia *loco cit. num. 3.* Barbosa *loc. cit. n. 12.*
90 & alii. Extinctis autem Patronis omnibus, tunc Rectores Ecclesiæ, seu Regulares possunt non solum alios mortuos ibi sepelire, sed etiam sepulturam alteri concedere, quia mortuo usufructuario, ille usus redit ad proprietatem libere; *l. Corruptionem ususfructus 16. Cod. de usufructu, & habitatione*, Sebastian. Medices *loc. cit. q. 8. n. 3.* Ventriglia *loc. cit. n. 3.* & alii.

91 Item possent Rectores Ecclesiæ, seu Regulares in patronatis sepulcris aliquem alium tumulare, interveniente causa necessitatis; Lavorius *variar. Lucubrat. titul. 2. c. 11. n. 36.* post Abbatem, & Roman. ibi citatos, Ventriglia *loc. cit. num. 3.* & alii. Quod enim non est licitum in Lege, necessitas facit licitum, *cap. Quod non est 4. de Regulis Juris c. Quoniam 13. caus. 1. quæst. 7.* cum necessitas non habeat Legem, *cap. Sicut 11. de consecrat. dist. 1. cap. Omnes 1. de Feriis, cap. Consilium 2. de observ. jejunior. cap. Consuluisti 3. de celebrat. Missar.* In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; *cap. Licet 6. de pœnitent. & remissionibus*; Fagnan. *libr. 1. decretal. in cap. Nihil 44. de election. n. 26.*

92 Si plures sint Patroni, debent omnes consentire, nec sufficit consensus majoris partis ad hoc, ut Cadaver illius, qui elegit sepulturam in alieno sepulcro, possit ibidem sepeliri, textu expresso *in l. Si plures 41. ff. de Religios. & sumptibus funer.* ibi: *Si plures sint Domini ejus loci, ubi mortuus infertur, omnes consentire debent, cum extranei inferantur*; Quod enim omnes tangit, ab omnibus approbari debet, textu expresso *in c. Ad hæc 6. de Offic. Archidiacon.* ibi: *cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat*.

93 Decedens facta electione sepulturæ alterius Patroni, si Patronus deneget consensum, nec intendat admittere Cadaver ad ejus sepulturam, dicitur decedere non facta electione; Nam idem est, aliquid non esse factum, quam nulliter factum, *l. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de re judicata*, ibi: *Condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia valeat; Cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est, condemnationis verbum non tenere*. Paria enim sunt non esse, & nullum esse, *arg. l. Duo sunt Titii, ff. de Testamentaria Tutela*. Et quod nullum est, nullum producit effectum, *cap. illud 8. de Jurepatronatus*, Ventriglia *loc. cit. num. 5.* Paris. *consil. 95. nu. 11. lib. 1.* & alii. Contrarium tamen dicendum esset, si accederet Episcopi, vel Rectoris Ecclesiæ dispensatio, qui possunt illam concedere in casu necessitatis, etiam invito Patrono: Bonacina *tom. 2. de contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. n. 4.* Ventriglia *loco cit. n. 5.* & alii, *arg. citatis Juribus supra n. 91.*

Filiusfamilias, dummodo pubes sit, & sit sui juris, potest etiam sine consensu Patris sibi libere eligere Sepulturam. *Communis, cap. Unaquæque 4. §. Exemplo caus. 13. q. 2. cap. Nos instituta 1. de sepulturis, cap. Licet 4. eod. in 6.* cum similibus; Et ratio est, quia quo ad jura spiritualia, quale est etiam Jus sepulturæ, *cap. Quæsita 12. caus. 13. q. 2.* filiusfamilias patriæ potestati subjectus non est. 94

Item servus, si pubes sit, potest ex eadem ratione sibi libere eligere sepulturam, quia servitus est de jure temporali, & nequit extendi ad spiritualia. Card. Petra *tom. 2. Commentar. ad Constit. 2. Honorii III. num. 18.* Samuel. *de sepultur. tract. 1. disput. 5. controv. 1. conclus. 8.* Lavorius *loco cit. cap. 11. tit. 2. n. 146.* Ventriglia, Panimol. Murga, & alii passim. 95

Item sepulturam sibi eligere libere possunt Novitii etiam extra Monasterium, & in alia Ecclesia, quia cum hi possint vivi libere discedere a Monasterio, & ad sæculum redire, *cap. Consuluisti 19. cap. Statuimus 23. de Regularib.* cum similibus, id illis debet etiam permitti in morte, *arg. cap. Religiosi 5. de sepulturis in 6.* ubi ideo præcise prohibetur Religiosis professis eligere sepulturam, quia *velle, & nolle non habent*, ergo a sensu contrario, quia Novitii *velle & nolle* adhuc habent, cum obedientiam nondum promiserint, sine dubio possunt sibi libere eligere sepulturam. Pirhing *loco cit. num. 25.* Reiffenstuel *loco cit. num. 43.* Engel *loco cit. nu. 12.* Donat. *tom. 3. tract. 10. q. 4.* Armilla verb. *Sepultura num. 6.* & alii passim. 96

Religiosi tamen Professi in Claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. *Communissima*, textu expresso *in cit. cap. Religiosi 5. de sepulturis in 6.* ibi: *Religiosi, nisi a propriis Monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi*. 97

Et hoc procedit etiam de Prælatis, & Superioribus Regularibus; quia licet Prælati habeant aliquod velle, & nolle, non tamen proprium, & absolutum a Regula, & constitutionibus, sed commensuratur illis, & dependenter ab illis; adeoque si Regula, & Constitutiones hoc illis non concedant, standum est Juri canonico *in cit. c. Si Religiosi 3. de Sepulturis in 6.* quod loquitur de Religiosis indistincte, & universaliter; Ubi enim Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. De pretio 8. de Publicana in rem action.* & verba generalia generaliter sunt intelligenda, *cap. Quia circa 22. de privileg.* Tum quia Regulares per Prælaturas, seu Superioritates non desinunt esse Regulares, & in ipsis perseverat dispositio Juris Canonici *in dict. cap. Si* Reli- 98

Religiosi, quia quamvis respectu suorum subditorum habeant *velle*, & *nolle*, secus autem respectu suorum Superiorum, ut patet de Superioribus, seu Prælatis localibus respectu Provincialium, de Provincialibus respectu Generalium, & de Generalibus respectu Summi Pontificis. Sic expresse Donatus *tom. 3. tract.* 10. *qu.* 2. Bordon. *tom.* 2. *resolut.* 51. *n.* 158. & alii contra multos alios.

99 Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Licet* 4. *de sepultur. in 6.* ibi: *Nequeunt, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam*. Nisi tamen malitia suppleat ætatem, quia tunc posse sibi eligere sepulturam, tenent Ventriglia *loco cit. nu.* 11. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Sepultura* §. 1. Sperell. *decis.* 89. *num.* 2. Lavorius *variar. Lucubrat. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 109. Sebastian. Medic. *de sepult. qu.* 8. *num.* 3. Lapus *allegat.* 59. *num.* 2. Barbos. *lib.* 2. *Jur. Ecclesiastic. univers. cap.* 10. *sub num.* 27. Didacus Narbona *in tract. de ætat. ad omnes humanos actus requisit. ann.* 14. *q.* 4. *in princip.* Card. Petra *loc. cit. num.* 3. & alii.

100 Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam, potest ipsi illam eligere Pater, ubi ad id adest legitima consuetudo. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Licet* 4. *de sepulturis in 6.* ibi: *Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam possit (si consuetudo terræ id habeat) quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis Majoribus, vel in Parochiali Ecclesia tumulandi*.

101 Nequit tamen Pater sepulturam eligere Filio impuberi, ubi non adest talis consuetudo, ut expresse loquitur citatus textus, ibi: *Hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur*. Et sic tenent Barbosa *in d. cap. Licet* 4. *de sepultur. n.* 5. Gratian. *disceptat.* 94. *n. ultim.* Bellet. *disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de Cleric. debitor.* §. 3. *nu.* 17. Sperell. *decis.* 89. *num.* 3. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 21. *n.* 1. Passerin. *de statib. homin. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 270. Matthæucc. *loco cit. num.* 25. Genuens. *in prax. Cur. Episcop. Neapolit. cap.* 76. *num.* 4. *impress. Venet.* ubi tradit, hanc consuetudinem non esse Neapoli: Card. *loco cit. sub n.* 9. *Vers. Verum*, ubi refert sic in terminis firmasse *Sacram Congregat. Concilii in Placentina* 27. *Novembris* 1619. in qua respondit *Ad primum*: *Patrem, si legitima consuetudo loci id non habeat, eligere non posse*. Et sic censuit novissime *Sacr. Congregat. Concil. in Alexanen. Funerum* 13. *Julii* 1743. *in responsione ad IV.* & *V. dubium*.

102 Non desunt tamen Doctores magni nominis defendentes, quod hodie generaliter, & nulla attenta consuetudine permittitur parentibus eligere sepulturam Filio impuberi in quacumque Ecclesia etiam Regularium. Sic Ventriglia *in Prax. Annotat.* 52. §. *Unic. num.* 13. Barb. *in Summ. Apostolic. decis. verb. Sepultura num.* 14. Laurent. de Peirin. *de privileg. Regul. tom.* 3. *in fine pag.* 570. Samuel. *de sepultur. tract.* 1. *disp.* 6. *controv.* 1. *conclus.* 4. Murga *disquisit. moral. tom.* 1. *tract.* 7. *sect.* 2. *disquisit.* 9. §. 1. *Conclus.* 2. *num.* 4. Nicolius *Lucubrat. utriusque Jur. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 15. *de Interdict. n.* 21. & videtur facere Rota *decis.* 16. *nu.* 8. post Antonell. *de juribus Clericor. in Casalen. Quartæ Funeralium super bono jure* 16. *Januarii* 1697. *coram Eminentissimo Caprara*, ubi non requirit licentiam Parochi, aut Capituli, & alii, qui omnes se fundant in resolutione *Sacræ Congregationis* Regularium *sub die* 20. *Januarii* 1640. penes Peirin. *loco cit.* Barbosam *loco cit. nu.* 14. Murgam *loco cit. num.* 7. quæ sic habet: *Sacra Congregatio negotiis Regularium præposita sæpius censuit licere Parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, eorum Filiis Minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, eligere sepulturam, nec a Parochis locorum impediri posse, aut debere; præsertim vero si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulcra Majorum*. Et ad id facit Decret. Sacræ Congreg. Concil. in Novariens. 15. Martii 1704. in respons. ad primum.

Si adsit sepulcrum Majorum in Ecclesia Regularium, tunc præcisa consuetudine debent impuberes ibi sepeliri, ut declaravit *Sac. Cong. Concilii in Firmana jurium Parochialium ad tertium*, & *in Novariens.* 15. *Martii* 1704. *ad Primum*, teste Card. Petra *loco cit. n.* 9. *in fine*. 103

Facultas permissa Patri eligendi sepulturam Filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius Filii, sed solum pendente ipsius vita. Sperel. *dec.* 89. *num.* 5. Card. Petra *loco cit. n.* 11. Nicolius *loc. cit. tit.* 15. *de interdict. n.* 21. Murga *loc. cit. tract.* 7. *sect.* 2. *disq.* 9. §. 9. *n.* 3. Lavorius *loco cit. tit.* 2. *c.* 11. *sub n.* 18. Aldan. *in Compend. Canonic. resolut. lib.* 2. *tit.* 17. *num.* 5. Barbosa *cit. cap.* 10. *num.* 28. & *in Summa Apostolic. dec. verb. Sepultura num.* 6. Ventriglia *loc. cit. num.* 18. Diana *tom.* 5. *tract.* 3. *de casib. occurrent. tempore mortis resol.* 107. *circa med.* & sic declarasse *Sacram Congr. Episcop.* & *Regul. in Fulginaten.* 27. *Octobris* 1587. nemqe quod *sepulturam pro Filio minori in vita, non post ejus mortem, potest Pater eligere*, testantur Barbosa *in Summa loc. cit. n.* 6. Ventriglia *loco cit.* Diana *loco cit.* Lavorius *loco cit.* Aldan. *loco cit.* & alii, & Pignatell tom. 7. *consult.* 21. ubi plura adducit Decreta ad rem. Vide tamen Sperel. *loco cit. n.* 5. subdentem etiam sic rescripsisse *in una Montis pelusii* 6. *Junii* 1659. *sub verb. Quarta funeralis n.* 32. *decret. Sacr. Congreg. Concilii in responsione ad* 1. 104

Deficiente Patre, potest Mater eligere sepulturam Filio impuberi, si ad id concurrat legitima consuetudo; secus non. Cardin. Petra *loco cit. num.* 6. Barbosa *cit. cap.* 10. *n.* 38. Panimol. *tom.* 1. *decis.* 5. *adnotat.* 3. *n.* 24. Lavorius *loco cit. c.* 11. *n.* 119. & alii passim. Et declaravit *Sacr. Congreg. Concilii in Majoricens.* quæ refertur *in Constit.* 7. *Innocentii XI.* §. 6. *tom.* 5. *Bullarii*, & adducitur a Matthæucci *loco cit. num.* 25. ibi: *Ad dubium*: *An Mater pro Filiis impuberibus possit eligere sepulturam?* Respondit: *Non licere Matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus cessante legitima consuetudine*. *In Avellinen.* tamen 15. *Septembris* 1605. statuit sic: *Etiam Mater, cum Pater non adest, potest filio impuberi sepulturam eligere vivente tamen filio*, apud Pignatel. *loco cit.* 105

Talis consuetudo pro eligenda sepultura filiis impuberibus debet esse generalis in loco, vel Civitate; alias consuetudo particularis alicujus Ecclesiæ ceteris 106

ris ejusdem Urbis Ecclesiis præjudicaret, ut colligitur ex *cit. cap. Licet*, *de sepulturis in 6.* ibi: *Consuetudo Terræ*, & expresse *ibid.* notant Archidiacon. *ante num.* 1. Franch. *ante num.* 2. & Ancharan. *nu.* 3. & alii, Sperel. *cit. decis.* 89. *num.* 34. *cum seq.* allegans ad id casus decisos, & alios Doctores.

107 Item talis consuetudo debet esse legitime præscripta, quæ quo ad Patrem sufficit decennalis, cum ipsi assistat Jus *in cit. cap. Licet*, approbante talem consuetudinem: Card. Petra *loco cit. num.* 7. cum Glossa, Barbosa, Ventriglia, Passerin. ibi allegatis, Matthæucc. *loco cit. num.* 25. Sperel. *loc. cit. nu.* 20. cum aliis ibi adductis, & alii. Quo ad Matrem autem, cui Jus non assistit, requiritur consuetudo quadragenaria, nec sufficit decennalis. Card. Petra *loco cit. num.* 12. Sperell. *loco cit. num.* 20. cum aliis ibi allegatis, Matthæuc. *loco cit. nu.* 25. Bursat. *consil.* 226. *n.* 218. *col.* 3. Sebastian. Medices *loco cit. q.* 8. *n.* 23. Moronus *resolut.* 51. *num.* 43. & alii.

108 Et hæc quadragenaria consuetudo introduci potest etiam favore Avorum, Fratrum, Consanguineorum, Affinium, Tutorum, Administratorum, Maritorum, Uxorum, Dominorum, & Amicorum, quia etiam in istis adest eadem ratio consuetudinis considerata in Patre, vel Matre, ut per Gloss. *in d. cap. Licet*: *&* ibi Franch. *n.* 3. & Stephan. Gratian. *tom.* 1. *disp. forens. disputat.* 94. *num.* 80. apud Sperel. *loco cit. num.* 16. & tenent Card. Petra *loco cit. n.* 19. & alii apud Gratian. *loco cit.* aliique plures. Contrarium tamen tenuerunt Joan. Asin. *l. Familiaria sepulcra*, *ff. de Religios. & sumptib. funer.* Bursat. *consil.* 226. *n.* 118. *col.* 3. Bellet. *disquisit. Cleric. tit. de Cleric. debitor.* §. 3. *n.* 18. Barbosa *in Collect. ad cap.* 1. *n.* 6. *de sepultur.*

109 Impuberes decedentes non sibi electa sepultura, a supradictis ad id facultatem habentibus ratione legitimæ consuetudinis, sepeliendi sunt in sepulcro suorum majorum, si habeant, vel si non habeant, in propria Parochiali. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Licet* 4. *de sepultur. in* 6. ibi: *Sed sunt cum suis Majoribus*, *vel in Parochiali Ecclesia tumulandi*.

110 Electio sepulturæ probari debet, cum sit quid facti, & sufficit probatio, non solum per testamentum, & codicillum validum, sed etiam invalidum per scripturam manu propria subscriptam, per duos testes, etiamsi sint singulares, & per solum dictum Confessarii. Riccius *in praxi* 1. *part. resolut.* 575. *per tot.* Mascard. *de probationibus* 3. *vol. concl.* 1297. Lavor. *loco cit. cap.* 11. *num.* 18. Molfesius *in summa tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 32. Ventriglia *loco cit. num.* 45. Cardin. Petra *loco citat. num.* 21. & alii passim. Et sic pluries declaravit Sacra Congregat. Concil. & signanter die 14. Februarii 1666. & Benedict. XIII. Constitut. incip. *Pretiosus* §. 69.

111 Electio sepulturæ potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vitæ, electio enim sepulturæ est pars ultimæ voluntatis; omnis autem actus ultimæ voluntatis sua natura est revocabilis, adeoque &c. *Communis*. Et hæc revocatio potest fieri, non solum expresse, sed etiam tacite per secundam electionem; regulare enim est in actibus causa mortis, ut secunda voluntas revocet primam. *Communis*.

112

Electio sepulturæ semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad mortem; Unde si infirmus eligens sepulturam convalescat, & postea moriatur ex alia infirmitate, etiam per longissimum tempus, censetur mori cum electione sepulturæ, & est sepeliendus in ipsa sepultura semel ab ipso electa, nam illa electio facta non censetur revocata, nec infirmata, ex quo infirmus pro tunc non decesserit, sicuti testamentum factum in articulo mortis non infirmatur ex eo, quod testator convaluerit; *l. fin.* & *ibi* Bald. & alii *ff. de hered. instit. c. Licet*, *de Procuratoribus in* 6. cum similibus, & in terminis firmavit *Sac. Congreg. Concil.* 14. *Februarii* 1666. *in responsione ad tertium*, ut mox infra patebit. 113

In materia electionis sepulturæ valde notanda sunt responsa Sacræ Congregation. Concilii ad infrascripta dubia. 114

I. An sit valida electio sepulturæ, quamvis sive sanus, sive infirmus coram Parocho elegerit?

II. An ad validitatem electionis sepulturæ requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui testamentum non sit?

III. An sit nulla electio sepulturæ, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita, & non in morte?

IV. An qui habet Capellam suæ familiæ cum propria sepultura, aut Capellam erexerit cum sepultura propria, moriens absque sepulturæ electione sepeliendus sit in Cathedrali?

V. An valide eligatur sepultura coram duobus testibus?

VI. An electio sepulturæ per nutus, & signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida?

VII. An confratres sodalitatum, non electa sepultura, possint sepeliri in sepulcro suæ Ecclesiæ?

VIII. An electiones sepulturæ, quæ jure præsumuntur, sicut uxoris respectu mariti, filii respectu patris, eorumque majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validæ?

IX. An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum sit sepeliendus in Ecclesia Regulari?

Ad quæ sub die 13. Februarii 1666. respondens declaravit, censuit, & decrevit, ut sequitur.

Ad I. Censuit esse validam, dummodo Parochus non testetur ad proprium commodum.

Ad II. Censuit non requiri necessario testamentum.

Ad III. Censuit non esse nullam.

Ad IV. Non sepeliendum in Cathedrali.

Ad V. Esse validam.

Ad VI. Esse validam; dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Censuit quatenus electa non fuerit sepultura, uxorem in sepulcro ultimo viri sepeliendam, filios vero in sepulcro majorum, servus autem in Parochia.

Ad IX. Censuit negative. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 17.

Clericis omnibus sive sæcularibus, sive Regularibus est graviter prohibitum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, 115

næ, ne aliquo medio voto, vel juramento, aut pacto, seu promissione inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, textu expresso *in c. Animarum 1. de sepulturis in 6.* ibi: *Universis Religiosis, & Sæcularibus Clericis cujuscumque status, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.*

116 Insuper Clerici sæculares, & Regulares quo ad hoc transgressores incurrunt ultra gravissimam culpam, etiam ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam, textu expresso *in Clem. Cupientes 3. §. Sane, de pœnis*, ibi: *Sane temerarios Violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis, & Clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, similem sententiam* (scilicet excommunicationis) *pœna in dicta Constitutione contenta in suo perdurante robore, incurrere volumus ipso facto, ab alio, quam a Sede Apostolica, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvendos, nullis privilegiis, aut statutis cujuscumque tenoris existant super his valituris.*

117 Dictam excommunicationem incurrunt Clerici, & Religiosi, etiamsi effectus sepulturæ non sit subsequutus; dummodo subsequutus sit effectus immediatus inductionis, idest electio per juramentum, vel votum, vel pactum. Unde non sufficit promissio de eligendo, ut dicatur inductio facta. Sic Bonifac. *in dict. Clementina num. ult.* & Cardinal. *ibid.* Geminian. *in cit. cap. Animarum 1. de sepult. in 6.* Silvester verb. *Excommunicatio 7. nu. 49.* Roder. *quæst. Regular. 58. art. 7. dub. 5.* Ventriglia *loc. cit. num. 37.* Matthæucc. *loc. cit. num. 20.* & alii contra Bonacinam *tom. 3. de Excommunic. in particul. disput. 2. qu. 3. punct. 8. num. 2. vers. Secundo.*

118 Dictam Excommunicationem, aliasque pœnas non incurrunt Clerici, & Religiosi inducentes aliquem ad eligendam sepulturam in Ecclesia aliena, sed necessario requiritur, ut inducant ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia ad se pertinente, ut clare patet ex verbis *cit. cap. Animarum*, ibi: *Ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, & cit. Clementina Cupientes, §. Sane*, ibi: *Ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant*; Ventrig. *loc. cit. n. 39.* Lavorius *loc. cit. cap. 11. num. 10.* Bonacina *loco cit. vers. Secunda conditio*, Matthæucc. *loc. cit. num. 26.* Monacell. *tom. 3. titul. 1. formul. 38. num. 9. & tom. 4. supplement. ad 2. tom. num. 417.* Medices *loco citat. quæst. 8. num. 17.* & alii passim.

119 Supradictam excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt solum Clerici, & Religiosi inducentes scienter, vel cum ingenti temeritate, quæ scientiam Legis supponit, non autem ignorantes prohibitionem, nisi ignorantia sit affectata. Colligitur aperte ex verbis *cit. cap. Animarum*, ibi: *Præsumpserint sepelire, & citat. Clementina Cupientes, §. Sane*, ibi: *Sane temerarios violatores*; Præsumptio enim, & temeritas scientiam Legis, & prohibitionis supponunt, Ventriglia *loc. cit. num. 40.* Matthæucc. *loc. cit. num. 26.* & alii.

Ut Clerici, & Religiosi incurrant prædictam excommunicationem, aliasque pœnas, requiritur, ut ad eligendam sepulturam in eorum Ecclesiis induxerint medio voto, aut juramento, vel pacto, seu promissione irrevocabili: Non tamen incurrunt, si ad id dederint solum simplex consilium, aut adhortationem. Colligitur clare ex verbis *cit. c. Animarum, & cit. Clementinæ Cupientes §. Sane*, ibi: *Ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant.* Sic teste Monacell. *tom. 3. tit. 1. formul. 38. num. 10.* communiter tradunt Samuel. *de Sepulturis, tract. 1. disp. 2. controv. 1. concl. 8. num. 16.* Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. controv. pag. 2. quæst. 63. num. 2.* Donat. *prax. rer. Regular. tom. 3. tract. 9. quæst. 27. num. 3.* & etiam Card. Petra *loc. cit. n. 45.* cum pluribus aliis ibi citatis. 120

Immo ex Bonifac. *in dict. Clement. n. 74.* Roderic. *loc. cit. art. 7. in fine*, Tolet. *lib. 1. cap. 36. §. Quarta*, Suarez *disp. 22. de Censur. sect. 4. num. 25.* Sayr. *lib. 5. cap. 12. num. 9.* Ventriglia *loc. cit. num. 38.* pœnæ appositæ *in cit. cap. Animarum, & cit. Clementina Cupientes* non procedunt quando quis inducitur ad eligendam sepulturam in testamento, seu ultima voluntate. 121

An autem Parochi, ut supra, inducentes alienos Parochianos ad eligendam sepulturam in sua Parochia, vel ad non mutandam jam electam, seu impedientes proprios, ne ipsam eligant in Ecclesiis Regularium, incurrant prædictam excommunicationem, aliasque pœnas? Controversia est inter Doctores, Bonacina enim *tom. 3. de Excomm. in particulari extra Bullam Cœnæ disput. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 5.* quem sequitur Ventriglia *loc. cit. num. 43.* defendit partem negativam, ex quo, ut ipse ait, dicta Constitutio *in cap. Animarum, & dicta Clementina Cupientes*, edita fuerit in favorem Parochorum, & quod inductum est in favorem alicujus, in ipsius odium retorqueri non debet; *leg. Nulla, ff. de Legibus, & c. Quod ob gratiam 61. de Reg. Juris in 6.* Monacell. autem *tom. 4. supplement. ad 3. tom. num. 60.* docet mordicus sententiam affirmativam, dicens cavendum esse a tali sententia, & a doctrina Bonacinæ, quia dicit ipse, Bonacina in hoc fallitur, cum non in favorem Parochorum, sed decedentium, ad hoc nempe, ut libere quandocumque, & ubicumque placuisset eis, sepulturam eligere possent, edita fuerit utraque citata Constitutio tam Bonifacii VIII. *in dict. cap. Animarum 1. de sepult.* quam Clementis V. *in d. Clementina Cupientes 3. de pœnis.* Unde Parochi in his transgressores æque ac alii Clerici Sæculares, & Religiosi incurrunt dictam excommunicationem, aliasque pœnas, ut pro indubitato tenent Samuel. *de sepult. tract. 1. disp. 2. controvers. 5. per tot. & controv. 8. num. 7. & 15.* Passerin. *de statib. homin. tom. 2. q. 187. art. 4. num. 319.* quia directe violant legem, & morientes inducunt ad obligationem contra legis mentem, quæ fuit, & est, ut electio sepulturæ maneat libera, & ut adhibeatur remedium contra avaritiam, 122

tiam, ut bene observat Passerin. *loc. cit. num.* 423. quæ ratio æque militat in Parochis respectu alienorum parochianorum, ac in Clericis sæcularibus, & Regularibus respectu ceterorum, & ubi eadem est ratio, eadem est Legis dispositio; *l. Illud, ff. Ad Legem Aquiliam*, & *cap. Inter Corporalia 2. de translation. Episcop.* Tum quia, ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus; *leg. de Pretio 8. de Publicana in rem action.* & verba generalia (uti sunt *in cit. Constitut.*) generaliter sunt intelligenda; *c. Quia circa 22. de privileg.* Et sic videtur supponere etiam Donatus *tom. 3. tract. 9. de Sep. q.* 10. Congregatio Concilii in Laudensi Funerum die 2. Martii 1711. in respons. ad tertium teste d. Ursaya *tom. 1. p. 2. discept. 14. n.* 137.

123 Hinc cum in dictis Constitutionibus fiat sermo generaliter, & indefinite de Religiosis, non distinguendo inter fratres, & moniales, nec inter fratres clericos, & conversos, prædictam excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt etiam moniales, & fratres conversi vere professi inducentes ad electionem Sepulturæ voto, juramento, vel pacto, ut tradunt communiter Doctores cum Samuello *de Sepulturis tract. 1. disp. 2. controv. 1. conclus. 5. n.* 12.

124 Non incurrunt tamen dictam excommunicationem, aliasque pœnas Sæculares, seu Laici, etiamsi voto, vel juramento, seu pacto, vel promissione irrevocabili inducerent aliquem ad Sepulturam eligendam in aliqua determinata Ecclesia, quia dictæ Constitution. *in cit. cap. Animarum*, & *in cit. Clementin. Cupientes*, loquuntur solum de Religiosis, & Clericis sæcularibus, & non de sæcularibus, seu laicis. A diversis autem non fit illatio; *leg. Papinianus 20. de Minoribus*; *cap. Ad audientiam 12. de Decimis*. Nam ad incurrendam talem Juris pœnam necesse est, ut sint Religiosi, vel Clerici Ecclesiastici. Monacell. *tom. 3. tit. 1. formul. 38. num.* 11. Medices *de Sepult. part. 1. qu. 8. num.* 18. Ventriglia *loc. cit. num.* 41. Samuel. *loc. cit. concl. 20. num. 46. & 47.* & alii passim.

125 Aliæ pœnæ, quibus ultra excommunicationem subjacent, ut supra, inducentes voto, juramento, pacto, seu promissione irrevocabili ad eligendam sepulturam, vel jam electam non immutandam sunt, quod tales Religiosi, seu Clerici Sæculares teneantur intra decendium, tam ad restitutionem sepultorum corporum, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerunt quomodolibet ad eosdem. Et si dictam restitutionem integraliter non fecerint, eorum Ecclesiæ, & Cœmeteria subjaceant interdicto, donec satisfecerint, textu expresso *in cit. cap. Animarum 1. de sepult. in 6. §. Si vero*, ibi: *Si vero iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem infra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus, quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ apud quos sepulti fuerint, nec non & cœmeteria earumdem ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.*

Insuper *in cit. cap. Animarum §. Nos enim*, statuitur, quod electio ad hujusmodi inductionem facta ipso Jure sit nulla, debeantque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electione facta alias de jure sepeliri debuissent, ibi: *Nos enim, si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis, statuentes, ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias nullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi a se factum, materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam, sed contradictione quacumque cessante, si sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepultura non electa forsitan decessissent.* 126

Sepulturæ infra terram, & deposita, seu cadaverum conditoria in tumbis profundis sunt collocanda, & eorum operimenta æqualia debent esse cum solo Ecclesiæ. Concil. Mediolanens. I. *p. 2. tit. de sepulturis*. Et S. Pius V. Constitut. 5. incip. *Cum primum Apostolatus* §. 8. ibi: *Et ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem* (hoc est Ordinarii) *provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.* 127

Solis enim Summis Pontificibus competit prærogativa, ut eorum corpora sepeliantur in conditoriis elevatis a terra, ut videre est in Basilica Vaticana. Ut ne quidem Personæ Regales ea præeminentia gaudeant, ut novissime praxis docuit de cadavere Christinæ reginæ Svecorum sepulto in eadem Basilica subtus terram. Sic expresse Eminent. Card. Petra *tom. 2. Commentar. ad Constitut. 3. Cœlestini III. sect. 1. n.* 13. 128

In dicta tamen S. Pii V. dispositione non comprehenduntur monumenta marmorea muris, seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam immo magnum ornamentum afferunt Ecclesiis. Sic *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. rescripsit Episcopo Mantuano 13. Octobris* 1579. apud Nicol. *in Floscul. verb. Sepultura num.* 2. 129

Sepulturæ debent esse remotæ ab Altaribus, ita ut sepulturæ ostium longe absit ab Altaris scabellis ligneis, seu Prædella cubitis ad minus tribus. Concil. Mediolanens. I. *part. 2. Decret. Visitat. Apostolic. verb. Sepultura*, ibi: *Sepulcrorum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longe absit ab Altaris scabellis ligneis, vel Bradella cubitis ad minus tribus; Sepulcra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant.* 130

Hinc nemo sepeliendus est prope Altaria, seu sub Prædellis, & si quæ inibi reperiantur constructæ sepulturæ, interdicuntur Altaria, donec amotis ossibus ibi sepultorum, sepulturæ terra repleantur, & muro obstruantur. Sic pluries decrevit. *Sacra Congreg.* ut videre est sub verb. *Altare*, ubi afferuntur Decreta, & sub verb. *Cadaver*. 131

Sepulturæ construi possunt in quovis loco Religioso, idest ubi divina officia celebrantur. *Communis* per text. *in cap. Fraternitatem 3. de Sepulturis, cap. Animarum 1. & cap. Cum quis 2. eod. in 6.* Et quidem in loco etiam minus Religioso, idest ubi divina officia minus frequenter celebrantur. *Com-* 132

mu-

munis, *argum. cap. Cum quis* 2. §. *Si quis*, *de Sepulturis in 6.* ibi: *Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minus Religioso elegerit sepulturam*, *electionem hujusmodi* (*licet Jura super hoc videantur esse diversa*) *nequaquam volumus impugnari*. Pro loco autem minus religioso intelligitur talis locus, qui religiosus quidem est, sed tamen minus talis, utpote in quo minus frequenter officia divina, Missæ, aut publicæ orationes fiunt, ut explicat Glossa communiter recepta *in cit. cap. Cum quis*, *verb. Casus*.

133 Admonet tamen Glossa *ibid.* melius, & utilius esse sepulturam construere, & sibi eligere in magis Religioso loco, hoc est *in loco*, *ubi magis celebrantur divina*. Quod idem expressius docet rationem reddens alia Glossa *in cap. Fraternitatem* 3. *de Sepulturis verb. Frequentius*, ibi: *Hæc est ratio*, *quare potius sepeliuntur homines in locis Religiosis*, *quia frequentius ibi Divina Officia celebrantur*. Ad quod aperte facit expressus textus *in cit. cap. Fraternitatem*, ibi: *Fraternitatem tuam non credimus ignorare*, *mortuorum sepulcra*, *& Cœmeteria apud illas Ecclesias*, *& Monasteria ex antiquo esse disposita*; *in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti*, *& Orationes*, *atque Missarum solemnia*, *tam pro vivis*, *quam pro defunctis frequentius celebrantur*.

134 Hinc Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 51. *num.* 87. Pellizzarius *tom.* 2. *sui Manual. tract.* 8. *c.* 5. *sect.* 4. *subsect.* 24. *sub n.* 144. Donatus *tom.* 3. *tract.* 10. *de sepultur. q.* 8. & alii expresse docent, melius, & utilius esse sepulturam sibi construere, & eligere in Ecclesiis Regularium, quam aliorum. Et ratio est clara, quia sepulti in Ecclesiis Regularium ex frequentiori divinorum officiorum celebratione plus de piis operibus participant, cum etiam ex majori frequentatione populi occurrentis ad divina officia in dictis Ecclesiis audienda frequentior de ipsis fiat memoria, sicque frequentius orationes, & suffragia pro ipsis Deo offerantur. Quod clare indicant verba ipsa *cit. cap. Fraternitatem*, ibi: *In quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti*, *& orationes*, *atque missarum solemnia*, *tam pro vivis*, *quam pro defunctis frequentius celebrantur*; Tum quia in dictis Ecclesiis sepulti cum habitu Religioso lucrantur indulgentiam plenariam ex indulto Leonis X. ut patet ex dictis sub verb. *Habitus*.

135 Quamvis enim olim de Jure communi sepulturæ construi, & eligi potuissent solum in Ecclesiis Parochialibus, earumque Cœmeteriis, utpote solis habentibus fundatam pro se intentionem, ita omnes Parochiani ibidem sepeliri deberent, per text. *in cap. Nos instituta* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, *cap. Cum quis* 2. *eod. in 6. Clementin. Duaum*, §. *Verum*, *de sepulturis*, cum
136 similibus; Tamen hodie possunt etiam construi, & eligi in Ecclesiis Regularium ex speciali privilegio Juri communi inserto, Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus concesso *in Clementin. Dudum* 2. §. *Hujusmodi*, *de sepulturis*, & *Extravagant. Super Cathedrales* 2. §. *Hujusmodi*, *de sepulturis*, quo privilegio gaudent omnes alii Regulares, tum per communicationem, tum per speciales sibi ad id factas a Sede Aposfol. concessiones, ut videre est in compendiis privilegiorum Regularium, testaturque Communis Doctorum, & docet praxis universalis.

Excipiuntur tamen Ecclesiæ monialium, in quibus non possunt construi, nec eligi sepulturæ a Laicis, seu Sæcularibus utriusque sexus absque speciali licentia Sacræ Congregationis, & copulativa Monialium. Sic pluries decrevit *Sacra Congreg. Episc. & Regul.* & signanter *in Montefeltrin.* 21. *Novembr.* 1603. *in Gravinen.* 1. *Octobris* 1650. his verbis: *Nelle Chiese anco esteriori delle Monache non si possono sepelire esteri*, *e forestieri*, *nè uomini*, *nè donne*, *nè anco Principi*, *ancorchè vi fossero sepolti i loro Maggiori*. Sic ex Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 177. *num.* 1. refert, & tenet Card. Petra *loc. cit. num.* 29. Idem decrevit *in Forosempronien.* 25. *Augusti* 1652. *& in Maceraten.* 8. *Novembris ejusdem anni*; Quæ Decreta bene ponderata iterum probavit *ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Vercellen.* 18. *Maii* 1695. *non obstante solito*, *referente Eminentiss. Pamphil. & in Mantuana* 14. *Martii* 1697. *Ponente Eminentiss. Acciajolo*, *& in Camerinen.* 6. *Martii* 1713. *Ponente Eminentiss. Corsino* ex post Summo Pontifice sub nomine Clementis XII. & sæpe alibi teste Ursaya *tom.* 1. *p.* 1. *discept.* 36. *n.* 18. 137

Solet tamen concedi licentia in Sacra Congregatione, tam pro construendo sepulcro, quam pro eligenda sepultura in Ecclesiis Monialium, ut declaravit requiri *in Ferrarien.* 13. *Julii* 1600. pro personis benemeritis, vel cum eleemosyna competenti. *Ead. Sac. Cong. Episcop. & Regul. in Messana* 6. *Augusti* 1601. *in d. Camerinen.* 6. *Martii* 1713. *Ponente D. Eminentissimo Corsino*. Et tunc officium facit Parochus usque ad portam Ecclesiæ, & non ultra, Exequias complente ex post Confessario Monialium. *Ead. Sac. Cong. Episcop. & Regular. in una observantium* 9. *Junii* 1615. & Sac. Cong. Conc. 19. Martii 1639. teste d. Ursaya *tom.* 1. *part.* 1. *discept.* 8. *n.* 13. 27. 28. 29. *&* 30. 138 139

In casu autem, quod quis electa sepultura in Ecclesia Monialium, non posset defectu licentiæ in ea sepeliri, tunc si is non haberet sepulcrum Majorum deberet sepeliri in Parochiali per dicta, & Jura adducta *supra num.* 93. & in terminis tenent Passerin. *de statib. hom. t.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *num.* 260. Card. Petra *l. cit. num.* 33. *in fine*, dicentes si impedimentum esset temporaneum, & speraretur obtinenda licentia, posset tunc expectari, deposito Cadavere in aliquo loco. Matthæucci *loc. cit. num.* 4. & alii. 140

Sepulcra nova construi non possunt in Ecclesiis Sæcularibus absque licentia in scriptis obtenta ab Episcopo, & in Ecclesiis Regularium saltem a Provinciali. Concilium Mediolanense I. *num.* 2. *tit. de sepultur. vers. Verum curet*, & S. Pius V. cit. Const. *Cum primum Apostolatus*, Barbos. *lib.* 2. *Juris Eccles. univers. c.* 10. *n.* 9. cum pluribus ibi citatis, & alii passim. 141

Regulares nequeunt de se renunciare Juri sepeliendi Cadavera eligentium sepulturam in eorum Ecclesiis, si agatur de eorum Ecclesiis, seu Monasteriis jam fundatis, seu erectis, sed tunc requiritur Beneplacitum Apostolicum, & solemnitas copulative requisita in alienatione, etiam Jurium Ecclesiæ, ita ut nullus Superior, nec Localis, nec Provincialis, 142

lis, & nec Generalis possit per ullum pactum præjudicare Juri quæsito sepeliendi, *arg. Extravag. Ambitiosæ Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienand. inter Commun.* Ipsa enim Extravagans procedit verbis amplissimis, & comprehendentibus Jura, nam utitur verbo *rerum*, quo vocabulo intelligitur etiam Jura, & actiones, textu expresso *in l. Rei appellatione 23. ff. de verbor. significatione*, ibi: *Rei appellatione, & causæ, & Jura continentur*, maxime stante dictione universali, *omnium*, quæ est universalissima per Barbos. *dict.* 241. & nihil excipit: Qui enim dicit omnia, nihil excipit. *c. Solitæ 6. §. Nobis, de Majorit. & Obedient.* cum similibus.

143 Nec obstant *c. Pactum 1. & c. Quia ex eo 3. de pactis in 6.* ubi statuitur, quod si Regulares cum Parochis specialiter paciscantur, quod privilegio sepulturæ pro Ecclesiis, & locis suis concesso, ex toto, vel ex parte uti nolint, vel non, nisi cum certis circumstantiis pacta hujusmodi servare debeant; *Quamquam sepultura libera sit Monasterio vestro ab Apostolica Sede indulta, & illi apud vos elegerint sepeliri*, ut expresse dicitur *in cit. c. Pactum 1. de pactis in 6.* ubi etiam ratio subjungitur his verbis: *Cum per dictum pactum indulto hujusmodi derogetur*; Et si factum sit sine præscitu, consensu, & auctoritate Provincialis, & Generalis, quinimmo etiam Sedis Apostolicæ, *Dummodo a Prioribus, aut Guardianis facta vel approbata fuerint de suorum Conventuum consilio, & assensu; Dum tamen alias sint licita, & honesta*, ut expresse dicitur *in cit. c. Quia ex eo 3. de pactis in 6.*

144 Non obstant, inquam, quia *cit. c. Pactum* nihil dicit contra nos, sed solum statuit posse per pactum privilegio derogari, quod verum est, si adsit legitima causa, & solemnitas requisita. Et aliud *cit. cap. Quia ex eo 3. de pactis in 6.* optime exprimit, ut pacta observanda sint *licita, & honesta*, quæ nequeunt sic considerari post Jus quæsitum Monasteriis, & populis, qui in fundatione Monasteriorum acquisierunt Jus & liberam facultatem sepulturas ibi eligendi, & respective tradendi. Unde prædicti textus non loquuntur, nec intelligendi sunt de pactis initis post fundationem Conventuum, & Jus quæsitum pro sepulturis, sed solum de pactis initis ante fundationem, & Jus quæsitum, & de quibusdam concordiis factis per viam transactionis, & compositionis, ad tollendas dissensiones; Et dato, & non concesso, quod intelligerentur de pactis initis post fundationem, & Jus quæsitum, ipsis quo ad hoc fuisset derogatum per dictam Extravagantem *Ambitiosæ*, utpote posteriorem dictis textibus sexti Decretalium, cum posteriora derogent prioribus per text. *in c. Licet Romanus 1. de Constitut. in 6. l. Sed & posteriores, ff. de Legibus* cum similibus.

145 Si autem agatur de Regularium Ecclesiis, & Monasteriis nondum fundatis, sed fundandis, seu erigendis, tunc si in limine fundationis fiat pactum cum Parocho de non recipiendis ad sepulturam illius Parochianis sine expressa ipsius licentia, tale pactum erit omnino observandum juxta *cit. cap. Pactum 1. & cap. Quia ex eo 3. de Pactis, in 6. & cap. Antigonus 1. de pactis*, ibi: *Inita pacta suam obtineant firmitatem .... pacta custodiantur, & cap. Qualiter 3. eod.* ibi: *Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*; Et concordat *l. Hujus Edicti 1. ff. de pactis in principio.* Ubi expresse dicitur: *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* Nec hic obstat *cit. Extravagans Ambitiosæ*, quia in hoc casu agitur de solo Jure quærendo; Unde non potest dici, quod alienetur Jus Ecclesiæ: Sicut enim Parochus debet audiri, & non poterit impedire constructionem novi Monasterii ratione præjudicii sibi inferendi; ita potest pacto, hujusmodi præjudicio re integra ante erectionem occurrere, prout passim in limine fundationis possunt apponi conditiones etiam Juri communi non conformes, dummodo sint honestæ, ut in genere tradunt communiter Doctores, & in specie in his terminis præcise Rota *part. 19. tom. 2. recent. decis. 477. numer. 7. & 8. & decis. 489. num. 7. & seq.* expresse canonizando pactum factum cum Parocho in limine fundationis Monasterii circa hoc Jus sepeliendi; Tum quia similia pacta facta in limine fundationis Conventuum videntur transire sub approbatione Sedis Apostolicæ, quæ non solet concedere facultatem pro Conventibus de novo erigendis, nisi sint prius auditi Ordinarii, & constet de partium consensu. Sic pluribus adductis Card. Petra *in cit. Constitut. 3. Cælestini III. a nu. 22.* Matthæucc. *loc. cit. num. 2.* & alii. Rota tamen *cit. decis. 489. n. 6.* tenet, quod dictum pactum valeat, nedum pro Ecclesiis adhuc construendis, sed etiam pro jam constructis, per text. & Doctor. *in cit. cap. Pactum 1. & cap. Quia ex eo 3. de pactis in 6.*

An autem pacta, Conventiones, & concordiæ 146 factæ per viam transactionis a Superioribus Localibus, sine licentia Generalium, seu Provincialium cum Parochis quo ad sepulturas, & funeralia pro tollendis dissensionibus inter ipsos, valeant, & debeant de Jure sustineri? Vide verb. *Pactum art. 2. n. 27. & 28.*

Quamvis proprietas, & Dominium sepulturæ ab 147 aliquo acquiri non possit, ex quo sit quid Religiosum, & in nullius bonis sit, & extra commercium hominum esse dicatur, & ob id nec acquiri ab aliquo, nec possideri possit, *leg. Quamquam, ff. de aqua pluvial. arcend. leg. Si sepulcrum, Cod. de Relig. & sumptib. funer.* Rota *part. 3. recent. decis. 22. n. 2.* & communis Doctorum; Jus tamen, & usus 148 sepulturæ sive sepeliendi acquisibile est, ita ut qui acquisivit, in eo sepeliri possit, ac ceteros, ne ibi sepeliantur, prohibere; *leg. 2. §. Usumfructum, l. Familiaria, & l. Sequent. ff. de Religios. & sumptib. funer. l. Jus sepulcri, Cod. eod. titul.* Rota *loc. cit. num. 2.* citans alias decisiones, & Communem Doctorum.

Ad hoc autem Jus sepulturæ acquirendum quo 149 ad alios privative requiritur licentia ædificandi ab initio sepulturam una cum ipsa ædificatione subsequuta. Samuel. *de sepultur. tract. 1. disp. 1. controv. 4. conclus. 6.* Lambertin. *de Jurepatronat. part. 1. art. ultim. vers. Bene verum. & vers. Si de cetero*, Barbos. *de Offic. & potest. Parochi part. 3. cap. 26. num. 12. & lib. 2. Jur. Eccles. univers. cap. 10. num. 12.* Rota *in Burgensi sepulturæ 9. Decembris 1605. coram Oltembergo.*

Nec

150 Nec censetur tale Jus quæsitum ex solo cursu decennali, & Cadaverum illatione, ut *in dict. Burgensi, ac Calaguritana sepulturæ* 21. *Maii* 1616. *coram Coccino Decano*, Barbos. *locis citatis numer.* 13. Samuel. *de Sepultura tract.* 1. *disp.* 1. *controv.* 4. *post conclus.* 6. & alii.

151 Nec etiam Jus sepulturæ censetur acquisitum privative quo ad alios ex Jurepatronatus, quod quis habet in Ecclesia. Rota *in Toletana Capellaniæ, & Sepulturæ usus* 26. *Julii* 1616. *coram Ubaldo*: Samuel. *loc. cit. conclus.* 7. Barbosa *loc. cit. num.* 14. Lambertin. *loc. cit. qu.* 11. *in princip.* §. 13. Concessa enim simpliciter Capella, non dicitur concessum Jus sepulturæ, prout fuit resolutum *in una Avenionensi concessionis Capellarum* 13. *Januarii* 1587. *coram D. Litta*; Sed si Patronus loco patenti dictæ Capellæ foderet sepulturam Episcopo, seu Rectore Ecclesiæ non contradicente, præsumeretur licentia tacita. Sic Riccius *in prax. part.* 1. *resolut.* 39. *numer.* 6. qui ad tollendas differentias dat cautelam Notariis, ut in similibus contractibus apponant Clausulam: *Cum Jure funerandi*, Ventriglia *tom.* 1. *Annot.* 1. §. 2. *num.* 25.

152 Censetur autem Jus sepulturæ quæsitum & pro tali probatur esse commune Familiæ ex inspectione Litterarum, & Armorum in insculptione, quæ demonstrant rem esse de pertinentia ejus, cujus sunt Arma, cum imprimi non potuerint, nisi de voluntate Prælati Ecclesiæ, cui spectat cura rerum hujusmodi. Rota *part.* 17. *recent. decis.* 139. *num.* 4. 5. 6. & 7. Mascard. *de probationib. conclus.* 1297. Barbos. *loc. cit. numer.* 15. cum aliis ibi allegatis.

153 Jus sepulturæ familiaris transit ad omnes descendentes de Familia ejus, qui sepulcrum construxit, vel alio legitimo modo sibi & familiæ suæ acquisivit. Et in tali sepultura soli ipsi sepeliri possunt, *cit. l. Familiaria* 5. *ff. de Religios. & sumptib. funer.* Rota *part.* 3. *recent. decis.* 22. *num.* 3. Samuel *loc. cit. conclus.* 6. cum pluribus ibi citatis; unde tale Jus sepulturæ familiaris retinent etiam feminæ, quæ in aliam familiam transeunt, sive proximiores, sive remotiores sint, *leg. Liberorum, ff. De verbor. signif.* Sicuti etiam omnes descendentes ex ipsis. Rota *part.* 2. *rec. decis.* 22. *n.* 3. cum ibi allegatis.

154 Jus sepulturæ hereditariæ transit ad heredes, & successores ejus, qui sepulcrum construxit, vel alio legitimo modo sibi, & heredibus, seu successoribus suis acquisivit. Et in tali sepultura sola ipsi sepeliri possunt, *cit. l. Familiaria* 5. *ff. de Relig. & sumptibus funer. & leg. Ius sepulcri, Cod. eod. tit.* Rota *cit. part.* 3. *decis.* 22. *num.* 3. Molina *lib.* 1. *de Hispaniar. primogenit. cap.* 24. *num.* 4. Joan. Baptist. Asin. *in d. leg. Familiaria* 5. *ff. de Religios. & sum-*
155 *ptib. funer.* & alii passim. Et tale Jus transit etiam ad heredes extraneos, *cit. leg. Familiaria* 5. *cum Leg. seq. ff. de Religios. & sumpt. fun.* Rota *part.* 2. *recent. decis.* 126. *n.* 3. Molina *loc. cit. num.* 9. & alii.

156 Pro Jure sepulturæ, sive ut aliquis in certo loco Ecclesiæ, aut Cœmeterii sepeliri possit, aliquid tamquam pretium exigere, simoniacum est; Est enim rei spiritualis venditio pro re temporali. Et sepultura in tali sensu accepta nullatenus vendi potest, sed gratis est præstanda defunctis per eorum Parochos. *Communis*, text. expresso *in cap. Abolendæ* 13. *de sep.*

Usus autem vendendi Capellas pro inibi construenda sepultura non est Simoniacus, quia id, quod datur, est per modum eleemosynæ ad reparationem Ecclesiæ, vel ad sustentationem Ministrorum illius, & non pro pretio, sicuti datur stipendium pro Divinis, & Missis celebrandis; Barbos. *loc. cit. num.* 16. Portell. *in dub. Regular. verb. Sepulturam num.* 8. Suarez *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 14. *num.* 22. Donat. *loc. cit. tract.* 9. *q.* 3. *num.* 2. cum aliis ibi allegatis, & alii passim. 157

Sic ratione honorabilioris situs, seu dignioris loci potest esse licita pretii receptio pro sepultura, cum hoc non videatur concernere spiritualia, sed tantum honorem, & præeminentiam, quæ potest pretio æstimari, & vendi; Hujusmodi enim situs honorabilior, & dignior locus non est ad sepulturam necessarius, ac idcirco non venditur sepultura, nec Sacrum; Et Ecclesia habet Cœmeterium, ubi gratis fideles sepeliuntur, adeoque &c. Sic Samuel. *de sepulturis, tract.* 2. *controv.* 13. *concl.* 8. cum innumeris aliis ibi citatis, Barbos. *loc. cit. n.* 16. cum plurimis ibi allegatis, & communissima aliorum. 158

Unde potest sine Beneplacito Apostolico concedi situs pro construenda Capella, ac sepultura, ut censuit *Sac. Congregatio Concilii in Melitensi Alienationis die* 6. *Septem.* 1659. in qua proposito dubio: *Archipresbyter, & Parochus Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Seminariæ reverenter exponit, Clerum loci ad procurandam fabricam antedictæ Ecclesiæ, illi donasse ad proximum futurum triennium Jus exigendi ab officialibus Laicis Assem unum pro quolibet Rotolo carnis pro certo numero Rotolorum competente Clericis illius loci rationi exemptionis ipsius debitæ a Gabellis Laicalibus; Cui Donationi pactum additum fuit, ut Procurator ejusdem Ecclesiæ sepulcrum pro Clero in ea constituere teneatur; Idem Archipresbyter attenta dispositione Sacri Concilii Tridentini, & Sacrorum canonum, & præcise Extravagantis* Ambitiosæ *prohibentis alienationes bonorum, & Jurium Ecclesiasticorum, reverenter supplicat declarari*: An prænarrata donatio absque Sedis Apostolicæ Beneplacito facta, fuerit valida? *Sacra Congregatio respondit, Affirmative.* 159

Si autem concedatur usus privativus Capellæ, seu sepulturæ jam constructæ, cum sit vera alienatio, requiritur Beneplacitum Apostolicum. Et revera solent Regulares recurrere ad Sacram Congregationem pro ejusmodi concessionibus Capellarum, & sepulturarum jam constructarum, ut actum fuit pro Patribus Augustinianis discalceatis Sancti Nicolai Tolentini Urbis, pro concessione Capellæ jam constructæ Episcopo Terracinensi Monanno pro pretio Scutorum mille, & *sub die* 17. *Novemb.* 1708. Beneplacitum fuit concessum. Sic refert, & tenet Card. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Constitut.* 5. *Pauli II. sect.* 2. *numer.* 19. Rota *in Bononiens. sepulturæ* 13. *Maii* 1570. *coram Litta*, Navarr. *Consil.* 1. *de Sepultura*, Donatus *tom.* 1. *part.* 2. *quæst.* 79. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 968. Matthæucc. *Official. Curiæ c.* 45. *quo ad res Ecclesiarum, & Monasterior. non alienandas num.* 22. & 160

plures

plures alii loquentes indiscriminatim de omnibus.

161 Loquendo autem de Fratribus Minoribus, speciali Jure prohibentur sine Beneplacito Apostolico Capellas, & Sepulturas vendere, seu alienare, transferendo in alios dominium, & proprietatem earum; Habetur expresse ex declaratione Sacræ Congregationis ab Urbano VIII. consultationibus Fratrum Minorum præpositæ in Bullar. tom. 4. ad Constit. 49. incip. *Sacrosanctum* præcipientis observantiam Ordinationum, pro ut in textu §. *Cum asseratis vers. Item statuitur*, ibi: *Item statuitur ut deinceps nulla instrumenta publica fiant a Fratribus capitulariter congregatis, nec quocumque alio modo se habentibus, in quibus transferatur Dominium, & proprietas alicujus Capellæ, sive Sepulturæ, cum hoc omnino sit contra Regulam, & repugnet nostro Instituto; nam quomodo aliquis dat quod non habet? Si tamen occasio se obtulerit, in qua oporteat satisfacere devotæ Fidelium voluntati, id fiat per modos nostræ Regulæ, & Instituto congruentes*. Vid. verb. *Votum art. 2. num. 93. & 95. & sequent.* ubi refertur integra talis declaratio.

162 Modi autem nostræ Regulæ & Instituto congruentes sunt, quod in concessione Capellæ, vel sepulturæ non intercedat mercatus, vel venditio, nec deducatur in pactum aliqua solutio pro illis; neque aliqua civilis obligatio superveniat; sed solummodo concedatur titulus honorificus, & usus facti, fabricandi, ornandi, illuminandi paramentis decorandi Capellam, & in illa fodiendi sibi, & suis sepulturam, ac in illa se suosque sepeliendi. Sic enim non contrafit Regulæ, nec Capella, aut sepultura dicitur alienari, cum dominium, & proprietas non transferatur, nec Persona, cui conceditur, possit censeri Domina, ut notant Ameno *de pœnis tit. 3. Alienatio bonorum num. 12.* Sanctorus *De pœnis cap. 7. difficultat. 6. fol. 648.* Lantusca *Theatr. Regular. verb. Alienatio num. 4.* Felix Potestas *tom. 1. part. 2. n. 696.* Matthæucc. *loc. cit. numer. 26. & 27.* ubi Sannig. *Schol. Canonic. tom. 2. lib. 3. cap. 4. num. 2.* subjungit, quod Syndicus, tamquam Oeconomus Sedis Apostolicæ posset per modum eleemosynæ recipere quidquid libere daret is, cui fuissent prædicta concessa.

163 Habens propriam sepulturam suis sumptibus pro se, ac suis successoribus constructam, non committit simoniam, si eam vendat quo ad materiale fundi, & respectu habito ad solas expensas factas in illa ædificanda; Ibi enim non venditur quid spirituale, cum non vendatur benedictio, seu consecratio sepulturæ, sed solum illud materiale fundi, ad quod alia sequuntur, quia loca similia Jure hereditario de parentibus transferuntur in Filios ratione temporalitatis in eis remanentis, seu existentis. Sic Barbosa, Lambertin. Suarez, Lavorius, Sanchez, Lezana citati, & sequuti a Samuel. *loc. cit. conclus. 16.* ubi testatur de communi sententia.

164 Jus sepulturæ amittitur per Simoniam, per Rectoris occisionem, per Hæresim, per crimen læsæ Majestatis, aut si vivus in ea sepeliatur, & aliis modis, de quibus Lambertin. *de Jurepatronat. lib. 3. q. 9. art. 7.* Samuel. *de sepulturis tract. 1. disput. 1. controv. 8. conclus. 1.* & aliis ibi allegatis, Barbosa *loco cit. num. 39.* & alii.

Sepultura, vel Capella alicui concessa pro se & suis descendentibus, Conventus, seu Monasterium eis illam auferre nequit cum talis sepultura, vel Capella reputentur, tamquam Hospitium, *cap. Ebron. 2. caus. 13. quæst. 2.* Extinctis vero Domino, & illius descendentibus, tunc potest Conventus libere sepulturam alteri concedere, nam mortuo Usuario, usus ille redit ad proprietarium libere, *leg. pen. Cod. de usufruct. & l. Si habitatio §. final. ff. de usu, & habitat.* Samuell. *de sepultur. tract. 1. controv. 14. concl. 7. & 8.* cum pluribus ibi allegatis. 165 166

Arma, seu Insignia in Ecclesia, vel Capella, aut sepultura posita a primo Fundatore nullo modo amoveri possunt, sed semper ibi remanere debent in ejus memoriam. Et nequidem ab ejus Herede mutari possunt, qui novus Heres, si sit alienæ familiæ a Fundatore, potest quidem etiam sua arma, & insignia ibi reponere, at semper remanentibus illis primis Fundatoris cum perpetua inscriptione fidem faciente de primo Fundatore; *l. Qui liberalitate §. Nec ejus nomine, ff. De operibus public.* ibi: *Nec ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum est, eraso, alia nomina inscribantur*. Vide verb. *Arma seu Insignia a num. 21. usque in finem*. 167

Violatores sepulturæ, seu sepulcri, pro quibus veniunt, qui sepulcrum non tantum violant, sed etiam qui inde monumenta, vel alia aufert, vel Cadavera effodit, & spoliat; *leg. Si sepulcrum 2. & l. Prætor ait 3. ff. de sepulcro violato*, ultra infamiam, quam incurrunt, *leg. 1. ff. eodem*, puniuntur pœna arbitraria, & subinde etiam capitali, præsertim si corpora, vel ossa eruantur; *l. Prætor ait 3. & l. final. ff. eod.* ibi: *Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortunæ ultimo supplicio afficiuntur, honestiores in insulam deportantur, alias autem relegantur, aut ad metallum damnantur*. 168

Sepultura Ecclesiastica non est a Parocho retardanda seu differenda Cadaveribus sub prætextu compositionis Quartæ Funeralis. *Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in Cassanensi 5. Maii 1617.* Nec etiam propter Jus sepulturæ minime solutum, cum nulla ratio patiatur, Christianæque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarium interesse Cadavera insepulta remanere. *Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in Crotoniensi 17. Septembris 1617.* 169 170

Cadavera enim pauperum Fidelium gratis omnino tumulari, & sepulturæ tradi debent. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in d. Cassanensi 5. Maii 1617.* Clemens IX. in Constitut. 38. incipient. *In excelsa*. 171

Ecclesiastica sepultura carere debent omnes non baptizati, uti sunt Judæi, Turcæ, seu Pagani, *c. Ecclesiam 26. cap. Ecclesiam 27. distinct. 1. de consecrat.* Huc pertinent etiam infantes Catholicorum certo decedentes sine Baptismo: si vero dubium sit, an sint, vel non valide baptizati, non sunt privandi Ecclesiastica sepultura. Engel *lib. 3. Decretal. tit. 28. num. 17.* Reiffenstuel *ibid. num. 77.* Samuel. *de sepultur. tract. 2. controv. 3. conclus. 13.* cum aliis ibi 172

ibi allegatis, *arg. cap. In obscuris* 30. *de Regul. Jur. in 6.* Item huc reducuntur Catechumeni, quia & ipsi Baptismo carent. Paludan. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 3. *art.* 1. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 12. *numer.* 10. La Croix *lib.* 17. *num.* 250. cum aliis ibi allegatis, Pirhing *lib.* 3. *Decretal. titul.* 28. *num.* 62. Reiffenst. *ibid. nu.* 77. ubi testatur etiam de communi. Quamvis tamen Samuel. *loco cit. conclus.* 13. dicat, Catechumenos esse sepeliendos in loco Sacro, quia jam pro Fidelibus habentur, uti etiam tenet Gobat *de Baptismo num.* 620. *vers. Cum ad Apostolicam*, *de Presbyt. non baptizato*.

173 Item Ecclesiastica sepultura carere debent Hæretici, & in puncto Hæresis eorum receptores, defensores, fautores &c. *cap. Sicut* 8. *cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, *de Hæretic. cap. Quicumque* 2. *eodem in 6.* Etiamsi Hæresis solum per mortem eorum fuerit detecta; *argum. cap. Sane 6. caus.* 24. *quæst.* 2.

174 Item notorie Excommunicati; *cap. de Communione* 1. *caus.* 24. *quæst.* 2. *cap. Sacris* 12. *de sepulturis*, nisi in articulo mortis signa pœnitentiæ dederint, ac per eos non steterit quominus fuerint absoluti. In tali enim casu dicti excommunicati etiam post mortem ritu ab Ecclesia præscripto absolvi, sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt, ac debent, *cap. A nobis* 28. *de sentent. Excommun. in 6.* Et sic expresse declaravit *Sacra Congregat. Episc. & Reg. in Nolana.* 19. *Julii* 1619. apud Barbos. *lib.* 2. *jur. Eccles. univers. cap.* 10. *num.* 40. *& de Offic. & potestat. Parochi part.* 3. *cap.*26. *num.* 40.

175 Item interdicti notorii, & denunciati. *Clement.* 1. *de sepultur.* Generaliter enim per omne Interdictum, sive locale, sive personale usus Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur, *cap. Cum & plantare* §. *Quod si Templarii*, *de privileg.* & idem de suspensis ab ingressu Ecclesiæ deciditur, *c. Is cui* 20. §. *Talis quoque*, *de sentent. Excommun. in 6.*

176 Item publici, & manifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel idoneam dederint de restituendo cautionem, *c. Quia* 4. *de usuris*, *c. Quamquam* 2. *eod. in 6.*

177 Item manifesti raptores & Ecclesiarum violatores, *cap. Super eo* 2. *de Raptorib.* Secus vero est dicendum, si occulti sint, & confessi, ac restitutionem fecerint per se, vel per alios. At tunc sunt in Cœmeterio tumulandi absque Clero, *ex citat. cap. Super eo* 2. *de Raptoribus*.

178 Item decedentes in Torneamentis, *cap. Felicis* 1. *& cap. Ad audientiam* 2. *de Torneamentis*.

179 Item decedentes in duello, juxta dicta sub verb. *Duellum* Vide *ibi*.

180 Item qui per annum integrum non confitentur, & tempore Paschali sacram Synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio Sacerdotis prorogassent, *cap. Omnis utriusque* 12. *de pœnit. & remissionibus*.

181 Item publice blasphemantes Deum, ac Sanctos, & præsertim Beat. M. V. & impœnitentes morientes, seu Pœnitentiam eis injunctam non facientes, *c. Statuimus* 2. *de Maledicis*.

182 Item decimas recipientes, & Ecclesiæ non restituentes, *cap. Prohibemus* 19. *de Decimis*, ibi: *Si quis vero recipit* (decimas) *& Ecclesiæ non reddiderit*, *Christiana sepultura privetur*.

Item semetipsos voluntarie ex impatientia, ira, 183
& desperatione, & alia simili causa occidentes; *cap. Placuit* 12. *caus.* 23. *q.* 5.

Advertunt tamen Covarruv. *lib.* 2. *variar. resolut.* 184
cap. 1. *num.* 11. Navarr. *lib.* 3. *consil.* 7. *de sepultur.* Socinus jun. *consil.*51. *lib.*1. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 65. Reiffenstuel *loco cit. num.* 89. Barbosa *lib.* 2. *jur. Eccles. universal. cap.* 10. *num.* 49. *& de Offic. & potestat. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *nu.* 49. Burghab. *centur.* 3. *cas.* 20. La Croix *l.* 7. *n.* 256. Samuel. *de sepultur. tract.* 2. *controvers.* 5. *conclus.* 2. & plures alii, quod si quis reperiatur in puteo, vel in flumine submersus, aut laqueo suspensus, veneno, seu ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet, quod se ipsum voluntarie, & sui compos occiderit; Quod tamen in dubio non est præsumendum, cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumatur, *argum. l. Merito* 52. *Pro socio*. Tum quia potuit talis per insidias, aut vi per alium in puteum, vel flumen præcipitari, aut laqueo suspendi, seu quod satis probabile est, ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum occidere, ut recte notant citati Doctores, & alii; Signum autem sufficiens suspicandi quod adfuerit alienatio mentis, est, si antea animadversus est defigi in melancholia. Gobat *in Quinar. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 15. La Croix *loco cit. n.* 256. & alii. Item si mane sit confessus, communicarit, & postea inveniatur mortuus cum laqueo in collo, seu demersus in puteo, vel flumine. Gobat *loco cit. n.* 54. La Croix *loc. cit. num.* 256. cum Navarr. & Rodriq. ibi allegatis; Ubi subjungit, quod Lohner putat, si commode fieri potest, & sit suspicio voluntariæ cædis, quod melius expectetur Judicium Episcopi; Sic etiam si Reus non confessus, nec legitime convictus reperiatur mortuus in carcere, non ideo statim privandus est sepultura Ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus, aut a se ipso, vel Dæmone occisus, quia præsumendum est semper pro Reo, & pro innocentia; Multa sunt enim mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia, & hujusmodi, quia dicit S. Augustinus *de civitate Dei l.* 19. *c.* 6. Et si non morte puniantur, in ipsis, vel ex ipsis, plerumque tormentis moriuntur, La Croix *lib.* 4. *num.* 1477. cum aliis ibi citatis; Unde in similibus caute attendendæ sunt omnes circumstantiæ talis mortis, personæ, loci, & temporis ad dignoscendum, an quis sit a seipso sibi bene præsente voluntarie occisus, vel ex amentia, seu mentis alienatione, aut ab alio, seu Dæmone sit interfectus, aut ob aliquam ex assignatis causis obierit, & sic an privandus sit, nec ne, Ecclesiastica sepultura.

Item sepultura Ecclesiastica privantur suspensi, 185
impœnitentes; *cap. final. caus.* 13. *q.* 2. Et sic omnes, qui in notorio, ac certo peccato mortali abs- 186
que pœnitentia decedunt, ut qui in actuali furto, & rapina, fornicatione, adulterio, & hujusmodi occiduntur, ut habet communissima Doct. *arg. Quibus peccata* 6. *caus.* 13. *quæst.* 2. *cap. Non æstimemus* 19.

19. *cap. Pro obeuntibus* 21. *cum seq. eadem caus.* 13. *quæst.* 2. *cap. Fures*, *de Furtis*, cum similibus.

187 Item Regulares utriusque sexus proprietarii, si moniti a Superiore absque emendatione, & pœnitentia decesserint; *cap. Monachi* 2. *cap. Super quodam* 4. *c. ad Monasterium* 6. *de statu Monachor.* Vide verb. *Regulares art.* 1. *a numer.* 16. *ad* 20. ubi adducuntur textus & casus.

188 Recte tamen advertunt quo ad hoc Barbosa *loco cit. num.* 47. Samuel. *de sepulturis controv.* 6. *conclus.* 1. cum pluribus ibi allegatis, Roderic. *in Compend. quæst. Regular. resolut.* 188. *num.* 20. Portell. *in dub. Regul. verb. sepultura num.* 11. & alii plures, non esse ita præcipitanter privandum Ecclesiastica sepultura Religiosum inventum mortuum cum bursa denariorum; Præsumi enim debet seu saltem potest denarios non esse proprios, vel quod ex oblivione, aut negligentia alterius inibi remanserint, aut quod tales denarii essent sui Consanguinei, vel Amici, seu quod illos habuisset ad faciendam secretam restitutionem, seu eleemosynam, & hujusmodi; Unde in tali casu non esset Religiosus privandus Ecclesiastica sepultura, nisi certo constaret, quod esset mortuus vere proprietarius, & impœnitens; Eo vel maxime quod *Citata* Jura loquantur solum de Religioso a suo Superiore prius admonito, & nihilominus proprietario & impœnitente Defuncto.

189 Omnes quamvis exempti, & privilegiati, qui scienter sepeliunt aliquem tempore Interdicti, vel aliquem nominatim excommunicatum, vel personaliter publice interdictum, vel manifestum usurarium, vel Hæreticum, aut ejus defensorem, fautorem, vel receptorem, & peccant mortaliter, & eo ipso excommunicationem incurrunt, *Clem.* 1. *de sepulturis*, & *cap. Quicumque* 2. *de Hæretic. in* 6.

190 Sepelientes autem alios sepultura indignos, ut suicidas, decedentes in peccato mortali, infantes non baptizatos, Catechumenos, Religiosos proprietarios, &c. peccant quidem mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiæ, possuntque pœna arbitraria ab Episcopo puniri, utpote qui potest transgressores Legum Ecclesiasticarum punire; At non incurrunt dictam Excommunicationem, quia talis Lex, utpote pœnalis, non est extendenda ultra casus, & personas expressas; l. *Interpretatione* 42. *ff. de pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ molliendæ sunt, potius quam asperandæ*, *cap. In Pœnis* 49. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *In pœnis benignior interpretatio est facienda*, juncto *cap. Odia* 15. *eod.* ibi: *Odia restringi, & favores conveni ampliari*, Reiffenstuel *loco cit. num.* 95. Samuel. *loco cit. tract.* 2. *conclus.* 1. & alii passim.

191 A tali pœna etiam ex prædictis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu coacti id faciunt, *argum. cit. Clement.* 1. *de sepulturis*, ibi: *Qui propriæ temeritatis audacia non sine contemptu Clavium Ecclesiæ ... scienter sepelire præsumunt*, & *cit. cap. Quicumque* 2. *de Hæretic. in* 6. ibi: *Quicumque Hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ*. Sic Glossa *ib. verb. Scienter*, Pirhing *loco cit. nu.* 79. Reiffenstuel *loco*

192 *cit. num.* 95. & alii passim. Item a tali pœna excusantur, qui tempore Interdicti sepeliunt in casibus a Jure, vel ab Apostolicis privilegiis concessis. Glossa *in d. Clement. verb. a Jure*, Reiffenstuel *loco cit. n.* 95. & alii passim.

Nomine sepelientium ad incurrendam dictam Ex- 193
communicationem veniunt terram aperientes, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes, aut concedentes, & procurantes. Anchar. *in cit. Clement.* 1. *de sepulturis num.* 10. Pirhing *loco cit. n.* 80. Reiffenstuel *loco cit. num.* 79. Samuel *loco cit. tract.* 2. *controv.* 10. *conclus.* 3. cum pluribus ibi allegatis. Item etiam cooperantes, associantes, seu Crucem portantes, & luminaria deferentes. Anchar. *loco cit.* Samuel *loco cit.* cum aliis allegatis; Et ratio est, quia omnes isti participant in crimine criminoso, adeoque omnes isti subjacent dictæ pœnæ, *arg. c. Nuper*, & *cap. Concubinæ*, *de sentent. Excomm.*

Cadavera excommunicatorum denunciatorum se- 194
pulta in loco Sacro debent iterum exhumari, si ossa discerni possunt, & Ecclesia propter talem sepulturam polluta reconciliari. *Communis*, textu expresso *in cap. Sacris* 12. *de sepulturis*, & *cap. Consuluisti* 7. *de consecration. Eccles.* Idem procedit de in- 195
fidelibus, & Paganis. *Communis*, textu expresso *in cap. Ecclesiam* 27. & *cap. Ecclesiam* 28. *dist.* 1. *de consecrat.* ibi: *evulsis corporibus*. Donec autem præ- 196
dicta Excommunicatorum, & Infidelium, seu Paganorum Cadavera exhumentur, & Ecclesia reconcilietur, nemo ibidem sepeliri potest. *Communis*, textu expresso *in cap. Unic. de consecrat. Eccles. in* 6.

An autem etiam per sepulturam aliorum indi- 197
gnorum ipsa polluatur Ecclesia, & sic debeat reconciliari. Vide verb. *Ecclesia art.* 4. *a numer.* 51. *ad* 6.

Circa sepulturam Excommunicatorum, seu ab- 198
solutorum in articulo mortis servanda est dispositio *cap. final. de sepult. Sacra Congregat. Immun. in Mediolan.* 15. *Febr.* 1633. *lib.* 1. *Decret. Paulucci pag.* 150.

Supposita absolutione, vel quoad excommunica- 199
tus dederit in mortis articulo signa pœnitentiæ, & præstita per heredes cautione de reficiendis damnis, quatenus refecta non fuerint, conceditur facultas tradendi sepulturæ Ecclesiasticæ. *Sac. Congr. Immunit. in Meliten.* 23. *Septembris* 1659. *Decr. pag.* 211. *in Theanen.* 6. *Decemb.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 234.

Ordinarius mandet Cadaver olim excommunicati, 200
& in articulo mortis absoluti ab ejus simplici Confessario, sepeliri in loco Sacro. *Sacra Congreg. Immunit. in Sipontina* 3. *Aprilis* 1661. *lib. Decret. Rocci pag.* 329.

Cadaver Excommunicati, qui non tantum dedit 201
signa pœnitentiæ, sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat Ecclesiasticæ sepulturæ ad formam *cap. A nobis*, *de sentent. Excommun. Sac. Congr. Immun. in Nicoteran.* 12. *Novemb.* 1668. *lib.* 1. *Decret. Altovit. pag.* 288.

Quando quis non fuit declaratus Excommunica- 202
tus, vel non fuit notorius, non potest impediri sepultura. *Sacra Congreg. Immun. in Catacen.* 12. *Nov.* 1647. *lib.* 4. *decret. Pauluc. pag.* 30.

Cadaver correi homicidii in Personam Sacerdotis, 203
mor-

mortui in Excommunicatione, non est tradendus Ecclesiasticæ Sepulturæ. *Sacr. Cong. Immun. in Feretrana* 31. *Julii* 1674. *lib.* 1. *Decret. Alt. p.* 974.

204 Nisi Curia Sæcularis amoveat impedimentum appositum Sepulturæ, ne Clerici Cadaver sepeliatur; cum hoc sit contra Christianam pietatem, & contra Jurisdictionem Ecclesiasticam, Episcopus procedat prout de Jure. *Sacra Congr. Immun. in Sorana* 12. *Maii* 1674. *ibi pag.* 939.

205 Quo ad Excommunicatum defunctum Sacra Cong. injungit Episcopo, ut præcise informet super denegatione sepulturæ Ecclesiasticæ. *Sacra Congr. Imm. in Meliten.* 12. *Jan.* 1694. *libr.* 1. *decr. Vallem. pag.* 98.

206 Alia ad rem. Vide verb. *Cadaver.* verb. *Confraternitas*, verb. *Parochus*, verb. *Quarta Funeralis per tot.* verb. *Vestis num.* 17.

207 Constructio, manutentio, ampliatio, & restauratio communis Sepulcri, seu Cœmeterii, fieri debet expensis Parochianorum & non Parochi, quamvis Parochus dives sit, quia cum id respiciat utilitatem, & commodum Parochianorum, qui sentiunt commodum sentire debent & onus, *cap. Qui sentit* 55. *de Regul. Juris in* 6. *l. Secundum naturam* 10. *de Regul. Jur.* Sperell. *decis.* 68. *num.* 8. Panimoll. *decis.* 6. *adnotat.* 8. *num.* 31. *&* *decis.* 15. *adnotat.* 1. *num.* 44. Crispin. *de Visitat. par.* 2. §. 13. *form.* 1. *n.* 93. Joan. Baptista Bassi *tract. de Sodalitiis quæst.* 5. *num.* 15. impress. ad calcem Amostaz. *de causis piis*. Ad expurgationem autem communis sepulcri, seu Cœmeterii tenetur is qui habet Curam Animarum, & emolumenta ratione funeralium percipit (si dives), & in subsidium tenetur populus. Sic *Sac. Congreg. Concil. in Fossanen.* 19. *Septembr.* 1637. *in responsione ad quintum*, super dubiis impressis in Synodo bonæ m. Trotti ejusdem Episcopi *pag.* 1218.

208 Occisus, seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si prius non sibi elegerit, Sepulturam, nec habeat sepulcrum majorum, sepeliendus est in Parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum; *l. Cum in diversis* 44. *ff. de Relig. & sumptib. funer.* Et sic servat praxis, & communis consuetudo, quæ est optima Legum interpres; *c. Cum dilectus* 8. *de consuet. l. Si de interpretatione* 37. *ff. de legib.*

209 Jam enim dictum fuit supra *num.* 84. quod habitans in confinio duarum Parochiarum est Parochianus illius Parochiæ, ex qua domus aditum habet, quia ex aditu judicatur de domo, cui cedat; *l. Si cui ædes* 31. *ff. de Legatis* III. Et si domus habeat duas portas, judicatur de ea Parochia, in qua est porta principalis, & aditus magis frequentatus. Et si aditus, sive ostium sit a parte anteriori domus, & a parte etiam posteriori, ac vicissim ingrediatur quandoque ab anteriori, & quandoque a posteriori, nihilominus censendus est Parochianus illius Parochiæ, in qua est aditus a parte anteriori domus, cum illa pars censeatur nobilior, & ubi est pars nobilior, censeatur esse totum, per *cit. leg. Cum in diversis*, ut expresse docet Pignat. *tom.* 8. *consult.* 5. *num.* 7. cum pluribus ibi allegatis; Ubi insuper recte addit, quod si tota domus sit in fundo Parochiæ *A*, & pro ipsa amplianda, illi adjungatur aliud ædificium fundatum in vicina Parochia *B*, istud ædificium adjectum accedit ad principale, & est ejusdem Parochiæ *A*, dummodo prius ædificium sit adhuc nobilius, amplius, & principalius, quia accessorium cedit principali; *c. Accessorium* 42. *de Regul. jur. in* 6. *l. Nihil dolo* 128. §. *Cum principalis* 178. *ff. de Regul. jur.* & sic decernitur in *statuto Cleri Romani cap.* 3. §. 17. teste Pignat. *loco cit. in fine*.

Habens sepulcrum majorum, si decedat sine sibi 210 specialiter electa alia sepultura, debet sepeliri in ipso majorum sepulcro, textu expresso in *cap. Nos instituta* 1. *de sepult. cap. Cum quis* 2. *& cap. Is qui* 3. *eod. in* 6. juxta dicta supra *num.* 8. Et si alibi sepeliatur per vim, aut fraudulenter, seu alias invitis, & insciis Rectoribus Ecclesiæ, in qua adest dictum sepulcrum suorum, est ipsi Ecclesiæ restituendum cadaver simul cum omnibus emolumentis, ut dictum est de eo, qui non sepelitur in a se electa. Vide *supra num.* 7. & sub verb. *Cadaver num.* 11. ubi refertur sic decisum fuisse in Alexandrina, & in Calaritana, & sic confirmatum fuisse ab Alexandro VII. Constitution. incip. *Alias pro parte*. Et sic respondit *Sac. Congreg. Concil. in Lunen. Sarzanen. Restitutionis cadaveris* 28. *Novembris* 1711. *& in Sorana Funerum* 24. *Aprilis* 1723. & sæpius alibi. Electio enim sepulturæ, & sepulcrum majorum in defectu electionis æquiparantur, & de similibus idem debet esse judicium, *leg. Non possunt* 12. *& leg. Nam ut ait Pedius* 13. *ff. de legibus*. Ne ad imparia judicentur adversus dispositionem textus *in leg. Non debet* 41. *ff. de Regul. Jur. cap. Non licet* 33. *de Reg. Jur. in* 6. cum concordantibus apud Rotam *P.* 19. *tom.* 1. *dec. num.* 11. Quamvis enim non expresse ipsum sepulcrum elegerit, tacite tamen, & implicite censetur elegisse per dicta supra *num.* 10. *&* 12. Facti autem, & expressi idem est judicium; *cap. Ex part.* 2. *de Rescript. leg. Cum quid* 3. *ff. de rebus credit.* & frustra exprimitur quod jam intelligitur; *leg. Cornelius* 69. *ff. de heredib. instituend. leg. Hæc verba* 3. *ff. de Legatis* I. Habetur enim pro expresso quod tacite subintelligitur, *leg. Fideicommissa* 11. §. *Si filio*, *ff. de Legatis* III. cum similibus. Nec potest alibi sepeliri, neque de consensu heredum, & parentum, cum istis non competat facultas ipsi eligendi sepulturam, quam neque pater extra sepulcrum majorum potest eligere filio puberi, & adulto; immo neque filio impuberi post mortem, per allata Decreta, & dicta supra *num* 104. Unde caveat qui sic usurpant aliena cadavera; Tenentur enim etiam in foro conscientiæ ad integram restitutionem, cum sic usurpent jura, & bona aliena

Moriens in carcere, in quo detinetur custodiæ, & 211 correctionis causa, si non sibi elegerit sepulturam, nel non habeat sepulcrum majorum, sepeliendus est in Parochia sui propri Domicilii: Si vero damnatus fuerit ad carcerem in perpetuum, vel ad certum tempus, sepeliendus est in Parochia, cui subest carcer. Sic expresse per viam Legis determinatum fuit in *Statuto Cleri Rom.* juxta ipsius novissimam compilationem, *c.* 3. *litt. F. fol.* 20. ibi: *Carceribus quoque ex quavis causa ad custodiam, vel correctionem mancipati, si in illis mori contingat non electa sepultura, sepeliendi in Ecclesia Parochiali, in*

cujus

cujus Parochia retinet domicilium, damnatos vero ad carceres in perpetuum, vel ad tempus, in Ecclesia Parochiali, cui subsunt carceres, tumulandos esse declaramus. Et in effectu ita practicatum fuit de Mense Martii 1707. favore Eccles. S. Mariæ trans Tyberim pro carcerato defuncto in carceribus Capitolinis. Atque demum in præcisis nostris terminis probatur id practicari in carceribus novis ex attestatione eorumdem Officialium in Secretaria exhibita. Sic refert D. Ursaya *tom. 1. part. 2. discept. 30. nu. 24. & seq.* Et de facto *Sacra Congreg. Concilii in Farfen. Matrimonii 26. Martii* 1707. declaravit, quod Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam, vel ad correctionem, coram Parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium. Et hoc Decretum legitur impressum in statuto *Cleri Romani cap. 3. de jure eligendi sepult. num. 4. in addit.* & sic cum pluribus aliis juxta nostram conclusionem tenent Pignatell. *tom. 7. consult. 86.* ubi in fine adducit etiam ipse ad id statutum Cleri Romani, dicitque extare decretum pro Ecclesia Parochiali S. Mariæ Transpontinæ, & pro Ecclesia S. Blasii in via Julia pro captivis pariter in pœnam in carceribus novis; ac concludit tenendum esse, quod mancipati carceribus in pœnam per aliquod tempus si ibi moriantur, debeant sepeliri in Parochia carcerum, & si contingat alibi sepeliri, debeatur quarta funeralis eidem Parochiæ; quia cum sint servi pœnæ, contrahunt habitationem, ubi luunt pœnam, uti dicitur de relegatis per text. *in l. Filii libertorum 22. §. Relegatus, ff. ad municipalia*, ibi: *Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet*; quod Glossa in *l. Ejus qui 27. §. final. vers. Unde arcetur eod. titul.* & cum multis aliis Samuel. *de sepulturis disp. 5. controv. 9. conclus. 10. num. 14.* intelligunt de relegatis in perpetuum; regalati autem, ac confinati ad tempus sunt sepeliendi in eo loco, & Civitate, ubi debuissent sepeliri, ac si non essent relegati, ut expresse concludit Samuel. *loco cit.* allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Joan. Andream, Zabarellam, Lavorium, Florian. & alios.

212 In sepulcro servi Dei cum fama sanctitatis decessi non est vetitum apponi aliquod signum insolitum ad dignoscendum quod ibi sit sepultus; cultus enim publicus prohibitus non infertur, ex quo corpus servi Dei tumulatum sit in sepulcro separato cum simplici inscriptione in lapide, aut in capsa collocata in sepulcro communi cum inscriptione nominis, aut in sepulcro magnifico; Sic egregie, & erudite suo more plurimis adductis docet Card. de Lambertinis (fuit Summus Pontifex), *lib. 2. de Servor. Dei Beatific. & Beat. Canonizat. cap. 12. n. 12. & seq.* Et ratio est, quia si hæc, & his similia libere fiunt erga illos, etiam, qui ex hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonstrat, multo magis fieri potuerunt erga eos, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur: cum isti nedum deterioris, sed multo melioris, & excellentioris conditionis præ illis haberi debeant. Tum quia, absque eo quod, ob id quidpiam commissum dici queat, seu contra jus commune, seu contra Urbani VIII. Decreta, aliasque Apostolicas sanctiones, summe hoc juvat ad probandam indentitatem, de qua tractu temporis posset exoriri dubitatio, sicque difficilius fieri probatio, ut contigisse in casu nostræ Beatæ Hyacinthæ de Marescottis testatur supralaudatus de Lambertinis *loco cit. num. 13.* Unde ad avertendum dictum periculum supradicta licere tradunt Pignatell. *tom. 4. consult.* 48. Castellin. *de certitudin. Glor. Sanctor. cap. 2. punct. 32. nu. 41.* & Molphes. *cons. 45. nu. 14.* ibi: *Si enim hujusmodi viris Sanctitate perspicuis locus ab aliis separatus non daretur, sed simul cum aliis humarentur, non possent suo tempore ab aliis segregari, & distingui, & sic Ecclesia careret Corporibus, & aliis Sanctorum Reliquiis, & Sanctorum cultus maximam pateretur jacturam*. Sic refert, & tenet cum plurimis aliis nunquam satis commendatus de Lambertinis *loco cit. num. 12. & sequent.* merito ibi, & per tot. attente, & fructuose legendus.

Patres Capuccini tenentur tradere, sicut alii, Parochis quartam ceræ accensæ in associatione Cadaverum, quæ ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, & Intortitiorum quæ accedunt circa Cadaver in eorum Ecclesia expositum. *Sacra Congregat. Concilii in Aquensi, Oppidi Ovadæ 19. Septembris 1731. & in Lunen. Sarzanen. 18. Martii 1737.* ad tenorem Constitutionis Benedicti XIII. incip. *Romanus Pontifex*, ac in *Oritana 12. Februarii 1729*. 213

Adduntur attendenda quæ sequuntur. Pro extractione, introductione, vel transitu Cadaveris delati ad sepulturam nequit exigi gabella, aut vectigal; Sic reprobatis contrarium sentientibus, nervose probat Cardin. de Luca *de Regularibus discurs. 166.* occasione prætensionis excitatæ pro Cadavere Cardinalis Giberti Borromæi, qui obiit in Oppido Neptuni, & transportatus fuit ad urbem; & in fine testatur ita vivæ vocis oraculo decisum fuisse a S. M. Alexandro VII. occasione ejusdem prætensionis Dohaneriorum pro translatione Cadaveris Infantis Margaritæ de Sabaudia, quæ in Urbe pie decedens, Assisii sepulturam elegerat, quem aliis adductis, sequitur *Ald. ad Pamphil. Decis. 323. num. 9.* apud Ursajam *Institut. Crimin. lib. 3. titul. 9. num. 48. & 49.* Et sic expresse declaravit *Sacra Congregatio Immunitat. in Firmana 10. Junii 1653*. 214

Nec Parochus occasione transitus per suam Parochiam Cadaveris alterius Parochiæ, & Diœcesis potest prætendere aliquam partem ceræ, aut pecuniarum pro quarta funerali, aut alio titulo ab heredibus defuncti, ut expresse statuit *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regular. in Placentina 24. Novembris 1713. in respons. ad 2. dub.* Vide verb. *Parochus art. 3. n. 37. ubi alia ad rem per tot.* 215

Ante solis ortum, aut post illius occasum, absque licentia Ordinarii, non possunt Cadavera ad sepeliendum deferri. *Sacra Congregatio Concil. in Novarien. 15. Martii 1740. ad 4. dub.* Et sic statuunt fere omnes Synodi Diœcesanæ, & signanter nostra Alexandrina celebrata anno 1734. *tit. de sepulturis vers. Ante solis ortum*. Non potest tamen Episcopus demandare sub pœna Excommunicationis latæ senten- 216

tentiæ, ut Cadavera ante lapsum 24. horarum ab emissione spiritus ad Ecclesiam non deferantur. *Sacra Congr. Concil. in Horton. Censurarum* 12. *Decembr.* 1705. Quamvis possit statuere, ut Cadavera sepeliantur, nisi 12. saltem horis ab emissione spiritus; seu 24. si agatur de subitanea, aut repentina morte decessis, ut statuitur in dicta Alexandrina Synodo *loco cit.* & passim etiam in aliis.

217 Additur adhuc attendenda ad rem sequens resolutio particularis Congregationis a Clemente XI. deputatæ, & adjecta Statuto Cleri Romani §. 7. & 8. ac relata a sæpius laudato Cardinali de Lambertinis *Volumine* 5. *Notificatione* 17. his verbis: Infantes, qui Nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent Domicilium in Parochia Parentum, atque ad illam pertinent, licet in alia Parochia decedant. Patre vero orbatos quousque apud ipsam Matrem aluntur, licet in potestate Tutorum, non Matris, existant, de Parochia Matris, non Tutorum, esse declaramus. Si Nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur a Matre, Domicilium in Parochia Matris, si vero utroque Parente caruerint, Domicilium in Parochia Tutorum, non vero Nutricum, retinere declaramus. Quod si nec Tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.

218 Attendenda sunt sequentia Decreta relata ab eruditissimo P. Cavalieri *in Agenda Defunctorum*, & ibi doctissime commentata.

219 Episcopus impediat cum omni diligentia, ac pastorali solicitudine abusum gentilitatis, quod Feminæ in funere suorum liberorum, parentum, aut maritorum capillos vellant; Pœnas autem exigendas ipse non retineat, sed apud depositarium deponat. *Sacr. Cong. Episcop. & Regular.* 20. *April.* 1587. Vide verb. *Cadaver. num.* 24.

220 In secundo triduo majoris hebdomadæ non possunt celebrari exequiæ defunctorum, & Officium, & preces recitentur privatim. *Sacra R. C.* 11. *Aug.* 1736. *in Placentina*,

221 Defunctorum corpora in Ecclesiis Regularium tumulanda, deferenda sunt recto tramite, & per viam a Parocho declarandam ad Ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad Parochialem.

222 Quod servandum erit etiam heredibus Defunctorum contradicentibus, & ad dictam Parochialem prius deferri volentibus. *S. R. C.* 19. *Decembr.* 1671. *in Savonen.*

223 Heredes non tenentur vocare, nisi Parochum, *Sacr. Congregat. Episcop. & Regular.* 28. *Septembris* 1646.

224 Si electio non fiat ab heredibus, Parochus ad funus vocare potest, quos voluerit, omissis etiam vicinioribus. *Sacr. R. C.* 7. *Septembris* 1613. *in Ferrar.*

225 Quoties electio fit a Parocho, Clerici Ecclesiæ debent externis præferri. *Sacr. Congreg. Episcop. & Regular.* 23. *April.* 1649.

226 Funus comitantes in Parochiali Ecclesia, vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debent. *S. R. C.* 8. *Febr.* 1631. *in Tropien.*

227 Nullo modo permittendum est a funus comitantibus Parochum expectari per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti. *S. R. C.* 12. *Febr.* 1633. *in Thelesina*.

An liceat Curatis, salvis eorum juribus Parochialibus, impedire contra voluntatem heredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum, ad quasvis Ecclesias deferenda, una cum Parochis, & Clericis personaliter associent? *S. R. C.* respondit: *Regulares in casu proposito non posse impediri. Die* 3. *April.* 1633. approbante Urbano VIII. *die* 25. *Junii* 1633. in sua Constitut. *Nuper pro parte*. 228

Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt processionibus funeralibus, deferant, sicuti in aliis processionibus, birretum Sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout disponit Rituale Romanum *titul. de Process.* & ut sæpe resolvit S. Rit. C. Quæ quidem pilei prohibitio non solum est pro Ecclesiastico Sæculari, sed etiam Regulari, licet sint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decemb. 1704. Constit. *La Santità di Nostro Signore.* 229 230

Nullo modo est tolerandus abusus, quod mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam. *Sac. Cong. Episcop. & Regul.* 17. *Martii* 1650. 231

An Congregationi Sacerdotum sæcularium sub invocatione Sancti Philippi Neri in associatione confratrum defunctorum competat præcedentia supra Regulares? 2. An eidem Congregationi occasione associationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam Crucem? *Ad primum, & secundum affirmative* respondit *Sacr. Rit. C.* 19. *Aug.* 1719. *in Imolen.* 232

In depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te justificabitur homo*; quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua*, vel *servis tuis* absque Sacræ Rubricæ læsione, & servandum est Rituale. *Sacra Rit. Congreg.* 31. *Aug.* 1697. *in Fanen.* 233

In exequiis parvulorum in feria V. & VI. & Sabbato Majoris hebdomadæ potest omitti *Gloria Patri* in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. *Sacr. Rit. Congreg.* 16. *Jun.* 1677. *in Hispal.* 234

Parvulorum sepulcrum ab aliis debet esse separatum. *Sac. Rit. Cong.* 10. *Decembr.* 1620. *in Civit. Castellan.* 235

Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in Ecclesiis Regularium, si ibi est sepulcrum majorum, vel concurrente consuetudine, si ibi Pater eligat sepulcrum. *S. R. C.* 12. *Decembr.* 1620. *in una Civit. Castellan.* 236

Sepulcrum eligere licet parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri possunt, aut debent, præsertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulcrum majorum. *Sac. Congreg. Episc. & Regul.* 20. *Jan.* 1610. 237

Sacra Congreg. Regul. & Episcop. examinata prius diligenter relatione Episcopi, censuit licuisse, & licere parentibus in Ecclesia fratrum mino- 238

rum

rum Conventualium S. Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam, ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum Ecclesiæ cadavera infantium jam deposita, præmissis, ceterisque quibuscumque non obstantibus. *Die* 20. *Martii* 1643.

239 Exhumetur puella, & sepeliatur in sepulcro majorum, in quo sepeliri debent, quicumque carent facultate sibi eligendi sepulturam. *Sac. Congreg. Episcop. & Regul.* 11. *Octob.* 1616., & præsertim si pater sic sepeliri intendat. *Ead. Congreg.* 22. *Febr.* 1641.

240 Infantes, aliique quicumque, qui non habent facultatem sibi eligendi sepulturam, vel hac non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulcro suorum majorum, vel in Parochiali Ecclesia. *Sacra Congregat. Episcopor. & Regul.* 16. *Novemb.* 1625.

241 Clerici non sepeliantur in sepulcro suorum majorum, ubi est consuetudo eosdem sepeliendi in sepulcris separatis a laicalibus. *Sacr. Congr. Episc. & Regul.* 13. *Maii* 1610.

242 Clericus, qui sibi non electa sepultura decedit, sepeliri debet in sepulcro majorum, & non Clericorum, *Sacr. Rit. Congregat.* 6. *Maii* 1705. *in Senogall.*

243 Sepultura non electa, si uxor præmoriatur, & maritus habeat proprium sepulcrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites Parochiæ, ubi mortua est. *Sac. R. Congregat.* 15. *Jan.* 1633. *in Senogallien.*

244 An cum fratres aliqui extra Monasterium moriuntur, & a Curatis Sacramenta receperunt, possint ab eorum Superioribus ad suas Ecclesias deferri, Parochis inconsultis? Resp. Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis. *Sac. Congr. Concil.* 2. *Julii* 1620.

245 Clerus Secularis nihil potest prætendere propter exequias, aut Sepulturam Monachorum, aut fratrum morientium extra claustra. *Sac. Congregat. Episcop. & Regul.* 24. *Novembr.* 1634. & 24. *Septembris* 1636.

246 An in Ecclesiis Fratrum sepelienda sint cadavera eorum, qui ejusdem Ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt? Resp. si conditiones in Bulla aurea fel. rec. Sixti Papæ IV. contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet quod a Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ut prædictus Guardianus, vel alius Superior eosdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitus concessionem, seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu Religionis decedentes, in Ecclesiis pariter ejusdem Religionis Ecclesiasticæ sepulturæ esse tradendos. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul.* 11. *Decembr.* 1615.

247 Parochi Superiores Ecclesiarum Sæcularium, & Regularium, Sacristæ, & alii, ad quos spectat, non permittere debent, quod cadavera Ecclesiasticorum sæcularium præsertim Sacerdotum, sicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Ecclesias, vel in istis exponantur quocumque alio habitu, sive Confraternitatum, sive Religionum, sed cum sacris vestibus eorum Ordini convenientibus, juxta dispositionem Ritualis Romani tit. de exequiis. *Clementis XI.* 9. *Decemb.* 1705.

Canonici pluviali, planeta, dalmatica, vel tunicella parati non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta, seu dalmatica, vel tunicella imponi potest almutia super brachium. *Sacr. Rit. Congreg.* 4. *August.* 1663. *in una Dalmatiarum.* 248

Pileus Episcopi demortui debetur Ecclesiæ tumulanti, non Cathedrali. S. Congr. *Episc. & Regul.* 26. *April.* 1653. 249

Ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (scilicet Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacristæ, Ostiarii, & alii Custodes, etiam Regulares) provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia cadaverum conditoria, super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Constitut. *Cum primum Apostolatus* 1. *April.* 1566. 250

Ecclesiæ non debent fodi, neque excavari pro sepultura, sed in sepulturis, sive tumbis profundis infra terram Christianorum cadavera sepeliri. *Sac. Congr. Episc. & Regul.* 23. *Jul.* 1603. 251

Non licet Parochis majorem eleemosynam exigere pro defunctis in Ecclesiis Regularium sepeliendis, quam eis solveretur, si in propriis, vel aliis sæcularium Ecclesiis sepeliri deberent. *Sacr. Congregat. Episcop. & Regular.* 27. *Octobr.* 1603. 2. *Octobris* 1643. 20. *Martii* 1647. 27. *Januarii* 1651. 252

Cæteris paribus non possunt Parochi majorem eleemosynam exigere pro Sepultura forensium, aut extraneorum, quam incolarum. *Sacra Congregat. Episc., & Regul.* 25. *Maii* 1640. 31. *Martii* 1646. 10. *Junii* 1653. & 10. *Junii* 1654. *ac* 8. *Augusti* 1659. 253

In Ecclesiis Regularium sine horum consensu non potest quis sepeliri, nisi sit propria defuncti Parochialis, licet ibi sepulturam elegisset, aut ad rem donationem vel legatum fecisset. *Sac. Congr. Episcop., & Regular.* 2. *Jun.* 1587. 254

Supra Sepulcri tabulam pro libito ornamenta plana quælibet heredes efformare valent, dummodo e solo non emineant, & absint coronæ vulgo *Cornici*. *Sacr. Congreg. Episcop., & Regul.* 26. *Maii*, & 6. *Octobr.* 1645. 255

Num illi, qui coram testibus dumtaxat, licet absque scriptura, in Regularium Ecclesiis sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi, *Sacra Congreg. Episcop. & Regul.* respondit *in dictis Ecclesiis esse sepeliendos, sine præjudicio tamen jurium Parochialium, die* 11. *Decemb.* 1615. 256

Consanguinei defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum Ecclesiis, etiam Cathedralibus, compelli nullo modo possunt. *Sac. Congreg. Episcop. & Regul.* 14. *Jun.* 1639. cujus decretum approbavit Alex. VII. in sua Constit. *Alias pro parte* sub datum 30. *April.* 1660. 257

Damnati ad mortem sepeliri non debent in Ec- 258
cle-

clesia magnæ devotionis, si inde populus concipit horrorem, & occasionem Ecclesiæ minus frequentandæ. *Sacra Congregat. Episc. & Regul.* 17. *Martii* 1590.

259 In exequiis post absolutionem, quæ fit supra cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, ℣. *Requiescant in pace*, subjungi debet: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, sed super lecticam, seu castrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, nihil est superaddendum. *Sacr. Rit. Congr.* 3. *Decemb.* 1682. *in una Canon. Regul. Lateran.*

260 Inhiberi non potest quod non sepeliantur cadavera absque interventu duorum Presbyterorum a capitulo deputatorum vice Parochi etiam ubi Parochia spectat ad ipsum capitulum, quia unius assistentia sufficit. *Sac. Cong. Episcopor., & Regular.* 6. *Martii* 1593.

261 Regulares primi debent invitari, quando cadaver sepeliendum est in eorum Ecclesia. *Sac. Congregat. Episcop. & Regular.* 9. *Januarii* 1595.

262 Parochus minime excluditur, licet a defuncto accersiri tantum Regulares jubeantur. *Ead. Sacr. Congreg. Episcop. & Regul.* 24. *Aprilis* 1594.

263 In Tudertina electionis sepulturæ. Francisca quondam Rugerii de Gregoriis de terra Massæ Diœcesis Tudertinæ mortua est die 28. Maii 1721. & cum elegisset sepulturam coram duobus testibus in Ecclesia PP. Tertii Ordinis S. Francisci, & repugnaret Archipresbyter dictæ terræ, examinatis duobus testibus deponentibus pro tali electione, & nolente Archipresbytero, suos quos prætendebat contrarios, examinari, & facto sepelire cadavere in sua Parochiali Ecclesia propositis in Sacra Congregatione Concil. dubiis: I. *An constet de electione sepulturæ in casu &c. & quatenus affirmative*. II. *An sit locus exhumationi, & restitutioni cadaveris, de quo agitur; & quæ emolumenta sint restituenda a Parocho in casu &c. Dicta Sacra Congregatio* 4. *Julii* 1722. Respondit. *Ad I. affirmative. Ad II. affirmative, etiam quoad omnia emolumenta & amplius, & ad mentem. Et mens est quod cadaver exhumari non*
264 *debeat*. Deinde obtenta ab Archipresbytero nova audientia, & contendente electionem sepulturæ in Ecclesia Patrum non posse dici probatam, & quatenus esset probata, non relevare, utpote factam ad suggestionem Patrum adversus textum *in cap. Animam, de sepulturis in 6.* proposito dubio: *An sit standum, vel recedendum a decisis die* 4. *Julii* 1722. *Eadem Sacra Congregatio die* 21. *Nov.* 1722. Respondit: *Ad primum in decisis. Ad secundum in decisis, excepta exhumatione, & restitutione cadaveris*. Sic apud *Thesaur. Resolut. tom.* 2.

265 In Senogallien. funerum, proposito inter alia hoc secundo dubio: *An testes super electione sepulturæ deponentes recipi debeant medio juramento per publicum Notarium, sive potius sufficiat eosdem testes deponere oretenus cum juramento coram ipsomet Parocho, vel Vicario Foraneo? Sacra Congregatio Conc. die* 19. *Decemb.* 1739. Respondit: *Ad II. Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam*. Apud *Thesaur. Resolutionum Sacræ Congregat. Conc. tom.* 6.

Electio Sepulturæ facta a confratribus, seu sodalibus alicujus Congregationis, seu confraternitatis in die receptionis, & professionis, etiamsi facta sit per publicum instrumentum, non sustinetur. Sic *Sac. Congregat. die* 3. *August.* 1743. quæ *in Alexanen. Funerum*, ad septimum inter alia propositum dubium, *An electio sepulturæ facta in eadem Ecclesia per publicum instrumentum, seu alium actum ab aliis sodalibus dicti Oratorii, in ipsorum respective receptione, & ante obitum non revocata sustineatur in casu*. Respondit *Ad VII. Negative, & amplius*. Sic apud *Thesaur. Resolutionum dicti anni. Vide tom.* 2. *verb. Confraternitas art.* 4. ubi varia ad rem. 266

Pro sepultura infantium nutricibus extra propriam Parochiam alendorum traditorum, a particulari Congregatione a Clemente XI. deputata, fuit resolutum ut sequitur, *Infantes qui nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent domicilium in Parochia Parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena Parochia decedant. Patre vero orbatos, quo usque apud ipsam Matrem aluntur, licet in potestate Tutorum, non matris, existant, de Parochia Matris, non Tutorum, esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur a Matre, domicilium in Parochia Matris, si vero utroque Parente caruerint, domicilium in Parochia tutorum non vero Nutricum, retinere declaramus. Quod si nec Tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur*. Sic habetur in additione ad statutum Cleri Romani §. 7. & §. 8. ut refert Cardin. Lambertin deinde Summus Pontifex *volum.* 5. *notificat.* 17. *pag.* 204. Et sic ubique observari convenit, cum Stylus Curiæ Romanæ attendi debeat. Glossa 2. *in cap. Ad hæc summus, de Rescrip.* & cum ipso procedendum esse in aliis Curiis inferioribus, non autem cum praxi propriæ Religionis, ut expresse tradit Cardin. de Luca *de judic. discurs.* 34. *num.* 12. *& discurs.* 37. *num.* 20. Stylus enim Curiæ Romanæ facit jus, & pro lege habetur, *cap. ex litteris* 11. *de constitut. cap. Quam gravi* 6. *de Crimine falsi*, cum Ecclesia Romana sit ordo, norma & caput omnium Ecclesiarum, *cap. omnes, & cap. Sacrosancta* 2. *dist.* 22. cum similibus. 267

Quoad sepulturam educandarum. Vide tom. 5. verb. *Matrimonium art.* 2. *a n.* 115. *ad num.* 121. & verb. *Monialis art.* 1. *n.* 61. 62. 268

In Tusculana reparationis Ecclesiæ inter alia dubia, propositis his sequentibus: Tertio, An reparatio, & expurgatio respective quatuor sepulturarum existentium in d. Ven. Ecclesia, ac inservientium pro laicis adultis, fieri debeat sumptibus dictæ Communitatis, sive potius dicti Capituli in casu? Quarto, an reparatio, & expurgatio aliarum duarum sepulturarum pariter in dicta Ecclesia existentium, & inservientium pro pueris, & Sacerdotibus, fieri debeat sumptibus Capituli, vel Archipresbyteri, sive potius Communitatis in casu? *Sacra Congreg. Concil. die* 11. *Januar.* 1738. Respondit *Ad III. & IV. affirmative quod ad primam partem & negative ad secundam*. Et proposita causa sub die 1. Martii 1738. sub dub. *An, & in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu? Ead. Sac. Congreg.* Respondit *Ad III. in decisis & ad IV. in de-* 269

cissi

cisis quoad sepulturam Sacerdotum, *quo vero ad sepulturam puerorum*, *spectare ad Communitatem*. Sic apud *Thesaurum resolutionum dicti anni*.

270 Sepultura Sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugnæ obierint. Bened. XIV. Constitut. incip. *Detestabilem* §. 9. Vide tom. 2. verb. *Duellum*.

271 * Sepulcrum in Ecclesiis Confraternitatum haberi potest, sed de licentia Episcopi, uti sæpe decisum a Sacr. Congregatione. *Instit. Eccles.* 105. §. 124.

272 Si Confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in Ecclesia ejusdem Confraternitatis, ut est decisum a Sacra Congregatione. *Ibid.*

Additiones ex aliena manu.

273 De sepultura latissime licet egerit *Auctor*, multa tamen dicenda essent, si limites additionum permitterent. Sed vide qui de hac materia accuratius agit, Bohemer. *in tractatu de jure Parochiali sect.*4. *cap.* 2. *per tot.*

274 Hic vero tria hæc adnotanda censuimus. *Primum* est quamdiu sit expectandum, ut sepulturæ mandetur hominis cadaver? Nihil hac de re in jure definitum est. Cæterum Constitutionibus plurium Synodorum receptum est ut post duodecim horas sepeliatur, si mors sit ex morbo sequuta, & si repentina, vel violenta, post viginti horas. Vide S. M. Benedictum XIV. *de Synod. Diœcesana lib.* 7. *c.* 6. §. 8. Adde etiam *adnotat. ad Synod. Fulginat. Episcopi Baptistelli cap.* 23. *num.* 6.

275 Num autem cadaver hominis violenta morte erepti inhumari possit, nisi prius Præfectus loci illud inspexerit; & si secus factum sit, an possit ipse loci præfectus demandare, ut exhumetur? Vide Mean *observ.* 604. *per tot.*

276 Secundum est, an liceat sepelire in loco sacro infantes sub dubiis reviviscentiæ signis baptizatos? Tantum abest ut liceat, ut Congregatio S. Officii pluries decreverit, ne baptizandos quidem esse infantes hosce. Adi S. M. Benedict. XIV. *de Synod. Diœcesan. lib.* 7. *c.* 6. §. 11. *&* *duob. sequent.*

277 Tertium est, an Ecclesiastica sepultura carere debeant qui decedunt ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint, & obtinuerint a peccatis simul, & censuris absolutionem? Attenta autem Constitutione Benedicti XIV.

278 cui initium est: *Detestabilem*, & hi carere debent Ecclesiastica sepultura. Videtur enim Summus Pontifex imitatus sanctionem Concilii Lateranensis relatam in *c. Felicis*, *de Torneamentis*, qua cautum fuit, ne in loco sacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, tametsi antequam extremum vitæ spiritum ederent non incerta pœnitentiæ signa exhibentes, absolutionem retulissent? *Quod* (sunt ipsissima verba) *si quis eorum ibi mortuus fuerit*, *quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur*, *Ecclesiastica tamen careat sepultura*.

Responsio Auctoris.

Quoad tempus expectandum pro sepultura cadaverum, jam satis dixi ego *tom.* 2. verb. *Cadaver*. 270
& in *Supplementis* ad idem verb. ex decretis Sacr. Congreg. nempe, quoad hoc servandam esse Synodum diœces. Et insuper tradidi, quomodo, & qua facultate possunt exhumari cadavera morte violenta erepta, & sepulta, pro facienda recognitione a curia laicali. Item jam tradidi ego, quoad decedentes ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint, & obtinuerint a peccatis simul, & censuris absolutionem &c. ut patet in meo *Supplemento*, verb. *Propositiones damnatæ*, ubi refero nuper citatam Constitutionem Benedicti XIV. *Detestabilem*, in qua habentur ad rem quinque propositiones damnatæ; vide verb. *Duellum art.* 2. *num.* 22.

APPENDIX,

Sive novus Articulus ex aliena manu de Sepultura.

Ferraris noster num. 172. hujusce articuli brevi 280
se expedit a quæstione jam toties & novissime etiam acriter disputata utrum scilicet Catechumeni sine Baptismo decedentes ecclesiastica privandi sint sepultura? Ab ea, ne dicam exagitanda, sed etiam tangenda prorsus abstinuissem, nisi mandatum accessisset maximi viri, cujus nutibus resistere, mihi religio est. Ut autem ea, qua par est, claritate hæc controversia discutiatur, nonnulla in antecessum adnotanda duxi de variis catechumenorum gradibus & distinctionibus.

Plures jamdiu fuisse catechumenorum classes, & 281
gradus, res est apertissima in veteribus Ecclesiæ monumentis, quamquam tum auctores, qui Sacris Christianorum ritibus inlustrandis operam navarunt suam, tum ipsi Theologi inter se non conveniant in iis enumerandis, & distinguendis.

Duos dumtaxat recenset Menardus in notis ad 282
Sacramentarium S. Gregorii (*T.* 3. *operum ejusdem S. Doctoris edit. Maur. colum.* 373.) nempe *Audientium*, *&* *Competentium*. Communiter tamen Catechumeni in tres distribuuntur classes, quarum prima *Audientium*, *Genuflectentium* altera, tertia *Competentium*, seu *Electorum*. In prima constituebantur illi, qui privata instructione exacta, publice in Ecclesia instruebantur per Episcopum. Ad secundam spectabant, qui participes, consortesque fiebant orationum, & exorcismorum, qui super Catechumenos fundebantur. In 3. collocabantur, qui idonei ab Baptismum judicati nomina sua dabant, ut nimirum inter illos recenserentur qui jam proxime ad suscipiendum Baptismum erant destinati, ilisque Symbolum tradebatur reddendum postea Baptismum suscepturi. Vide opus eruditi Josephi Vicecomitis *de antiquis Baptismi ritibus*, *lib.* 2. Van-Espen *J. E. V. par.* 11. *tit.* 2. *cap.* 3. per totum. Tournely *de Sacram. Baptismi quæst.* 3. *art.* 3. Juven. *Comment. Hist. &* *dogm. de Sacramentis Dissert.* 2. *de Bapt. cap.* 2. *art.* 1. Du Cangii *Gloss. t.* 1. pag. 887.

pag. 887. aliosque, tametsi viri eruditissimi eandem non sequantur partitionem, quos inter Martene, qui *l.* 1. *de Antiq. Christianorum Rit. cap.* 1. *art.* 6. *Genuflectentes* Catechumenorum specialem classem constituisse negat, asseritque ita vocitari consuevisse Catechumenos lapsos, qui pœnitentiæ peragendæ admittebantur, quapropter illos distinguit in *Audientes*, *Electos*, *&* *Competentes*. Eodem pacto Catechumenos partitur Berti *de Theologicis Disciplinis lib.* 31. *cap.* 20. nisi quod *Electis competentes* anteponat.

283 Non est hic discutiendi locus, quænam harum sententiarum alteri sit præferenda. Illud tamen certe eruitur, non omnes catechumenos eodem in censu habitos fuisse aut esse habendos, sed semper rationem habitam fuisse progressus, quoad instructionem, mores, Baptismi desiderium, aliaque id genus. Ab eadem regula recedendum non esse, si discedere eos ex hac vita contingat nondum baptizatos, pro certò habeo. Unde Catechumenos omnes ad tres etiam classes esse revocandos existimarem.

284 Ad primam pertinent illi, qui ignavia, & torpore arrepti, vel ut suis magis, magisque cupiditatibus indulgere possent, lavacro regenerationis sua mundare peccata negligebant, quales erant illi, qui primis Ecclesiæ sæculis senectutem, vel mortis articulum expectabant, ut sacris undis regenerarentur. Eorum vanam fiduciam compescere, ac segnitiem maturare sancti Patres sæpe suis in sermonibus tentarunt, ut S. Basil. Hom. XIII. *Exhortat. ad Sanctum Baptisma* (*tom.* 2. *Operum edit. Maur. pag.* 113. (S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 40. (*tom.* 1. *Oper. pag.* 652.) S. August. *Serm.* 132. *num.* 1. (*tom.* 5. *Colum.* 450.) S. Jo. Chrysost. Hom. prima in Act.

285 In secunda constituuntur Catechumeni, qui cum sint præcipuis Christianæ Religionis Mysteriis imbuti, Christianis moribus exornati, ac Baptismatis desiderio flagrantes, inopinati morte absque Baptismo corripiuntur.

286 In tertia denique collocantur qui, desiderio Christianæ Fidei suscipiendæ manifestato, se se erudiendos tradidere. At nondum ejus capita præcipua callent, adeo ut de iis mysteriis, quæ necessario credenda sunt, ut loquuntur Theologi *necessitate medii* ad salutem, actus elicere nullatenus valeant.

287 Præmissa hac enumeratione, dico primo, catechumenis sub priori specie contentis si illis nondum regeneratis ultimum diem obire contingat, ecclesiasticam sepulturam nequaquam esse concedendam. Ratio evidens est. Nulli enim competit Ecclesiastica gaudere sepultura, nisi sit Ecclesiæ membrum. Porro nemo inter Ecclesiæ membra est recensendus, nisi Baptismate particeps fiat Regni cœlestis, Baptismate, inquam, vel aquæ, vel Sanguinis, vel saltem flaminis, & ut a Theologorum disserendi ratione non recedam nisi Baptismate, vel *in re*, vel *in voto* suscepto. Catechumenus autem, qui sæpius occasionem Baptismatis suscipiendi posthabuit, nulla rationabili ratione coactus; quinimmo Baptismum pessumdedit, ut gentilibus moribus quo fieri posset tardius valediceret, Baptismatis, neque *in re*, neque *in voto* factus est particeps; igitur neque consors factus dicendus est Regni cœlestis, neque inter Ecclesiæ membra adnumeratus, atque inde ecclesiastica prohibendus est sepultura.

Dico secundo, si Catechumenum in secunda col- 288
locatum classe sacris undis nondum ablutum ex hac vita migrare contingat, Ecclesiasticis ceremoniis esse sepeliendum.

Constat id luculenter Patrum sacrorumque Canonum auctoritate. Sane Canon apertissimus est C. *Apostolicam*, *de Presbytero non baptizato*, ubi Innocent. III. ab Episcopo Cremonensi consultus, quid sentiendum de Presbytero sine unda Baptismatis defuncto: Respondet, *quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit*, *ab originali peccato solutum*, *& cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter*. Mittit Episcopum ad legenda opera Sanctorum Augustini, & Ambrosii, ac tandem concludit: *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum*, *Patrum sententias teneas*: *& in Ecclesia tua juges preces*, *hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato*. Decretorius est Innocentii textus. Pro illis enim offerri preces, & hostias publice in Ecclesia nequeunt, qui jure privantur ecclesiasticæ sepulturæ. Si igitur pro Presbytero non baptizato defuncto jubentur offerri publice in Ecclesia preces & hostiæ, illum ecclesiastica potitum fuisse sepultura, absolute est pronunciandum. Quod eadem ratio sit habenda de Catechumeno nostro, ac de Presbytero, de quo in Canone, nullum, puto, dubitare posse; cum rationes a Summo Pontifice pro Presbytero adductæ, æque militent pro Catechumeno. Uterque sine Baptismo decedit, uterque in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & in Christi nominis confessione perseverasse creditur; uterque ab originali peccato solutus, ac cœlestis patriæ gaudium adeptus præsumitur. Adde Innocentium pro sua stabilienda Patrum auctoritate sententia, Orationem S. Ambrosii *de obitu Valentiniani* adhuc Catechumeni vita functi adducere, scilicet, vult Pontifex ideo preces hostiasque offerri debere pro anima illius Presbyteri, quia easdem jusserat offerri S. Ambrosius pro anima Valentiniani, adeo ut si pro Catechumeno offerri illæ non possent, Innocentii sententia prorsus collaberetur.

Hinc est, quod idem Pontifex *Cap. Debitum de* 189
Baptismo, loquens de quodam Judæo qui in mortis articulo constitutus semetipsum baptizarat, quamquam ejus Baptisma nullum sit, ut pronuntiat Papa ibi; tamen addit: *Quod si continuo decessisset*, *ad Patriam protinus evolasset*, *propter Sacramenti fidem*, *etsi non propter fidei Sacramentum*. Propter eandem rationem, *C. veniens*, *de Presbytero non baptizato*, æque pronuntiat: *Cum quis non solum per Sacramentum fidei*, *sed per fidem etiam Sacramenti*, *efficiatur proculdubio membrum Christi*.

Innocentii III. sententia nova non est in Eccle- 290
sia, sed antiquis Ecclesiæ Canonibus, priscaque consuetudine fulta. Ea enim suum habet fundamentum in Can. 78. Concil. Carthaginen. IV. habiti ann. 398. (*tom.* 2. *Concil. Collect. Labb. Colum.* 1206.), & Can. 12. Conc. Arelat. II. habiti an. 452. (*tom.* 3. *colum.* 1012.). Quamquam hujusmodi duo Ca-

Canones de Pœnitentibus dumtaxat loquantur defunctis non completa pœnitentia; cum tamen eadem sit hac de re ratio Pœnitentium, & Catechumenorum; ideo in patrocinium hujusce sententiæ præfati Canones citantur a Theologis. Quidquid tamen sit de eorum efficacia pro nostra constabilienda sententia, eo tempore, quo iidem Canones editi sunt, morem invaluisse fundendi in Ecclesia preces pro animabus Catechumenorum aperte constat ex S. Ambrosio jam supra laudato cujus præstat verba recitare. Is igitur in Orat. de obitu Valentiniani, postquam num. 51., & 52. eum gratiam Baptismatis consequutum fuisse dixerat, quia baptizari optaverat, ac Baptismi desiderium in eo vices Baptismi suppleverat, num. 53. gregem suum hortatur ut oblationibus Valentiniani animam prosequatur, ut sacris mysteriis requiem ejus poscat: neque separanda esse nomina (sacris in dypticis) Gratiani, & Valentiniani, quamvis ille Baptizatus obierit. *Date manibus*, inquit, *Sancta Mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu. Date Sacramenta cœlestia, animam nepotis nostri oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in Sancta, ut eo saltem munere vicem ejus meritis rependamus .... Numquam ego piorum fratrum separabo nomina, merita discernam.* (*tom. 2. Operum edit. Monach. S. Mauri Col.* 1189.)

291 Hæc eadem est S. Aug. sententia ut constat ex *l. 4. de Baptismo contra Donatistas, nu.* 30. *&* 32. (*tom. 9. Operum col.* 94. *&* 95.) nec non S. Bernardi, Epistola, seu Tractatu *ad Hugonem de S. Victore*, quam eorumdem SS. DD. Ambrosii, & Augustini auctoritate, ubi confirmavit, subdit: *Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me errare, aut sapere fateor.*

292 Celebriores Theologi, & Canonistæ id pro certo habent, *Passerinus, de stat. hom. tom. 2. q. 187. art. 4. num.* 63., & apud ipsum *Lezana*, v. *Sepultura num. 23. Bordon. resp.51. n.119.* Id etiam tenet Card. Petra. *Comment. ad Const. 2. Honor.111. sect. unica, num. 58. Sayrus de Censur. l. 5. c. 16. num. 24. Barbosa, de Off. & Potest. Episcopi part. 2. Allegat.28. num. 53. Bonac. de Matr. q. 4. punct. ult. numer. 26. Thesaurus, de pœnis, part. 2. ver. sepulcri violatio cap. 6. §. Limita quoad Catechumenos, Pax Jordanus, de re sacra, l. 5. tit. 12. num. 120. Murga tom. 1. tract. 2. disp. 4. dub. 7. Clericatus decis. sacram. 36. num. 29., & 30. Gonzalez in c. Ad Apostolicam, de Presbytero non baptizato, Gagliardus, Inst. Jur. Can. l. 2. tit. de Baptismo num.* 42., & alii plures qui citari possent.

293 Non inficior, huic hucusque a nobis statutæ doctrinæ opponi posse Concilii Brachar. II. auctoritatem an. 563. celebrati: quod quidem Concilium, postquam cap. 16. statuerat nullam commemorationem in oblatione esse faciendam pro iis qui sibimetipsis necem inferunt, vel pro sceleribus puniuntur, neque eorum cadavera cum Psalmis ad sepulturam esse deducenda, cap. 17. ita decernit: *Item placuit ut Catechumenis sine redemptione Baptismatis defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi, impendatur officium.* (*tom. V. Concil. Edit. Labb. colum.* 841., *&* 842.)

Enim vero hujusce Concilii decreto occurrimus 294
1. cum *Lavor. tit. 12. cap. 15. num. 92. & Bordon. Resp. 51. n.* 20. asserentibus præfatum Canonem intelligendum esse de Catechumeno illo, de quo constaret ex culpa, & negligentia non fuisse baptizatum, quo quidem in casu eum non esse fidelium sepultura donandum, nos etiam tradidimus. 2. dicimus, Bracharensem Synodum loqui de eo, quod ut plurimum accidit, nullatenus vero de casu necessitatis. Raro enim contingit ut Catechumenus perfecte dispositus, & Baptismi desiderio flagrans absque regenerationis Sacramento decedat. 3. reponam cum Eminentiss. Cardinali Orsi Hist. Eccl. lib. 42. num. 62. tom. 19. ubi relatis summatim præfatis duobus Canonibus, subjungit: *Quanto a due ultimi casi ha prevaluto nella Chiesa l' uso contrario, fondato, quanto alle preghiere per le anime dee giustiziati, nel cap. 14. del 2. Sinodo Aurelianense, e quanto alle anime de Catecumeni nell' esempio di S. Ambrogio.*

His breviter enucleatis de secunda Catechumenorum specie, ad tertiam devenio. Dico igitur 3. Catechumenis nondum in Christianæ Religionis capitalibus Mysteriis eruditis, atque ab hac vita migrantibus sine Baptismate, non esse ecclesiasticam sepulturam concedendam. 295

Palmare id est. Intantum enim Cathecumeni aliquando Fidelium more sepeliuntur, in quantum Fideles sunt, atque æternæ vitæ assequendæ capaces. Ille vero, qui præcipua Christianæ Religionis capita ignorat, neque fidelis est, neque vitæ æternæ assequendæ capax. Sane absque cognitione, & fide Trinitatis, & Incarnationis, nemo Fidelis, & Christianus dici potest. *Quod enim est*, (inquit S. Aug. l. de dono perseverantiæ numer. 2. tom. x. Operum col. 543.) *initium verius Christiano, quam credere in Christum?* Fides autem in Christum, Fidem cognitionemque Trinitatis, & Incarnationis præsupponit. Porro eorumdem Mysteriorum cognitionem necessariam esse ad salutem consequendam in confesso id est apud omnes veri nominis Theologos. Scio aliquos laxioris Doctrinæ patronos nonnumquam arbitratos fuisse, eamdem cognitionem *implicitam* ut dicunt, sufficere. Vid. Domin. Viviam in Prop. 1. damnatam ab Alex. VII. num. 9. Verum ego majoris facio mehercle auctoritatem Jesu Christi Domini mei, qui absque distinctionibus, & ambagibus, *Joan.* 17. declarat: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, quam horum scriptorum tricas.

SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

1 Sequestratio, seu sequestrum est rei controversæ, seu fructuum ejus apud tertium securitatis gratia legitime facta depositio; *Sic in re communis*. Et colligitur *ex l. Licet* 17. *in princ. ff. Depositi*, & ex *leg. Sequester* 110. *de verbor. signific.*

2 Unde sequester dicitur is, apud quem plures nempe Actor, & Reus eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo quod ejus fidem partes contendentes, vel Judex sequantur, dum res litigiosa ejus custodiæ committitur, *cit. l. Sequester* 110. *ff. de verbor. significat.* ibi: *Sequester dicitur, apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt*.

3 Sequestratio, seu sequestrum differt a Deposito. Primo, quia deponi possunt etiam res illæ, de quibus nulla est controversia; sequestrari autem possunt dumtaxat res illæ, de quibus est lis, seu controversia, *l. Licet* 17. §. 1. *ff. Depositi*; Secundo, quia non solum plures, sed etiam unus dumtaxat apud Depositarium deponere potest; Apud Sequestrem autem nonnisi plures, *l. Propriæ 6. l. licet* 17. *in princip. ff. Depositi*; Tertio, quia illi, qui rem communem depositam deponunt, non singuli eam in solidum, sed pro sua quisque parte, quam in re habet, deponere censetur, *leg.* 1. §. *Sed si duo*, & *cit. l. Licet, ff. Depositi*; Qui autem apud sequestrem rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, non pro parte, *cit. l. Licet* 17. *ff. Depositi*. Quarto, quia in deposito, quoties libuerit, res repeti potest; in sequestro autem non nisi post decisam controversiam, *arg. cit. l. Sequester* 110. *ff. de verb. signific.*

4 Sequestratio, seu sequestrum est duplex, scilicet sequestrum voluntarium, seu conventionale, & sequestrum necessarium, sive Judiciale. *Communis.*

5 Sequestrum *voluntarium*, seu *conventionale*, est illud, quod fit mutuo partium consensu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam mutuo consensu deponunt apud tertium, sive sequestrem, ut eam interim custodiat, & postmodum tradat vincenti. Et dicitur *voluntarium*, seu *conventionale*, quia illud faciunt, non coacte, sed propria sua voluntate, & mutua conventione.

6 Sequestrum *necessarium*, seu *Judiciale* est illud, quod fit auctoritate, sive mandato Judicis utraque parte invita, vel certe alterutra; Fit hoc dupliciter, vel motu proprio, & ex Officio, vel ad instantiam, ut plerumque fieri solet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando Actor petit sequestrari Rem litigiosam, Reo contradicente. Et dicitur *necessarium*, sive *Judiciale*, quia fit auctoritate Judicis, invita utraque, vel saltem alterutra parte, & partes ipsæ litigantes necesse habent stare tali sequestro, eidemque plene obtemperare. *Communis.*

7 Sequestrari possunt res mobiles, & immobiles, res corporales, & incorporales, seu Jura, res profanæ, & spirituales. Card. Tuschus verb. *Sequester conclus.* 101. *num.* 6. Barbosa *ad Rubric. tit.* 17. *de sequestrat. num.* 7. Pirhing *lib.* 2. *Decret. tit.* 17. *num.* 4. Reiff. *ibid. num.* 4. & alii passim.

Sequestratio, seu sequestrum voluntarium regulariter est permissum, quia est quædam species Depositi, & consequenter est legitimus contractus, *cit. leg. Licet, ff. Depositi*. Unde Gailus *lib.* 1. *Practic. Observ.* 148. *num.* 7. expresse dicit, quod sequestratio, quæ fit ex voluntate, & mutuo consensu partium, semper licita sit, *l. Si soluturus* 39. *ff. de solutionibus*, *l. Proprie 6. ff. Depositi*, *l. interesse puto* 39. *ff. de acquir. possess.* 8

Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, sicuti ceteri contractus approbati, *l. Sicut* 5. *Cod. de actionibus, & obligationibus*; Tamen post factam conventionem inter partes, non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere, juxta illud vulgatum: *Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis*, per notabilem textum *in cit. leg. Sicut initio* 5. *Cod. de obligation. & actionibus*. Item ob eamdem rationem neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali Officio recedere, nisi justa de causa, & interveniente auctoritate Judicis; *l. Et apud quem* 5. §. *si velit, ff. Depositi*, & ibi Bartolus *in Summario*, Joannes Monachus *in Regula Locupletari num.* 5. Jason *in l. Si fidejussor* 7. §. *Si satisdatum num.* 4. *ff. qui satisdare cogantur*, Pirhing *loco citat. num.* 6. Reiff. *loc. cit. num.* 7. & 8. & alii. 9 10

Sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum. *Communis* per text. *in l. Unic. Cod. de prohibita sequestratione pecuniæ*, & concordat *cap. Ad hoc* 1. *de sequestratione*, juncta Glossa *ibid. verb. Arbitrio*; Rota *part.* 10. *recent. dec.* 277. *n.* 14. Et ratio est, quia non est Judicium ab executione inchoandum, sed requiritur, quod Actor de suo Jure doceat, & Reum super debito convincat, *cit. l. Unic. Cod. de prohibita sequestratione pecuniæ*, Rota *part.* 1. *recent. dec.* 464. *num.* 2. *par.* 6. *dec.* 222. *n.* 2. Priusquam enim Actor doceat de suo Jure, stat præsumptio favorabilis pro Reo; *l. ult. Cod. de Rei vindicat. & cap. Ex litteris, de probationibus*, adeoque non est turbandus in sua possessione, seu ejus usu per sequestrationem auctoritate Judicis factam, cum lite pendente, nihil sit innovandum, *cap. A memoria nostra* 1. & *c. Laudabilem* 2. *Ut lite pendente nihil innovetur*, cum similibus, & expsesse Glossa *in cap. Dilectus* 2. *de sequestratione, verb. Sequestrari*, citatis ad id variis Juribus. 11

Dicitur autem notanter, quod *sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum*, quia sunt plures casus in Jure expressi, in quibus licite potest fieri sequestratio necessaria, seu auctoritate, vel mandato Judicis. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis sequestratio auctoritate, seu mandato Judicis, quando Reus dissipat fructus, quos conservare tenetur, *c. Dilectus* 2. & *cap. Ab eo* 3. *de sequestratione*. 12

Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedum quando Reus fructus, quos conservare tenetur, actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet, aut dilapidet in futurum; *l. Imperatores*, §. *fin. ff. de appel.* junctis *cit. cap.* 13

cap. Dilectus 2. *& cap. Ab eo* 3. *de sequestratione*.

14 Tertio, sequestratio necessaria fieri potest quando petitur res mobilis, & Reus est suspectus, quod cum ea fugiat, *l. Si Fidejussor*, §. *Si satisdatum*, *ff. Qui satisdare cogantur*, & concordat *lex Senatus consulto* 16. juncta Glossa *ibid. verb. Et deponatur*, *ff. de Offic. Præsidis*.

15 Quarto, sequestratio necessaria fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus, ut si Canonicus, vel alius Beneficiatus non resideat, nec inserviat Ecclesiæ prout deberet; Tunc enim possunt fructus Beneficii sequestrari, donec causa sit decisa, *arg. cap. Pervenit* 28. *de appellat*.

16 Quinto sequestratio necessaria fieri potest in causis Beneficialibus, quando duo de Beneficio contendunt, & neuter adhuc possidet. Tunc enim, lite pendente, potest judex fructus Beneficii sequestrare, donec lis sit decisa, ne alioquin una pars cum alterius præjudicio in Beneficium se intrudat, *arg. l. Si quæ* 5. *ff. de Famil. Herciscund. & Clem. unic. de sequestration.*

17 Sexto, sequestratio necessaria fieri potest, quando Reus conventus, est contumax; tunc enim res petita una cum fructibus potest interim sequestrari, cum Actor Jure suo nondum ostenso in possessionem mitti non possit, ne vitium intrusionis incurrat, *cap. Olim* 25. *de Rescrip. cap. Ex litteris* 2. *de dolo*, *& contumac. cap. unic. De eo qui mittit in possess. in* 6.

18 Septimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando periculum est, ne partes contendentes ad arma deveniant; Tunc enim potest Judex ex nobili suo Officio rem controversam apud tertium sequestrare, donec lis decidatur, cum Judicis sit impedire, ne ad arma, & rixas deveniant, quos Jurisdictione sua componere potest; *arg. l. Si cujus* 13. §. 3. *ff. de Usufruct.* ibi: *Cur enim* (*inquit Julianus*) *ad arma*, *& rixam procedere patiatur Prætor*, *quos potest Jurisdictione sua componere*? Et concordat *cap. Cura* 1. *& cap. Significantibus* 2. *de purgatione vulgari*.

19 Octavo, sequestratio necessaria fieri potest quando Colonus negat locationem, & contra Dominum super Dominio Prædii litigat; Tunc enim, nisi Colonus cautionem det de restituendis fructibus si succubuerit, possunt fructus illi sequestrari, donec lis fuerit decisa, *l. Litibus*, *Cod. de Agricolis*, *& Censibus*.

20 Nono, sequestratio necessaria fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet; Tunc enim sequestrari potest ipsa dos, *l. Si cum dotem* 22. §. *Si vero*, *ff. Soluto Matrimonio*, *c. Per vestras* 7. *de donat. inter Vir. & Uxor.*

21 Decimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando timetur de sævitia Viri, & non potest securitati Uxoris sufficienter caveri, *cap. Literas* 13. *de restit. spoliator.*

21 Undecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus Matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur; Tunc enim debet quodammodo sequestrari, & in loco tuto collocari; *cap. Cum olim* 14. *de Sponsalib. cap. Causam Matrimonii* 14. *de probationibus*.

Duodecimo, sequestratio necessaria fieri potest, 23 quando servi conqueruntur de tyrannide Dominorum suorum, & rationabiliter timetur, quod ob id Domini nimis sæviant in illos; Tunc enim, lite pendente, potest & debet Judex illæsos illos conservare, & si opus fuerit, sequestrare, *arg. Institut. De his*, *qui sui*, *vel alieni Jur. sunt*, §. *seu major*, *& l.* 1. §. *Quod autem*, *ff. de Offic. Præfecti Urbis*; Quod idem ampliandum est ad Religiosos, qui conqueruntur de suis Superioribus eos gravantibus, *arg. c. Olim* 26. *de accusationibus*.

Remedium Juris ad evitandam sequestrationem 24 in supra allegatis & aliis casibus regulariter est sufficiens cautio, seu satisdatio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam, *l. Senatusconsulto* 16. *de Officio Præsidis*, et concordant *l. Satisdatio* 1. *l. Si Fidejussor* 7. *ff. Qui satisdare cogantur* cum similibus, Rota *par.* 3. *rec. dec.* 381. *num.* 2.

Immo per sufficientem, & idoneam cautionem, 25 seu satisdationem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit Fidejussor idoneus, *cit. l. Si Fidejussor* 7. §. *final. ff. Qui satisdare cogantur*, & notat Bartolus *ib. in Summario*, Rota *part.* 2. *recent. dec.* 654. *num.* 5.

Remedium apponendi sequestrum rebus asportatis in locis immunibus, quo usus fuit D. Nuncius, improbatur a Sacr. Congregatione. *Sacr. Congr. Imm. in Taurinen.* 28. *Nov.* 1693. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 208. 26

Judex Laicus non potuit relaxare Sequestrum 27 contra bona Ecclesiastici, & ideo Episcopus potuit procedere contra eum ad declarationem Excommunicationis. *Sacra Congr. Immunitat. in Casalen.* 25. *Aprilis* 1634. *ibi pag.* 188.

Solus Judex concedens, non autem Partes ob- 28 tinentes Sequestrum contra fructus Bonorum Ecclesiasticorum incidit in Censuras in Bulla Cœnæ Domini. *Sacra Congregat. Immunitat. in Vercellen.* 25. *Nov.* 1636. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 18.

Non possunt per Regios ministros sequestrari, 29 vel detineri fiscales reditus debiti Ecclesiis, & Ecclesiasticis. *Sacr. Congr. Immun. in Sulmon.* 6. *Jun.* 1637. *ibi pag.* 35.

Nuncius curet removeri Sequestrum appositum 30 a Regiis Ministris super bonis Mensæ Episcopalis, alias Civitas subjiciatur Interdicto. *Sacra Congr. Imm. in Militen.* 19. *Nov.* 1675. *l.* 1. *Decr. Altov. pag.* 1172.

Judex Laicus, qui prævenit in sequestrando fru- 31 mentum Laici debitoris respectu Ecclesiastici, licet deneget restitutionem ipsius frumenti postea sequestrati a Curia Episcopali, & depositati penes ipsummet Judicem Laicum, non incurrit Excommunicationem. *Sac. Congr. Immun. in Pisauren.* 4. *April.* 1702. *libr.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 414.

Episcopus mandet sequestrari res furatas pro 32 indemnitate viduæ, in quolibet loco immuni reperiantur. *Sacr. Congreg. Immun. in Viterbien.* 15. *Mart.* 1692. *lib. Decr. Grim. pag.* 101.

Additiones ex aliena manu.

33 Possunt etiam liberæ Personæ aliquando sequestrari. Uxores sequestrantur ob Mariti insignem violentiam, quæ impedit quominus Uxor, quæ a Marito divertit, ipsi restituatur: *cap.*8. & *cap.* 13. *in fin. de Cestit. Spol.* Cognoscendum vero summa-
34 tim de ipsa violentia, eaque incontinenti demonstranda tanta esse debet, ut habitare cum Marito nequeat sine probabili periculo vitæ; Confer Coc-
35 cejum *in dissert. de sequestr. Femin. c.*5. §.4. Et quod hic notare oportet, haud attenditur, an ipsa Uxor causam violentiæ præstiterit, dummodo periculum vitæ ipsi immineat; *Nicolai de divort. part.* 2. *c.* 5. *num.* 75.

36 Quid autem si Maritus offerat cautionem de non offendendo, an non tunc ipsa sit restituenda, & sequestrum relaxandum? Perpensis circumstantiis
37 res decidi debet. Porro si insidiæ vitæ structæ probabiliter ostensæ fuerint, vix est ut lubrico cautionis Mulier se committere interim teneatur, quippe quæ malevolum animum haud mutat; Coccejus *cit. loc.* §. 4. *Nicolai pariter eodem loc. num.* 58.
38 Neque distinguitur utrum Uxor adhuc juvenis, an
39 vero provectæ ætatis fuerit. In tali vero loco sequestranda, ubi vir nullam Mulieri possit inferre violentiam; *c.*8. *de Restit. Spoliat.* & Monasterium potissimum Locus sequestri esse solet, *cap.* 14. *de Probat.* & sumptibus Mariti alenda est. Coccei *cit. loc. in fine*.

40 De sequestratione Uxorum prægnantium, quæ olim potissimum in usu erat, vide Bohemer. *in decretal. lib.* 2. *tit.* 17. §. 7.

41 Puellæ quoque interdum sequestrari solent, si de sponsalibus agatur, & metuatur ne vis ipsis inferatur, & impediatur quominus liberum possint edere consensum; quo casu juxta *cap.* 4. *de Sponsal.* in domo, in qua nihil eas timere oporteat, sequestrandæ sunt, donec de principali causa cogni-
42 tum fuerit. Neque enim Parentes Puellas cogere possunt ad matrimonium contrahendum, ad quod præcavendum sequestrum necessarium est. Coccei *loc. cit. c.* 2. §. 5. Cardinal. de Luca *ad Concil. Tridentin. discurs.* 26. *num.* 40. *& seq.*

43 Sequestranda etiam est Puella, si sponsus eam injuste detinet, ut libere reclamare, & voluntatem suam declarare non possit, vel si a Consanguineis est circumsepta, ut libertas voluntatis deficere videatur; Cothmann. *vol.* 1. *Respons.* 1. *num.* 437. Cludende *sequestr. cap.* 8. *caus.* 7. *& sequ.* Reusner. *lib.* 1. *dec.* 3. *fere per tot.*

Si duo contendunt de sponsa, quam uterque 44
contendit sibi matrimonio jungi debere, lite pendente sequestranda itidem est Puella, ne forte in præjudicium ejus, qui potentius jus habet, alterum admittat: Gonzal. *ad cit. cap.* 14. *in fin. de Sponsal.* Quod tunc potissimum obtinere debet si Puel- 45
la orbata est Parentibus, sub quorum custodia vivere posset. Alioquin Parentibus potius relinquen- 46
da, sub gravissimo interdicto ne alterutrum ex Procis ad Puellam accedere permittant; *c.* 4. *de Spon. duor.* Coccejus *cit. loc. cap.* 2. §. 2. Carpzov. *Jurispr. Consistor. lib.* 3. *defin.* 32. Multum tamen Judicis arbitrio relinquendum est. Quid enim si Actor 47
ostendat Parentes alteri Proco plus favere? Quid si monstret, ipsos Parentes, præsertim Matrem præpotentem in causa esse quominus sponsalia legitime contracta consummentur?

Denique si agatur de statu Puellæ, quæ se Vir- 48
ginem esse adhuc asserit, quum jam ab altero cognita esse perhibetur, sequestrum decernitur, *cap.* 14. *de Testibus*.

S E R V I T U S.

Servitutis nomen dupliciter accipitur a Juristis. 1
Primo nempe pro subjectione, seu obligatione qua res, seu persona unius est obligata alteri, ut ipsi quodammodo serviat, & in hoc sensu Mancipia dicuntur premi servitute. Secundo autem modo accipitur pro jure illo, quod ex parte alterius correspondet dictæ obligationi, & in hac posteriori acceptione Jurisperiti frequentius sumunt servitutem uti nos in præsenti, nempe pro Jure fruendi, vel utendi aliquo modo re aliena, vel aliquid circa eam impediendi.

Servitus ut sic, est Jus, quo adimitur aliquid li- 2
bertati, quam Dominus in re sua habet, & id conceditur personæ, vel rei alienæ. *Est in re Communis*, & desumitur *ex l. Quoties, ff. de servitutibus*.

Servitus ut sic, dividitur in servitutem persona- 3
lem, realem, & mixtam. Servitus personalis, quæ debetur a persona personæ, est constitutio Juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Sic expresse *in* §. *Servitus*, *Inst. de Jur. personar.* ubi nota quod ponitur ly *contra naturam*, quia, ut docent communiter Doctores cum Scoto *in* 4. *dist.* 46. *quæst. unica* quantum est de Jure naturæ omnes homines nascuntur liberi. (1)

(*) Non omnes servitutes personarum a personis deben-

(*1) Servitus personalis antiquo, & medio ævo in usu fuit apud Romanos, aliasque gentes. Exstat de omni servorum apud Romanos præsertim genere, eorumque officiis egregius Laurentii Pignorii Liber *de servis* Patavii 1693., & sæpe alibi. Aliqua tamen in eo reprehendit Cl. Muratorius in dissertatione de servis inter societatis Florentinæ Columbariæ Commentarios excusa. Legi quoque meretur Joannes Hermannus Stamm in tribus libris de servitute personali Francofurti 1625. quorum primus veteris, & recentis ævi jura circa servos persequitur, secundus de *famulis* agit, tertius *de hominibus propriis*. A cultioribus Europæ Provinciis pœne exulat hodie servitus personalis; sed nihil apud Indos communius. Non omittenda hic *servitus pœnæ*, ad quam non solum a Romanis idololatris damnatos Christianos novimus ex Tertulliano *Apolog. cap.* 29., sed etiam ipsum Apostolum Paulum Philippis discimus ex Apostolorum actis *c.* XVI. Gorius legendus in *Symbolis Litterariis Romanæ decadis* vol. IX., ubi *pag.* 78. iterum dedit Jo. Conradi Stiglizii *de servitute pœnæ S. Pauli Apostoli* librum.

debentur personis, sed quædam sunt servitutes quæ personis quidem debentur sed a rebus, vel propter res debentur. Ita recte distinguit Marcianus *in l.1.ff. de servit. Servitutes aut personarum sunt, aut usus, & ususfructus, aut rerum, ut servitutes rusticorum prædiorum.* Servitutes autem prædiorum aliæ in solo, aliæ in superficie consistunt. l. 3. ff. eod. (*)

4 Servitus realis, quæ debetur a re rei, est quoddam Jus prædio inhærens, & ipsius utilitatem respiciens, & alterius prædii Jus, sive libertatem diminuens. Sic expresse Bartol. *in l. 1. ff. de servit.* ubi nota, quod nomine *Prædii* intelliguntur etiam agri, vineæ, domus, aliæque res servituti obnoxiæ.

5 Servitus mixta, quæ debetur a re personæ, est Jus quoddam, quod habet persona aliqua utendi, fruendique rebus alienis, ut cum prædium alicujus servitutem debet alienis personis. Rota *par. 1. dec. 199. num. 2. par. 3. decis. 236. num. 1.*

6 Servitus realis, alia est urbana, & alia rustica. Servitus realis *urbana* est illa, quæ debetur prædio urbano, sive ab urbano, sive a rustico prædio debeatur; dummodo urbano serviat. Pro dignoscenda enim qualitate servitutis realis inspiciendum est prædium, cui ea debeatur, ut ejusdem conditionis sit & servitus; Unde servitus realis erit semper urbana, si prædium, cui debetur servitus, sit urbanum, quamvis a prædio rustico debeatur, servitus autem realis *rustica* est illa, quæ debetur prædio rustico. Patet id ex tot. *tit. Institut. & ff. de servitutibus Prædiorum urbanorum, & rusticorum.*

7 Nomine prædii Urbani in Jure venit omne ædificium habitandi gratia factum, sive ruri, sive in Urbe existat una cum horto ipsi causa amœnitatis annexo, *l. Urbana* 198. *ff. de verb. signif.* ibi: *Urbana prædia omnia ædificia accipimus, non solum ea quæ sunt in Oppidis, sed & si forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis, & in vicis, vel si prætoria voluptati tantum deservientia, quia urbanum prædium, non locus facit, sed materia; proinde hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum sit urbanorum appellatione contineri.* Et concordat *§. Prædium, Instit. de servitutib.* Nomine autem prædii rustici venit id, quod colligendorum, vel percipiendorum causa fructuum factum est, ut stabulum, horreum, ager, & hujusmodi, quæ non habitandi gratia erecta sunt, simulque ab ædificiis urbanorum prædiorum separata: *l. Eo jure utimur* 4. *ff. In quibus causis pignus &c.* ibi: *Stabula, quæ non sunt in continentibus ædificiis, quorum prædiorum ea numero habenda sint, dubitari potest.* Et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum a ceteris ædificiis separata sint. Et concordat *cit. l. Urbana* 198. *ff. de verb. signific.* ibi: *Plane si plurimum horti in reditu sunt, vinearii forte, vel etiam olitorii, magis hæc non sunt urbana.*

8 Prædium, cui servitus debetur, vocatur *Dominans*. Alterum autem prædium quod patitur servitutem, appellatur *Serviens*. Sic communiter apud Juristas, & Rota *par. 3. rec. dec. 239. n. 7. & 77.*

9 Servitus realis urbana adhuc est duplex, nempe affirmativa, & negativa. Servitus affirmativa est illa, quæ exprimitur verbis affirmativis. Negativa e contra est illa, quæ exprimitur verbis negativis. *Communis.*

Servitutes urbanæ tum affirmativæ, tum negativæ plures sunt, de quibus *§. Prædiorum 1. Instit. de servitutibus, l. Si intercedat 1. l. Urbanorum 2. l. Est & hæc 3. l. Luminum 4. l. Inter servitutes 15. l. Lumen 16. l. Si arborem 17. l. Fistulam 19. l. Servitutes 20. l. Si domus 21.* cum aliis similibus, *ff. de servitutibus Prædiorum urbanorum, leg. Altius 8. leg. Si in Ædibus 9.* cum similibus, *Cod. de servitutibus & aqua*, atque per ordinem referuntur *in Arbore servitutum, quæ est præfixa leg. 8. ff. tit. 2. de servitutibus.* 10

Et inter servitutes urbanas affirmativas signanter 11 connumeratur *Servitus stillicidium avertendi*, idest Jus derivandi stillicidium Domus suæ in Domum, vel aream vicini. Item *servitus projiciendi*, idest Jus, quo quis ex fundo suo urbano in solum vicini aquam, aut fimum, aut quisquilias ei projicere licet. Item *servitus tignum immittendi*, & est Jus, quo quis tignum idest trabem super parietem sui vicini immittere potest. Item *servitus protegendi*, & est Jus, quo alicui licet ædes suas protendere in solum vicinum, & sic in aream projicere, ac porrigere mœnianis subgrundis, vel pensilibus ambulariis, ut tamen in vicino solo vel pariete non insideant, nec conquiescant. *Protegere* enim est tectum projicere. *Mœniana* autem sunt quædam exterius porrecta ædificia; & *subgrundia* pars tecti ultra structuram ædium projecta, & præeminens. Item *servitus prospectus, servitus luminum, servitus altius tollendi*, & hujusmodi, de quibus late *in t. Institut. ff. & Cod. de servitutibus &c.* & signanter *in Legibus supracitatis*, præcipue *in l. Urbanorum 2. ff. de servitutibus prædiorum Urbanorum*, ibi: *Urbanorum prædiorum Jura talia sunt. Altius tollendi, & officiendi luminibus vicini.... Item stillicidium avertendi in tectum, vel aream vicini.... Item immittendi tigna in parietem vicini, & denique projiciendi, protegendive, ceteraque illis similia.*

Jnter servitutes urbanas negativas signanter con- 12 numeratur *Servitus Stillicidium non avertendi*, & est Jus, quod quis habet, ne vicinus stillicidium suum in domum, vel aream ipsius derivet, seu faciat cadere, *l. Urbanor. 2. ff. de servitutib. prædior. urbanor.* Item *servitus ne luminibus officiatur*, & est Jus, quod quis habet, ne alter lumina sua per ædificationem ædium, vel plantationem arborum auferat, aut obscuriora reddat, *l. Luminum 3. & leg. Inter servitutes 15. ff. de servitut. prædior. Urbanor.* Item *servitus ne prospectui officiatur*, & est Jus, quod quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem, & liberiorem prospectum, *l. Inter servitutes 15. ff. de servitut. prædior. Urbanor.* Item *servitus altius non tollendi*, & est Jus, quo quis potest inhibere vicino, ne altius ædificium extollat, *cit. l. Urbanor. 2. ff. de Servitut. prædior. Urbanor. l. Altius, de servitutibus, & aqua, l. Si ædibus 9. Cod. eod.*

Servitus realis rustica est duplex, scilicet nomi- 13 nata, & innominata. Servitus *rustica nominata* est illa, quæ nomen habet a Jure impositum, & hujus sunt quatuor species, nempe Iter, Actus, Via & Aquæductus, textu expresso *in l. Servitutes rusticorum prædiorum sunt hæ; Iter, Actus, Via, Aquæductus*, & concordat *§. Rusticorum, Institut.* *de*

de servitut. ibi: *Rusticorum prædiorum Jura sunt hæc, Iter, actus, Via, Aquæductus.*

4 *Iter* est Jus eundi, ambulandi hominem, non etiam jumentum agendi, aut vehiculum, textu expresso *in cit.* §. *Rusticorum, Instit. de servitut. & cit. l. Servitutes rusticorum* 1. *ff. de servit. prædior. rusticor.* Id autem, quod dicitur de jumento, intelligendum est solum de jumento separato ab ipso homine; Nam qui habet Jus itineris, potest etiam super equum sedens, vel lectica portatus incedere; *l. Qui sella* 7. *& l. Inter actum* 12. *ff. de servitut. prædiorum rusticorum.*

15 *Actus* est eundi, ambulandi hominem, agendi jumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet Iter, Actum non habet, qui autem habet Actum, habet etiam Iter, eoque uti potest etiam sine jumento, textu expresso *in cit.* §. *Rusticorum, & cit. leg. Servitutes rusticorum.*

16 *Via* est Jus eundi, & agendi, & ambulandi: Via enim continet in se Iter, & Actum, & insuper Jus trahendi tignum, seu trabem, aut saxum, & rectam hastam ferendi; *cit.* §. *Rusticorum, & l. Servitutes Rusticorum*, juncta Glossa *ibid. verb. Continet*, & concordat *lex qui sella* 7. *ff. eod.*

17 *Aquæductus* est Jus ducendi aquam per fundum alienum, textu expresso *in cit.* §. *Rusticorum, & cit. l. Servitutes rusticorum*, ibi: *Aquæductus est Jus aquæ ducendæ per fundum alienum.*

18 Servitus *rustica innominata* est illa, quæ non a Jure nomen habet impositum, sed ab actu denominatur, & hæc etiam est multiplex. Prima dicitur *Aquæ haustus*, & est Jus hauriendæ aquæ de puteo vicini; §. *Inter rusticorum* 2. *instit. de servitutib. prædiorum, l. Servitutes* 1. §. 1. *ff. de servitutibus prædior. rusticorum.* Item *pecoris ad aquam adpulsus*, & est Jus adpellendi ad aquam pecora per fundum vicini, *cit.* §. *Inter rusticorum, & cit. l. Servitutes.* Item *Jus pascendi*, & est Jus, quo in alieno pascuo licet pascere boves, pecus, & equos prædii proprii causa, *cit.* §. *Inter rusticorum, & cit. l. Servitutes* 1. *cum sequentibus, ff. De servitutibus prædior. rusticor.* Item *calcis coquendæ*, & est Jus, quo quis in fundo vicini ad utilitatem proprii prædii rustici potest coquere calcem, *cit.* §. *Inter rusticorum, & cit. l. Servitutes.* Item *Arenæ fodiendæ*, & est Jus, quo quis potest ex vicini fundo arenam, cretam, seu lapides effodere ad proprii rustici prædii utilitatem, *cit.* §. *Inter rusticorum, & cit. l. Servitutes*, & sic de similibus.

19 Servitus realis dividitur insuper in continuam, quasi continuam, & discontinuam. *Communis.*

20 *Servitus realis continua* est illa, cujus & causa, & usus perpetuo durat, vel actu, vel potentia circa continuam hominis operam, ut Servitus aquæductus, tigni immittendi, lumen, & prospectum ha-
21 bendi, & hujusmodi. *Communis. Servitus quasi continua* est illa, cujus usus perpetuo durat, potestate quidem, sed non actu, ut servitus stillicidii, servitus arenæ fodiendæ, calcis coquendæ,
22 & hujusmodi. *Communis. Servitus discontinua* est illa, cujus usus est in hominis actione, quæ, cum assidua non sit, nec esse possit, discontinua dicitur; ut Iter, Actus, Aquæ haustus, & hujusmodi. *Communis.*

23 Servitus mixta est triplex, nempe Ususfructus,
24 Usus, & Habitatio. *Communis. Ususfructus* est Jus alienis rebus utendi-fruendi, salva earum substantia. *Communis*, textu expresso §. *Ususfructus, Instit. de Usufructu*, ibi: *Ususfructus est jus alienis rebus utendi-fruendi, salva rerum substantia.*

25 *Usus* est Jus utendi tantum rebus alienis salva earum substantia. *Communis* per text. *in* §. *Instit. de Usu, & Habitatione, & in l. Cui usus* 2. *ff. eod.*

26 Unde minus Juris est in Usu, quam in Usufructu, & cui usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest. *Communis*, textu expresso *in cit.* §. 2. *Institut. de usu, & habitat.* ibi: *Minus autem Juris est in usu, quam in Usufructu. Nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, fæno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum utatur. In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque Domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento, neque ulli alii Jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest. Cum is, qui Usumfructum habet, possit hæc omnia facere*, & concordat *l. Planum* 12. *ff. de usu, & habitatione*, ubi varie istud exemplificatur, & signanter de illo, cui usus pecorum relictus est, qui potest quidem pecoribus uti ad stercorandum, & hujusmodi; At non potest pecorum fætus, ut lanam, aut lac, nisi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus habet, *ibi* §. 2. *Sed si pecoris ei usus relictus est, puta gregis ovilis, ad stercorandum usurum dumtaxat, Labeo ait: sed neque lana, neque agnis, neque lacte usurum, hæc enim magis in fructu esse. Hoc amplius etiam modico lacte usurum puto, neque enim tam stricte interpretandæ sunt voluntates defunctorum.* Et sic de aliis consimilibus, ut *ibi in citata l. Planum* videre est.

27 Habitatio est Jus alienas ædes inhabitandi, easque etiam commodandi, & locandi. *Communis*, per text. *in* §. *Sed si cui* 5. *Institut. de Usu, & Habitatione*, ibi: *Sed si cui habitatio legata, sive aliquo modo constituta sit, neque usus videtur, neque ususfructus, sed quasi proprium aliquod Jus, quamquam habitationem habentibus propter rerum utilitatem secundum Marcelli sententiam nostra decisione promulgatam permisimus non solum in ea degere, sed etiam aliis locare.*

28 Servitutem allegans tenetur eam probare. Rota *part.* 14. *recent. decis.* 416. *num.* 2. *part.* 18. *tom.* 2. *decis.* 667. *num.* 3. Et quidem plene, & concludenter. Rota *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 588. *nu.* 7. *decis.* 590. *num.* 1. *part.* 14. *decis.* 398. *num.* 1. Nec sufficit quasi possessio. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 101. *num.* 2. *part.* 17. *decis.* 31. *n.* 14. Et quidem probare debet eam acquisivisse, vel ex pacto, vel ex testamento, vel ex præscriptione. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 101. *n.* 3. *part.* 14. *decis.* 398. *n.* 3. *decis.* 316. *num.* 3.

29 Quodnam tempus requiratur ad præscribendam servitutem, sive personalem, sive realem, tam affirmativam, quam negativam, tam rusticam, quam urbanam continuam, quasi continuam, & discontinuam, sive mixtam? Vide verb. *Præscriptio* §. V. *a n.* 24. *ad* 29.

In

30 In servitutibus affirmativis possessio acquiritur facto; *l. Siquas* 1. *l. Si aquam* 2. *Cod. de servitut. & aqua;* Gratian. *tom.* 1. *disceptat.* 89. *num.* 19. Pani-
31 moll. *decis.* 24. *adnot.* 1. *n.* 1. & alii passim. In servitutibus autem negativis acquiritur per prohibitionem, ne aliquid fiat, & acquiescentiam prohibiti, *l. Sequitur §. Si viam, ff. de usucap. l. Qui luminibus, ff. de servitutib. urban. prædior.* Bald. *in l.* 2. *n.* 54. *vers. Sed quæritur: An per obedientiam ibi, & hoc verum, Cod. de servitut. & aqua,* Panimoll. *loc. cit. num.* 2. Gratian. *loco cit. num.* 18. 19. & 20. Burat. *decis.* 38. *n.* 4.

32 Hinc Dominus allegans præscriptionem in servitutibus negativis adversus subditos, tenetur probare prohibitionem, patientiam, & obedientiam. Gratian. *disceptat.* 564. *n.* 54. Afflict. *decis.* 388. *num.* 10. Thesaur. *decis.* 16. *n.* 8. Aym. *consil.* 861. *n.* 6. Ferentill. *in addit. ad Burat. decis.* 38. *n.* 8. Pannimoll. *loco*
33 *cit. n.* 3. & alii. Unde in servitutibus negativis non incipit currere præscriptio nisi a die prohibitionis. Glossa celebris communiter recepta *in l. Qui luminibus, ff. de servitutib. urbanor. prædior.* Rota *part.* 5. *tom.* 2. *recent. decis.* 265. *nu.* 36. *par.* 7. *decis.* 253. *num.* 59. Ripa *in cap. Cum Ecclesia Sutrina n.* 50. *de caus. possess. & propriet.* Burat. *decis.* 38. *num.* 4. Panimoll. *loco cit. n.* 6. & alii passim.

34 In materia servitutum conventiones sunt servandæ. Rota *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 250. *n.* 2. Quæ tamen debent esse claræ, & expressæ. Rota *part.* 17. *recent. decis.* 152. *n.* 1.

35 Viæ, seu transitus servitus a partibus contrahentibus præstari debet. Rota *part.* 16. *recent. decis.*
36 402. *n.* 1. Prætendens servitutem transitus debet probare transitum Jure servitutis successisse, cum potuerit esse Jure familiaritatis. Rota *par.* 14. *recent. decis.* 398. *n.* 5.

37 Ubi aliunde transitus haberi non possit, tenetur quis dare transitum in suo fundo, loquendo de publico, quia nempe via publica sit corrupta, seu perempta. Card. de Luca *de servitutib. disc.* 23. sub
38 *n.* 8. & *disc.* 94. *num.* 4. Loquendo autem de transitu, seu usu privato potest quidem quis transire per fundum vicini, si aliunde viam habere nequeat; At debet solvi pretii æstimatio, & est in electione vicini dare transitum in parte sibi benevisa. Rota *part.* 4. *recent. tom.* 2. *decis.* 101. *n.* 25. & 26. *par.* 14. *decis.* 398. *num.* 11. & 12. Card. de Luca *de servi-*
39 *tut. discur.* 23. *sub num.* 8. Cessat autem servitus hujusmodi, si constet fuisse antiquitus practicatam aliam viam. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 101. *n.* 27.
40 Et si id non constet, justificandum est usum transitus fuisse Jure servitutis credendo uti Jure suo sciente, & patiente Domino fundi, quod in dubio non præsumitur. Card. de Luca *de Regalibus disc.* 136. *numer.* 3. *de servitutibus disc.* 95. *numer.* 3.

41 Servitus aquæ ducendæ, non solum ex capite, vel fonte, sed etiam ex quacumque parte fundi constitui potest. *Communis*, textu expresso *in l. Servitus Aquæ ducendæ* 9. *ff. de servitutib. prædior. rusticor.* ibi: *Servitus aquæ ducendæ, vel hauriendæ, nisi ex capite, vel ex fonte constitui non potest. Hodie tamen ex quocumque loco constitui solet.*

42 Et talis servitus aquæ ducendæ constitui potest, sive per continuum fluxum, sive per intervalla temporis, nempe pro certis diebus, & horis; *l. Rusticorum* 2. *§. Si aquæ ductus, ff. de servitutib. præd. rusticor. l. Si constituta, l. Si is, cui in princip. ff. Quemadmodum servitus amittatur*, cum aliis per Cepol. *de servitutib. num.* 52. Item talis servitus constitui potest, ut aqua dividatur per mensuras, scilicet per uncias, & digitos, *l. Cum essent* 33. *l. Cum Lucius* 37. *ff. de servitutib. præd. rust.* 43

Circa aquæ cursum tria sunt specialiter attendenda, scilicet Lex, idest pactum, natura, & vetustas, adeout Lex, ac natura alterari non debeat, & quando apparet de vetustate, & antiqua consuetudine, illi omnino standum sit; *l. Si cui aqua §.* 1. *§.* 12. *§.* 22. *ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ*, Bero *consil.* 144. *num.* 39. *circa med. volum.* 3. & alii passim. 44

Hinc in præjudicium alterius non licet antiquum aquæ cursum alterare; *l. Unica, vers. Generaliter, ff. Ne quid in flumin. public. l.* 1. *§. Non autem, ff. de flumin.* Rota *part.* 4. *tom.* 2. *recentior. decis.* 61. *n.* 2. Menochius *consil.* 999. *n.* 12. & alii passim. 45

Quamvis enim Dominus, per cujus fundum aqua ducitur, rivum, & canale mutare possit, juxta Glossam communiter receptam *in l. Si cui, in ult. Gloss. ff. de servitut.* Hoc tamen solum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris usus sui prædii, non autem ad effectum faciendi novum opus, & dummodo hujusmodi mutatio non noceat habenti servitutem aquæ ducendæ, *l. Prætor ait* 1. *in princip. ff. de rivis*, Glossa *in l. Si cui, ff. de servit.* cum aliis cumulatis per Bero *consil.* 144. *num.* 20. *vol.* 3. 46

Aquæ servitus non acquiritur ex cursu naturali, ejusque usu, etiamsi per mille annos fluxerit in fundum inferiorem propter libertatem ex eodem naturali cursu conservatam, cum res animæ expers, prout est in aqua, nullum Jus tribuere possit, nisi concurrat actus hominis ad text. *in l. Proculus, ff. de damnis infectis.* Rota *part.* 4. *tom.* 2. *recent. decis.* 425. *n.* 3. & *seq.* & sæpe alibi, Mascard. *de probationib. conclus.* 123. *n.* 14. Veronen. *de servit. aquæduct. n.* 57. *controvers.* 310. *n.* 156. Marin. *Controvers.* 16. Cancer. *variar. resolut. p rt.* 3. *cap.* 4. *n.* 241. & alii passim. 47

Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam fundi superioris, si agatur de ejus naturali fluxu, vel decursu, quem situs qualitas causet, absque industria, & opere manufacto; In tali enim casu Dominus fundi inferioris prohibere non potest, ne aqua pluvialis, vel alia fundi superioris in eum decurrat; *l. Si cui* 1. *§.* 10. 13. 22. *ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ, l. Si aquæductus* 47. *ff. de contrahend. emption.* Rota *part.* 14. *recentior. decis.* 461. *n.* 10. Surd *consil.* 17. *num.* 14. & 27. *consil.* 23. *n.* 9. Cardinal. de Luca *de servitutibus decis.* 93. *nu.* 3. cum aliis ibi citatis. Si autem agatur de aquæ fluxu, seu decursu proveniente ex hominum industria, & opere manufacto, dominus fundi inferioris non tenetur recipere sibi præjudicialem aquam fundi superioris; *l. Si cui aqua* 1. *§.* 1. & 13. *ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.* Sic Cardin. de Luca *loco cit. n.* 3. cum pluribus aliis ibi citatis, ubi ut supra conciliat leges, quæ in hoc videntur esse contrariæ. 48 49

50 Servitus in Ecclesia cadit sub Extravagant. *Ambitiosæ*. Card. de Luca *de servitutib. disc.* 17. *per tot. de Alien. disc.* 18. *n.* 8. *de Præeminent. disc.* 26. *num.* 13. & alii communiter; adeoque neque ei servitus passiva imponi, nec activa alienari potest sine Beneplacito Apostolico. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Alienatio num.* 22. Corrad. *prax. dispensation. l.* 9. *cap.* 4. *num.* 15. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 15. *num.* 20. ubi refert, sic expresse declarasse *Sacr. Congreg. Concil. in Albanen.* 21. *Junii* 1698. in qua agebatur de impositione servitutis immittendi tigna, & appodiandi super muros Conventus PP. Minorum Conventualium.

51 Hinc servitus cryptæ, & aditus subterranei, servitus fenestræ, seu prospectus, servitus portæ, vel transitus a domibus privatorum in Ecclesias haberi non potest sine speciali indulto Apostolico. Vide verb. *Ecclesia art.* 5. verb. *Fenestræ*, verb. *Porta*, verb. *Prospectus*, ubi afferuntur ad id Decreta.

Additiones ex aliena manu.

Sufficere hic arbitramur, si aliqua addamus de servitutibus realibus in genere.

52 Reales servitutes a Prædiis dominantibus dicuntur vel urbanæ, vel rusticæ. Prædia autem dicuntur vel urbana, vel rustica, ratione usus, & destinationis.

53 Utilior est servitutum distinctio in affirmativas, quæ in faciendo, & negativas, quæ in non faciendo consistunt. Illæ quasi traditione acquiruntur, hæ nuda promissione. Illæ præscribuntur ordinario modo, hæ vero requirunt prohibitionem alterius cum servientis acquiescentia conjunctam.

54 Denique ex male intellecta *L.* 14. *ff. de servitutib.* Doctores distinxerunt continuas a discontinuis; illas dicentes, quarum usus continuo adest: has vero, quæ non habent certum continuumque exercitium, & proinde has impræscriptibiles dicunt, non illas.

55 In omni vero servitute reali quatuor necessaria sunt, I. Legitima constitutio a parte concedentis. II. Legitima acquisitio respectu acquirentis. III. Duo eaque vicina prædia, quorum alterum alteri præstet utilitatem. His addunt IV. causam perpetuam.

56 Quod ad primum attinet, constituitur aliquando servitus a judice; *L.* 22. §. 3. *ff. Famil. erciscund.*
57 ut plurimum vero a Privato. Hic ut legitime constituat servitutem debet habere dominium irrevocabile Prædii: Qui enim revocabile habet dominium, vix in sui præjudicium servitutem constituere valet. Confer Stryk. *in usu modern. Pandect. lib.* 8. *tit.*
58 1. §. 10. Tum habere debet dominium totius rei: Rei etenim communi nec pro parte sua imponere dominus potest servitutem; *L.* 2. *ff. de servit. L.* 6. §. 1. *ff. Commun. Præd.* Adi Donell. *Comment. jur. civil. lib.* 11. *cap.* 9. *lit. C. & sequent.* & liberam demum
59 potestatem disponendi habere debet. Fit inde, quod Proprietarius non aliter quam cum consensu Usufructuarii imponere servitutem potest Fundo usufructuarii *per L.* 15. *ff. de Usufruct.* ubi pro *Nequidem* legi debet, *Equidem*, ut *L.* 6. *eod.* declarat Bynkershoek *lib.* 1. *observ.* 11.

Quod vero concernit secundum, de jure Romano 60
tantum quilibet sibi servitutem acquirere poterat; *L.* 5. *C. Commun. Præd.* Sed aliter hodie. Vide Stryk. *in usu modern. Pandect. tit. Commun. Præd.* §. 5. Schilter. *exercit.* 18. §. 35.

Acquiritur ultima voluntate, adeoque statim a 61
morte Testatoris transit, *e L.* 19. §. 1. *ff. Quemadmodum servitus amitt.* Inter vivos per expressas con- 62
ventiones accedente in affirmativis quasi traditione seu patientia, & usu vel inductione in prædium. Ipso facto seu tacita voluntate non facile constitui- 63
tur; *L.* 36. *ff. de Servit. Præd. Urban. L.* 1. *ff. de Servit. legat.* Consule Hertium *dissert. de Servit. fact. constitut.* nisi usus rei legatæ foret inutilis; *L.* 30. *de Servitut. Præd. Urban. L.* 7. *pr. L.* 10. *cap. Commun. Præd.*

Acquiritur itidem præscriptione; Si contra ipsum 64
Dominum possidentem, sine titulo Servitus exercetur, accedente scientia & patientia ejus *l.* 1. *pr. Si servit. vindic. l.* 2. *C. de Servit.* Tempus immemo- 65
riale olim vice tituli erat; *l.* 1. *in fin. l.* 2. *princip.* §. 5. 6. & 7. *leg.* 23. *in fin. l. fin. de Aqua, & Aqua Pluv. Arcend.* Jure novo sufficit longissimi temporis præ- 66
scriptio. Si a non Domino alteri constituta est bo- 67
na fide accedente, & titulo etiam 10. vel 20. annis acquiritur; *l.* 2. *in fin. C. de Præscript. longi tempor.* Sed in discontinuis, ut plurimum immemoriale 68
tempus hodie desiderant, quod per errorem in quibusdam Locis introductum; Stryk. *in usu modern. Pandect. tit. de Servit.* §. 6. *Mulier. ad Struv. exerc.* 13. *thes.* 39. *litt. K.*

Quoad tertium inter duo prædia desideratur vi- 69
cinia; *l.* 39. *ff. de Serv. Præd. Urban. l.* 5. *ff. de Serv. præd. Rustic.* Ut non semper immediata esse debeat nisi 70
quam natura rei postulat; *l. ultim. ff. de Servit. præd. rustic. l.* 1. *l.* 14. *ff. de Serv. præd. Urb.* Franzk. *ad tit. ff. de Servit. n.* 28. *& seq.* Adde Donell. *Commentar. jur. civil. lib.* 17. *cap.* 2.

Requiritur præterea, ut alterum alteri præstet uti- 71
litatem, quæ non tantum ex commodo, sed etiam luxu Civitatum aucto ex amœnitate æstimatur, ob quam etiam vicini sæpe interesse potest; *l.* 15. *ff. de Servit. l.* 3. §. 1. *ff. de Aqu. quotid. & æstiv.* Noodt *lib.* 1. *Probabil. jur. cap.* 2. præsertim in locis, in 72
quibus voluptas in pretio est, in quibus meliorem prædiorum causam faciat; *l.* 6. *ff. de Serv. Præd. Rustic.* Id vero ubi non est servitus realis; *l.* 8. *prin-* 73
cip. ff. de Servit. Præstat autem utilitatem ordinarie 74
omnibus fundi partibus; *l.* 23. §. 3. *ff. de Serv. præd. Rustic.* Similiter ubi indefinite concessa totus fundus servit; *l.* 21. *eod.* Civiliter tamen alter servitute uti debet; *l.* 9. *ff. de Servit.* Adeoque Legatarius audien- 75
dus, si heres per certam partem fundi velit servitutem assignare; *l.* 26. *de Serv. præd. Rustic.* Ali- 76
quando etiam per Arbitros hæc res determinatur. Confer Mev. *part.* 3. *decis.* 372.

Notandum vero, quod ita utilitas est præstanda, 77
ut alterum prædium aliquid patiatur, aut non faciat; De jure enim Romano nulla in faciendo consistit servitus, *l.* 15. *in fin. ff. de servit.* Promissio hæc 78
operatur obligationem mere personalem, quæ Tertium Possessorem non stringit; *l. final. in fin. ff. de Contr. empt.* Adi Stryk. *in usu modern. Pandect. tit. de Servit.* §. 3. Num autem hodiernis moribus 79
ser-

servitus in faciendo consistere queat, Vide Titium *de servit. in faciendo consist.*

80 Reliquum est, ut de quarto disseramus. Requirunt servitutes causam perpetuam, seu naturalem; *l.* 28. *ff. de Serv. præd. Urb.* quia servitutes natura
81 sua sunt perpetuæ. Admissæ vero fuerunt jure prætorio ex æquitate contra subtilem antiquorum Jurisconsultorum Philosophiam, seu contra jus civi-
82 le, servitutes temporales; *l.* 4. *ff. de Servit.* Quin & hodiernis moribus non amplius hoc quartum requisitum in usu est. Qua de causa servitus foraminis hodie datur; Stryk. *in usu modern. PP. tit. de Servit. Præd. Urban.* §. 18.

83 Effectus constitutæ servitutis est a parte servientis prædii, quod nihil possit facere in præjudicium dominantis; *l.* 14. *ff. de Serv. præd. Rustic.* Omnia concedere debeat, sine quibus servitus exerceri ne-
84 quit; *l.* 20. §. 1. *§. de Serv. Præd. Urban.* A parte Dominantis, quod perpetuo possit servitute uti, nisi ad tempus fuerit constituta; *l.* 4. *de Serv.* non vero aliis rursus concedere; *l.* 44. *ff. Locati*, aut ultra Prædii necessitatem eam extendere; *l.* 24. *ff. de Serv. præd. Rustic.* quatenus Prædio servienti inde
85 nocetur; *dict. l.* 24. Pactis tamen plus concedi potest, quam servitutis ratio permittit; *l.* 33. §. 1. *ff. de Serv. præd. Rustic.* Noodt. *lib.* 1. *Probabil. cap.* 31.

SIGILLUM.

---

1 Sigillum pro annulo, & annulum pro sigillo usurpatum fuisse antiquitus ex Tacito, & aliis probat Cironius *ad Tit. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*, & patet etiam ex utroque Jure, ut *in cap. In nomine Patris* 1. *distinct.* 73. *& in l. Signatorius* 74. *ff. de verbor. significat. & l. Argumento* 25. §. *Ornamenta, ff. de auro, & argento legato*. Idque etiam docent plures alii Doctores cum Cardinale Petra *Commentar. ad Constitut. Apostolic.* §. 3. *Proœmialis n.* 48.

2 Sigillorum usus fuit antiquissimus penes Principes pro Jurisdictione communicanda subditis per annuli traditionem, ut patet *ex lib. Esther cap.* 3. ibi: *Tulit ergo Rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag hosti Judæorum, dixitque ad eum: argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age, quod tibi placet*. Et infra: *Litteræ signatæ ipsius annulo missæ sunt per Cursores Regis ad universas Provincias*. Et *ibidem c.*8. expresse habetur: *Scribite ergo Judæis sicut vobis placet ex Regis nomine signantes litteras annulo meo*. Et 3. *Reg. cap.* 21. habetur quod Jezabel Achabi Samariæ Regis uxor, litteras, quibus Naboth injustæ morti tradi imperabat, Regio sigillo obsignavit, ibi: *Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu, & optimates, qui erant in Civitate ejus*.

3 Immo usque ab origine mundi hos annulos pro obsignando fuisse constat ex *Genes. c.* 38. ubi habetur, quod Judas Thamari annulum dederit pignoris, & fidei loco. Nam si vocem hebraicam attendamus, qua fuit usus Moyses *ibidem*, quæ fuit *Cotam*, sigillum significat, & ob hoc a Moyse fuit verbum illud usurpatum, ut tenet Polyd. Virgil. *de inventor. rerum lib.* 8. *c.* 2. relat. ab Emin. Card. Petra *loc. cit. num.* 51.

Sigilli nomen a parva statua derivari putat The- 4
saur. *lib.* 2. *q. forens.* 100. *nu.* 4. *& seq.* ex eo quod parvæ statuæ in ipsis sigillis adhibeantur; At vero alii diminutivum nomen *a signo* derivari prætendunt, nam in cognitionem alterius, scilicet cujus est sigillum, deducit ex Gl. *in l. Pediculis* 34. *ff. de auro, & argento legat.* Hoping *de Jure sigillorum c.*1. §. 1. *n.* 6. Card. Petra *loc. cit. num.* 47. Unde sigillum impræsentiarum accipitur pro imagine, qua ceræ impressa litteras obsignamus. Sicque in hac acceptione dicuntur *Litteræ sigillatæ* idest sigillo apposito clausæ, obsignatæ, seu munitæ. Calepinus verb. *Sigillum*.

Sigillum igitur est signum, seu signaculum cer- 5
tis notis impressum; *l. Ad testium* 22. §. *Signum, ff. Qui testamenta facere possunt, l. Omnibus* 1. §. 2. *l. Tabularum* 2. §. 4. *ff. Testamenta quemadmodum aperiantur*, Hoping. *citat. cap.* 1. §. 3. Card. Petra *loc. cit. n.* 75.

Et sigillum debet esse tale, ut deducat in noti- 6
tiam sigillantis, *argum. l.* 3. *Stigmata* 3. *Cod. de Fabricensibus*. Et si contineat imaginem, debet ima- 7
go esse conformis originali; alias si sit valde difformis, redderetur scriptura suspecta de falso. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 17. Qua ratione Pontifex Innocentius III. arguit falsitatem privilegii, quia sigillum non continebat figuram sigillantis, *c. Inter dilectos* 6. §. *Sed contra privilegium, de fide instrument.* ibi: *Unde non Episcopi, sed Imperatoris videbatur fuisse sigillum, quod in una medietate Cæsaris imaginem exprimebat, & in altera medietate præsumebatur, vel filii, vel conjugis imaginem habuisse*. Gonzalez *ibidem*, Hoping. *loc. cit. cap.* 8. §. 1. Borel. *lib.* 2. *de Magistrat. edict. cap.* 13. *num.* 13. Card. Petra *loc. cit. n.* 77.

Sigillum dividitur in authenticum, & non au- 8
thenticum. *Sigillum Authenticum* est, quod multorum auctoritate comprobatum est, seu quod est certæ fidei; Istud enim vocabulum *Authenticum* ponitur pro re certæ fidei, seu quæ multorum auctoritate comprobata est, ut notant Spigelius, & Joannes Calvinus *in Lexico Juris verb. Authenticum*. *Sigillum non Authenticum* e contra est illud, quod non est certæ fidei, sed ejus fides vacillat. Colligitur ex *cit. cap. Inter dilectos* 6. *de fide Instrumentor.* ubi Abbas *n.* 4. ex ipso textu notat, quod quatuor sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei.

Primo scilicet, quando sigillum non congruit 9
in sculpturis Dignitati sigillantis, non enim potest rationabiliter præsumi sigillum esse illius, cui adscribitur, si sibi in imagine insculpta non convenit, ut expresse declaratur *in c. cap. Inter dilectos*.

Secundo, quando litteræ sigilli sunt ita corro- 10
sæ, vel sculpturæ ita consumptæ, ut ex eis oriatur æquivocatio, nec aliter possit certificari sigillum illum esse illius, cui adscribitur, *cit. cap. Inter dilectos*.

Ter-

11 Tertio, quando sigillum patitur ita enormem fracturam, ut ex residuo non possit clare cognosci, cujus sit. Sic colligitur *ex cit. cap. Inter dilectos*.

12 Quarto, quando sub sigillo charta reperitur perforata, & per glutinum novæ ceræ sigillum illud ipsi chartæ connexum, ut expresse habetur *in cit. cap. Inter dilectos*, & notant ibi Doctores passim.

13 Sigillum dividitur insuper in publicum, & privatum. *Sigillum publicum* est illud, quod publica auctoritate nititur, quia nempe retinetur a personis publicis, v. g. Principe, Magistratu, Episcopo, Capitulo, Judice, & hujusmodi pro communicando robore scripturis ad suam jurisdictionem, seu officium pertinentibus, de quibus sigillis loquuntur Doctores ad *c. Scripta vero authentica 2. de fide instrum.* & Glossa *ib. verb. Sigillum*. *Sigillum* autem *privatum* est illud, quod apponitur a persona privata ad secretum servandum, & notionem scribentis excitandam. *Sic in re Communis*.

14 Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam fidem facit sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut & in aliis casibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de Jure, vel consuetudine specialiter requiritur subscriptio. Covarruvias *pract. quæst. c. 22. n. 9.* Mascardus *de probat. conclus. 1309. num. 7.* Reiffenstuel *lib. 1. Decret. tit. 22. num. 94.* Bartolus *in Proœmio, ff. num. 8. vers. Item quæro, si est solum sigillum &c.* allegans ad id *l. Ad testium §. Si quis ex testibus, ff. de Testament.* ubi dicitur: *Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est atque si adhibitus non est*, juncto Summario *ibidem* ex eodem Bartolo desumpto expresse dicente: *Requiritur signatio, & subscriptio, & alterum sine altero non valet*. Speculator *tit. de instrum. editione §. Instrumentum ergo publicum num. 19. vers. Item quod non est signatum*; Engel *lib. 2. Decret. tit. 22. n. 18.* & alii apud Mascard. *loco citato num. 6.* Si enim solo sigillo plena fides præstanda esset, facile fraus, & dolus committi posset.

15 Opposita autem sententia, quod nempe sigillum, ubi de ipso constat, probet, & fidem faciat absque propria subscriptione sigillantis, nisi aliud Legibus, vel consuetudine restitutum fuerit, est vere probabilis, & eam expresse tenent Innocentius *in cap. Scripta 2. in fine de fide instrumentorum*, Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caus. 113. num. 6.* Decius *in cap. Post cessionem num. 31. de probation.* Covarruvias *loco citato num. 9. circa finem*, & alii apud Mascard. *cit. conclus. 1309. num. 5. argum. cit. cap. Scripta 2. de fide instrumentor.*, ubi ista duo æquiparantur, & alternative sufficere dicuntur, nempe subscripta per manum publicam facta, & scripta habentia sigillum authenticum, ibi: *Nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, qer quod possint probari*. In alternativis autem sufficit alterum adimpleri, textu expresso in *cap. In alternativis 70. de Regul. Juris*, ibi: *In alternativis...... sufficit alterum adimpleri*. Et concordat *l. In eo 110. §. 3. ff. de Regul. Juris*, ibi: *Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterum esse factum*.

16 Scripturæ seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum, seu publicum, plene probant, *cap. Scripta 2. de fide instrum.* ubi statuitur, quod alicujus firmitatis robur non habeant instrumenta, si testes inscripti decesserint, nisi per manum publicam facta fuerint, aut authenticum sigillum habuerint, & tenent Glossa *ibidem verbo Authentica*, Abbas *in Summario*, Barbos. *in Collectan. num. 1.* Reiffenst. *loc. citat. n. 89.* Mascard. *cit. concl. 1309. num. 1.* cum plurimis aliis ibi citatis.

Scripta autem sigillo privato munita probant quidem, & valent in præjudicium illorum, qui ea scripserunt; *l. Generaliter, Cod. de non numerat. pecun. l. Publia §. fin. ff. Depositi*. Non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata, *citat. l. Publia §. fin. ff. Depositi, l. Instrumenta domestica, Cod. de probationib.* Glossa *in cit. cap. Scripta 2. de fide instrum. verb. Authentica*, Bartolus *in Summario cit. l. Publia*, Reiffenstuel *loc. citat. num. 90.* Mascard. *cit. conclus. 1309. num. 1. 4. & 40. ac seq.* & alii plures. 17

Testamenta, privilegia, & hujusmodi, in quibus sigillum est de solemnitate, vel substantia actus, absque dicto sigillo non habent vim probandi. Menoch. *l. 2. de Arbitr. Judic. c. 113. num. 13.* Felin. *in cap. Inter dilectos 6. num. 5. de fide instrumentor.* Reiffenstuel *loc. citat. num. 97.* & alii, per text. *in leg. Ad testium §. si quis ex testibus, ff. de testament. & citat. cap. Inter dilectos*, ubi recte advertunt, quod si ob enormem fracturam sigilli vacillat fides privilegii, tanto magis vacillabit, si sigillum penitus deficiat, seu nunquam appositum sit. 18

Extra autem dictos casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem. Sic Innocentius *in cit. cap. Inter dilectos 6. verb. Sigillum, de fide Instrument.* Abbas *ibid. num. 3.* Felin. *ibid. num. 5.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 98.* Menochius *loc. cit. caus. 113. num. 13. & 14.* cum Hostiens. & Cardin. ibi citatis, & alii plures, per text. *in l. Contractus 17. Cod. de fide Instrument.* ubi ad valorem instrumentorum plus non requiritur, quam quod *subscriptionibus partium confirmata, & si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, & postremo a partibus absoluta sint*, hoc est subscripta, ut explicat Glossa *ibidem verb. Absoluta*. 19

Dicitur autem: *sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem*, quia sigillans scripturam, contenta in ea præsupponit vera, & videtur fateri omnia contenta in ipsa, cum sigillum sit confirmatio quædam eorum, quæ in scriptura continentur, & probet consensum. Rota *part. 10. recent. dec. 200. num. 12.* Alexander *consil. 147. num. 6. & 7. lib. 2.* Cardin. Tusch. *litt. Sacr. conclus. 239. num. 1.* cum Bald. & Romano ibi citatis, & alii passim. 20

Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia Collegia, Conventus, Prælati, Abbates, Archidiaconi, & Superiores omnes, ac Officiales, & eo uti debent pro Scripturis authenticis. Conc. Londin. III. c. 29. 21

Sigillo aureo, vel argenteo uti non possunt Regulares. Concil. Nicæn. *ex Arabico cap. 76.* 22

Minister Generalis Ordinis S. P. N. Francisci de Observantia legitime usus fuit, & uti potest titulo, & 23
Si-

Sigillo cum inscriptione: *Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum*, ut hoc titulo insigniri consuevit à Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis *in Orbe Seraphico tom.1. lib.3. c. 10. circa finem*, & signanter a Leone X. Clemente VIII. Paulo III. Sixto V. Urbano VIII. Greg.XV. Innoc.IX. & aliis sequentibus, & novissime a Benedicto XIII. Constit. incip. *Universalis Ecclesiæ regimini*, & alia incip. *Dilectis filiis*, ibi: *Dilectis Filiis Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis*. Et hoc utraque parte informante jam fuerat repetitis vicibus declaratum a Sacra Congregatione Rituum, prout ad litteram referuntur Decreta a supradicto Dominico de Gubernatis *loc. citat.* tenoris sequentis,

Religionis S. Francisci.

24 *Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, sex ab hinc annis ægre ferret, Ministrum Generalem de Observantia in præteritum usum fuisse, & in præsentiarum uti Titulo, & Sigillo cum inscriptione:* Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, *recursum habuit ad Sanctissimum supplicans mandari reformari hujusmodi Titulum tamquam non legitime dicto Ministro Generali de Observantia competentem. Et supplicatione per Sanctissimum ad hanc Sacr. Rituum Congregationem remissa; Eadem Sacra Congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625. commisit Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Muto, coram quo formato dubio de consensu ambarum partium: An Titulus Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo insignitur Minister Generalis Observantium sit reformandus? Utraque parte sæpe sæpius in facto & Jure desuper informante, & audita; ad relationem ejusdem Eminentissimi Cardinalis Muti causa acerrime in plena Congregatione discussa, Sacra Rituum Congregatio respondit, nihil innovandum, & Ministrum Generalem de Observantia legitime usum fuisse, & uti posse Titulo, & Sigillo cum inscriptione* Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, *& ita servari mandavit die 22. Martii* 1631.

Religionis S. Francisci.

Religio Minorum Conventualium conquesta est apud Sanctissimum de Decreto ab hac Sacra Rituum Congregatione emanato ad favorem Ministri Generalis de observantia S. Francisci circa usum Tituli, & Sigilli Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, supplicans tamquam non audita in suis juribus audiri in signatura Gratiæ, & mandari Illustrissimo Datario, qui concedat ad hoc supersessoriam necessariam.

Ex adverso autem Frater Alphonsus de Prato Procurator Generalis Minorum Observantium adiens & ipse cum supplici Libello eumdem Sanctissimum, supplicavit, quod stante jure suæ Religioni quæsito tam ex Bullis Pontificiis, quam ex novissimo Decreto, parte adversa super usu d. Tituli, & Sigilli per quinquennium, & ultra sæpius audita, & replicante, nemine ex Eminentissimis Patribus contradicente, ad sui favorem edito, & etiam impresso; Sanctitas Sua dignaretur huic negotio perpetuum silentium, ut par est, imponere. Et utraque supplicatione per Sanctissimum ad hanc Sacram Congregationem remissa, eadem Sacra Congregatio unanimi Eminentissimorum Patrum consensu censuit, ex hactenus deductis non esse locum novæ audientiæ. Et mandavit Secretarium alloqui cum Sanctissimo juxta mentem.

Die 12. *Aprilis* 1631.

Feria sexta die 21. Aprilis Ego Secretarius allocutus fui cum Sanctissimo juxta mentem Sacræ Congregationis, & Sanctitas sua mandavit mihi, ut loquerer, prout feci ad R. P. D. Datarium pro imponendo perpetuo silentio.

Ita reperitur in Regestis Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem &c. Hac die 9. Junii 1682.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Secret.

Additiones ex aliena manu.

Sigillum est nota quædam impressum habens 25
nomen, & insigne, vel simul, vel alterutrum ad fidem rei conciliandam; Botticher. *de Jur. Sigillorum thesi* 8.

Dividitur autem Sigillum in publicum, ac pri- 26
vatum. Publicum, quod a Persona publica in ne- 27
gotio suam privatam rem non concernente ad publicam fidem faciendam adhibetur. Privatum, quod 28
in negotiis privatis Sigillantium adhibetur; Nicol. Honthem. *de Art. Notar. cap.11. numer. 29.* Gilman. *decis. 51. num. 43.*

Ut autem omne Sigillum maxime privatum re- 29
ctam, & legitimam faciat probationem, roburque scripturæ addat, in ejus appositione tria regulariter requiruntur a Doctoribus, quos allegat Hoping. *de Jur. Sigill. cap. 11. num. 7. Primum* requisitum est, 30
ut in Scriptura, seu subscriptione exprimatur cujus sit sigillum. *Secundum* a quo sit appositum; & *ter-* 31
tium propter quod sit appositum, sive ex qua causa adjectum. Si enim hæc non appareant, nec ex cir- 32
cumstantiis possint colligi, sigillum nihil operatur.

An ad validitatem instrumenti a Notario confecti 33
requiratur sigillum ipsius? Prævaluit opinio affirmativa; ut videre est apud Covarruv. *practic. resol. tom. 2. cap. 20. numer. 5.* Moller. *lib. 4. Semestr. cap. 15.*

SIGIL-

SIGILLUM SACRAMENTALIS CONFESSIONIS.

1 Sigillum Sacramentalis Confessionis est obligatio servandi secretum in omnibus, quæ in ordine ad absolutionem Sacramentalem Confessario aperiuntur. *Est in re communis*.

2 Sigillum Sacramentalis Confessionis obligat Confessarium ad celanda peccata in confessione detecta triplici Jure, scilicet Naturali, Divino, & Humano, seu Ecclesiastico. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 22. *q.*2. & *Communissima aliorum*. Et quidem quod obliget
3 *Jure Naturali*, clare patet, quia natura dictante, non est aliis faciendum, quod quisque sibi fieri non vellet, juxta illud vulgatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Nemo autem vellet, quod suum secretum, ex quo aliqua infamiæ nota eidem posset inuri, manifestaretur, adeoque Sigillum Confessionis obligat Jure naturali; alioquin Lex naturæ de servanda Fidelitate, & Secreto proximi celando violaretur.

4 Quod autem obliget *Jure Divino*, clare constat, quia dum Christus Dominus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque Confessionem, simul Confessariis arctissimam hanc Sigilli obligationem imposuit; Quamvis enim hoc ex nullo textu scripto comprobetur, evincitur tamen ex expressa, continuata, & constanti Traditione ab Apostolis ad hæc usque tempora. Traditiones autem Divinæ tantam vim habent obligandi, ac verbum Dei scriptum. Unde Apostolus 2. *Ad Thessalonicens. c.*2. præcipit dicens: *Itaque Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* In quem locum S. Joannes Chrysostomus sic scribit; *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris, eadem vero Fide digna sunt tam illa, quam ista*, & Conc.Trid. *sess.* 4. *Decreto de Canonicis scripturis* sic expresse habet: *Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus....... Traditiones ipsas, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, ac continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur*.

5 Quod vero obliget *Jure humano*, seu, *Ecclesiastico*, habetur expresse ex *cap. Sacerdos* 2. *dist.* 6. *de Pœnitent.* ubi pœna depositionis a Sacerdotali Officio, & perpetuæ ignominiosæ peregrinationis erat imposita Confessariis violantibus Sacramentale Sigillum, ibi: *Qui hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat*, & *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de pœnitentiis*, & *remissionib.* ubi violatoribus Sigilli Confessionis constituitur pœna depositionis ab Officio Sacerdotali, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ, ibi: *Qui peccatum in Pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum*.

Hinc obligatio servandi Sigillum Sacramentale 6
tam stricte ligat, & urget, ut in nullo excogitabili casu directe, vel indirecte revelari possit, quamvis salus propriæ vitæ, immo totius mundi inde penderet; Quinimmo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. *Communissima omnium Catholicorum*.

Ad Sigillum Sacramentale tenentur ultra Confes- 7
sarium etiam sequentes, nempe Interpres, per quem facta est Confessio. Item Laicus, qui Sacerdotem se fingens Confessionem excepit. Item ille, cui Confessarius sacrilege revelavit peccatum. Item audientes tempore pestis, seu naufragii Confessionem publicam. Item audientes casu, vel malitiose peccata, dum confitentur. Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. Rosignol. *de Pœnitentia part.* 1. *qu.* 7. *art.* 22. *Sect.* 2. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *Theolog. mor. tract.* 14. *dist.* 9. *quæst.* 3. *num.* 36. ubi testatur de communi. Et ratio est quia notitia ad eos pervenit ex Confessione Sacramentaliter facta, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam Sacramenti, & redderet odiosam ipsam Sacramentalem Confessionem.

Item ad Sigillum probabilius tenetur *, qui per 8
examen Pœnitentem ad Confessionem disponit. Item ille, cui Pœnitens se aperit hodie, ut illum dirigat pro Confessione crastina. Item Doctor consultus a Confessario super aliquo delicto, si ex illo noverit delinquentem. Item ille, cui Pœnitens jam non potens scribere dictavit sua peccata, postea ex ipsius scripto confessurus. Item ille, cui Pœnitens dicit se velle confiteri, & propterea illum consulit, an, & quomodo hoc, vel illud peccatum teneatur confiteri, quamvis non illi, sed alteri confiteri velit. Gormaz *part.*2. *num.* 391. La Croix. *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 1052. cum pluribus aliis ibi citatis, Sporer *tom.* 3. *Theolog. Sacramental. par.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 3. *a num.* 848. *ad* 855. cum aliis ibi allegatis contra alios. Et ratio est, quia licet illa notitia non habeatur in Confessione, nec ex Confes-

Nota Romani Theologi.

* Non solum probabilius, sed certe tenetur quis servare Sigillum in casibus hic expositis.

Responsio Auctoris.

Sed quod teneatur ad sigillum certe fateor & ego; an autem ad Sigillum Sacramentale, vel naturale? non parva est inter Doctores controversia. Hinc ponderet prudens lector *ibi* tradita a me *n.* 10. & 11. & pro æquitate resolvat.

fessione, habetur tamen per ordinem ad illam, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam Sacramenti, & redderet odiosam ipsam Sacramentalem Confessionem, unde, ne id eveniat, servandum est a supradictis Sigillum.

9 An autem inveniens chartam, in qua sunt descripta personæ cognitæ peccata, teneatur ad Sigillum Sacramentale? Variant Doctores. Affirmativam enim sententiam tuentur Rodriquez, Fagundez, Malderus, & alii plures apud Dian. *part.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 112. Navarrus, Graff. Vega, Gormaz, Diana, Tamburin., apud La Croix *loco citat. numer.* 1953. & probabilius Sporer *loc. cit. num.* 857. & alii; Et ratio est, quia talis peccatorum scriptio fit propter Confessionem, & reipsa videtur esse inchoata Confessio, sive Confessionem jam factam gerens; Negativam autem, scilicet inventorem talis chartæ non teneri ad Sigillum Sacramentale, sed solum ad Sigillum naturale defendunt, & quidem probabilius Bonacina *de Pœnitentiæ Sacrament. disput.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 4. *punct.* 3. *num.* 7. cum pluribus ibi allegatis, Castropal. Aversa, Illsung, Busemb. aliique multi apud La Croix *loc. cit. num.* 1953. Rosignol. *loc. cit. num.* 17. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 37. Layman, Suarez, Navarr. aliisque congestis, Lugo *disputat.* 23. *sect.* 2. *num.* 47. & valde probabilem hanc sententiam appellat etiam Sporer *loc. cit. num.* 858. & alii plures ipsam expresse tuentur: Et ratio est, quia illa charta, seu notitia illius non pervenit ad inventorem, nec in Confessione, nec ex Confessione, nec in ordine ad Confessionem, cum Pœnitens illam chartam scripserit solum, ut sua peccata sibi manifestet, & memoriam eorum retineat.

10 Consentiunt tamen omnes utriusque sententiæ Doctores, quod talis inventor teneatur ad Sigillum naturale sub peccato mortali, si illa charta contineat gravia, & diffamantia peccata; Quinimmo cognito, quod talia peccata contineat, debet sub gravi ab illius lectione abstinere.

11 Insuper consentiunt omnes, quod si aliquis mutus, vel alias impeditus confiteatur Confessario præsenti per scripturam, & tunc durante actione Sacramentali aliquis legat illam scripturam, is omnino ad Sigillum Sacramentale teneatur; Tunc enim illa scriptura lecta a Confessario est locutio, vel Confessio Pœnitentis, cum non aliter confiteatur mutus ille nisi per scripturam.

12 Ad Sigillum Sacramentale tenetur Prælatus, vel Superior, cui Pœnitens, vel Confessarius manifestavit pro licentia absolutionis obtinenda, peccatum reservatum, quamvis pro absolutione remittat ad alium Confessarium. Sic pluribus allegatis Card. de Lugo *disp.* 22. *Sect.* 2. *num.* 34. *&* 35. Rosignol. *loc. citat. numer.* 12. cum aliis ibi citatis, La Croix *loco citat. num.* 1951. cum Suarez, Fagundez, Stoz, Aversa, & aliis ibi citatis, Sporer *loco citat. num.* 853. Dicastill. *disp.* 11. *numer.* 325. dicens id esse certum, quamvis alii contrarium doceant. Et ratio est, quia Prælatus, aut Superior, cui casus sunt reservati, in hac parte gerit vices Confessarii cum quodammodo exerceat Jurisdictionem in ordine ad Pœnitentium absolutionem, adeoque &c.

13 Prælatus, seu Superior, vel Confessarius, qui postea ad Superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti potest ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuit. Sic expresse statuit Clemens VIII. *in Decreto de casibus reservatis die* 16. *Maii* 1594. ibi: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur*, &c. *Atque ita per quoscumque Regularium Superiores observari mandamus*. Hæc Pontifex. Et deinde *die* 18. *Novembris* 1682. editum fuit in Congregatione Generali Universalis Inquisitionis Decretum prohibens. *Ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti scientia ex Confessione acquisita cum gravamine Pœnitentis, quamvis secluderetur quæcumque ejus revelatio, & quamvis multo majus gravamen ejusdem Pœnitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis Pœnitentiæ Ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant*. Sic apud Arsdekin *tom.* 2. *pag.* 238. & alios passim id referentes.

Hinc Confessarius, qui ex Confessione socii con- 14
spirationis contra se novit sibi parari insidias in itinere a se subeundo, sibi parari venenum in vino a se bibendo, & hujusmodi; si non arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, & hujusmodi sequeretur aliqua suspicio apud alios socios dictæ conspirationis de peccato confesso, aut periculum damni dicti Pœnitentis, tunc teneretur dictus Confessarius enixe se Deo commendare, & tale statutum iter arripere, tale vinum bibere, & hujusmodi; quia Sigillum Sacramentale ob commune bonum Fidelium, & reverentiam Sacramenti fortius obligat, quam propria vita servanda, immo & quam salus totius mundi, juxta dicta *supra n.* 6. In tali enim casu ex circumstantiis indirecte saltem revelaretur Confessio, & frangeretur Sigillum, quia socii conspirationis videntes Confessarium post auditam Confessionem non arripere certo statutum iter, seu divertere ab ipso jam arrepto, & non bibere tale vinum certo alias bibiturum, suspicarentur de delicto conspirationis confesso, & possent in Socium irruere, sicque cum gravamine Pœnitentis redderetur odiosa Confessio, adeoque &c.

Si autem in similibus tales concurrant circum- 15
stantiæ quod ex non arrepto, seu non continuato itinere, & non bibito tali vino, & hujusmodi, nulla directe, aut indirecte oriatur suspicio peccati conspirationis confessi, quatenus nempe Socii conspirationis complicem confitentem non viderunt, & hujusmodi, tunc dictus Confessarius posset licite iter non arripere, seu jam arreptum divertere, vinum illud non bibere, & hujusmodi, quia tunc Confessarius uteretur Jure suo ad evitandam mortem sine ullo incommodo, seu gravamine Pœnitentis, cum sic licite salvaret propriam vitam, & impediret Pœnitentis, aliorumque peccatum, seu occasionem peccati, quod re ipsa non est gravamen, sed beneficium, nec ullam committeret irreverentiam in Sacramentum; cum, ut supponitur, ex dictis circumstantiis nulla directe, aut indirecte posset oriri suspicio peccati confessi. Sic recte cum di-

stin-

stinctione, ut supra docent Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 46. cum Richardo, Navar. Suario, & Soto, Felix Potestas *loco cit. numer.* 3219. *& seq.* Rosignol. *loco cit. sect.* 3. *num.* 12. *&* 13. La Croix *loco cit. num.* 1976. *& seq.* cum pluribus ibi allegatis; & alii plurimi, & sub data distinctione nostra sententia jam deberet esse communis.

16 Unde post allata Decreta *sub num.* 13. jam non videtur practice probabilis sententia illorum Auctorum, quamvis plures quam quadraginta referantur a Sanchez *de Matrimonio lib.* 3. *d.* 16. *num.* 2. Mendo *d.* 10. *quæst.* 8. Stoz *n.* 244. qui docent, Confessarium ex sola Confessione cognoscentem Pœnitentem suum indignum esse Dignitate, seu Officio, ad quod concurrit, posse ideo in electione gratuita, & secreta denegare suum suffragium, quia utitur, ut dicunt ipsi, Jure, quod habet ad non promovendum indignum; Sic non potest Magister Novitiorum suo suffragio rejicere, aut directe cooperari, quod ab aliis rejiciatur a professione Novitius, quem propter vitia, vel alios defectus, ex sola Confessione novit esse ineptum, aut fore perniciosum Religioso Ordini. Item nequit Confessarius dimittere famulum, quem ex sola Confessione cognovit non esse fidelem & hujusmodi. Item neque Confessarius, qui ex sola Confessione novit aliquem de communitate vitio carnis deditum esse & pronum ad seducendos alios, nequidem indirecte facere ut inde amoveatur. Item nequit Confessarius negare Eucharistiam Matrimonium, & hujusmodi ei, quem ex sola Confessione novit esse indignum, impeditum, & hujusmodi. Item non potest Superior Religiosum, quem ex sola Confessione novit esse Concubinarium, e tali Conventu, aut Officio removere. Et sic de similibus. Et ratio omnium est, quia quidquid affert incommodum Pœnitenti, quamvis absit periculum revelandi peccatum, & ita clam fiat, ut nemo advertat, merito reddit Confessionem odiosam, si Pœnitentes cognoscat sibi talia incommoda fieri posse propter solam cognitionem in Confessione datam. Hinc Confessarius, vel Superior debet in similibus se talem gerere, tamquam si nihil sciret; Audita enim in sola Confessione *minus scit, quam quæ nescit*, inquit S. Augustinus, & *ex Confessione scitum*, dicit S. Thomas *in suppl. qu.* 11. *art.* 1. *ad* 1. Cum enim id sciat ut Dei locumtenens, non potest uti pro humano commercio, alias Divina confunderet cum humanis, adeoque de omnibus istis, & similibus silere debet, & totaliter se habere, ac si ea minime sciret, sicque se, & omnia Deo committere, cum hoc plurimum conducat ad reverentiam Sacramenti, & ad augendam apud omnes securitatem Sigilli. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *litt. N.* Suarez, Vasquez. Præpos. Bonæsp. Dicastill. Stephanus, Aversa, Stoz, & alii cum la Croix *loco citat. num.* 1976. *& seq.*

17 Unde Scotus *loco citato* de casu dicti Superioris respectu sui subditi Concubinarii in Confessione cogniti loquens dat hoc commendabile documentum: *Si dicas non apponi remedium ad salutem ovis suæ. Respondeo, consulat sibi in Foro Pœnitentiæ meliori modo, quo poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat, si noluerit, non attentet esse Deum, sed defectus occultos sibi secundum justitiam incorrigibiles Dei correctioni dimittat*; Hinc neque licet Superiori, seu Prælato ex sola tali notitia habita in Confessione magis advertere, & observare directe ipsum Pœnitentem subditum, ut inde occasionem capiat ipsum ab Officio, seu loco removendi, quia sic redderetur odiosa Confessio. Sporer *l. c. n.* 869. *in fine*, & alii supracitati.

(*) Confer Rituale Tullense, quod teste Antoine cap. cit. resp. 3. ad quæst. V. monet, „ ne parochus „ deneget testimonium bonæ vitæ, & probitatis ei, „ cujus vita exterius est recte instituta, sed quem „ confessione scit esse improbum, vel benedictio- „ nem nuptialem iis, quos ex sola confessione scit „ contraxisse impedimentum dirimens ob crimen; ne „ moneat parentes, ut diligenter invigilent filiæ, cujus „ libidinem ex sola confessione novit; ne amove- „ at vicarium, ludimagistrum &c. a suo munere „ ob crimina ex sola confessione nota. „ Hinc rejicienda regula, quam Natalis Alexander de Sacram. Pœnit. art. X. num. LVI. proponit his verbis: „ Sacerdos, qui ex sola Confessione novit aliquem „ indignum esse Ecclesiastica Dignitate, vel Præ- „ fectura suffragium illi negare potest, & illius ele- „ ctioni contradicere. „

Confessarius ordinarie loquendo neque de petita, & obtenta licentia Pœnitentis potest uti scientia Confessionis, & revelare ipsam Sacramentalem Confessionem, quia si Pœnitens non ultro, sed tantum ad petitionem Confessarii det ipsam licentiam loquendi, communiter censeri debet data ex metu reverentiali, adeoque invalide; Tamburin. *de Confess. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. Dicastill. *d.* 12. *nu.* 66. La Croix *loco cit. num* 1958. Vel certe cum periculo invaliditatis; La Croix *loco cit.* Diana *part.* 5. *tract.* 11. *resolut.* 10. Stoz *lib.* 2. *num.* 197. ubi addit quod quamvis Pœnitentes dicant se libenter eam dare, sæpe tamen in animo refugiunt, & sic Sacramentum adhuc redditur odiosum, si Confessarius ea licentia utatur. Tum quia negant plerique ex antiquioribus, ac præsertim Alensis, Durandus, & alii, & ex parte Scot. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *§.* 3. *& dist.* 21. *q.* 2. *litt. L.* quia Jus Sigilli Sacramentalis non est tantum ipsius Confitentis, sed etiam totius Communitatis Fidelium, quæ alias maxime perturbaretur, & ipsius Sacramenti, cui ipse Pœnitens renunciare non potest, licet ipse Pœnitens possit cedere Juri suo, *cap. si de terra* 6. *de privileg. & l. Si quis in conscribend.* 19. *Cod. de pactis*; Non potest tamen cedere Juri Sacramenti, & totius Communitatis Fidelium, *cap. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* 18

Dicitur autem notanter *Ordinarie loquendo*, quia ex gravi causa, & ob aliquem bonum finem, verb. gr. ad malum aliquod avertendum, ad consilium a Doctiori petendum, & hujusmodi de expressa, libera, & plene voluntaria licentia Pœnitentis loquendi cum alio de suo peccato, aut alia re suæ Confessionis potest Confessarius sine fractione Sigilli caute cum eo loqui. Sic teste Sporer *loco cit. num.* 819. jam *Communissima Doctorum* cum S. Thoma, S. Bonaventura, & pluribus congestis Suarez *disput.* 31. *sect.* 5. Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 18. Layman *cap.* 14. *nu.* 14. Lugo, Tamburin. Diana, & alii passim. Tunc enim cum Pœnitens dat expressam, & liberam licentiam Confessario loquen- 19

quendi de peccatis in Confessione auditis videtur cessare ratio Secreti naturalis, atque reverentiæ Sacramenti, & odiositatis Confessionis, *argum. cap. Significasti* 5. *de adulteriis*, ubi legitur, quod de licentia mulieris Sacerdos, cui hæc confessa fuit, dixerit eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel minimum Sacerdos reprehenditur a Papa; Verum Barbosa *in citato cap. Significasti num.*2. Navarrus *in cap. Sacerdos* 2. *distinct.* 6. *de Pœnitent. num.* 126. & alii, censent illud capitulum loqui, non de Confessione Sacramentali, sed extra Sacramentum tam per adulterum, quam per adulteram facta. Unde in similibus est valde caute procedendum, cum non expediat, quod Pœnitens ex qualibet levi causa det Confessario talem facultatem loquendi cum aliis de auditis in suis Confessione, nec quod confessarius de facili ea utatur.

20 Sine expressa, & libera Pœnitentis licentia neque licet Confessario de auditis in Confessione loqui cum ipso Pœnitente extra Confessionem Sacramentalem; Quamvis enim id proprie non sit fractio Sigilli, uti cum pluribus docet Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio d.* 16. omnes tamen Doctores tenent, hujusmodi locutionem cum eodem sine ejus licentia esse illicitam, quia vere cedit in odium Confessionis, & Sacramenti, & plerumque non sine rubore, & offensa Pœnitentis. Potest autem Confessarius licite loqui extra Confessionem cum Pœnitente de auditis in sua Confessione, si ipse pœnitens prior de illis loqui incipiat, quia tunc censetur ipse voluntariam & liberam ad id licentiam concedere.

21 Confessarius, qui in Confessione gravem errorem commisit, consulens v. g. bona fide tamquam licitum aliquem contractum, quem postea cognoscit certo esse illicitum, tenetur petere licentiam a Pœnitente loquendi de materia Confessionis præteritæ ad salutem animæ illius pertinente, & quamvis Pœnitens deneget talem licentiam, probabilius adhuc potest de ea re loqui, ac errorem corrigere, seu emendare. Sic Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 3. Arsdekin *tom.* 2. *pag.* 236. *num.* 13. Felix Potest. *loc. cit. num.* 3233. Sporer *loc. cit. num.* 822. Diana *loc. cit. resol.* 26. cum aliis ibi allegatis, La Croix *loc. cit. num.* 177. cum pluribus ibi citatis, Filliuc. Fenech. & alii; Et ratio est, quia tunc Confessarius proprie non loquitur extra Confessionem, sed supplet, & perficit eam, quæ antea inchoata, & imperfecta remanserat; Tum quia in casu mali consilii nihil loquitur de Confessione præterita, sed solum consilium male datum revocat.

22 Sub Sigillo Sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, non solum ipsius Pœnitentis, sed etiam complicis. Item circumstantiæ peccatorum, & defectus naturales, ob quorum revelationem potest Pœnitenti evenire infamia, vel aliud incommodum, & sic reddi odiosa Confessio; Tales enim peccatorum circumstantiæ, v. g. quod quis sit illegitimus, sit infamis, sit genere obscurus, & hujusmodi, a Confessario manifestari non possunt sine fractione Sacramentalis Sigilli. *Communis*; Et ratio est, quia Sigillum Sacramentale obligat ad celandum omne id, quod Confessionem odiosam reddere potest; per revelationem autem supradictorum, & similium redditur odiosa Confessio, cum sic inferatur gravamen, & præjudicium pœnitentibus, adeoque &c.

Confessionis Sigillum violat, si in genere dicat se absolvisse Paulum a peccato mortali, a casu reservato. Item si dicat se Paulum non absolvisse, quia erat indispositus. Item si revelet aliquod peccatum veniale in specie v. g. mendacium; Secus autem si dicat solum in genere fuisse confessum veniale, cum certum sit debere pœnitentem ad minus veniale peccatum confiteri, ut absolutionem obtineat. Item Sigillum frangit, si revelet pœnitentiam pro mortali imponi solitam, v. gr. Psalmos Pœnitentiales, Rosarium B. M. V. jejunium, & hujusmodi; Non frangit tamen Sigillum, si revelet pœnitentiam pro veniali imponi solitam, ver. gr. unum Pater, & Ave, Salve Regina, Alma Redemptoris, & hujusmodi. *Sic Doctores communiter*. 23

Confessarius se exponit periculo frangendi Sigillum, si dicat: prima mulier, quam audivi in Confessione, fuit adultera; Unde cavere debent Confessarii a similibus locutionibus; quia ex ipsis sæpissime oriuntur gravissima scandala, & casum referunt Ludovicus Bail. *in examin. Confessorum* 1. *par. in fine*, Baptista Corrad. *Respons.* 1. *par. quæst.* 332. Bissus *in Hierurg. tom.* 2. *litt. S. num.* 146. §. 25. Pitonius *Constitut. Pontif. & decis. ad Confessarios num.* 345. de quodam marito, qui interfecit Uxorem, quia quidam Confessarius in Italia dixerat coram quibusdam primam mulierem, cujus Confessionem exceperat, fuisse adulteram. 24

Confessarii violantes Sigillum Confessionis Sacramentalis subjacent gravissimis pœnis; Et quidem *in cap. Sacerdos* 2. *distinct.* 6. *de Pœnitent.* imposita erat eis depositio ab Officio Sacerdotali, & perpetua ignominiosa peregrinatio, ibi: *Qui hæc fecerit* (Sigillum nempe violaverit) *deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat*. Quæ pœna perpetuæ ignominiosæ peregrinationis, ob justissimos fines fuit postea conversa in perpetuam detrusionem in arctum Monasterium, pœna depositionis ab Officio Sacerdotali adhuc permanente; *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de pœnitentiis, & remissionibus*, ibi: *Caveat autem omnino, ne verbo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in Pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum*. 25

Impræsentiarum autem ex recepta consuetudine detrusio in arctum Monasterium mutata est in carceres perpetuos. Sic notant communiter moderni in hac materia scribentes, teste Rosignol. *loc. cit. sect.* 5. *num.* 7. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 37. *num.* 4. 26

Pœnitentia pro fractione Sigilli quo ad Regulares consistit in jejunando ter in hebdomada, comedendo tantummodo panem, & bibendo aquam humi in publico Refectorio, in cujus postea porta pronus ab exeuntibus Fratribus conculcetur. *Sacr. Congreg. Epi-* 27

Episcop. & Regular. in una Augustinianorum 5. *Septembr.* 1659. apud Nicol. *in Lucubrat. tom.* 2. *Canon. lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 17. *de pœnitent. & remission.* & Pitonium *loc. cit. num.* 963.

28 Dictæ pœnæ impositæ contra violantes Sigillum Sacramentale, non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 4. Rosignol. *loc. cit. num.* 6. Lugo *de Pœnitent. disp.* 23. *num.* 247. Fagundez *de præcept. Ecclesiastic. lib.* 2. *c.* 17. *num.* 2. Onuphrius *de Sigillo sect.* 5. *quæst.* 2. Coninch. *disp.* 9. *num.* 70. Homobonus *tract.* 5. *exam. ad Confessor. de Sigill. cap.* 19. *quæst.* 108. *vers. ad secundam quæst.* & alii passim, per verba text. *Quibus hujusmodi pœnæ imponuntur*, ut patet *in cit. c. Sacerdos*, ibi: *Deponatur*, *& cit. cap. Omnis utriusque*, ibi: *Deponendum decernimus*, *& in arctum Monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudendum*, quæ verba, ut de se patet, important solum sententiam ferendam.

29 Ut quis propter violationem Sigilli incurrat prædictas pœnas, plura requiruntur. Primo quidem requiritur, quod violans sit Sacerdos, quia *in cit. cap. Sacerdos*, *& in cit. cap. Omnis utriusque*, solis Sacerdotibus Confessariis talis pœna imponi jubetur. Menochius *de Arbitrar. Judic. lib.* 2. *cont.* 6. *cas.* 414. Reginald. *lib.* 5. *num.* 27. Coninch. *disp.* 9. *dub.* 4. *ad fin.* Reiffenstuel *loc. cit. num.* 5. Rosignol. *loc. cit. num.* 4. & alii passim; Cum enim talis dispositio sit pœnalis, & odiosa, ad alios præter expressos non est extendenda, *cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6. cum similibus.

30 Alii autem revelantes assignati *supra a num.* 7. *ad* 12. non subjacent præfatis pœnis, sed puniendi sunt per Judicem pœna extraordinaria juxta majorem, vel minorem gravitatem patrati circa id delicti. *Sic Doctores citati*, & alii.

31 Secundo requiritur, quod Confessarius revelet peccata in Confessione Sacramentali sibi a pœnitente exposita animo se accusandi, & absolutionem recipiendi. Secus autem si essent sibi exposita, non in Confessione Sacramentali cum dicto animo, sed alio fine, etiamsi flexis genibus dixisset Pœnitens: *Hoc tibi dico sub Sigillo Confessionis*; Tunc enim confessarius non violaret Sigillum Sacramentale, sed solum Sigillum naturale, adeoque &c. Felix Potestas *tom.* 1. *num.* 3207. *& tom.* 2. *num.* 39. & alii communiter.

32 Tertio requiritur, ut Confessarius revelet aliquod peccatum, vel mortale, quod sufficit, si revelet in genere, dicendo v. gr. Paulus confessus est mihi peccatum mortale, vel veniale, quod necesse est, ut revelet in specie, dicendo v. gr. Paulus confessus est mihi mendacium, & hujusmodi. Suarez *de pœnitentia disp.* 33. *sect.* 8. Diana *par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 51. Reiffenstuel *loco citat. num.* 6. & alii communiter; *arg. cit. cap. Sacerdos*, *& cit. cap. Omnis utriusque*, ubi de solis peccatis fit mentio.

33 Quarto requiritur, ut Confessarius revelet peccatum *præsumptuose*, idest graviter malitiose; *arg. cit. cap. Omnis utriusque* 12. §. *Caveat, de pœnit. & remission.* ibi: *Præsumpserit revelare*. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 7. & alii.

34 Quinto requiritur, ut Confessarius peccatum revelet alicui alteri, quam ipsi Pœnitenti extra Confessionem, sive ipsi sine ipsius licentia objiciat: Objiciens autem extra Confessionem peccatum ipsi soli Pœnitenti, non subjacet pœnæ ordinariæ, sed solum extraordinariæ. Granad. *de Sacr. tract.* 11. *disp.* 8. *num.* 3. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 8. & alii.

Judex in causa violati Sigilli Sacramentalis est solus Ecclesiasticus, minime vero Laicus; Cum enim talis causa ex annexo Sacramento sit ex natura sua spiritualis, & Ecclesiastica, soli Judici Ecclesiastico competere debet; *cap. Decernimus* 2. *cap. Quando* 3. *de Judiciis*, *cap. Ut inquisitioni* §. *Prohibemus*, *de Hæret.* 35

Cui autem talis causa competat ex Judicibus Ecclesiasticis, an scilicet Episcopo, vel Inquisitori? Variant Doctores: Aliqui enim dicunt expedire, ut deferatur ad inquisitores, cum propter injuriam Sacramenti reddatur delinquens in Fide suspectus: Alii vero dicunt, quando est mera Confessionis revelatio, inquisitores non debere se ingerere, quam praxim testatur Diana in eo tribunali per multos annos versatus *tom.* 2. *de Offic. & potest. Inquisitor. resol.* 95. cum Molfesio *in Summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 23. *num.* 68. Unde quamvis ubi mera sit Confessionis revelatio, talis causa spectet ad Episcopum; si tamen habeat mixtum errorem, ut si Confessarius revelans dixisset licitam esse revelationem Sigilli, vel aliter ostendisset se male sentire de Sacramentis Ecclesiasticis, tunc talis causa spectaret ad inquisitorem. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 23. *num.* 148. 36

Ut judex ecclesiasticus instituere possit processum contra violatorem Sigilli Sacramentalis, non requiritur licentia Pœnitentis, cujus peccatum fuit sacrilege revelatum; *arg. cit. cap. Sacerdos*, *& cit. c. Omnis utriusque sexus*, ubi nulla prorsus facta mentione de habenda licentia Pœnitentis præcipitur, ut pœnæ ibidem statutæ inferantur contra tales violatores; Sic cum aliis Stoz *Tribun. Pœnitent. lib.* 2. *q.* 4. *num.* 284. Reiffenstuel *loco cit. num.* 11. & alii contra Gobat *in Quinario tract.* 5. *cap.* 42. *sect.* 7. Si enim requireretur ad id licentia pœnitentis, sequeretur, quod, ipso pœnitente mortuo, vel reddito amente, nunquam posset puniri talis Confessarius, cum nunquam posset peti talis licentia, adeoque frustra essent statuti Canones contra hujusmodi delicta Reipublicæ Christianæ perniciosissima, quod non est dicendum. 37

Quando Confessarius violator Sigilli se reum fatetur, non est opus alia probatione ad hoc, ut possit puniri pœna ordinaria. *Communis*, *arg. cap. final. de cohabitat. Clericorum & mulierum*, *leg. Generaliter* 13. *Cod. de non numerata pecunia*, cum nulla alia detur major probatio, quam ea, quæ fit ex proprii oris confessione. Rota *par.* 9. *recent. tom.* 1. *decis.* 98. *num.* 4. per text. *in cap. Per tuos* 10. *de probationib. l. Cum te* 5. *Cod. de transact. & cit. l. Generaliter* 13. *Cod. de non numerata pecunia*. 38

Quando Confessarius dicit se peccatum, non ex aliqua Confessione Sacramentali, sed tamquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare, qua via, & modo illius notitiam acquisierit, *arg. l. Ei incumbit* 2. *ff. de probationibus*, *l. Actor* 23. *Cod. eod. cap. Bonæ memoriæ* 22. *de election. cap. Accusator* 6. *quæst.* 5. cum qui dicit, probare debeat. 39

Si

Si autem in tali probatione deficiat, & adhuc in negatione violati Sigilli perseveret, nec possit plene convinci, ex præsumptione violati Sigilli puniendus est pœna extraordinaria. Abbas *in cit. cap. Omnis utriusque sexus* 12. *num.* 26. *de Pœnitent. & remissionib.* Silvester *verb. Confessio* 7. *num.* 5. Lugo *loc. cit. num.* 151. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 13. & alii.

40 Quando autem fatetur Confessarius se quidem peccatum ex Confessione scivisse, sed cum licentia pœnitentis revelasse, tenetur probare sibi revera datam fuisse a pœnitente talem licentiam revelandi, si Pœnitens ipse sit accusator, seu delator, & alias neget se talem licentiam ei dedisse. Lugo *loco cit. num.* 151. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 14. & alii; Et ratio est, quia cum talis licentia sit quid facti, non præsumitur, sed probari debet ab allegante; *cap. Cum in Iure* 31. *de Offic. deleg. l. in Bello* 12. *ff. de capt. & postlim.*

41 Secus autem, si alius sit accusator: In tali enim casu contrarium probare incumbit ipsi alteri accusatori ob præsumptionem stantem pro Confessario, qui bonus, & Sigillum servans præsumitur, donec probetur contrarium; *cap. Unic. de Scrutinio*, *cap. final. de præsumpt. & l. Merito* 51. *ff. pro socio*.

42 Immo etiamsi Pœnitens sit accusator, creditur Confessario, si sit ceteroquin optimæ famæ, & integritatis; Secus autem si pœnitens sit melioris famæ, & integritatis, quam ipse Confessarius. Sic cum aliis Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resolut.* 52. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 16. & alii.

43 Si autem, ceteris paribus, dubium existat, creditur potius Confessario asserenti, quam pœnitenti neganti licentiam fuisse concessam. Sic cum aliis Mascard. *de probationib. conclus.* 951. *n.* 30. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 27. & alii ex illa ratione quod in factis, quæ ad officium Judicis spectant, & aliter fieri non possunt, pro Judice præsumatur; *arg. cap. Hoc etiam* 38. *caus.* 2. *quæst.* 6. *cap. Absit* 14. *caus.* 11. *quæst.* 3.

44 Ad probationem violati Sigilli Sacramentalis sufficiunt etiam testes singulares. Sic cum aliis Taner. *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 9. *num.* 122. Stoz *Tribunal. Pœnitent. lib.* 2. *num.* 4. *a num.* 281. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 18. & alii. Et ratio est, quia id exigit enormitas talis delicti Reipublicæ Christianæ summe præjudicialis; Tum quia tale delictum ordinarie difficilis est probationis, cum Sacrilegi violatores Sigilli non facile Sigillum violent plurimis simul præsentibus, adeoque &c.

45 Quoad debitam Sigilli Sacramentalis custodiam attendendæ sunt novissimæ constitutiones editæ a Benedicto XIV. adversus Confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina; In quarum prima data *die* 2. *Junii* 1746. incip. *Ubi primum* insertis, & confirmatis suis Apostolicis Litteris datis ad Archiepiscopos, & Episcopos regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum subjicit excommunicationi Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservatæ omnes docentes oppositum, contradicentes, ac male interpretantes dictas Apostolicas litteras: Et decernit, Confessarios præsumentes interrogare pœnitentes de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, & aliis similibus circumstantiis & eisdem pœnitentibus, si manifestare noluerint, Sacramentalem absolutionem denegantes, ultra peccati mortalis incursum, suspensioni ab Officio audiendarum Confessionum, aliisque gravioribus pœnis fore subjiciendos. Tam docentes licitam esse dictam reprobatam praxim, quam in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, & ejusdem reprobationem impugnantes, ac perverse interpretantes; Et ipsos Confessarios contrafacientes cum suspicione pravi dogmatis, judicari, ac puniri, mandat in Officio S. Inquisitionis; Cui Sancto Officio omnes scientes similes delinquentes denunciare teneantur intra terminum dierum ipsis edictis præfigi solitum, sub pœnis non denunciantibus per eadem edicta infligi consuetis. Confessarios autem contrafacientes sine dicta pravi dogmatis suspicione judicandos, & puniendos esse ab Ordinariis, nec esse S. Officio denunciandos decernit.

In secunda autem data *sub* 28. *Septembris* 1746. 46 incipiente: *Ad eradicandum*, confirmat, & ampliat suas jam ad id editas Apostolicas litteras, decernens, ipsas non solum pro Regnis Lusitaniæ, & Algarbiorum, sed generalis definitionis & legis vim, auctoritatemque habere, & declarans memoratam praxim in seipsa, & ubique locorum, ac temporum Apostolica auctoritate reprobatam, atque damnatam esse, & censeri deberi: Nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato suo brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis.

Additiones ex aliena manu.

Esse suspectum de fide, & subjici judicio Inquisitorum eum, qui revelat Confessionem, & frangit sigillum, resolutum fuit a Congregatione S. Officii 4. *Decembris* 1603. tum 29. *Januarii* 1604. & demum die 17. *Junii* 1605. 47

Sequuta fortassis fuit Sacra Congregatio opinionem nonnullorum Doctorum tenentium, expedire hoc delictum Inquisitoribus deferri ex ratione illa, quod Confessarius redditus suspectus de fide ex injuria, quam irrogat Sacramento; *De Leon. de Offic. Confessor. tom.* 1. *recollect.* 22. *num.* 12. *Campanil. diversor. jur. Canon. rubric.* 11. *cap.* 32. *num.* 5. *Trasmier de Polygam. lib.* 3. *qu.* 2. *num.* 30. *in fine*, *& latius num.* 53. aliique plurimi. 48

Sed, ut refert *Albic. de Inconstant. in fide cap.* 35. *num.* 88. 25. *Martii* 1619. ab eadem S. Congregatione fuit resolutum, causam hanc non spectare ad S. Officium, & ita semper fuit postomodum servatum. 49

Cæterum, ut subdit idem *Albic. ubi supra*, & convenit *Auctor num.* 36. prima opinio locum sibi vindicat quando frangens sigillum Confessionis haberet aliquem errorem in intellectu, ut si diceret licitam esse revelationem sigilli, vel aliter ostenderet se male sentire de Ecclesiasticis Sacramentis. 50

Tum etiam procedit prima opinio, si ageretur 51

Ggg 2 de

de Confessario, qui pluries sigillum Confessionis fregit, idque quia ex hisce iteratis actibus insurgeret saltem levis aliqua suspicio Hæresis; *Albic. citato loco*.

52 Et demum amplectenda est prima opinio, si Confessarius frangens sigillum Confessionis esset homo malæ famæ, & alias de Hæresi suspectus; *Albic. eod. loco*.

53 An propter delictum Hæresis licita sit revelatio Confessionis, tum an aliis ex causis possit aliquando esse licita revelatio Confessionis, vide apud *Albic. loco pluries allegato*.

SIMONIA.

Articulus I.

Simonia quoad ea, quæ concernunt ejus originem, naturam, divisionem, materiam, & pretium.

1 Simonia dicta est, & originem traxit a Simone Mago; Licet enim jam a pluribus ante ipsum Simonem Magum vitium istud commissum fuisset, ut a Balaam pretio conducto per Balac Regem, ut malediceret populo Israel, sicuti habetur *Num. c.* 22. a Giezi famulo Elisei Prophetæ ut habetur 4. *Reg. cap.* 5. a Jasone, qui pro Sacerdotio multa talenta Regi Antiocho obtulit, ut patet 2. *Machabæor. c.* 5. & a Juda iniquo Mercatore, qui triginta argenteis vendidit infinitum bonum Christum Redemptorem nostrum, *cap. Qui studet* 11. *caus.* 1. *quæst.* 1. Attamen non ab istis, sed a Simone Mago vitium istud nomen desumpsit. Cum enim hic vidisset, quod per manuum impositionem ab Apostolis daretur Spiritus Sanctus, talem mirabilem virtutem, remque maxime spiritualem vili pecuniarum pretio emere præsumebat, ut expresse habetur *Actor.* 8. ibi: *Obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*: Cujus execrabilem malitiam illico increpans S. Petrus, dixit ad eum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri*. Perfidus enim ille execrabili avaritia repletus intendebat pecunia virtutem illam consequi, ut eamdem cum quæstu, & majori temporali lucro exercere valeret, ut expresse habetur *in cap. Salvator* 8. *caus.* 1. *q.* 3. ibi: *Simon Magus, qui ad fidem ficte accessit, non Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus, (quoniam, ut scriptum est, Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum) sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur*.

2 Simonia *est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pro re temporali ut pretio; Est in re Communis*; Quamvis tamen alii clarius cum Suarez *tom.* 1. *de Religion. tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 1. eam definiant sic; *Simonia est sacrilegium, quo per emptionem, & venditionem, vel similem contractum res spiritualis, ut talis, pro temporali commutatur*. Sic enim comprehenditur omnis contractus etiam innominatus; *Do ut des, Do ut facias &c.*

Simonia ex sua natura est peccatum mortale Sacrilegii gravissimum. *Communis*; Et quod sit Sacrilegium, habetur expresse *ex capit. Audivimus* 1. *caus.* 1. *q.* 3. Per eam enim indigne, ac irreverenter tractantur res Sacræ, seu Spirituales, quod semper est Sacrilegium: quod autem sit peccatum mortale gravissimum, clare habetur *ex Act.* 8. ubi Sanctus Petrus in Simonem Magum cum æternæ perditionis comminatione graviter invehendo dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Unde Urbanus II. *in capit. Salvator* 8. *caus.* 1. *quæst.* 3. ait: *Nec Apostolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene fieri non posse noverat, sed ambitionem quæstus talis, & avaritiam, quæ est idolorum servitus, exhorruit, & tum maledictionis jaculo percussit*. Item quod sit gravissimum peccatum, colligitur ex pluribus Sacris Canonibus, & signanter *ex cap. Quisquis* 5. *caus.* 1. *q.* 1. ubi Simonia vocatur *piaculare flagitium*, *capit. Reperiuntur* 7. *caus. & quæst. ead.* ubi appellatur *execrabile flagitium*, *cap. Eos qui caus. & quæst. ead.* ubi Simoniaci *Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit*, *cap. Patet* 27. *caus.* 1. *quæst.* 7. ubi Paschalis Papa gravissimam hujus vitii malitiam, & pravitatem paucis exprimere volens dixit expresse: *Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur*, & sic ex plurimis similibus. 3

Simonia dividitur in Simoniam Juris Divini, seu Naturalis, & in Simoniam Juris humani, seu Ecclesiastici. Sic Glossa communiter recepta *in cap. Ex part.* 12. *verb. Dimittere, de Offic. Delegat.* & Canonistæ communiter. *Simonia Juris Divini, seu Naturalis* est, quæ prohibetur, quia mala, & repugnans Juri Naturali ac Divino, ut pro re temporali dare, vel promittere rem vere spiritualem, aut annexam, ver. gr. Hostiam consecratam, Sacramenta, Reliquias, Calicem consecratum, & hujusmodi. Et dicitur *simonia Juris Divini, & Naturalis*, quia natura ipsa, seu lumen naturale dictat, nimis indecens malum, & rei Sacræ injuriosum esse res vere spirituales a sola liberali Dei manu dependentes, & omnia temporalia sine comparatione superantes, non ut tales tractare, sed rebus temporalibus æquiparare, & hominum arbitrio, & æstimationi subjicere. *Simonia juris Humani, seu Ecclesiastici* est, quæ mala est, quia prohibita solo Jure Humano, seu Ecclesiastico, & non ex natura rei, seu Jure Divino, & committitur, quando non quidem datur temporale pro spirituali, aut e contra, sed spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali contra Legem tamen Ecclesiasticam ex motivo Religionis positam sub pœnis Simoniæ *Juris Divini* ob periculum, & speciem ejusdem Simoniæ; Et dicitur Simonia *Juris Humani, seu Ecclesiastici*, quia ortum habet a sola Lege Humana, seu Ecclesiastica; Et talis *simonia juris Humani, seu Ecclesiastici* committitur in omni permutatione Beneficiorum facta sine auctoritate Superioris, quia licet 4 5 6

licet per talem permutationis contractum non detur temporale pro spirituali, sed dumtaxat spirituale pro spirituali; Nihilominus quia tamquam Simoniacum, & sub pœnis Simoniæ prohibitum est, ne id propria auctoritate fiat, *cap. Quæsitum 5. cap. Cum olim 7. de rerum permutat.* labem Simoniæ Ecclesiasticæ continet. Item Simonia Juris Humani, seu Ecclesiastici committitur, quando venduntur res, quæ revera tantum sunt temporales, ut cum venditur materia rei spiritualis, quæ secundum se est pretio æstimabilis, verb. grat. Sacrum oleum, vel Chrisma, quod prohibitum est solo Jure Ecclesiastico, *cap. Non satis 8. de simonia*; Vel cum venduntur quædam Officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Ecclesiæ administrationem, ut Officium Thesaurarii, Oeconomi, Sacristæ, & hujusmodi; Quamvis enim hæc Officia sint quid mere temporale, & consequenter in eorum venditione detur solummodo temporale pro temporali, tamen, quia ex quo talia Officia ab Ecclesiastica potestate, & Jurisdictione Prælatorum a Christo data instituantur, Ecclesia id tamquam Simoniacum prohibuit, *cap. si quis Episcopus 8. caus. 1. quæst. 1. cap. Salvator 8. caus. 1. quæst. 3. cap. Consulere 38. de simonia*, cum similibus; venditio hujusmodi labi, & pœnis Simoniæ subjacet. Sic *in re Doctores communiter*.

7 Utraque dicta Simonia, tam Juris Divini, seu Naturalis, quam Juris Humani, seu Ecclesiastici dividitur in Simoniam mentalem, conventionalem,
8 & realem. *Communis*. Simonia mentalis est voluntas, seu propositum internum, quo quis dum dat, seu confert alteri rem spiritualem, intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale, aut e contra dum confert aliquid temporale, intendit illum obligare ad reddendum aliquid spirituale, ut si Episcopus conferat Beneficium Clerico, ut ideo in compensationem obligatus sit ei servire, aut Clericus serviat Episcopo ea intentione, ut in mercedem debitam conferat Beneficium, & tandem Beneficium conferatur nulla tamen exterius reali, vel signis facta conventione, seu pacto; Unde, ut vides, hæc Simonia dicitur mentalis, non quia sit nudum propositum committendi simoniam, etiamsi in nullum actum exteriorem exeat, uti datur etiam mentalis fornicatio, homicidium, & hujusmodi, sed quia licet externum actum habeat, v. gr. collationem rei spiritualis pro intenta re temporali, aut e contra; malitia tamen illius Simoniacæ intentionis se non prodit exterius, sed in sola mente re-
9 manet. *Communis*. Et hæc Simonia mentalis, quamvis sine dubio sit grave peccatum a Deo cordium Scrutatore districte puniendum, nullam tamen in quacumque materia inducit pœnam Canonicam ab Ecclesia infligendam, cum ipsa judicet solum de externis, & manifestis, & talis Simonia mentalis in foro externo probari non possit. Sic *Doctores comm.* per text. *in c. Tua nos 34. & c. Mandato nostro 46. de Simonia*.

10 Simonia conventionalis, quæ supra mentalem addit conventionem, seu pactum, est illa, quæ fit cum externo pacto, seu conventione expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi quidpiam spirituale pro temporali, aut temporale pro spirituali, conventione tamen nondum impleta saltem ex utraque parte: adeoque jam gravius peccatum, quam Simonia mentalis; Unde committitur Simonia conventionalis, non tantum, quando v. gr. collato Beneficio non est solutum pretium, aut quando soluto pretio, non est collatum Beneficium, sed etiam quando neutrum datum est, si de dando pactum, seu conventio præcesserit. *Sic Communis Doctorum*, per textum *in cap. Cum essent 13. de Simonia*; Et hæc 11
Simonia conventionalis nullam adhuc inducit pœnam Canonicam, non solum quando conventio ex neutra parte impleta est, ut tradit *Communissima Doctorum*, sed etiam quando est jam impleta ex una parte, & id non solum si quis rem temporalem v. gr. pretium dedisset, spirituale tamen v. g. Beneficium nondum recepisset, quia Jura imponentia pœnam Simoniacis requirunt traditionem rei spiritualis; Verum etiam, si spirituale jam datum esset, sed temporale nondum receptum; Sic ex Communi docent Sanch. *consil. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 10. num. 106.* Reiff. *loco cit. n. 229.* Navarr. *in Manual. c. 23. num. 104.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 27.* & alii testantes ita servare stylum Curiæ, qui habetur pro Jure, & Lege juxta communem Doctorum, *arg. c. Ex litteris 11. de Constitutionibus & cap. Quam gravi 6. de crimine falsi*; at de hoc fusius *infra art. 3.*

Simonia conventionalis alia vocatur *pure conventionalis*, & est illa, quæ sistit in pura mutua conventione, & ex neutra parte traditione rei conventæ impleta est; Et alia vocatur *conventionalis mixta*, & est illa, quæ ultra mutuam conventionem jam saltem ex una parte traditione rei conventæ impleta & consummata est; & dicitur *mixta*, quia participat aliquid de pure conventionali, nempe mutuam conventionem, & aliquid de Simonia reali, nempe traditionem rei conventæ saltem ex parte unius contrahentis. *Communis*. 12

Simonia realis, quæ supra Mentalem, & Conventionalem importat executionem utrinque factam, est quando conventio de danda re spirituali pro temporali, aut e contra, ex utraque parte completa est saltem inchoative, spirituali scilicet dato, & temporali saltem ex parte recepto, ut si conventa collatio Beneficii facta jam sit, & pretii saltem pars sit soluta. Et hæc realis, & completa Simonia inducit gravissimas pœnas Canonicas, de quibus fuse *infra art. 3. Communis*. 13

Ultra supradictas alia additur species Simoniæ, quæ dicitur *Confidentialis*, seu *Confidentia Beneficiorum*; & est, seu committitur, cum quis alicui dat, vel confert, aut resignat Beneficium Ecclesiasticum, vel ad illud præsentat, & eligit, seu electum, vel præsentatum, instituit, & confirmat cum certa confidentia, & obligatione, idest cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut tamquam ex debito illud sibimet, vel alteri, ut Fratri, Nepoti, Amico certo tempore iterum cedat, seu resignet, aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum tribuat. *Communis*, & clare patet ex Constitut. 85. Pii IV. incip. *Romanum Pontificem*, & ex Constit. 85. S. Pii V. incip. *Intolerabilis*, ubi declaratur, quando & a quibus committatur dicta *Simonia Confidentialis*, quomodo ob eam incurrantur pœnæ, 14

næ, & quomodo in Foro externo probari possit; Unde ad uberiorem, & faciliorem notitiam hic ad litteram datur illa Sancti Pii V. incip. *Intolerabilis*.

15 *Declaratio casuum, ac præsumptionum in causis Confidentiæ Beneficialis contra quoscumque etiam S. R. E. Cardinales cum appositione pœnarum.*

PIUS V. &c

INtolerabilis multorum perversitas, qui Sacrosanctas Constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur; sæpe illarum auctores in necessitatem adducit cautius providendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus graviore sanctione proposita reprimantur.

§. 1. *Bene quidem, & providenter fel rec. Pius Papa IV. prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ emancipationis Beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam statuit & decrevit.*

§. 2. *Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod Judices in causis hujusmodi confidentiarum expediendis, remissiores essent, omnes, & singulas causas ipsas ubicumque, inter quoscumque motas ad Nos advocavissemus, ac omnimodam hujusmodi causarum, præsentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem Nobis, & Successoribus nostris reservavissemus, & super quibusdam coram Nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occulte irrepsisse, sed plerisque causis præsumptiones, & conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante Litterarum prædictarum editionem hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in Judiciis confidentias ipsas, contempta Constitutione prædicta, Ecclesias, Monasteria, & Beneficia sic recepta ut prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias res accipere; alios eorum exemplo ad similia, & graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa Beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad Sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolutione consecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe Laicis, & inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut Beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt in alios, qui vel profanam familiam de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nasciturís asservent, sacro interdum circuitu retrocessionis cum reservatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis, qui præstandorum juriumCam. Ap. sunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis Beneficiis Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico Ordine se mancipare refugientes, aut mere Laici Beneficia Ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum; Ad hæc plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorumdem, aliisve faciant ministrari: Alia item permulta hujuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinæ Ecclesiasticæ nervus disrumpitur, & imminens paratur exitium animarum.*

§. 3. *Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi juris subsidio cobibere, præsentium auctoritate statuimus.*

Ut si quis quacumque auctoritate, Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud Beneficium Ecclesiasticum qualecumque, ex resignatione, vel cessione cujuscumque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittatur, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.

Itidem si Ordinarius, vel alius Collator contulerit antehac, aut conferat in futurum Beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cujuscumque contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut eo provisus, fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum Conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat, & pariter si a Patrono etiam Laico, vel alteri præsentatori, seu electori contingat id fieri.

Ad hæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius a solutione jurium ipsius Cameræ vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, vel cessionem alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio Beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam, vel illud etiam confectis Litteris Apostolicis, & possessione apprehensa in eumdem resignantem, vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum, vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterii, aut Beneficii, vel eorum, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam, vel illud ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit fuertive concessus.

Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super Irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud Beneficium, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta, casusque hujusmodi Litteris prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§. 4. *Ad probandum vero plene Confidentiarum abu-*

abusum inter alias etiam hæ præsumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ. Videlicet.

Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium, aut Beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a Successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque successor illi, vel ejus propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem.

Si recipiens Beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel sola Procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

§. 5. *Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de Beneficio Ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque.*

§. 6. *Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones, & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.*

§. 7. *Ceterum criminosi, & ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus Simoniæ testimonium, recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.*

§. 8. *Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se judicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris Censuræ stimulo usquequaque prohibeatur, omnes, & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, Pensiones, aliasve res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, & resipiscentes celeri demissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus, & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Administrationibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, nec non fructibus, Pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis Officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris subsidium Excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus nisi in mortis articulo constitutus ab alio, quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione causarum hujusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, & prædictis Successoribus, ut prædictum est, facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram Nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra Ordinarios Collatores, Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, uti jam aliis nostris Litteris statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicumque aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, interpretari, & definiri debere, nec non irritum, & inane quidquid secus in prædictis per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 9. *Quo circa omnibus Locorum Ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis ad prædicta studiose attendant, & quatenus illis relaxavimus in delinquentes severe animadvertant, si Divinæ Majestatis Judicium, dictæque Sedis Censuram voluerint evitare. In ceteris vero causis, & negotiis (Nobis, & prædictis Successoribus exceptis) eosdem Locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, ut gratia, & favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones omnes Sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant; ut Nos, & prædicti Successores, in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis prædictos omnes, & quoscumque alios etiam exemptos, etiam per Edictum publicum, constito prius summarie, & extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu citandi, & monendi, eisque, ac Judicibus ordinariis, & delegatis, aliisque personis quibuscumque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile Edictum inhibendi, eosdem, ac alios contradictores, & rebelles quoscumque per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia juris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii sæcularis quandocumque opus erit, invocandi, ceteraque in prædictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem.*

§. 10. *Non obstantibus fel. rec. Bonifacii VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis aliisque Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, quodque Episcopis, Collatoribus, & Prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad judicium trahi non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium, aut attributæ prædictis Ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocumque, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.*

§. 11. *Litteris prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.*

Volu-

§. 12. *Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati Sigillo obsignata eamdem illam prorsus fidem, in Judicio, & extra ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.*

Nulli ergo omnino &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domini 1569. Kal. Junii, Pontific. nostri anno 4.

16 Materia Simoniæ est res spiritualis, seu spirituali annexa. *Communis*.

17 Per *rem autem spiritualem*, pro qua tanquam materia, seu merce datur temporale vi Simoniæ, non intelligitur res incorporea, ut Angeli, seu anima rationalis, sed omne, & solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem pertinet, & ad spiritualem animæ salutem ex institutione Divina, vel humana est ordinatum. *Communis*, *arg. cap. Gratiæ* 1. *cap. Qui studet* 11. *caus.* 1. *quæst.* 1. cum similibus.

18 Et hujusmodi *res spirituales* sunt omnes gratiæ gratum facientes, & gratis datæ. Omnia Sacramenta, & Sacramentalia. Omnia Divina Officia, & Orationes publicæ, & privatæ. Omnis actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut absolutio a peccatis, & Censuris, collatio Indulgentiarum, dispensatio in votis, & juramentis, electio, postulatio, præsentatio, nominatio, institutio, collatio, Investitura cujuscumque Beneficii, Officii, ac Dignitatis Ecclesiasticæ, & hujusmodi, quæ ne Simoniace præstentur, seu efficiantur, passsim prohibetur. Sic Doctores communiter per text. *Actor. Apostolor. cap.* 8. *num.* 20. ibi: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. *Matth. cap.* 10. *num.* 8. ibi: *Gratis accepistis, gratis date*, *cap. Gratiæ* 1. *cap. Quisquis* 5. *cap. Reperiuntur* 7. *cap. Cui per pecuniam* 9. *cap. Qui studet* 11. *cap. Eos qui* 21. *& cap. Nullus Episcopus* 124. *caus.* 1. *quæst.* 1. *cap. Non satis* 8. *cap. Cum in Ecclesiæ* 9. *cap. De hoc* 11. *cap. Nono* 14. *cap. Veniens* 19. *cap. Ex tuæ* 20. *cap. Ad nostrum* 21. *cap. Matthæus* 23. *cap. Ad aures* 24. *cap. De Regularibus* 25. *cap. Nobis fuit* 27. *cap. Suam* 29. *& cap. In tantum* 36. *de Simonia*, cum similibus.

19 Per *rem spirituali annexam* intelligitur illa, quæ quidem in se, & intrinsece spiritualis non est, sibi tamen annexam, & conjunctam habet rem spiritualem, indeque *materia*, seu *mercem* Simoniæ ingreditur. *Communis*, *arg. cap. Si quis Dator* 2. *cap. Si quis Episcopus* 3. *cap. Quæsitum* 4. *cap. Si quis objecerit* 7. *caus.* 1. *qu.* 3.

20 Et hujusmodi *res spirituali annexæ* sunt Jus patronatus, reditus, Beneficiorum Pensiones, Primitiæ, Decimæ, Oblationes, seu Jura has percipiendi, Labor actualis in administratione Sacramentorum, & celebratione Missarum, Templa, Altaria, Calices, Vasa, & Paramenta Sacra, Agnus Dei, & omnes aliæ res consecratæ, seu benedictæ, quæ omnes ratione, & intuitu talis connexionis cum consecratione, seu benedictione, vel cum Beneficio, seu Officio, aut Ministerio spirituali sunt *materia*, seu *merx* Simoniæ; Unde qua tales vendi, & emi, & in commercium poni passim prohibetur in Jure, ut notant communiter Doctores per text. *in cit. cap. Si quis Dator* 2. *cap. Si quis Episcopus* 3. *cap. Quæsitum* 4. *cap. Si quis objecerit* 7. *cap. Salvator* 8. *cap. Ex multis* 9. *cap. Res Ecclesiæ* 12. *cap. Pervenit* 13. *cap. Altare* 14. *& cap. Si quis Præbendas* 15. *caus.* 1. *quæst.* 3. cum similibus.

Pretium Simoniæ Juris Divini est omnis, & sola 21
res temporalis, quæ datur, vel offertur pro re spirituali, vel spirituali annexa. *Communis*, per text. *Act. Apostolor. cap.* 8. *num.* 20. *Matthæi cap.* 10. *n.* 8. *cap. Gratiæ* 1. *cap. Quisquis* 5. *cap. Reperiuntur* 7. *cap. Qui per pecuniam* 9. *cap. Qui studet* 11. *cap. Eos qui* 21. *cap. Nullus Episcopus* 124. *caus.* 1. *q.* 1. *cap. Non satis* 8. *cap. Cum in Ecclesia* 9. *cap. De hoc* 11. *cap. Nemo* 14. *cap. Ad nostram* 21. *cap. Ad aures* 24. *cap. Nobis fuit* 27. *cap. Suam* 29. *de Simonia*, cum similibus.

Dicitur autem notanter *Pretium Simoniæ Juris* 22
Divini, quia pretium Simoniæ *Juris Ecclesiastici* potest esse etiam aliquid spirituale, ut patet in materia Beneficiorum, quæ licet sint quid spirituale, nihilominus si propria auctoritate fiat illorum commutatio, aut transactio in materia, committitur Simonia Juris Ecclesiastici, quamvis solum detur spirituale pro spirituali, *cap. Quæsitum* 5. *cap. Olim* 7. *de rerum permut. cap. Cum pridem* 4. *de pactis*, *cap. Constitutio* 4. *de transact.*

Extra tamen materiam beneficiorum numquam 23
committitur Simonia, etiamsi propria auctoritate detur spirituale pro spirituali, v. Reliquia pro Reliquia, Calix pro Calice, seu ciborio, & hujusmodi. *Communis*; Et ratio est, quia id nullo Jure, nec Divino, nec Humano reperitur prohibitum; immo id licere constat ex Sacra Scriptura. *Joann.* 1. ibi: *Gratiam pro Gratia*. Nulla enim irrogatur injuria rei Sacræ, cum datur non pro rè temporali, sed solum pro spirituali.

Pretium simoniacum in Jure vocari solet *Munus*, 24
non quidem prout *Munus* significat Donum gratuitum, sed prout importat onus, seu debitum ex obligatione. *Munus* enim accipitur tribus modis, quorum unus est prout importat dictum onus, ut expresse habetur *in l. Munus tribus modis* 18. *ff. de verb. signif.*

Pretium, seu Munus Simoniacum dividitur in 25
munus a manu, Munus ab obsequio, & Munus a lingua. *Communis*, textu expresso *in cap. Sunt nonnulli* 24. *caus.* 1. *qu.* 1. ubi S. Gregorius Papa sic habet: *aliud est munus a lingua*: *Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa*, *Munus a manu pecunia est*, *Munus a lingua favor*.

Per *Munus igitur a manu* intelligitur pecunia, *cit.* 26
c. Sunt nonnulli, ibi: *Munus a manu pecunia est*; Pro pecunia autem venit omnis res temporalis pretio æstimabilis, sive mobilis, sive immobilis, ut sunt equi, currus, vasa argentea, aurea, dolia vini, Jura, census, pensiones, mutatio pecuniæ, debiti remissio, seu dilatio, aut anticipata solutio debiti nondum finito termino, & hujusmodi. *Communis*, per text. *in c. Totum* 6. *caus.* 1. *qu.* 3. ibi: *Totum quidquid homines habent in Terra*, *omnia quorum domini sunt*, *pecunia vocatur*, *servus*, *vas*, *ager*, *arbor*, *pecus*, *quidquid horum est*, *pecunia* dici-

dicitur; Ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habebant, in pecoribus habebant.

27 *Per munus ab obsequio* intelligitur quodcumque ministerium, servitium, seu obsequium temporarale tacito, vel expresso pacto pro re spirituali præstitum, vel præstandum, & hoc præsertim pro Beneficio, ita nimirum ut Beneficium detur, & acceptetur in compensationem ejusmodi ministerii, servitii, seu obsequii, veluti in mercedem, & solutionem ex justitia loco alterius mercedis temporalis solvendæ. *Communis, argum. cap. Cum essent 12. de Simonia, & cit. cap. sunt nonnulli*, ibi: *Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa.*

28 *Per Munus a lingua* intelligitur omnis laus, commendatio, patrocinium, advocatio, intercessio, & hujusmodi apud alium, ver. g. apud Episcopum ex pacto conventa, tamquam res ex justitia debita in compensationem pro re spirituali ver. gr. pro Beneficio. *Communis, arg. cit. cap. sunt nonnulli*, ibi: *Munus a lingua favor.*

29 Ad Simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inchoatum, aut intentum dandi temporale pro spirituali, aut e contra. *Communis.* Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inchoatum, vel intentum, quo quis temporale dat animo, & intentione alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, aut e contra. *Communis* per textus *in cap. Et si quæstiones* 18. *& cap. Tua nos* 34. *de simonia* cum similibus. Unde Innocentius XI. *die* 2. *Martii* 1679. merito damnavit sequentem propositionem 45. in ordine: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra;* Et insuper hanc aliam sequentem 46. in ordine: *Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale. Immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis;* In quibus propositionibus supponitur, quod temporale pro spirituali detur cum aliquo pacto saltem implicito, aut interpretativo, ut exponunt Viva *ad ipsas propositiones n.* 1. Sporer *loco cit. n.* 36. & alii.

31 Hinc colliges primo, quod pactum etiamsi solum obliget ex benevolentia, gratitudine, ac fidelitate, & non ex justitia, adhuc continet Simoniam, superaddit enim novum gravamen pretio æstimabile, quia qui pactum hujusmodi non servat, esto alia via obligationi gratitudinis fatisfaciat, notatur saltem ut infidelis; Tum quia gratitudo non obligat ad aliquod determinate præstandum, sicuti obligat pactum illud prævium, adeoque &c. Unde Simoniaca sunt omnia hujusmodi pacta expresse, vel tacite facta, verb. gr. *Si mihi contuleris Beneficium, obligo me ex gratitudine ad tibi præstandum famulatum sine ulla mercede.* Item: *Si mihi conferes Beneficium, dabo tibi vas argentum, non tamquam pretium, sed veluti motivum compensationis.* Item: *Si des mihi liberaliter vestem, dabo tibi liberaliter Beneficium.* Et sic de aliis similibus, in quibus omnibus committitur Simonia, quia quamvis dicatur signate id fieri ex gratitudine, ex liberalitate, in compensationem, & hujusmodi, exercite tamen admittitur nova obligatio distincta a debito gratitudinis, liberalitatis, & compensationis, sicque revera non est gratitudo, liberalitas, seu compensatio, sed pretium saltem æquivalenter, & consequenter adest in his vera Simonia. *Sic jam Communis* post damnationem duarum allatarum propositionum, unde non sunt amplius attendendi Doctores, qui contrarium antea scripserant.

Colliges secundo, quod, qui dat aliquid temporale, tamquam motivum alicujus spiritualis sibi reciproce dandi, ver. gr. ut alter moveatur ad conferendum sibi Beneficium, committit Simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat Beneficium quamvis nullum aliud pactum, ne implicitum quidem interveniat. Sic tenent jam passim Doctores cum Carden. *dissertat.* 27. *cap.* 2. *ad dictas propositiones damnat.* Viva *ibidem*. Reiffenstuel *loco cit. a num.* 77. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 73. & clare patet ex citatis propositionibus damnatis, & insuper *ex cap. Tua nos* 34. *de Simonia*, ibi: *si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in Fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio, tam ille, quam illi apud districtum Judicem, (qui est Scrutator cordium, & cognitor Secretorum) culpabiles judicantur.* Et concordat *capit. Et si quæstiones* 18. *de Simonia*, ibi: *Quod autem scriptum est (beatus qui excutit manus suas ab omni munere) de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, & pervertere solent.* Et ratio est clara, quia dans taliter temporale, proxime parat sibi viam ad Beneficium; & ob id motus conferens illi Beneficium, dat spirituale pro temporali, quod vere est simoniacum. 32

Colliges tertio, quod non sit Simonia dare, seu præstare temporale sub spe consequendi spirituale si spirituale non principaliter, & primario, sed solum secundario, & minus principaliter intendatur; Secus autem si spirituale intendatur principaliter, & primario; Unde Clericus, si suum famulatum præstet Episcopo intendens ob id principaliter, & primario consecutionem Beneficii, est Simoniacus; Secus autem si principaliter, & primario intendat gratiam Prælati, seu cognitionem suæ habilitatis apud ipsum, & inde secundario speret consequi Beneficium; Sic expresse Glossa communiter recepta *in cap. Cum essent* 12. *de Simonia verb. Promiserat*, ibi: *Potest ergo licite quilibet servire Episcopo, vel alii spe futuræ remunerationis, nec committitur Simonia in tali spe, cum sine omni pactione, vel conditione serviat. Dummodo principaliter hac intentione non serviat.* Et sic tenent Abbas *in cit. cap. Cum essent num.* 4. Barbosa *ib. num.* 4. Silvester *verb. Simonia quæst.* 16. *dict.* 4. Navarrus *in Manual. cap.* 23. *n.* 102. Suarez *de Relig. lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 4. ubi dicit, hanc esse sententiam omnium; Pirhing *lib.* 1. *decret. tit.* 3. *num.* 86. Reiffenstuel *ibid. num.* 86. *& seq.* ubi dicit, esse in re communissi- 33

nissimam Theologorum, & Canonistarum, per textus *in cit. cap. Tua nos* 34. *de Simonia*; Ubi postquam Summus Pontifex, Innocent. III. de Clerico, qui bona sua offerens Ecclesiæ rogavit, & speravit recipi in Canonicum, ita respondit: *Si pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet rogans humiliter, in Canonicum admittatur, & bona sua sibi retinere liceat pro Præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo Simoniacæ pravitatis*. Statim subjungit: *Si tamen, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia dona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in Fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur*. Quid clarius?

34 Colliges quarto, quod dare ex gratitudine temporale pro spirituali jam accepto, vel e contra, sit Simonia, si fiat vi pacti, aut contractus taciti, vel expressi ante collationem rei spiritualis jam facti; Secus autem si ex mera gratitudine sine ullo præcedenti pacto id fiat. *Sic fere communis Doctorum*. Et quidem quoad primam partem clare patet ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. & relatis *sub num.* 30. Et quoad secundam partem clare habetur *ex cap. Quidquid* 101. *caus.* 1. *quæst.* 1. ibi: *Nisi voluntarie oblata*, *cap. Dilectus* 30. *de Simonia*, ibi: *illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione oblatum*, *cap. Et si quæstiones* 18. *eod.* cum similibus; Et id patet ex communi recepta praxi, & universali consuetudine, qua, ut observat Navarr. *Manual. cap.* 23. *num.* 106. fere omnes Ecclesiarum Prælati, Jurium peritissimi, & conscientia timoratissimi beneficia Ecclesiastica conferunt iis, qui de se, vel Ecclesia per dona, & obsequia temporalia sunt benemeriti, ut sic obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis*, qua illi sunt obligati, rependendo spirituale pro temporali satisfaciant. Item ubique terrarum viget praxis, & consuetudo, quod piissimi, doctissimique viri post acceptum jam spirituale, ver. gr. beneficium Ecclesiasticum ad satisfaciendum obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis* sine ullo scrupulo offerant temporalia dona suis benefactoribus, istique ex gratitudine sine ullo prævio pacto tacito, vel expresso, data recipiant. Quinimmo Sacra approbante, & commendante Scriptura omnes Fideles obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis*, qua aliis ob accepta beneficia temporalia adstringuntur, satisfacere conantur per spiritualia, fundendo videlicet preces, offerendo Sacrificia, & hujusmodi pro dictis suis benefactoribus. Et sic alii propter beneficia spiritualia a Religiosis v. gr. accepta, ex gratitudine temporalia reddunt, & subministrant, id expresse approbante Paulo Apostolo 1. *Ad Corinth. cap.* 9. *num.* 1. ibi: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

35 Dantur tamen multa spiritualia, ob quæ, quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob specialem Juris prohibitionem, ut patet de examinatoribus Synodalibus, qui nec ante, nec post concursum possunt aliquid etiam sponte & gratuito oblatum a concurrentibus pro Parochis acceptare, id expresse prohibente Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat.* cap. 18. Item pro collatione ordinum, nec etiam gratis oblata recipi possunt, id expresse vetante eod. Concil. Trid. *sess.* 21. *de reformat.* Item neque ante, nec post possunt etiam gratis oblata recipi pro recognitione, aut expeditione indulgentiarum, reliquiarum, & hujusmodi, de quibus in suis propriis locis.

Colliges quinto, quod Simoniam committit, qui 36
temporale promittit, dat, vel præstat alteri, v. g. ministro, vel familiari, aut amico Episcopi, seu præsentatoris, vel patroni beneficii hac sola, seu principali intentione, seu hoc primario, vel solo motivo, ut apud Episcopum, seu præsentatorem, vel patronum intercedat, roget, vel ipsum efficaciter commendet in ordine ad obtinendum ipsum beneficium Ecclesiasticum. Talis enim per temporale parat sibi viam ad acquirendum spirituale, & revera illud temporale pro isto spirituali promittit, dat, seu præstat. Sic Barbosa *in cap. Nemo n.* 4. *de Simonia*, Silvester verb. *Simonia quæst.* 6. Layman *de Simonia* §. 6. *num.* 65. Navarr. *Manual. cap.* 23. *num.* Bonacina *de Simonia quæst.* 1. §. 1. *n.* 14. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 122. *& seq.* cum communi, & certa aliorum, *arg. cap. Præsentium* 3. *caus.* 1. *quæst.* 5. ubi tamquam Simoniaca reputatur promotio ad Sacerdotium obtenta per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam principali ejus, idest alicui familiari, vel principali ministro illius datam, & *cap. Statuimus* 107. *caus.* 1. *quæst.* 1. ubi Nicolaus Papa tres enumerat species Simoniæ, quarum unam esse asserit, quando *Simoniaci Simoniace a non Simoniacis ordinantur*; idest quando ordinandi pecuniam, seu aliud temporale promittunt, dant, seu præstant non Episcopo, sed alicui ejus familiari, & amico hac primaria vel sola intentione, ut ipsis ab Episcopo hujus ignaro promotionem ad ordines impetrent, seu obtineant.

Colliges sexto, quod Simoniam committat, qui 37
certat, & spondet cum Episcopo, seu collatore beneficii pro mille aureis, quod ipse beneficium non sibi, sed alteri sit collaturus. *Communis*. Et ratio clara est, quia illa astutia intendit movere Episcopum, seu collatorem ad sibi conferendum beneficium, cum æquivalenter faciat, ut ipse pro illa pecunia acquirenda sibi beneficium conferat lucrando mille aureos ex illa sponsione, quæ est revera palliata Simonia, cum sic non sit sponsio, sed emptio.

Colliges septimo, quod conferens beneficium pecu- 38
nia interveniente, si arbitrium vendat, ipsum beneficium vendit Simoniace. In tali enim casu Simoniace pretium accipit, & quamvis oretenus dicat se vendere suum arbitrium, revera tamen beneficium vendit, & peccat tum contra Religionem, tum contra Justitiam; Colligitur aperte ex sequenti propositione 22. in ordine inter merito damnatas ab Alexandro VII. die 7. Septemb. 1665. ibi: *Non est contra Justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia Ecclesiastica interveniente pecunia, non exigit illa pro Collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi confer-*

ferre non tenebatur. Viva *ad d. propositionem n. 5.* Suarex *lib. 3. de Simonia cap. 59.* & alii.

39 Colliges octavo, quod non sit Simonia conferre alicui beneficium Ecclesiasticum, seu aliud spirituale intuitu consanguinitatis, affinitatis seu amicitiæ. Sic S. Thomas 2. 2. *qu.* 100. *art. 6. ad 2.* Navarrus *Manual. cap. 23. num.* 107. Azorius *part. 3. lib. 12. cap. 2.* Pirhing *lib. 5. Decret. tit. 3. num.* 139. Reiffenstuel *ibid. num.* 132. & alii passim. Quamvis enim talis collator aliunde peccet, si intuitu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiæ conferat beneficia, seu alia spiritualia indignis, vel minus dignis, dignioribus neglectis, Simoniam tamen ob id non incurrit, cum nullum interveniat pactum, nec detur aliquid temporale pro spirituali; Tum quia, si id esset Simonia, esset etiam Simonia fundere preces, offerre Sacrificia pro aliquo intuitu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiæ, quod non est dicendum.

(*) ,, At Simonia est si conferas, vel procures beneficium consanguineo aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si beneficium procures extraneo ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi. Ita S. Thomas in 4. dist. 25. quæst. 3. ad 7. ubi ait: *Qui dat ratione consanguinitatis præbendam si intendit aliquod bonum in seipsum redundans sic, quod magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua; vel quod ipse in consanguineis sit fortior, & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, simoniam committit* ,,. Antoine in tractat. de virtute Religionis cap. v. art. III. in resp. ad quæst. XIV. (*)

40 Colliges nono, quod non sit Simonia conferre beneficium, seu aliud spirituale propter preces armatas, seu gravem metum incussum; Dummodo tamen nullum interveniat pactum. Suarez *lib. 4. de Simonia cap. 37. num. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 35. num. 119.* Reiffenstuel *loco citat. num. 66.* La Croix *loco cit. num.* 84. Pirhing *loco cit. num.* 141. testans de communi; Et ratio est, quia, cum ibi nullum interveniat pactum, talis collatio beneficii non fit tamquam pretium cum quo cessatio injuriæ, seu metus incussi commutetur, sed solum tamquam medium spirituale offertur gratis ad tollendam injustam vexationem temporalem; Secus autem esset dicendum, si collatio beneficii fieret cum pacto, & conditione, quod alter in futurum nullum damnum inferret collatori, sed potius eum defenderet, quia tunc ratione talis pacti, & novæ obligationis alteri impositæ in commodum ipsius collatoris esset Simonia, quia talis obligatio est pretio æstimabilis, adeoque &c.

41 Colliges decimo, quod non sit Simonia, si quis dat pecuniam infideli, ut recipiat baptismum, hæretico, seu peccatori, ut convertatur, Juveni, ut fiat Clericus, dotem puellæ, ut fiat monialis, & hujusmodi. *Communis*. Et ratio est, quia in dictis casibus nullus intervenit contractus onerosus, sed solum gratuita promissio, seu donatio, quamvis sub conditione, & justissimo fine, quæ conditio, seu finis cedit non in commodum dantis, sed solum im spiritualem utilitatem recipientis, ut de se patet.

Alia ad rem. Vide verb. *Beneficia*, verb. *Juspatronatus* verb. *Resignatio Beneficiorum*, & signanter verb. *Electio art. 3. num. 26.* ubi datur per extensum Constitutio Innocentii XII. de illicitis capitulationibus, & aliis multis ad rem. 42

* Commendæ, prioratus atque præceptoriæ ordinis Hierosolymitani a Canonistis quidem tamquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pactiones, & munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu Theologi, animadvertentes non esse illis adnexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri Clericis; quæ duo exigunt beneficia, quamquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere adnisus est Clemens XI. in suo Brevi ad magnum magistrum ejusdem ordinis, in quo etiam declarat, collationes hasce nullas & irritas esse, & fore. *De Synod. Diœc. lib. 12. cap. 5. §. 15. nov. edit.*

Additiones ex aliena manu.

Mercari Ecclesiam, vel officium Sacrum, per ordinationem conferendum, esse idem flagitium censuerunt Patres, quod Simon magus commisit *Act. VIII. relatum cap. 5. 6. 7. C. 1. q. 1.* Hoc quum omnium confessione constaret, illud inter gravissima scelera referendum, & primo quasi loco collocandum esse rati sunt, ita ut *Gratianus*, & *D. Raymundus de Pennafort* primum locum inter Ecclesiastica delicta ei dederint. 44

Conceptus vero Simoniæ tam prolixum pedetentim ambitum accepit, ut quæ definitio ei conveniat, & facinus idem, quod Simon commisit, exprimat, non constet evidenter. Ex mente D. Thomæ definiri a plerisque solet: *Determinata voluntas ad emenda, & vendenda spiritualia, iisque adnexa.* 46

Simonia in duas commode species dividi potest, primariam, & secundariam. Illa ambitum Ecclesiasticum, hæc vero reliquas species, quæ potissimum circa sacras actiones occupantur, complectitur. 47

Non conveniunt vero omnes circa ea, quæ referenda sunt ad Simoniam secundariam. 48

Fata hujus criminis historice optime illustravit, & insigni rerum copia exornavit Thomassinus *par. 3. vet. & nov. Eccles. disciplin. lib. 1. cap. 49. & seq.* Feliciori vero conatu fata hujus criminis, tum latissimum ejus ambitum explicuit tradiditque Perischius *in tractat. de Simonia*, Succinctior est Hannius *de crimin. ambit. Eccles. seu Simonia.* 49

Articulus II.

Quoad ea, quæ concernunt Simonias, quæ committuntur in electione, præsentatione, permutatione, & resignatione beneficiorum. In ingressu, & receptione ad religionem, & in administratione Sacramentorum, & Sacramentalium, & præstatione functionum, & actuum spiritualium.

1 Electio evadit Simoniaca, & consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua Prælatura, seu dignitate datur, seu præstatur aliquod temporale munus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio; *cap. Quam pio* 2. *caus.* 1. *quæst.* 3. *cap. Nos satis* 8. *& c. Mandato* 46. *de Simonia*, *cap. Monachi* 3. *de statu Monach.*

2 Et talis electio de Jure est nulla, etiam ante Judicis sententiam. Vide verb. *Electio art.* 4. *num.*60. ubi dantur ad id Jura.

3 Talis electio est nulla, etiamsi Simonia sit occulta. Vide *ibid. num.* 61.

4 Immo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret Simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem, nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico. Vide *ib. num.* 62.

5 Hinc Simoniace electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renunciare Episcopatum, Prioratum, rectoratum, guardianatum, definitoriatum, provincialatum, generalatum, nec absolvi potest, priusquam renunciet. Et hoc etiamsi Simonia sit occulta, sive commissa sit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis ipso quoque nesciente. Vide *ibid. num.* 63.

6 Assignantur variæ electiones Simoniacæ, & nullæ propter illicitas pactiones electorum. Vide *ib. num.* 64.

7 Patroni a præsentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum; *cap. Sicut* 2. *de supplenda negligentia Prælator. cap. Præterea* 23. *de Jurepatronat.* Vide verb. *Juspatronatus art.* 4. *num.* 20.

8 Præsentatio est Simoniaca, quando aliquid datur, vel promittitur pro habendis vocibus, seu præsentationibus patronorum, *arg. cap. Veniens* 16. *de Simonia*. Vide *ibid. num.* 21.

9 Quamvis id fiat etiam ipso præsentato ignorante; *cap. Si alicujus* 59. *de electione cap. Nobis* 27. *de Simonia*. Vide *ib. num.* 22.

10 Resignatio beneficii cum reservatione regressus, ingressus, vel accessus non potest fieri in manibus ordinarii Papa inferioris, sed solum in manibus Summi Pontificis. Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 7. S. Pius V. Constitut. incip. *Romani Pontificis providentia*. Vide verb. *Resignatio num.* 48. Quid autem sit regressus, & ingressus? Vide *num.* 10.

11 Resignatio beneficii facta cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas factas olim a resignante in assecutione illius beneficii, est Simoniaca. Unde non potest fieri in manibus ordinarii Papa inferioris. Vide *ibid. num.* 50.

Resignatio facta cum pacto, ut Resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione resignationis, atque expeditione Bullarum ab utraque parte ceteroquin faciendas, est Simoniaca, nec potest admitti ab Ordinario Papa inferiore. Vide *ibid. num.* 51. 12

Potest tamen fieri talis conventio, & pactio cum facultate, & approbatione Summi Pontificis. Vide *ibid. num.* 52. 13

Resignatio beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, & Simoniaca Simonia confidentiali. Vide *ibid. num.* 53. *& per tot.* ubi multa *de Resignatione, & permutatione beneficiorum*. 14

Pro voto habendo promittere beneficium, aut officium Ecclesiasticum, seu spirituale, est Simonia, & multo magis, si fiat reciproce talis promissio, aut pactum, verb. grat. *Dabo tibi tale beneficium, si dederis mihi tuum votum. Vel dabo tibi meum votum, si conferes mihi tale Ecclesiasticum Officium, seu beneficium. Communis*, per text. *in cap. De hoc* 11. *de Simonia*. 15

Simonia est dare temporale, ne eligatur dignus. Glossa communiter recepta *in cap. Nemo* 14. *de Simonia verb. Celet*, & *ibi* Abbas *num.* 1. Pirhing *loco cit. num.* 87. Reiffenstuel *loco cit. num.* 144. & alii passim, *argum. cap. Nullus Episcopus* 124. *§. Si qui autem caus.* 1. *num.* 1. Et ratio est, quia Simonia committitur, non solum quando datur spirituale pro temporali, sed etiam quando quis spirituale, quod impendere tenetur pro temporali interesse, vel commodo, dare, vel præstare omittit. 16

Non est autem Simonia dare temporale, ne eligatur indignus, aut minus dignus. Sic Navarrus *in Manual. cap.* 23. *num.* 102. §. 8. Palao *de Simonia punct.*20. *num.* 8. Azorius *par.* 3. *lib.* 12. *cap.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 19. Pirhing *loco cit. n.* 87. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 145. cum Cajetan. Soto, Suarez, & alii ibi allegat. *argum. cap. Dilectus* 28. *de Simonia*. Et ratio est, quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indigne, & male conferatur. 17

Nisi tamen detur temporale, ut loco indigni aliquis certus eligatur, quia tunc committitur vera Simonia, etiamsi detur illud temporale, ut neglecto indigno, seu minus digno, eligatur aliquis determinatus, quamvis omnium dignissimus. In tali enim casu vere datur temporale pro spirituali, nempe pro electione certæ, & determinatæ personæ, quod est Simoniacum, ut tenent supracitati Doctores, & alii communiter. 18

Dare temporale pro confirmatione obtinenda, seu ne impugnetur electio ab aliquo, qui justam impugnandi, seu contradicendi causam habet, est Simonia. *Communis*, quoad utramque partem; Et quidem prima pars, scilicet *pro confirmatione obtinenda*, clare constat ex *cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*, ubi expresse declaratur, quod Simonia sit offerre, vel dare temporale pro confirmatione obtinenda, cum confirmatio sit revera quid spirituale. Secunda autem pars, scilicet, *ne impugnetur electio*, habetur clare definita *in cap. Matthæus* 23. 19

de

de Simonia, & concordat *cap. Cum pridem* 4. *de pactis*.

20 Dare, vel accipere temporale pro ingressu, aut receptione ad religionem est Simonia, & quidem Juris divini. *Communis ac certa*, textu expresso *in cap. Non satis* 8. *de Simonia*, ibi: *Tam ille, qui dederit, quam ille, qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum*, juncto ejus Summario, ubi sic expresse dicitur: *Simoniacum est pretium recipere pro ingressu Religionis*, concordat *cap. Veniens* 19. *de Simonia*, ubi reprobatur etiam consuetudo contraria, & regulares transgressores, tam Superiores, quam Subditi ab Officio suspenduntur, & obligantur ad restituendam pecuniam taliter receptam, *& cap. Dilectus* 30. *de Simonia*, juncto ejus Summario, ubi sic expresse habetur: *Si per accusationem constat Monachum Simoniace fuisse receptum, receptus, & recipiens deponuntur; Si vero per inquisitionem, receptus in arctius Monasterium detruditur, recipienti vero, & majoribus pœna condigna imponitur. Et interim ab executione ordinum Sacrorum suspenduntur*, & *cap. Quoniam* 40. *de Simonia*, juncto ejus Summario sic expresse dicente: *Religiosi pretio recepti una cum recipientibus de Monasterio expelluntur, & in arctioribus monasteriis ad agendam pœnitentiam detruduntur*, & expresse *Extravagant. Sane* 1. *de Simonia*, ibi: *Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, & aliis locis Religiosis, tam virorum, quam mulierum, ordinum, religionum, & partium diversarum, detestabilis, & a Canonibus reprobata servatur abusio, quod cum personæ aliquæ recipiuntur ab eis ad observantiam regularem, ipsæ temeritate præsumptuosa, pastus, seu prandia capitulis, & conventibus ipsarum ecclesiarum, monasteriorum, Prioratuum, & locorum, aut pecunias, aut jocalia, seu res aliquas ipsis Ecclesiis, monasteriis, prioratibus; & locis, seu præsidentibus eis ex statuto, seu consuetudine, quæ corruptela est potius dicenda, tribuere compelluntur*. Et infra, postquam damna hujus vitii allegavit Summus Pontifex, districtius inhibet omnibus Regularibus utriusque sexus: *Ne tam a maribus, quam a mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem Ecclesias, monasteria, prioratus, domos, seu loca in earumdem personarum receptione, aut ante, vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quocumque modo præsumant... Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, & locis hujusmodi voluerint cum gratiarum actione licite recepturi*. Quid clarius? Et ratio est etiam clarissima, quia religio omnino est quid spirituale, adeoque temporale dare, & recipere pro ingressu, & receptione ad ipsam est vera Simonia.

21 Unde vide dicta, & conclusa ad rem sub verb. *Novitius a num.* 56. *ad num.* 65. & sub verb. *Moniales art.* 2. *a num.* 52. *ad* 63.

25 Si Monasterium reperiretur inops, mediis, vel reditibus non sufficienter fundatum, licite consequenter absque Simonia peti, & accipi possent temporalia ab ingredientibus illud; non quidem pro ipso ingressu, seu pro ipsa admissione ad Religionem, vel professionem, sed pro honesta sustentatione. Sic expresse Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 2. *ad* 7. ibi: *Cum possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in illo loco vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat monasterium, unde ei possit providere, & ideo non committitur Simonia*: & idem habet 2. 2. *quæst.*100. *art.* 3. *ad* 4. ibi: *Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiunt Monasterii opes*. Item Sanctus Bonaventura *Libello Apologetico in eos, qui Ordini Fratrum minorum adversantur, qu.* 18. ibi: *Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent, unde eam pascerent, non videtur esse Simonia, dummodo forma cum intentione concordet*. Item Sanctus Raymundus *in Summa lib.* 1. *titul.* 1. §. 22. ibi: *Credo quod possunt dicere: Non sufficiunt nobis* (reditus), *libenter suscipimus te ad spiritualia, ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones, & tunc ille offerat se, & sua*. Item Glossa *in cap. Quoniam* 40. *de Simonia verb. Paupertatis*, ibi: *Posset dici, quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, quia non habent ibi victum, sub hac forma possent recipi. Non habemus quid demus tibi pro victu, nisi tu portes tecum, unde vivas. Dummodo tamen hoc non dicatur in fraudem, & sine aliquo pacto*. Et sic Silvester verb. *Simonia quæst.* 15. *dict.* 2. Navarrus *de Reditib. Eccles. quæst.* 1. *monit.*61. Layman *de Simonia n.* 38. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 12. *assert.* 3. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 9. Marchant. *tom.* 3. *tract.* 10. *tit.* 9. *quæst.* 10. *concl.* 1. Pirhing *loco cit. num.*59. Reiffenstuel *loco cit. num.*163. testans de communi, tam Theologorum, quam Canonistarum per text. *in cap. Quam pio* 2. *caus.* 1. *qu.* 2. Et ratio est, quia tunc non daretur, nec exigeretur temporale pro spirituali, scilicet pro ingressu ad Religionem, seu admissione ad Professionem, sed ut quid necessarium pro victu, vestitu, ac honesta sustentatione ingredientis, seu profitentis, quod est etiam quid mere temporale.

Hodie autem cum Regulares tot solum stare debeant, & possint in monasteriis, quot ali commode possunt per reditus, seu consuetas eleemosynas eorum: *cap. Periculoso unic. §. Sane, de statu Regular. in* 6. Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. Clemens VIII. Constitut. 60. incip. *Nullus*: Paulus V. Constitut. 9. incip. *Sanctissimus*, Urbanus VIII. Constitut. 43. incip. *Cum sæpe*; Innocentius X. Constitut. incip. *Inter cætera*, Innocent. XII. Constitut. incip. *Nuper a Congreg.*, stat, quod neque monasterium prætensum inops possit aliquid per pactum exigere ab ingredientibus pro illorum sustentatione, quin ejus Religiosi labem Simoniæ *Juris* saltem *Ecclesiastici* contrahant. Unde 23

quod

quod non liceat aliquid peti, seu exigi, neque titulo eleemosynæ pro admittendis ad habitum, & professionem regularem, patet etiam ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quæ *in una Leodien. pro P. P. Carmelitis Calceatis huic quæsito pro maribus facto 9. Februarii* 1697. respondit, *servetur dispositio Juris*. Sic refert Monacell. *par.* 1. *tit.* 11. *formul.* 7. *num.* 8. De jure autem est, quod Religiosi, & Religiosæ non debent, nec possunt pretio recipi ad religionem, & professionem regularem, *cap. Nos satis* 8. *cap. Veniens* 19. *cap. Dilectus* 30. *cap. Quoniam* 40. *de Simonia*; *& Extravagant. Sane*, 1. *de Simonia*; cujus extravagantis verba allata *supra num.* 20. sunt valde notanda, sicuti & sequentia verba *cit. cap. Quoniam* 40. *de Simonia*, ibi: *Paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare*. Vide verb. *Moniales art.* 2. *num.* 12. *& a num.* 52. *ad* 63. verb. *Novitius a num.* 56. *ad* 65. verb. *Regulares num.* 86. *&* 87.

24 Non esse autem Simoniam, si gratis dentur munera Superioribus, vel aliis, ut facilius impetretur ingressus in Religionem, cum id nullo Jure sit prohibitum, tenent cum aliis Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 64. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 188. At ego cum aliis dicerem, & quidem ratione & Jure suffultus, quod si dicti Superiores, vel alii Religiosi tantæ sint auctoritatis, & præpotentiæ in sua Religione, ut unice, vel principaliter ab ipsis dependeat ingressus, seu admissio ad Religionem, & sine temporalibus muneribus numquam, seu vix acceptentur, & admittantur juvenes ad Religionem, tunc ab ipsis committitur vera Simonia, quia in tali casu munera temporalia sunt efficax causa, cur Juvenes acceptentur, & admittantur ad Religionem, cum sine ipsis non soleant acceptari, & admitti, vel tamdiu differantur, & procrastinentur, ut alio divertere cogantur, sicque Simoniaca praxi compellantur, non gratis, sed tamquam quid ab ipsis necessario velut pretium exactum talia munera temporalia tribuere, & consequenter committitur vera Simonia; cum revera in simili casu detur temporale propter spirituale, per text. *in cap. Non satis* 8. *cap. Veniens* 19. *cap. Dilectus* 30. *cap. Quoniam* 40. *de Simonia*. *Et extravagant. Sane* 1. *de Simonia*. Et faciunt dicta *supra n.* 20. & sub verb. *Novitius a n.* 56. *ad* 65. & sub verb. *Moniales art.* 2. *a n.* 52. *ad* 63. Vide *ibi*.

25 Pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, & pro functionibus Ecclesiasticis v. g. Benedictionibus, Sepulturis, & hujusmodi ex pacto tacito, vel expresso dari, seu accipi quid temporale per modum pretii est Simonia Juris Divini. *Communis*, textu expresso *in cap. Cum Ecclesiæ* 9. *cap. ad apostolicam* 42. *de Simonia*, *cap. placuit* 1. *cap. Quam pio* 3. *cap. Nullus* 4. *caus.* 1. *quæst.* 2. *cap. Si quis objecerit* 7. *caus.* 1. *quæst.* 3. cum similibus; Et ratio est clara, quia cum supradicta omnia sint quid spirituale, dare, aut accipere pro illis temporale per modum pretii est vera Simonia. Vide *infra art.* 7. *num.* 35. *&* 40. ubi probatur esse de Jure divino.

26 Non est autem Simonia pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, seu pro functionibus Ecclesiasticis dare & accipere temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem Ministrorum ordinati. *Communis*; per claros textus tum in variis Sacræ Scripturæ locis, tum in Sacris Canonibus. *Lucæ enim* 10. *num.* 7. expresse dicitur: *Dignus est enim Operarius mercede sua*. *Matthæi* 10. *num.* 10. *Dignus enim est Operarius cibo suo*. *Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 9. *num.* 7. *Quis militat sui stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et intra *nu.* 21. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metemus? Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt, de Altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, *& c. Ex his* 22. *caus* 12. *quæst* 1. expresse dicitur: *Lex enim Dei præcipit, ut qui Altari deserviunt, pascantur de ipso*, *& cap. Cum secundum* 16. *de Præbend.* præcise habetur: *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nobis ratio persuadet*.

Clerici Ecclesiæ Ministri habentes ad sui honestam, & congruam sustentationem sufficientes Ecclesiasticos reditus ipsis pro suis ministeriis assignatos Simoniam committunt, si pro functionibus Ecclesiasticis, ad quas ex Officio tenentur, temporalia etiam per modum stipendii exigant, quando illa exigere, nec Jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo permittit; In tali enim, casu deest omnis justus titulus exigendi illa temporalia, adeoque si nihilominus exigantur pro dictis functionibus Ecclesiasticis, seu spiritualibus, Simonia committitur. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 3. Reiffenstuel *loco cit. n.* 196. & ipso teste alii communiter. 27

Pro actu, vel exercitio Jurisdictionis Ecclesiasticæ seu spiritualis, temporale per modum pretii accipere est Simonia. *Communis*, textu expresso *in cap. Non satis* 8. *c. Cum in Ecclesia* 9. *cap. Cum sit Romana* 10. *cap. Nemo* 14. *cap. Ad nostrum* 21. *de Simonia*, cum similibus; Et ratio est clara, quia Jurisdictio, & potestas Ecclesiastica est quid spirituale, adeoque vera Simonia est pro ejus exercitio, & administratione exigere temporale. 28

Hinc Simoniam committunt, qui pretium temporale exigunt pro dispensationibus super Votis, Juramentis, Impedimentis Matrimonii, Ætate Canonica, Interstitiis, Irregularitatibus. Item pro dispensationibus laborandi diebus Festivis; Nuptias celebrandi diebus vetitis, non jejunandi, & non abstinendi a carnibus diebus præceptis, & hujusmodi. Item pretium temporale exigentes pro absolutionibus a censuris Ecclesiasticis, sive pro Foro interno, sive pro externo. Item pro pretio temporali aliis concedentes etiam pro unica vice Ius eligendi, præsentandi, confirmandi, aut instituendi ad Beneficia Ecclesiastica. Item pro pretio temporali conferentes Officium, aut potestatem, seu Jurisdictionem spiritualem, v. g. constituendo pro dicto pretio Vicarios Generales, aut Officiales similes, quod 29

quod Simoniacum specialiter etiam declaratur, *cap. Ad nostrum* 21. *& cap. Consulere* 38. *de Simonia*.

30 Nec valet objicere, quod in Curia Pontificia, approbante Pontifice passim in dies pro dispensationibus exigantur, & recipiantur Taxæ temporales, adeoque quod id non sit Simonia. Non valet, inquam, quia præfatæ Taxæ non exiguntur tamquam pretium dispensationum, sed vel dantur ut stipendia ad sustentationem Summi Pontificis, & suorum Officialium, & ad onera Pontificii status sustinenda quod est conforme Juri Divino, & naturali per textus allegatos *supra num.* 26. Vel Taxæ illæ pecuniariæ exiguntur per modum *Mulctæ*, ut per ejusmodi *Mulctam* aliqualiter compensetur recessus a Jure communi, cum æquum, & rationabile sit, quod petentibus exemptionem a Lege communi imponatur in compensationem aliud onus particulare, præsertim mulcta pecuniaria in pias causas applicanda; & eo major pecuniæ Mulcta, quo difficilior petitur dispensatio, ut sic tales dispensationes, utpote odiosæ, & derogantes Juri communi, magis onerosæ reddantur petentibus, ne si facile, & cum paucis, seu non multis sumptibus obtineri possint, nimia licentia præbeatur eas importune petendi. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 20. *n.* 11. Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *num.* 58. Pirhing *lib.* 5. *Decretal. tit.* 3. *nu.* 49. Reiffenstuel *ibib. n.* 216. Zoesius *ibid. n.* 24. & alii passim.

31 Nec valet instare, quod hoc admisso respectu Summi Pontificis, possent etiam Episcopi ex prædictis titulis, vel causis temporale exigere; Non valet, inquam, quia hoc est specialiter Episcopis prohibitum a Sacris Canonibus citatis *supra num.* 28. & a Concilio Tridentino *sess.* 22. *de reform. cap.* 5. *sess.* 24. *de reform. cap.* 5. *sess.* 25. *de reform. cap.* 18. In quibus Episcopi, & Prælati Papa inferiores dispensare nequeunt; *argum. cap. Inferior* 4. *dist.* 11. *cap. Cum inferior* 16. *de Majorit. & obed. & Clement. Ne Romani, de election.* Bene autem potest in ipsis dispensare Summus Pontifex, cum ipse sit supra omne Jus Canonicum, textu expresso *in c. Proposuit* 4. *de concessione Præbendar.* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare*.

32 Unde Garcias *de Beneficiis part.* 8. *c.* 1. *a nu.* 102. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *loco cit. num.* 217. & alii plures defendunt, non posse, ne quidem Episcopos, pro labore, quem habent in executione dispensationum Matrimonialium a Sede Apostolica sibi commissarum exigere aliquid temporale, etiam ubi ita exigendi viget consuetudo legitime præscripta, & id probant ex Concil. Tridentin. *locis citatis*, & ex variis declarationibus Sac. Congregationis relatis ab ipso Garcia *loc. cit.* in quibus specialiter derogatur consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus. Quamvis tamen Sanchez de Matrimonio *lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 11. & alii sustineant expresse oppositum.

(*) Adeantur Declarationes S. Congregat. a Garcia relatæ, quidve ipsis caveatur, Lectores inspiciant, easque privatorum quorumcumque Theologorum opinionibus longe præferendas esse meminerint. (*)

Non est Simonia etiam ex pacto exigere, seu accipere aliquod temporale, non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad honestam sustentationem pro Missis, Orationibus, aliisque bonis operibus spiritualibus. *Communis*, ut patet ex praxi universali per textus allegatos *supra num.* 26. Unde merito in Concilio Constantiensi a Martino V. inter propositiones Wicleffi damnata est etiam sequens 25. in ordine: *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus*; idest pro illis, qui ipsis dant temporalia. 33

Sunt tamen sub Excommunicatione prohibitæ omnes ex pacto donationes, promissiones, & hujusmodi, quamvis istæ non sint acceptatæ pro obtinenda pro se, vel pro alio Justitia, vel Gratia aliqua apud Sedem Apostolicam, etiam apud mediatos Intercessores, qui vel promovere, vel impedire possent tales causas, & talis obtentio declaratur irrita. Sic expresse Alexander VII. in Constitut. incip. *Inter gravissimas* de datis, & promissis pro Justitia, vel Gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, confirmans, & amplians Constitutiones ad id editas a Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. unde cum sit vere digna, ut ab omnibus sciatur, & adamussim observetur, hic ad litteram datur. 34

Confirmatio, innovatio, declaratio, & extensio Constitutionum Bonifacii VIII. & Gregorii VIII. de datis, & promissis pro Justitia vel Gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda. 35

ALEXANDER PAPA VII. &c.

„ Inter gravissimas, multiplicesque curas, quæ ex debito Pastoralis Officii humilitati nostræ divinitus committi nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut Justitiæ, & Gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, ea, qua par est, rectitudine peragantur, ne pernicioso cujusquam circa illas excessu Romanæ Curiæ existimatio ullatenus lædatur; sed ipsa Curia in omnibus præclara semper splendeat laude integritatis, & abusus quicumque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos nos existimamus, si ea, quæ a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris simili consilio provide sancita sunt, ut in posterum firmius observentur, innovemus, illaque declaremus, & extendamus, pro ut in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

§. 1. Dudum siquidem emanarunt a fel. record. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris Litteræ tenoris qui sequitur. Videlicet: Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolor. Petri, & Pauli, & nostra omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive sint Familiares Curiæ, sive alii undecumque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, & plenarie non expressis, sive sit sub specialibus, & expressis aperte verbis, quicquam dederint, aut receperint magnum, vel par-

vum.

vum, vel promissionem de quacumque re, aut utilitate propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua justitia, sive gratia pro se, aut pro alio in causis, vel judiciis, sive alias per Litteras Apostolicas, & quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

§. 2. Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes & recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subiacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam vero, sive Gratiam sic obtentam nullius prorsus esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis.

Sed & scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis adstringimus, & reservamus nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus.

§. 3. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio, quam maxime possumus, enitimur, atque contendimus, ut Domus, & Curia nostra a sordibus expurgentur.

Cui salubri consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religiosos, Laicos utriusque sexus, sive familiares Curiæ, sive undecumque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parvum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, & aperte expressis facta quicquam darent, aut reciperent pro Justitia, sive Gratia, sive pro se, sive pro alio in causis, vel judiciis, seu alias per Litteras Apostolicas, & quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinendam, & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque, & recipientes duxit extendendam; Illos etiam qui sibi intra triduum non renunciarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere, ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus, sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset, Justitiæ vero seu Gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris, vel momenti, & scienter illis utentes simili sententia innodavit, ac reservavit sibi absolutionem eorum cum prædictis, & ad pœnas similes in omnibus obligavit.

§. 4. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpissime nundinentur. Alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant. Quidam etiam se talium operam, atque industriam pretio, & muneribus quæsiisse affingant. Quæ cum pessima sint, & Curiæ prædictæ existimationem gravissime offendant, in eos, qui talia agunt animadvertendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis Censuris, & pœnis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualescumque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis supradictis auxilium, consilium, vel favorem.

§. 5. Quin etiam eos omnes omni Beneficio, & Officio Ecclesiastico, & sæculari, sive temporali, perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, & præterea infamiæ subjectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumus. A quibus etiam prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ ceteris sint exemplo.

§. 6. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque, fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

§. 7. Cum autem subinde variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonifacii, & Gregorii prædecessorum Constitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipsarum Constitutionum rigorem non sine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem prædecessorum mentem nimium relaxant: Hinc est, quod nos omnem, quæ circa præmissa in posterum enasci posset, dubitationem tollere, & quamcumque speciem, suspicionem, & occasionem damnatæ per Constitutiones hujusmodi labis a Curia prædicta, quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem præinsertas Bonifacii, & Gregorii prædecessorum Constitutiones cum omnibus, & singulis censuris, & pœnis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore præsentium perpetuo confirmamus, innovamus, & adversus quemcumque usum, seu contrarium usum, qui quoquomodo prætendi posset, restituimus, & plenarie reintegramus.

§. 8. Ac in eisdem Constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel ponitur pro Justitia, vel Gratia, sive in spiritualibus sive in temporalibus, & mixtis, apud Sedem prædictam, & non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam a quibuscumque ejus Ministris, Judicibus, & Officialibus, etiam Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alia qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & auctoritate præditis, & fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici consanguineitatis, vel affinitatis gradu quocumque conjunctis, seu attingentibus, etiam Laicis

Laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocumque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit, comprehendi decernimus, & declaramus.

Præterea Constitutiones hujusmodi, non tantum in actionibus jure naturali, & Divino prohibitis, quia malæ sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo malæ sunt, quia jure humano, & prædictis Apostolicis Constitutionibus, ac præsenti nostra interdicuntur, locum habere.

Nec non mediatores, sive immediatos, sive mediatos, quotquot, & quicumque sint, & quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut præmissum est, polleant, & præfulgeant.

Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem, ac pœnas evitari in casibus, in quibus cesset suspicio mali.

Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum Justitia, vel Gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel deponunt, promittunt, seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio, vel molestia quomodocumque inferri, & resultare posset, & mediatores quoscumque immediatos, sive mediatos.

Insuper quæcumque verba, seu signa etiam æquivoca, quovis modo apta inducere quamcumque obligationem Justitiæ, aut fidelitatis in principali, seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis, vel gratitudinis, a Constitutionibus supradictis prohiberi.

Quinimmo non licere quicquam promittere, dare, vel accipere quibuscumque Judicibus, Ministris, Officialibus, & aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscumque mediatoribus pro defensione juris quæsiti, sive assecutione quærendi etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus.

Ad hoc dationes, promissiones, & acceptiones pro guberniis, vel aliis quibuscumque Officiis, & muneribus, etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocumque a Constitutionibus prædictis interdici, neque Judicibus, Ministris, ac Officialibus pro Gratia, vel Justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, & ad quæ obligatione justitiæ non tenentur, quicquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

Neque etiam permissum esse Officialibus, vel Ministris dictæ Sedis in provisionibus, sive earum occasione quorumcumque Officiorum, etiam jurisdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere pensionem ullam, responsionem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui, vel alicujus alterius cujuscumque favorem reservare absque expressa, & speciali in casibus nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia in scriptis singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

Insuper exigentes a partibus, vel aliis interesse habentibus, seu agentibus, ac mediatoribus quibuscumque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertione, quod Judicium, Ministrorum, Officialium, aut Magnatum, seu aliorum quorumcumque operam, auctoritatem, vel officia pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quæsiverint.

Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio, & oblatio non fuerint acceptatæ, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum.

Ac etiam illos, qui ex eo quod gratias, & favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis Dominis, vel aliis præstita debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi juris, vel spei jactura commodum, & beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, vel pro gratia, seu justitia pro eis obtinenda aliquid recipiunt, sub memoratis Constitutionibus contineri, illarumque pœnis, & Censuris subjectos esse.

Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuscumque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci nisi mercedem labori convenientem.

Judicibus autem, Officialibus, Ministris quibuscumque, quibus incumbit expeditio Gratiæ, vel Justitiæ, minime quidquam recipere, neque permitti illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci ultra taxas præscriptas, etiam ratione celerioris aut facilioris expeditionis.

Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum Judicibus, Ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci, seu polliceri, dare, vel ab ipsis recipere mediate, vel immediate, etiam quod eorum animum movere non possit pro Gratia, vel Justitia obtinenda.

§. 9. Demum supradictarum Constitutionum dispositionem, Censuras, & pœnas non censeri abolitas, vel sublatas ob scientiam, patientiam, seu tolerantiam Romani Pontificis, per quemcumque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel indulto in unoquoque casu a singulis partibus in scriptis particulariter obtinenda fuerint expresse remissæ, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, statuimus, & declaramus.

Præfatasque Constitutiones, ac Censuras, & pœnas in eis contentas ad omnes, & singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus.

§. 10. Præterea easdem Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones per alteram piæ memor. Clementis Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri, quæ incipit: *Pro commissa*, anno Incarnationis Dominicæ 1592. decimo octavo Kal. Septembris editam ad ceteras Ditionis temporalis S. R. E. Civitates, & loca immediate subjecta (præterquam quo ad bona Communitatum) minime extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi, sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem Status Ecclesiastici, & cujusvis alterius partis mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodocumque, & qui ab eis reci-

recipiunt contra dictarum Constitutionum dispositionem quidquam magnum, vel parvum pro justitia, vel gratia apud Sedem prædictam obtinenda declaramus pariter, & statuimus.

§. 11. Postremo tametsi credamus, & speremus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerabilibus Fratribus nostris Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis; aut in quacumque alia etiam Superiori Ecclesiastica, quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis Dignitate in præmissis quoquo modo delinquat; Quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem Curia abusibus quibuslibet abundare potius, quam in aliquo deficere volumus, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, ac Patriarchas, ceterosque in quacumque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutos Dignitate, etiamsi per nostras, & Cancellariæ nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quod illi in Constitutionibus per Nos editis, & edendis, non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem Constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis Constitutionibus, ut præmittitur, declaratis, & extensis ac in præsenti nostra quo ad Censuras comprehendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore similibus statuimus.

§. 12. Porro xenia solita, & esculenta, & poculenta, quæ Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanæ Curiæ exhiberi consueverunt, præfatis prædecessorum nostrorum litteris, ac præsentibus nostris minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

§. 13. Declarantes per præsentem nostram Constitutionem non censeri abrogatam Constitutionem similis record. Pii Papæ V. etiam prædecessoris nostri contra ambientes dignitates, & Officia Jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes, quæ incipit: *Etsi Romani &c.* Nonis Decembris anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac ceteras ipsius Pii prædecessoris & aliorum Roman. Pontificum prædecessorum nostrorum quorumcumque Constitutiones, Ordinationes, Canones, & Decreta in hac materia, vel circa eam hactenus edita, ac nostram, & Cancellariæ regulam 67. qua statuimus, ut Officiales Apost. Romanæ Curiæ prædictæ nihil exigant ultra debitum, in robore remanere, &c.

§. 14. Ac decernentes præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet, etiam speciali nota, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & justificatæ nullatenus fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis justa, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu interesse habentium, & aliorum quorumcumque consensus defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam, seu terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quemquiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac declarationum, & extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab aliis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & censeri, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis prædictis, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, cujuscumque qualitatis, ordinis, gradus, & conditionis fuerint, perpetuo, inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 15. Sicque, & non aliter &c.

§. 16. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, & quod Cardinales non comprehendantur sub regulis, & Constitutionibus editis, & edendis, nisi in eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac ceteris nostris, & Cancellariæ præfatæ regulis, aliisque Constitutionibus, &c.

§. 17. Ut autem eædem præsentes Litteræ &c.

§. 18. Quodque illarum transumptis &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2. Maii 1656. Pontificatus nostri anno secundo.

Quæ Const. fuit confirmata, innovata, & extensa ab Innoc. XII. Const. incip. *Sacerdotalem*, merito videnda in Bullario, & apud Ursayam *Instit. crimin. lib. 2. tit. 2. post num.* 117.

Additur attendenda sequens resolutio Sacr. Con- 36
gregationis Concilii de anno 1686. relata a toties laudato Card. de Lambertinis *Volumine 5. Notification.* 7. ut sequitur.

Alexandrina Augmenti Dotis Canonicatus.

Vacante a pluribus mensibus Canonicatu in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ de Nive Jurispatronatus Fratrum de Mantellis, Sacerdos Thomas Maria Verrus proposuit dictis Patronis, se dicti Canonicatus Dotem aucturum fore mediante assignatione cujusdam Vineæ, expressa tamen lege adjecta, ut ad eumdem Canonicatum debeat ab illis præsentari.

Timens nihilominus, id aliquam Simoniæ labem involvere, pro conscientiæ suæ serenitate proposuit infrascriptum dubium, quo audito, & narratorum veritatem comprobante Episcopo, relatum fuit in proxima Congregatione per modum Summarii.

Cum autem Eminentissimi Patres mandaverint illud in folio describi, decernendum nunc superest.

An dicta Conventio sit Simoniaca?

Sacra Congregatio Concilii respondit:

Affirmative.

Vide cap. *Tuæ nos 34. de Simonia, et Fagnan. ib. num.* 4.

Additiones ex aliena manu.

37 Tametsi statutum sit, ut refert *Auctor num.* 23. ne plures ad Religionem admittantur, quam possit Religio commode sustentare de suis proventibus, aut consuetis eleemosynis: nihilo tamen minus praxis in pluribus Monasteriis invaluit, ut ab Ingredientibus non solum pecuniam recipiant, & exigant, sed etiam de eadem prævie stipulentur Monasterii Superiores.

38 Soletque communiter ex hac ratione excusari praxis hæc, quod id fieri liceat ratione sustentationis, ac juris ad eamdem, pro quo aliquid ab Ingredientibus recipi posse prætendunt Auctores; idque in Monasteriis non solum indigentibus, sed & opulentis.

39 At Vide qui materiam hanc funditus examinat, & pluribus distinctis casibus resolvit, & quidem rectissime, Cocq. *de Jur. Justit. & annex. cap.* 4. *sect.* 9.

ARTICULUS III.

Quo ad ea, quæ concernunt pœnas Simoniæ, & restitutionem Simoniace acceptorum.

1 OB solam, & omnem *Simoniam realem* (confidentiali excepta) incurruntur ipso facto Juris pœnæ. *Communis* per text. *in cap. Presbyter* 3. *cap. Quisquis* 5. *cap. Quos* 6. *cap. Reperiuntur* 7. *caus.* 1. *quæst.* 1. *cap. Salvator* 8. *caus.* 1. *q.* 3. *Extrav. Sane* 1. *& cum detestabile* 2. *de Simonia*, cum similibus *in tot. tit. de Simonia*, & S. Pius V. Constitut. incip. *Cum primum*.

2 Et quidem per *Simoniam mentalem* nulla incurritur Juris pœna. *Communis*, per text. *in cap. Tua nos* 32. *& cap. Mandato* 46. *de Simonia*, ubi Simonia mentalis non judicatur ab Ecclesia, cui datum est de manifestis tantummodo judicare, sed judicanda relinquitur a districtissimo Judice, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum.

3 Item nulla incurritur Juris pœna per *Simoniam Conventionalem*, sive pure Conventionalem, sive Conventionalem mixtam. *Communis*, teste Reiffenstuel *loco cit. num.* 239. Et ratio est, quia nullibi in Jure reperitur aliqua pœna clare expressa contra Simoniam Conventionalem, sive puram, sive mixtam. In dubio autem non est asserenda pœna, *arg. c. Odia* 15. *de Reg. Juris in* 6. ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, *cap. In pœnis* 49. *eod.* ibi: *In pœnis benignior est interpretatio l. Interpretatione* 42. *ff. de pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam asperandæ, & cap. In obscuris* 30. *de Regulis Juris in* 6. ibi: *In obscuris minimum est sequendum*; Tum quia ut testatur Navarrus *in Manual. cap.* 22. *num.* 104. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 27. Sanchez *Consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 10. *n.* 106. Reiffenstuel *loco cit. n.* 239. & alii, ita servare solet Stylus Curiæ, qui habetur pro Jure, & Lege, juxta Communem Doctorum, *argum. cap. Ex litteris* 11. *de Constitut. & cap. Quam gravi* 6. *de crimine falsi*.

4 Pœnæ contra Simoniam realem in ingressu Religionis commissam sunt sequentes. Prima est, quod tam dantes, quam recipientes aliquid Simoniace pro ingressu Religionis, si sint personæ singulares, Excommunicationem; Si vero omnes Religiosi capitulariter congregati, consentientes fuerint, Suspensionem ab Officio Capitulari ad Jurisdictionem, vel administrationem pertinente ipso facto incurrant, aliis etiam pœnis in suo robore duraturis. Sic expresse *Extrav.* 1. *de Simonia*.

Secunda est, quod Religiosi Simoniace recepti expellantur de suo Monasterio, & in arctiori monasterio ad agendum ibi pœnitentiam detrudantur, & Superior, & majores personæ Monasterii suspendantur, & etiam in arctiori Monasterio detrudantur; *cap. Veniens* 19. *& cap. Quoniam* 40. *de Simonia*. 5

Tertia est, quod Rei Simoniæ pro ingressu Religionis incurrant Infamiam Juris, & consequenter evadant Irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate *Juris*, aut *Facti*. *Extravag. Sane* 1. *de Simonia* §. *Ceterum*, ibi: *Nota infamiæ inde contracta*. 6

Professio tamen illorum adhuc est valida, cum nullibi in Jure ob id declaretur invalida. Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 3. *dub.* 104. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 132. Reiffenstuel *loco cit. n.* 354. & alii passim. Et ante emissam dictam Professionem pœnæ ipso facto non incurruntur; Unde si Regulares nihil Simoniace recipiant, vel receptum iterum ante Professionem restituant, aut ingressus ad Sæculum non Professus redeat, immunes sunt a dictis pœnis; Castropal. *de Simonia punct.* 23. *num.* 3. Pirhing *loco cit. num.* 71. Reiffenstuel *loco cit. n.* 255. 7
Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 56. *n.* 7. & alii. Et ratio est, quia licet committatur Simonia statim post Simoniacum ingressum, præfatæ tamen Juris pœnæ non incurruntur, nisi secuta Professione; cum pactio Simoniaca principaliter sit ordinata ad Professionem Religiosam; adeoque si ipsa Professio non sequatur, quia tunc pro admissione ad Professionem nulla recipitur pecunia, sed gratis fit, non censetur perfecte consummata illa Simonia, & consequenter nec sufficiens pro inducendis pœnis a Jure statutis, cum Leges pœnales intelligi debeant cum effectu, nec extendi ultra casum expressum, *arg. cap. Odia* 15. *cap. In pœnis* 49. *de Reg. Jur. in* 6. *& l. Interpretatione* 42. *ff. de pœnis*. 8

Quamvis Moniales Monasteriorum habentium sufficientes, & adundantes reditus pro honesta sustentatione ingredientium, si pro ingressu, & admissione ad Religionem, & Professionem aliquid temporale exigant, æque ac alii Regulares veram Simoniam committant; tamen pœnas Juris non incurrunt, licet illud temporale se recipere dicant loco dotis ad honestam Ingressæ sustentationem; Dictæ enim pœnæ, seu Censuræ respectu Monialium revocatæ fuerunt per Bullas plurium Pontificum, ut referunt Doctores apud Suarez *disp.* 22. *de censur. sect.* 5. *n.* 14. & Pirhing *loco cit. num.* 71. §. *Ceterum*. 9

(+) Hic subjiciendam duco adnotationem a P. Philippo a Carboneano appositam ad §. *Nec obstat* quæst. IV. art. III. cap. V. Tractatus de Virtute Religionis P. Antoine Theol. moral. tom. I. pag. mihi 271. seqq. „ Non adeo facile cum auctore pronunciandum est, simoniacum esse consuetum dotale sub-

subsidium, quod a cœnobiis exigitur a puellis sese Deo devoventibus: nam quamvis eam dotis pensationem plerique doctores imbrobaverint, usus tamen ubique receptus illam approbat, quodque magis est Sac. Congreg. Concilii die 18. Septembris 1683. a simonia immunem pronunciavit: eademque quæstione, in una Bononiensi iterum examinata die 14. Aprilis 1725. Sac. Congreg. in eadem perstitit sententia, ut ait Benedictus XIV. lib. vII. de Synodo diœcesana cap. 58. Ubi subdit etiam Sacra Congreg. Concilii adhærendo doctrinæ S. Thomæ 2.2. quæst. 100. art. 3. ad 4. sæpius decrevisse, a singulis sanctimonialium cœnobiis, ad normam decreti Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 3. de regular.* tot esse moniales recipiendas, quot Episcopi judicio, ex communibus reditibus, aut consuetis eleemosynis sustentari possint: censuisse itidem a monialibus inter præfinitum numerum comprehensis, seu in demortuarum locum subrogandis, nihil esse monasterio pendendum, nisi interim monasterii reditus fuerint imminuti, nec amplius pares sint consueto sororum numero substentando: ab his vero, quæ ultra præfinitum numerum recipiuntur, dotem persolvendam, dixisse, cujus fructibus aliqueant, quemadmodum refert Fagnanus *in cap. non amplius de instit.* num. 14. ubi inquit: *Verum Sac. Congreg. super negotiis Episcoporum, & Regularium animadvertens sanctimonialium monasteria, sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales eleemosynæ a monialibus memoratis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram redituum monasterii*. Deinde sacrarum Urbis congregationum decreta vindicat, & Van-Espenium refellit, qui *in suo tract. de simonia, circa ingressum in religionem cap. 3. §. 3.* absolute asserit, contra jus naturale, & divinum monasteria, *quorum proventus sunt sufficientes ut numerum aliquem religiosorum sustentent, & tamen nullum gratis ad monasterium admittunt*. Nam licet sit juris naturalis & divini simonia, quæ committitur dum quidpiam recipitur tamquam pretium ingressus in religionem, tamen si illud recipiatur pro onere, quod sibi assumit monasterium, substentandi religiosum, ad quod ceteroquin subeundum sufficiunt monasterii reditus, est simonia tantum juris ecclesiastici. Tunc enim pretium sumitur pro eo onere alendi personam religiosam, quod est temporale, & pretio æstimabile. Sed quod jus ad alimenta e monasterii proventibus percipienda profluat ex ipsa professione religiosa, & idcirco Ecclesia, ne ulla ratione pretium pro ea accipi videretur, districte vetuit, quidquam ab eo exigi, cui monasterium necessaria ad victum stipendia subministrare potest, atque hujus criminis reos in simoniacorum classem retulit. Id omnium prima constituit septima Synodus, quæ est Nicæna secunda celebrata anno 787. cap. 19., antea enim ut observat Thomassinus *par. 3. de vet. & nov. Eccles. discipl.* lib. 1. cap. 51. etsi plures leges latæ fuissent ad compescendam monachorum avaritiam, alimentorum obtentu, pecunias ab illis extorquentium, qui sese Dei ac religionis obsequiis mancipabant, nulli tamen in mentem venerat potuisse in hoc negotio simoniam committi. Addit præterea, cum versemur in simonia, quæ ortum habuit a sola lege ecclesiastica, mirum non esse, hanc potuisse nunc severius accipi, nunc justis de causis aliquantulum emolliri, prout vel augetur, vel minuitur præsumptio venditionis rei spiritualis, seu verius animi illam nundinandi, in qua præsumptione fundatur. Et recensitis diversis hac de re particularium Ecclesiarum statutis, ita subnectit; in hac opinionum varietate, diu anceps hæserat Sac. Congreg. Concilii; sed cum experientia didicerit, nullum reperiri adeo opulentum sanctimonialium cœnobium, quod ad reparanda quotidiana suorum redituum detrimenta non egeat novarum dotium accessione, firmiter tandem amplexata est S. Caroli decreta, eaque religiose observari voluit, quod non solum constat ex allegatis ejusdem decisionibus, sed adhuc clarius ex alia, quæ refertur in bibliotheca Præmonstratensi *pag. 356.* cujus verba sunt: *Non vestiantur moniales, nec admittantur ad habitum, nisi prius parentes, vel illi, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote, vel eleemosyna consueta: & illam deposuerint solvendam monasterio post emissam professionem.* Concludit denique, si hæc secum animo revolvat Episcopus, non statim illicitum, & simoniacum pronuntiabit dotale subsidium, quod a puellis sese in religionem recipientibus exigitur; neque faciles aures præbebit suasionibus hominum, vel qui ut propriæ parcant pecuniæ, suasque filias, sine ullo sumptu, religioni alendas tradant, monasteriorum opulentiam exaggerant, novamque pecuniam illis collatam in inutiles, ac voluptuosos sumptus erogari, clamitant. Non idcirco tamen negamus, interdum expedire, dotis quantitatem imminui, & quandoque etiam prorsus remitti; sed quod in peculiaribus circumstantiis, & consulta prius Sacra Congregatione Concilii, fieri decet, non poterit synodali constitutione, generatim, atque universim faciendum decerni: Illud autem curabit Episcopus, ne ultra præfinitam dotem monasterio pendendam, alia pecuniæ summa a puellis extorqueatur, in monialium commodum, aliosve usus impendenda, qui ad puellæ substentationem nequaquam pertinent: Id quippe, cum nulla ratione cohonestari valeat, adhuc remanet sub censura *extravag.* 1. *de simonia, inter comm.* ubi Urbanus V. utriusque sexus regularibus districte inhibuit, ne ante, aut post cujusquam in religionem ingressum, *quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte, petere, vel exigere quoquo modo præsumant*. Modum quoque imponent sumptuosis apparatibus, musicis concentibus, commessationibus, aliisque ejusmodi, quæ cum magno familiarum impendio, alicubi fieri solent, in monialium ingressu, & professione, omnem siquidem mundanam pompam, omnem profanum luxum dedecere spirituales nuptias, quas eligit puella, quæ Deo, & religioni se devovet, scite ponderat Navarrus *in tract. de reditibus ecclesiasticis, in fine quæstionis primæ, pag. 150. edit. Romanæ anni* 1586, ubi hæc ad

ad rem scripsit. *Quid quæso dicemus ad prodigas illas expensas, & profanos apparatus fieri solitos, ex pacto tacito, vel expresso, dum puellæ vel ingrediuntur in monasterium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut hæc vehementer interdicantur, & inculpentur, & puniantur illæ, quæ taliter faciunt? Et simul etiam doceantur, quam honestior apparet cunctis hæc inspicientibus, modesta quædam, humilisque temperantia, spirituali juncta contemplationi, quam pomposa profanitas, mundanæ cuidam admixta voluptati, in funeralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo, & nascitur, vel excrescit Deo.*

10 Pœnæ contra Simoniam realem in collatione, & susceptione Ordinum commissam sunt sequentes. Prima est, quod tam Conferens, quam Recipiens Ordines per Simoniam realem sit ipso facto excommunicatus. *Extravagant. Cum detestabile* 2. *de Simonia*; *cap. Reperiuntur* 7. *caus.* 1. *quæst.* 1. Pirhing *loco cit. n.* 156. Reiffenstuel *loco cit. num.* 257. & 258. & alii passim.

11 Secunda est suspensio Ordinantis a collatione Ordinum saltem per triennium, & Ordinati, donec ab ipsa Suspensione per Sedem Apostolicam fuerit absolutus; *cap. Si quis ordinaverit*, 45. *de Simonia*. Item si Simoniæ crimen sit manifestum tam Ordinans, quam Ordinatus deponendus est a suo gradu, & Officio Ecclesiastico, textu expresso *in c. Qui per pecuniam 9. caus. 1. q. 1.* ibi: *Qui per pecuniam quemque consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus a Sacerdotio fiat*; Et ex Constit. 91. Sixti V. incip. *Sanctum, & salutare*; Ordinans Simoniace a Collatione quorumcumque Ordinum, & primæ Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existit, reservata harum Censurarum absolutione Summo Pontifici, quamvis Simonia esset occulta; Quas pœnas in suo robore permanere voluit Clemens VIII. quamvis dictam Bullam Sixti V. quoad aliqua puncta revocaverit ad terminos Juris communis in sua Constitut. 40. incip. *Romanum Pontificem*: Et si interdictum violat, præter Irregularitatem, quam incurrit vigore *cap. Cum medicinalis* 1. & *cap. Is cui* 20. *de Sententia Excommun. in* 6. etiam suspensus est a regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione omnium fructuum a Beneficiis suis pervenientium; Sic expresse cit. Const. Sixti V. inc. *Sanctum, & salutare* non moderata nec revocata quoad dictas pœnas contra Simoniacos a Clemente VIII. in dicta Constitut. incip. *Romanum Pontificem*.

12 Tertia est, quod ordinatus Simoniace scienter præter excommunicationem, quam ipso facto incurrit; *arg. cap. Reperiuntur* 7. *caus.* 1. *quæst.* 1. & *Extrav. Cum detestabile* 2. *de Simonia*, sit suspensus ab executione omnium suorum ordinum, non solum Simoniace susceptorum, sed etiam aliorum, quamvis Simonia sit occulta, *cit. Extravag. Cum detestabile* 2. *de Simonia*; quæ a Doctoribus communiter intelligitur de suspensione omnium ordinum, etiam non Simoniace receptorum, ut notat Pirhing *loc. cit. num.* 160. Reiffenstuel *loco cit. num.* 262. Lessius *loc. cit. num.* 135. & alii passim. Et si postea in tali suspensione aliquem actum ordinis exerceat, incurrit etiam irregularitatem; *cap. Apostolicæ* 9. *de Clerico excommunicat. cap. Is cui* 20. *de sententia excommunicat. in* 6. Et insuper incurrit privationem officiorum, & beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, si fuerit Sæcularis; Si vero Regularis, privationem vocis activæ, & passivæ, atque inhabilitatem ad eam, reservata dictarum pœnarum absolutione soli Summo Pontifici, etiamsi Simonia esset occulta; Sic expresse cit. Constitut. Sixti V. incip. *Sanctum, & salutare*, non moderata, nec revocata quo ad dictas pœnas contra Simoniacos a Clemente VIII. Constitut. incip. *Romanum Pontificem*.

Pœnæ contra Simoniam realem in beneficiis Ecclesiasticis commissam sunt sequentes. Prima est, 13 quod tam illi, qui aliquod beneficium, sive officium ecclesiasticum, sive sæculare, ut Episcopatum, Archipresbyteratum, canonicatum, & hujusmodi, sive Regulare, ut Generalatum, Provincialatum, Prioratum, Guardianatum, Rectoratum, Definitoriatum, & hujusmodi Simoniace conferunt, aut directe, vel indirecte procurant, eligendo, postulando, præsentando, commendando, & hujusmodi, quam illi, qui aliquo ex præfatis modis Simoniace beneficium, aut officium hujusmodi acquirunt, ipso Jure, & facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, *cit. Extrav. Cum detestabile* 2. *de Simonia*, & S. Pius V. Constit. 5. incip. *Cum primum*.

Secunda est, quod collatio, provisio, & acqui- 14 sitio hujusmodi beneficii, aut officii Simoniace facta sit ipso jure irrita, & nulla, ita ut provisus teneatur sub animæ suæ damnatione illud sponte dimittere, & ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit, *c. Si quis neque caus.* 1. *q.* 1. *c. Matthæus* 23. *de Simonia*. & *cit. Extrav. Cum detestabile* 2. *de Simonia*, & S. Pius V. cit. Constit. incip. *Cum primum*.

Tertia est, quod qui Simoniace hujusmodi bene- 15 ficium, aut Officium Ecclesiasticum obtinuit, illud utpote nulliter obtentum ante omnem sententiam non solum dimittere teneantur, sed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispenset, *cap. Si alicujus* 59. *de elect. cap. Nobis fuit* 27. *de Simonia*, & S. P. V. cit. Constit. incip. *Cum primum*.

Quarta est, quod qui Simoniace aliquod hujus- 16 modi beneficium, seu officium ecclesiasticum obtinuit, sit etiam inhabilis ad quæcumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Sic expresse S.P.V. citat. Constitut. incip. *Cum primum*. Quam tamen pœnam, vel non esse usu receptam, vel non obligare in conscientiæ foro ante condemnatoriam, vel declaratoriam judicis sententiam, tenent Navarr. *consil.* 92. *de Simonia*, Castropalao *de Simonia punct.* 25. Pirhing *loc. cit. num.* 270. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 267. & alii.

Quinta est, quod qui Simoniace obtinet aliquod 17 hujusmodi beneficium, aut officium ecclesiasticum, sit privandus per sententiam judicis etiam aliis beneficiis prius Canonice obtentis, text. expresso *in c. Cum supra* 2. *de confessis*, *cum similibus*.

Sexta est, quod qui Simoniace obtinet aliquod 18 hu-

hujusmodi beneficium, aut officium ecclesiasticum, sit per sententiam judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus, textu expresso *in cap. De hoc* 11. *de Simonia*, cum similibus.

19 Supradictas juris pœnas inducit etiam Simonia juris ecclesiastici in resignatione, & permutatione beneficiorum commissa; sic contra paucos communior doctorum cum Abbate *in cap. Cum universorum, de rerum permutat. num. 6.* Pirhing *loc. citat. num.* 155. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 272. Layman *de Simonia cap. ult. num. 66.* Suarez, & alii passim. Sacri enim Canones, & constitutiones Pontificiæ, dum pœnas contra Simoniam statuunt, ordinarie in genere, & indiscriminatim de quavis Simonia reali loquuntur, adeoque etiam de Simonia Juris ecclesiastici, quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *cap. Quia circa* 22. *de privileg. & l. De pretio* 8. *ff. de Publiciana in rem action.* Tum quia plures sacri canones loquuntur de Simonia juris humani, seu ecclesiastici, eamque pœnis juris subjiciunt, ut videre est *in cap. Quæsitum* 5. *& cap. Cum olim* 7. *de rerum permut. cap. De hoc* 11. *de Simonia. Extravag. Cum detestabile* 2. *de Simonia cum similibus.*

20 Qui beneficium per Simoniam realem ab alio commissam obtinuit, tenetur illud etiam ante Judicis sententiam dimittere, quam primum rescit Simoniam esse commissam, textu expresso *in cap. Eos qui* 2. *caus.* 1. *quæst.* 5. *c. Nobis fuit* 27. *& cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*, ibi: *Secundum Sacrorum Canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur.*

21 Non tenetur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium ipso ignorante, Simonia ab alio commissa est, textu expresso *in citat. cap. Nobis fuit* 27. *de Simonia*, ibi: *Nisi constaret illos, qui promissum tale* (nempe Simoniacum) *fecerint per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse.*

22 Item non tenetur beneficium dimittere qui contra Simoniam ab alio pro obtinendo beneficio committendam expresse protestatur, quamvis ipse alius, ignorante dicto expresse contradicente, *in Simonia* pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur, *In cit. cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*, ibi: *Quoniam ex eo quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam* (a qua postmodum minime recessisti,) *aliquis te penitus ignorante, promisit pecuniam, & exsolvit, nihil tibi debet ad pœnam, vel ad culpam imputari.*

23 Teneretur tamen beneficium dimittere, si sciret, quod dictus alius non obstante contradictione, & protestatione sua, nihilominus in Simonia pergeret, eaque mediante beneficium obtineret, quia sic acceptando videretur in re approbare *Simoniam*, & & consentire in illam. Sic colligitur clare *ex citat. cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*, ubi excusatur a pœna nullitatis solum ille, qui post contradictionem ignorat beneficium ab alio *Simoniace* pro se obtineri, adeoque ille, qui scit, non excusatur hoc ipso, quod sciat beneficium pro se Simoniace fuisse obtentum. Eo vel maxime quod per verba textus allegati *supra num.* 20. *Secundum Sacrorum Canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur.* Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *num.* 143. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 261. & alii passim.

Et a fortiori teneretur tale beneficium dimittere, si per *Simoniam* alterius fuisset obtentum, sciente, & non contradicente ipsomet pro quo fuisset obtentum. In tali enim casu ipsemet plene consentire videretur, quia ut recte advertit Glossa communiter recepta *in cit. cap. Sicut tuis, verb. Præbere: Sæpe qui tacet, consentire videtur*, per textum *in l. Sicut proponis* 5. *Cod. de Nuptiis, l. Soluto Matrimonio* 2. *ff. Soluto Matrimonio, cap. Si Servus* 19. *dist.* 54. & expresse *cap. Qui tacet* 43. *de Regul. Juris in 6.* ibi: *Qui tacet, consentire videtur.* 24

Qui se ignorante, seu omnino nesciente per Simoniam alterius est ordinatus, de rigore Juris, donec dispensetur, tenetur ab executione ordinis abstinere, postquam Simoniacam ordinationem resciverit, *argument. cap. Præsentium* 3. *caus.* 1. *q.* 5. *& cap. De Regularibus* 25. *de Simonia.* Poterit tamen cum taliter ordinato Episcopus dispensare, prout habetur *in cit. cap. Præsentium* 3. *caus.* 1. *qu.* 5. & tenet Glossa *ibidem*, quia talis, quamvis Simoniace fuisset ordinatus, tamen Simoniacus non esset, ut dicitur *in cap. De Simoniace ordinatis* 22. *de Simonia.* 25

Simoniæ confidentialis pœnæ sunt sequentes. Prima scilicet, quod præter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrendam, privat non solum beneficio, circa quod Simonia confidentialis commissa fuit, sed etiam aliis beneficiis, & pensionibus canonice obtentis; Pius IV. Constit. 85. incipient. *Romanum Pontificem*, & S. Pius V. Constitut. 85. incip. *Intolerabilis.* 26

Secunda est, quod inhabilem reddat taliter Simoniacum ad idem, & alia quæcumque beneficia obtinenda. Pius IV. cit. Constitut. *Romanum Pontificem*; & S. Pius V. cit. Constitut. incip. *Intolerabilis.* 27

Tertia est, quod beneficium per Simoniam confidentialem nulliter acquisitum reservatur summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat. Pius IV. & S. Pius V. in citatis Constitutionibus. 28

Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debent Cameræ Apostolicæ. Pius IV. & V. in *citat. Constitutionibus.* 29

Quinta est, quod præfatæ pœnæ contrahantur non solum per *Simoniam realem*, sed etiam per *Simoniam Conventionalem mixtam*. Sanct. Pius V. cit. Constitut. incip. *Intolerabilis*: ubi S. Pontifex decernit pœnas contra Simoniam confidentialem statutas incurri, licet *ipsa Simonia confidentialis alterius tantum partis conscientia sit completa.* Vide ipsam Constitutionem relatam *supra artic.* 1. *numer.* 15. 30

Quæ autem sint pœnæ statutæ contra dantes, vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda Justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam? Vide *supra art.* 2. *num.* 35. ubi ad id affertur per extensum Constitutio Alexandri VII. de datis & promissis pro Justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda. 31

Quo ad restitutionem Simoniace acceptorum, tenen- 32

nendum est pro certo, quod qui obtinuit Simoniace beneficium, seu officium aliquod ecclesiasticum, tenetur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem Judicis sententiam restituere, ac dimittere, etiamsi Simonia sit occultissima, *c. Si quis neque caus.* 1. *quæst.* 1. *cap. Matthæus* 23. *de Simonia*; *Extravag. Cum detestabile* 2. *de Simonia*, S. Pius V. Constitut. 5. incip. *Cum primum*.

33 Qui temporale accepit sub conditione, seu pacto dandi, vel præstandi spirituale, & postea conditionem, seu pactum non implevit, tenetur Jure Divino, & naturali restituere totum acceptum. *Communis ac certa*. Et ratio est clara, quia sicuti dispensator eleemosynam gratis dispensare jussus pauperi, facit ei injuriam, & ad restitutionem tenetur, si pro dicta eleemosyna ipsi pauperi tradenda, ab eo exigat, & accipiat pecuniam: Ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quæ tamquam dispensator gratis distribuere debet juxta præceptum Domini: *Matthæi* 10. *Gratis accepistis, gratis date*, temporalia exigit. Eo magis in nostro casu urget obligatio restitutionis ratione pacti expressi, quod non implevit.

34 Qui pro electione, collatione, præsentatione, nominatione alicujus ad beneficium seu officium ecclesiasticum aliquod temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem judicis sententiam. *Communis, & certa*, textu expresso *in cap. De hoc* 11. *de Simonia*, ibi: *Reges, & Principes ejus debet inducere, ut si quæ receperint a præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Oxoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint*.

35 Et quidem ad talem restitutionem tenetur de Jure Divino. *Communis*. Cum enim talis non sit Dominus, sed dispensator solum hujusmodi rei spiritualis, & a Domino Deo jussus, ut *gratis* distribuat, *Matth.* 10. *Gratis accepistis, gratis date*, facit injuriam Domino Deo, & illi, a quo pro re spirituali temporale exigit; sicque peccat contra justitiam, & consequentur tenetur ad restitutionem de Jure divino.

36 Qui temporale accepit ratione beneficii Ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesiæ, in qua beneficium existit, & non ipsi danti, præsertim post sententiam judicis. *Communis*, & clare habetur ex cit. *cap. De hoc* 11. *De Simonia*, ubi expresse præcipitur ut hujusmodi *Simoniace* accepta restituantur Ecclesiæ Oxoniensi.

37 Advertunt tamen Doctores cum Sanct. Thoma 2. 2. *quæst.* 100. *art. 6. ad tertium*, posse tale temporale acceptum restitui pauperibus Superioris arbitrio; Immo multi asserunt jam legitime introductum esse, ut talia *Simoniace* accepta restituantur pauperibus, cum obligatio ea restituendi Ecclesiæ, & non alii sit tantum lex humana, seu Ecclesiastica, cui potuit, & potest, per legitimam consuetudinem derogari; *cap. Cum tanto* 11. *de consuetud.*

38 Ante sententiam tamen Judicis posse, immo deberi talia *Simoniace* accepta restitui illis, a quibus sunt accepta, defendunt absolute Sotus *lib.* 9. *q.* 9. *art.* 1. *de Simonia*, & §. *Ad sextum*, Moya *tract.*6. *Miscellan. disp.* 4. *qu.* 6. §. 2. *num.* 13. Bannes 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *dub.* 2. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 296. & 297. Et probabiliter Palao *de Simonia punct.* 26. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 31. *num.* 171. & alii.

(*) His assentiri videtur Antoine art.cit.quæst.xx. resp. 4. ubi scribit. „ Si Simonia non sit in beneficiali materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit: quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit simoniace, retinet dominium rei datæ, cum pactio simoniaca sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, & lex non prohibet reddi, quod simoniace datum est, nisi simonia fuerit realis in beneficio. Nam in cap. citato, ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse mandanti, seu Ecclesiæ, agitur solum de simonia reali in beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde hæc pœna cum sit quid odiosum, non debet extendi ultra casus in lege expressos. Imo *cap.*19. *de Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, qui religionem simoniace fuerat ingressus. „ (*)

Simoniace accepta pro ingressu in Religionem possunt retineri a Monasterio in communi usu, at non ad specialem usum superioris, seu superiorissæ, aut alterius singularis personæ, id enim, nempe quod talia Simoniace accepta communi Monasterii usui, tamquam piæ causæ remanere, & applicari possunt, expresse concessum fuit *in Extravagant. Sane* 1. *de Simonia*, ibi: *Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra Canonicas sanctiones peccasse noscuntur, volentes nos reddere gratiosos omnia recepta hujusmodi, si ad communem usum Monasteriorum, seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri; Si vero ad specialem usum Abbatis, vel Abbatissæ, Prioris, aut Priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi*. Unde nullam esse obligationem ante Judicis sententiam restituendi Simoniace accepta in ingressu Religionis, sed posse retineri, & applicari, ut supra expresse tenent Pirhing. *loc. cit. num.*183. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 298. Palao *de Simonia punct.* 26. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 30. & alii. 39

Simoniace accepta pro collatione ordinis, & administratione aliorum Sacramentorum, & Sacramentalium restitui debent de Iure divino, & consequenter ante omnem Judicis sententiam. *Communis*. Et ratio est clara, quia cum talia, & similia spiritualia ex mandato Domini Dei, *Matthæi* 10. gratis conferri & administrari debeant, si quod temporale pro eorum collatione, seu administratione exigatur, fit gravis injuria Domino Deo, & illis, a quibus exigitur, sicque peccatur contra Justitiam, & insurgit obligatio id restituendi de Jure Divino. 40

Et talis obligatio restituendi Simoniace accepta oritur ex *Simonia mentali*; licet enim ex ipsa nulla incurratur Juris pœna per dicta, & jura adducta *supra num.* 2. oritur tamen onus restituendi temporalia Simoniace accepta: quod onus non est pœna juris, sed obligatio ex justitia, & jure Divino procedens ob injuriam illatam tertio, quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, propter quæ tales mentales Simoniaci *apud districtum Judicem* 41

(*qui*

(*qui Scrutator est cordium, & cognitor Secretorum*) *culpabiles judicantur*, ut expresse cavetur, *in cap. Tuæ nos* 34. *de Simonia*.

Alia ad rem. Vide verb. *Electio*, *Juspatronatus*, *Præsentatio*, *Resignatio*.

Additiones ex aliena manu.

42 Regulariter pœnæ contra Simoniacos haud incurruntur propter solam Simoniam conventionalem, ut recte notavit *Auctor n.* 3. & communiter tradunt Antonell. *de Regim. Eccles. lib. 6. cap.* 18. *num.* 13. Lotter. *de re benefic. lib.* 3. *quæst.* 19. *num.* 150. *& seq.* Novar. *in Summ. Bullar. Commentar.* 117. *n.* 19. Panimoll. *decis.* 91. *annot.* 1. *num.* 35. Rot. *in recent. decis.* 141. *num.* 16. *part.* 16. & cum aliis *in Marianen. Beneficii* 28. *Januar.* 1746. §. 8. *cor. clar. mem. Millin.*

43 At in aliquibus casibus ex sola conventionali Simonia incurritur pœna nullitatis. Sic permutatio simoniaca, quamvis nihil adhuc datum, vel factum sit, irrita est, caretque suo effectu, Rota *coram Crisp. decis.* 102. *num.* 3. *cor. Falconer. decis.* 5. *numer.* 10. *de benefic.*

44 Idem dicendum de resignatione Simoniaca labe infecta, ut respondit Rota *in Paderbonen. Beneficii* 10. *Martii* 1747. §. 2. *cor. Reverendiss. Molino*, ibi: *Dubitari namque non potest, quin detestabile scelus simoniacæ pravitatis inducat omnino nullitatem resignationis, & beneficii privationem &c. Quod procedit nedum in reali, verum in simonia etiam conventionali, etsi effectu conventio caruerit*, & in confirmatoria 3. *Junii* 1747. §. 2. *cor. eodem*.

45 Et quod hic silentio prætereundum haud est, mox allegatæ *Decisiones in Paderbonen. Beneficii* magistrales sunt circa probationem Simoniæ, & fere singulares, nam ut plurimum simonia excludi solet ex defectu idonearum probationum.

46 Num etiam in electionibus ex sola simonia conventionali incurratur pœna nullitatis electionis? Vide apud Mayr *in Decretal. lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 138.

47 De peculiaribus pœnis, quas incurrunt Simoniaci pro varietate actuum, in quibus Simonia committitur, vide eumdem Mayr *in Decretal. dict. lib.* 5. *dict. tit.* 3. *a num.* 133. *ad plur. seq.*

Articulus IV.

Quoad ea, quæ concernunt causas, & titulos excusantes a Simonia, vel pœnis, ac restitutione Simoniace acceptorum. Et quo ad ea, quæ concernunt dispensationem in pœnis Simoniæ, & absolutionem a censuris ob eam incursis, & Judicem, & testes quoad eam.

1 Causæ, & tituli excusantes a Simonia sunt potissimum sequentes. I. Si temporale pro spirituali, aut e contra detur omnino gratis sine ullo explicito, & implicito pacto, patet ex dictis *art.* 1. *a num.* 29. *ad* 30. II. Si post acceptum spirituale detur temporale, aut e contra ex mera gratitudine ad satisfaciendum obligationi *antidorali*. Patet ex dictis citat. *art.* 1. *num.* 34. III. Si temporale detur, ne eligatur indignus, aut minus dignus Patet ex dictis *art.* 2. *num.* 17. IV. Si Ministris Ecclesiæ dentur temporalia non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad eorum honestam sustentationem pro administratione Sacramentorum, & Sacramentalium, pro missis, & aliis functionibus spiritualibus, patet ex dictis *art.* 2. *num.* 26. *&* 33. V. Si spirituale conferatur propter preces armatas sive gravem metum incussum sine tamen ullo pacto; Patet ex dictis *art.* 1. *num.* 40. VI. Si temporale detur ad redimendam vexationem injustam, patet ex dicendis *infra num.* 2. *&* 3. VII. Si temporale detur propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, & solum per accidens conjunctum; Patet ex dicendis, *infra n.* 6. VIII. Si interveniat ignorantia vera invincibilis, Patet ex dicendis *infra num.* 8.

Ab incursu Simoniæ excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, & quod habet in re. *Communis*, *arg. c. Quæsitum* 4. *caus.* 3. *quæst.* 3. *& cap. Dilectus* 28. *de Simonia*. Ubi Simoniæ non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexationem, quam patiebantur in jure jam quæsito temporalia dederunt. Hinc S. Gregorius Magnus (ut ex Baronio refert Fagnanus in *lib.* 6. *cap. Nobis*, *de Simonia num.* 105. pecuniam dedit Imperatori Mauritio pro confirmatione sui Pontificatus sine labe Simoniæ, quia cum jam haberet Jus quæsitum, seu in re ad Pontificatum per legitimam electionem, dictam pecuniam non dedit pro jure aliquo spirituali, seu pro Pontificatu emendo, utpote quem jam plene jure quæsito habebat, sed pro tollenda injusta, & violenta vexatione, qua a justo exercitio sui legitimi Pontificatus tyrannice impediebatur, quod est quid temporale. 2

Item ab incursu Simoniæ excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in Jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere non autem prodesse potest ad tale spirituale verb. gr. Beneficium, seu officium ecclesiasticum obtinendum. *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu non dat quis temporale pro acquirendo spirituali, cum conclusio supponat talem injuste vexantem nihil penitus prodesse posse ad tale spirituale acquirendum, sed dat solum, & præcise ut injustus vexans impedimenta non ponat per suas iniquas machinationes infamando verb. gr. & denigrando ipsum apud eligentem, præsentantem, conferentem, confirmantem; seu alias injuste agendo contra ipsum, ne eligatur, præsentetur, instituatur, confirmetur, vel alias a beneficio acquirendo injuste, & violente impediatur uti injuste ipsum detinendo, aut quocumque modo impediendo, ne se conferat ad concursum, ad electorem, præsentatorem, collatorem, & hujusmodi: quæ omnia sunt quid mere temporale, & nihil positive influunt in beneficii, seu officii ecclesiastici collationem, & acquisitionem. 3

Non excusat tamen ab incursu Simoniæ dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad Spirituale v. g. beneficium seu officium ecclesiasticum obtinendum, *Communis*. Et ratio est, quia 4

in tali casu temporale datum, vel promissum alicui, ne in electione v. gr. præsentatione, & hujusmodi injuste deneget votum suum, vel alias injuste deneget debitam institutionem, confirmationem, collationem, & hujusmodi, positive influit in collatione, & acquisitione spiritualis, cum non aliter tollatur, seu redimatur dicta injusta negatio voti, institutionis, confirmationis, collationis &c. nisi per actualem dationem temporalis; Unde tunc datum temporale habet rationem pretii. Sic autem dare temporale, ut detur spirituale, est verissima Simonia. Habetur expresse *in cap. Matthæus* 23. *de Simonia*, juncto ejus Summario sic præcisè dicente: *Si contradicens electo pro pecunia de voluntate electi tradita a contradictione cessat, electus postea confirmatus, est Simoniacus, & beneficio renunciare tenetur*. Et concordat *cap. Sicut tuis* 33. *eodem*, ubi tam Episcopus injuste negans confirmationem canonice electo, quam illi, qui ad tollendam injustam Episcopi vexationem pro obtinenda debita confirmatione pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur.

5 Item non excusat ab incursu Simoniæ dare alicui, sive de jure ad beneficium prodesse volenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incæpta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. *Communis*, *arg. cap. Cum pridem* 4. *de Pactis*, *cap. Matthæus* 23. *& cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*; Et ratio est clara; quia quando quis in beneficio acquirendo, seu acquisito juste impugnatur, seu juste impugnari potest, vel nullum jus habet, vel saltem non firmum ad dictum beneficium, adeoque si mediante pecunia, vel temporali justam impugnationem, seu vexationem tollit, sibi parat viam ad spirituale per temporale, & medio temporali jus ipsum sipirituale, vel saltem ejus firmitatem sibi comparat, quod vere est Simoniacum; Unde vera est Simonia dare pecuniam, aut aliud temporale alicui, ne electionem, præsentationem, collationem, seu possessionem beneficii juste, & de Jure, impugnet, aut a justa impugnatione desistat, & hujusmodi.

6 Ab incursu Simoniæ excusat dare, & exigere temporale propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, & per accidens conjunctum. Secus autem propter laborem intrinsecum. *Communis*. Et ratio est clara, quia labor extrinsecus est distinctus ab ipsa actione sacra, & functione spirituali, licet per accidens sit ei conjunctus, adeoque retinet suum valorem, quem ex se tamquam quid temporale distinctum ab ipsa actione Sacra habet, sicque propter ipsum absque incursu Simoniæ potest dari, & exigi temporale, cum non sit Simonia dari, & exigi temporale pro temporali. Econtra tamen, quia labor intrinsecus non distinguitur ab ipsa actione sacra, & functione spirituali, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque est Sacer, dari, & exigi temporale pro ipso erit Simonia, per textum *in cap. Si quis objecerit* 7. *caus*. 1. *quæst*. 3. ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*.

6 Ille autem labor est, & dicitur extrinsecus functioni Sacræ, seu ministerio spirituali, & ei per accidens conjunctus, sine quo functio sacra, seu ministerium spirituale, adhuc in se bene fieri potest. Sic v. gr. labor extrinsecus, & per accidens conjunctus celebrationi Missæ est itineratio per unam, vel alteram horam ad locum distantem: Unde cum talis itineratio ad celebrandam Missam in dicto loco distanti sit quid temporale; non est Simonia pro ipsa dare, & exigere temporale. Labor intrinsecus e contra est, & dicitur ille, sine quo functio sacra, seu ministerium spirituale fieri nequit; Sic verb. gr. pronunciatio verborum, motus membrorum, & hujusmodi est labor Missæ intrinsecus, eo quod sine isto, & simili labore Missa celebrari nequeat. *Sic Doctores Communiter*; Unde cum talis pronunciatio verborum, & motus corporis, utpote labor intrinsecus, & necessarius pro celebratione Missæ, & consequenter ab ipsa indistinctus, sit unum totum Sacrum cum ipsa efficiens, ideo pro ipso solo nequit aliquid temporale pro pretio dari, & exigi sine labe Simoniæ, cum sic esset vendere, & emere spirituale pro temporali.

Ab incursu Simoniæ excusat etiam ignorantia vere invincibilis. *Communis*. Et ratio est clarissima, quia ad peccatum requiritur consensus; ignorantis autem nullus est consensus, *l. Si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict. omnium Judicum*, *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur. & Fact. ignorantia*; Unde si ignorantia invincibilis per communissimam doctorum excusat ab omni peccato, excusabit infallibiliter etiam a culpa Simoniæ. 8

Causæ omnes, & tituli excusantes a Simoniæ culpa, excusant etiam ad ejus pœnis. *Communis*. Ubi enim nulla est culpa, ibi nulla debet esse pœna, *arg. leg. Si putatur* 31. *ff. Ad Legem Aquiliam*, *leg. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, *cap. Sine culpa* 23. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*. 9

Ignorantia tamen invincibilis pœnarum ob culpam Simoniæ ab Ecclesia statutarum, ab eis non excusat, censuris exceptis, ipsos Simoniacos. *Communis*; Ignorantia enim solius pœnæ non tollit causam pœnæ, idest culpam, adeoque nec effectum, seu ipsam pœnam. Et de facto delinquentes contra alias leges sub certa pœna aliquid prohibente, eadem pœna justissime plectuntur, quamvis ignorent ipsam pœnam, sub qua lex talia delicta prohibet, nec indiget hoc ulteriori probatione, cum quotidiana id demonstret experientia, & praxis omnium tribunalium ecclesiasticorum, & laicalium, qua constat, delinquentes, & legum transgressores variis affici pœnis rotæ, combustionis, patibuli, decollationis, & hujusmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint, delicta a se committenda, & commissa pœnis hujusmodi subjacere. 10

Notanter autem dicitur *Censuris exceptis*, quia ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet. *Communis*, textu expresso *in cap. Ut animarum periculis* 2. *de Constitutionibus in* 6. ibi: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dummodo eorum ignorantia crassa non* 11

fuerit, *aut supina*. Et ratio manifesta est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, *cap. Qua fronte* 15. *de appellationibus*, ibi: *Sane si quis pro contumacia* ..... *Interdicto*, *vel excommunicatione tenetur adstrictus*, cum similibus. Contumacia autem non adest, ubi ignorantia censuræ habetur, cum ignorantia excuset a contemptu, & contumacia, *leg. Si ignorans* 50. *ff. Locati*.

13 Quamvis temporalia Simoniace accepta restituenda sint, licet quis ea accipiendo ignoraverit se peccare; cum obligatio talis restitutionis oriatur non tam a Jure humano, seu ecclesiastico, quam a Jure divino, seu naturali ex dictis *art.* 3. *num.* 32. *ad* 35. & consequenter, qui ea simoniace accepit, restituere teneatur statim, ac rescit illa tamquam aliena restitutioni esse obnoxia, etiamsi prius ipsa accipiendo id ignoraverit, ut tradunt communiter do-
14 ctores: Tamen præscriptio legitima excusat a dicta restitutione Simoniace acceptorum; Dummodo tamen ad ipsam præscriptionem vere concurrant omnes conditiones ad ipsam necessariæ, de quibus abunde sub verb. *Præscriptio per tot.* Vide *ibi*, ubi plurima ad rem.

15 Ab excommunicatione incursa ob commissam Simoniam in ingressu Religionis, vel beneficio Ecclesiastico solus Papa absolvere potest. *Communis*; Papa enim sibi illam specialiter reservavit in *Extravag. Sane* 1. *& Cum detestabile* 2. *de Simonia*.

16 Ex privilegio tamen, quo regulares mendicantes absolvere possunt a casibus Papæ reservatis (qua de re legenda Appendix ad verb. *Confessarius artic.* IV.) possunt etiam absolvere ab ista excommunicatione, dummodo non sit publica, & ad forum contentiosum deducta. Ita Suarez *l.* 4. *de Simonia c.* 61. *num.* 4. Castropal. *de Simonia punct. ult. n.* 2. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 3. *num.* 334. & alii. Sicut & posse Episcopos absolvere a Simonia occulta declaravit Sacra Congregat. apud Castropal. *de simonia punct. ult. n.* 3. Reiffenst. *loc. cit. n.* 340. *in fine*.

17 Solus autem Summus Pontifex absolvere potest ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, aliisque pœnis incursis ob commissam Simoniam in subreptione & collatione ordinum, etiamsi Simonia sit occulta; Sic enim sibi expresse reservavit Sixtus V. Constitut. 91. incip. *Sanctum & salutare* cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 6. Vi cujus Episcopi alias possunt *in omnibus irregularitatibus*, *& suspensionibus a delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario*, *& exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare*, *& in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos*, *aut Vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ gratis absolvere*. Sunt verba præcisa Concilii. Nec quoad hoc dicta Constitutio Sixti V. est moderata, aut revocata a Clemente VIII. Constit. 41. incip. *Romanum Pontificem*, ut patet ex dictis *supra art.* 3. *num.* 11. Quamvis tamen circa id non esse dictam Sixti V. Bullam ubique receptam putet Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 24. *num.* 134. apud Reiffenstuel *loco cit. num.* 335.

Si beneficium simplex Simoniace fuit obtentum 18
ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest Episcopus cum illo dispensare, ut tale beneficium de novo acquirere, & retinere possit, dummodo illud prius libere resignet. *Communis*, textu expresso *in c. Si alicujus* 59. *de electione*, ibi: *Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleretur*.

Idem potest Episcopus, si est Prælatura, aut 19
dignitas seu beneficium curatum, dummodo electio, seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem, si per sententiam sit reprobata, seu cassata, *cit. cap. Si alicujus*, ibi: *Si alicujus electionem propter simoniam eo ignorante*, *ac ratum non habente commissam contigerit reprobari*, *cum eo super prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare*, juncto Summario *ibid.* sic expresse sonante: *Cassata electione propter Simoniam etiam sine culpa electi, non dispensat Episcopus ea vice cum cassato*; *Secus*, *si electus libere resignavit*. Reiffenstuel *loco cit. num.* 337. & alii. In casu autem, 20
quo talis Simoniaca electio, seu collatio reprobata, seu cassata fuerit per sententiam, non potest Episcopus dispensare, ut talis beneficium *illa vice* retinere, vel de novo acquirere possit; sed debet tale prius alteri conferri, & postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali *Simoniam* ab alio commissam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta Simonia purgabitur per intermediam personam, ut notat Glossa communiter recepta *in cit. cap. Si alicujus*, verb. *Illa vice* per textum *in cap. Ex transmissa* 7. *de Filiis Presbyteror.* ibi: *Quo defuncto media intercessit persona, cui prædictum beneficium est collatum*. Et tenent Pirhing *loc. cit. num.* 173. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 337. & alii communiter *argument. citat. cap. Si alicujus* 59. *de electione*.

Pœnam inhabilitatis ad beneficium quodcumque 21
Episcopus dispensando tollere non potest, quando Simonia commissa est ab ipso beneficiario, vel ab alio, ipso sciente, & consentiente, etiamsi Simonia sit occulta; Tunc enim talis Simoniacus redditur perpetuo inhabilis non solum ad beneficium simoniace obtentum iterum obtinendum, sed etiam ad quæcumque alia beneficia per jura, & Constitution. Pontific. cit. *supra art.* 3. *num.* 15. *&* 17. Super quibus Episcopus dispensare nequit, *cap. Inferior* 4. *dist.* 21. *cap. Nulli fas sit* 25. *qu.* 1. *cap. Institutionis* 25. *quæst.* 2. *cap. Quod super his* 9. *& cap. Cum inferior* 16. *de Maiorit. & Obed. Clement. Ne Romani* §. 1. *de election.* ibi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*.

Et id procedit, nedum in foro externo, ut te- 22
nent Doctores communiter, sed etiam in foro interno, ut expresse declaravit *Sacr. Congreg.* apud Castropal. *de Simonia punct. ult. num.* 3. & Reiffenstuel *loc. cit. num.* 349. his verbis: *Episcopus*, *& si a Simonia occulta absolvere possit*, *non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad beneficia in posterum obtinenda*, *neque ad ea retinenda*, *quæ per Simoniam occultam retinet*. Et sic tenent Pirhing *loc. cit. num.* 173.

num. 173. Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 61. *num.* 10. *&* 11. & communissima aliorum, teste Reiffenstuel *loc. cit. num.* 140. dicente jam in praxi tutam minime esse contrariam sententiam Henriquez, & paucorum aliorum putantium probabile esse, quod Episcopus pro foro interno dispensare possit, si Simonia sit occulta.

23 Quando Simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a Dataria. Pyr. Corrad. *in praxi dispensation. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 13. *&* 14.

24 Reiffenst. *loc. cit. num.* 343. & alii passim. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in Sacra Pœnitentiaria, Reiffenstuel *loc. citat. num.* 344.

25 In causis Simoniæ solus Judex Ecclesiasticus cognoscere, & definitive pronunciare potest, etiamsi Reus sit Laicus. Jul. Clar. *lib.* 5. §. *Simonia n.* 7. Pirhing *loc. cit. num.* 142. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 348. Abbas *in cap. Cum sit* 8. *de foro competen.* & *ibi* Glossa verb. *Malefactores*, & alii communiter: Simonia enim, cum versetur circa objecta spiritualia, est causa spiritualis, causarum autem spiritualium cognitio, & sententiæ pronunciatio pertinet ad solos Judices Ecclesiasticos, privative quoad Laicos, textu expresso *in cap. Decernimus* 2. *de Judiciis*, ibi: *Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant*. Et concordat *cap. Lator* 5. *cap. Causam quæ* 7. *Qui filii sint legitimi*, *cap. Contingit* 8. *de Arbitris* cum similibus.

26 Ad accusandos Simoniacos quivis testis etiam criminosus admittitur, textu expresso *in cap. Tanta* 7. *de Simonia*, *ibi*: *Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem*, & concordant *cap. Heli* 31. *& cap. Per tuas* 32. *eodem*.

27 In simonia reali scienter contracta pro beneficio acquirendo, Pœnitentiaria non revalidat titulum ejusdem beneficii etiam in casibus occultis, & in foro conscientiæ (in quo tamen dispensat ad exercitium ordinum) nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris, commissa, & orator quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet & in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Benedict. XIV. tom. 1. Constitutione 95. incipient. *Pastor bonus* §. 22.

28 * Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam ipsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. *Ibid.* §. 23.

29 Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere Ecclesiæ, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. *Instit.* 12. §. 11.

30 Si quis poscat a S. Congregatione absolutionem a Simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat*, *moneat*, *& restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti Ecclesiæ, vel pauperibus, restituat fructus perceptos, *ibid.* §. 12.

31 Si vero Simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*; quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. *Ibid.* §. 12.

Additiones ex aliena manu.

Summus Pontifex tametsi ea, qua pollet amplissima potestate dispensare valeat super pœnis Simoniæ in foro tum interno, tum externo, rarissime tamen hac potestate uti solet, teste *Corrado in Prax. Dispensat. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 13. 32

Quinimo nunquam Simoniace proviso concessit retentionem beneficii, super quo Simonia commissa est, si eo sciente commissa sit; *Idem Auctor ubi supra*. 33

Ceterum si ignorante proviso Simonia sit commissa, nec ei concedit retentionem illius beneficii, sed ipsum noviter ei confert. 34

Porro ubi Simonia sit publica, recursus haberi debet ad Datariam Apostolicam, ibique proponenda est supplicatio pro utroque foro, & exprimi debent fructus ex beneficio Simoniace acquisito percepti, quum debeantur ii Cameræ Apostolicæ, licet nonnunquam pro ipsis fieri soleat transactio. 35

A proviso autem cum ignorantia simoniæ sufficit eos exprimi fructus, qui percepti sunt post habitam notitiam Simoniæ, quum priores lucretur. 36

At si Simonia sit occulta, recursus habetur ad Sacram Pœnitentiariam cum supplicatione dispensationis pro foro interno tantum. 37

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

Societas est contractus duorum, vel plurium aliquid pretio æstimabile (utpote suam pecuniam, mercem, operam, industriam, & hujusmodi) conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter Socios dividendum. Est *in re communis*, & desumitur *ex l. Societatem* 4. *l. Societates* 5. *l. si Societatem* 6. *ff. Pro socio*, *& Instit. tit.* 26. *de Societate*. 1

Ad Societatem quæstuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut Societas fundetur in negotiatione licita, & honesta. Unde iniqua, & invalida est Societas, quæ instituitur, & initur ad illicitum, & inhonestum commercium, ut ad meretricium, lenocinium, usuram, furtum, fraudem, & quemcumque malum dolum, *l. Ea vero* 3. & *leg. Nec prætermittendum* 17. *ff. Pro socio*. (*) quibus adde *l.* 1. §. 14. *in fin. ff. de tut. & rat. distr. l.* 35. §. 2. *ff. de contra. empt.* (*). Secunda, ut quilibet Socius aliquid pretio æstimabile conferat in communem Societatem, sive dein conferat pecuniam, aut mercem, sive operam, vel industriam suam: (*) & si actu non confert, saltem se collaturum polliceatur (*) Plerumque enim pauperiores supplent sua opera & industria, quod alii præstant suis mercibus, *l. Societates*, 5. & *l. Si societatem* 6. *ff. Pro socio*. 2

(*) Ideo Diocletianus statuit, societatem uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi l. 1. Cod. pro socio. (*) Tertia, ut servetur æqualitas inter socios, tam quoad damna, quam quoad lucra, ita ut alius præ alio non lædatur, & lucrum, jactura, impendia, & detrimenta communicentur inter omnes socios, pro rata cujusque sortis, nisi aliter conventum sit, *l. Si societatem 6. & leg. Si non fuerint 29. ff. Pro socio*, & §. 1. & 2. *Instit. de societate*. Quarta, ut capitale collatum in communem Societatem subjaceat periculo conferentis, ita ut si pereat absque culpa Socii, pereat illi, qui illud in societatem communem contulit; cum talis conferens sit solus Dominus dicti Capitalis, & quælibet res Domino suo pereat; Nisi tamen aliter conventum sit per pactum assecurationis per infra dicenda de contractu vulgariter dicto trium contractuum, *arg. c. Contractus 85. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, & §. 2. *Instit. de societate*, & *l. Si non fuerint 29. ff. Pro socio*, & *l. Depositum* 1. §.6. *ff. Depositi*.

(*) Præcipuam conditionem omittit auctor, ut nempe bona fide contrahatur. Cum enim contractus sit bonæ fidei, ideo bona fides principaliter desideratur. Quapropter societas si dolo malo, aut fraudandi causa coita sit, ipso jure nullius momenti est: quia fides bona *contraria est fraudi*, & *dolo l. 3. §. 3. ff. pro socio*. Rursus requiritur ut fiat animo lucri faciendi. Hinc donationis causa societas recte non contrahitur *l. 5. §. 2. ff. pro socio. l. 35. §. 5. ff. de mortis causa donat.* (*).

3 Contractus vulgo dictus trium contractuum, scilicet Societatis, Assecurationis Capitalis, & Venditionis lucri incerti pro certo secundum multos est illicitus, & usurarius, si celebretur cum eadem persona, sive simul, sive sucessive. Sic Sotus *lib. 6. de Justit. quæst. 6. art.* 2. Filliucius *de societat. cap. 19. num.* 27. Arragonius 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Bannez 2. 2. *quæst.* 78. *art.*4. *de societat. dub.* 1. Rebellus *lib.* 15. *quæst.* 4. Azorius *Institut. moral. P. 3. lib. 9. cap. 4. quæsit. 5. Vers. Ex his solvitur altera difficultas*, qui pro se citat Sanctum Thomam 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad quintum*, Sanctum Bernardinum Senens. *part.* 2. *serm.* 39. *art.* 1. *cap.* 1. *vers. Primus casus*, Sanctum Antoninum *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 7. Glossam *in cap. Plerique* 14. *qu.* 3. Abbatem *in cap. Per vestras, de donationibus inter Virum, & Uxorem*, Rodulphum *in c. Consuluit, de Usuris part.* 2. *qu.* 19. Accursium *in leg. Si non fuerint* 39. *ff. Pro socio*, Baldum *in leg.* 1. *C. Pro socio*, innumerosque, tum Canonici, tum Civilis Juris Interpretes; Et sic tenet etiam Henno *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *quæst.* 5. *conclus. unica*. Et novissime cum pluribus aliis Pontas verb. *Societas. cas.* 30. *per tot.* ubi mordicus hanc propugnat sententiam adducens ad id Constitutionem 45. Sixti V. incip. *Detestabilis avaritiæ*, & multa alia ad rem, solvendo etiam contraria. V. infra *n.* 44.

Communior tamen, & probabilior sententia docet talem Contractum trium Contractuum esse licitum, * & minime usurarium, quamvis cum eadem persona, sive simul, sive successive celebratum. Sic tenent Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *dub.* 10. Major *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 27. Valentia *disp.* 5. *tom.* 3. *quæst.* 24. *punct.* 2. Molina *de Justit. & Jur. lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 3. Covarruv. *l.* 2. *variar resolut. cap.* 2. *n.* 3. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 41. Bartholomæus Medina *in Instruction.* §. 27. Garcias *de Contractib. part.* 2. *c.* 17. Ludovicus Lopez *de Contractibus lib.* 1. *cap.* 65. Navarr. *c.* 19. *num.* 225. Angelus verb. *Societas* 1. §. 17. Silvester verb. *Societas* 1. *q.* 2. Fumus verb. *Societas n.* 6. Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 20. *n.* 2. Bonacina *tom.* 3. *disp.* 3. *de Contractib. q.* 5. *punct.* 1. *n.* 3. *vers. Dixi nisi*, Reginald. *lib.* 25. *cap.* 29. *num.* 396. Lugo *de Justit. & Jur. sect.* 2. *n.* 40. Reiffenstuel *Theol. Moral. Tract.* 8. *dist.* 4. *q.* 10. *nu.* 134. Petrus Marchant. *Tribunal. tom.* 2. *tract.* 8. *tit.* 5. *sect.* 8. *dub.* 2. Diana *part.* 1. *tract.* 30. *de Contractib. resolut.* 8. Sporer *tom.* 2. *tract.* 6. *de Contractu societatis n.* 58. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 876. cum Busemb. & pluribus aliis ibi citatis, Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 2420. & alii innumeri. Et ex Jurisperitis Hostiensis *in summa tit. de Usuris* §. *In aliis autem*, *vers. Porro fieri potest*, Joan. Andreas *in cap. Per vestras de donation. inter Virum & Uxor.* & alii, & videtur colligi ex *l. Si non fuerint* 29. §. 1. *ff. Pro socio*, *l. Depositum* 1. §. 6. *ff. Depositi*, *c. Per vestras* 7. *de donationibus inter Vir. & Uxor. cap. Contractus* 85. *de Regul. Juris in* 6. 4

Ut justitia dicti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. Supponamus quod Titius det Cajo mercatori mille Florenos ad negotiandum, & dicti mille Floreni Titii sint æqualis valoris cum industria Caji, & insuper quod spes lucri Judicio prudentum, & peritorum sit de 300. Florenis: In tali casu ex vi contractus Societatis debentur Titio una cum sorte 150. Floreni, qui sunt dimidium lucri prudenter sperati; At quia ad Titium spectare deberet sortis, seu capitalis periculum, ideo convenit cum Cajo, ut periculum illud, & onus omne in se suscipiat assecurando sortem, seu Capitale, pro cujus assecuratio- 5

Notæ Rom. Theol.

* Contractum trium contractuum nullatenus esse privata auctoritate censura notandum, lubens admitterem, monitum in hoc sequens sapientissimi, ac circumspectissimi Pontificis Benedicti XIV. *lib.* 10. *de Syn. cap.* 7. Periculosum nihilominus, atque in praxi vix ab usura immunem illum pronuntiabo, ac proinde fideles deterrendos esse ab eo ineundo, ut plures præstitere Episcopi & Synodi ut optime advertit idem Pontifex *ibid.* nec diffitetur ipsemet Lucius *num.* 44. *hujus tit.* His positis, divinare non valeo, cur sententiam, quæ talem contractum licitum reddit, possit hic probabiliorem & communiorem appellare. Verum hujusmodi similesque voces non semper rectam suam præseferunt significationem cum a Casuistis usurpantur.

rationis & oneris suscepti compensatione relinquit ei majorem partem dicti lucri prudenter sperati, ita ut sola tertia pars, nempe 100. Floreni pertineant ad ipsum Titium, & aliæ duæ partes nempe 200. Floreni spectent ad Cajum; & quia adhuc in Titio manet incertitudo lucri sperati, ideo tertiam illam partem lucri sperati, scilicet 100. Florenos, in spe incerta vendit Cajo pro dimidio circiter verb. gr. pro 50. vel 60. Florenis certis: Spem enim lucri capiendi, non minus quam jactum retis justo pretio vendi posse nemo dubitat, ut recte advertit Sporer *loco cit. num.* 59. Dicti autem tres contractus scilicet Societatis, Assecurationis, & Venditionis, sicuti secundum se sunt justi, & licite celebrati cum tribus diversis personis, ut omnes fatentur, ita etiam justi, & liciti sunt, si celebrentur simul cum eadem persona, quia nec unio, nec identitas personæ, destruit substantiam Contractus. (*) Ceterum, consentiunt omnes, *inquit Antoine in Tract. de Contractibus cap. VIII. quæst.* 11I. *not.* 2. non licere hos contractus celebrare cum eo, qui non putetur ex ea negotiaturus v. g. cum paupere, qui indiget ex illa pecunia ad suam substentationem, vel ad solvenda debita. Quia tunc non esset nisi ficta societas, quæ usuram valeret, nec verus esset titulus aliquid supra sortem exigendi (*).

6 Pro determinanda tamen quantitate annui lucri ex hoc contractu Societatis licite exigendi attendenda est regula, quam ex Cardinali de Lugo tradit Sporer *loco cit. num.* 60. nempe quod lucrum certum, quod Socius conferens Capitale exigere potest, debet esse ita moderatum, ut attento Capitali, quod confert, & spe lucri, quod potest esse ex tali negotiatione, juste compensetur periculum, quod alter socius subit per assecurationem Capitalis, & certi annui lucri, quod dare promittit. Unde fit, quod aliquando vix quatuor, tria, aut duo certa exigi possint pro 100. collatis, quando scilicet secundum rectum judicium prudentum, & peritorum mercatorum negotiatio suscepta non valde lucrosa est; Econtra autem 6. 7. immo & 8. certa juste exigi possunt pro 100. collatis, quando secundum dictum rectum judicium prudentum peritorum mercatorum negotiatio suscepta est adeo notabiliter lucrosa, ut alter socius ex remanente sibi lucro sufficienter satisfactus censeatur pro onere, & periculo, quod subit ratione prædictarum assecurationum, nempe Capitalis, & certi annui lucri: & ita Bonacina *disp.* 3. *de Contractibus quæst.* 3. *proposit.* 13. cum supposuisset licite posse exigi 5. pro 100. *ibid. num.* 6. recte addit, in Societate trium contractuum plus posse exigi, quando negotiatio majus lucrum affert.

7 Unde istis notatis adducitur fundamentum hujus sententiæ desumptum ex *l. Si non fuerint* 29. §. 1. *ff. Pro socio*; ubi præcise dicitur: *Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit*. Hoc autem non potest fieri, nisi assecurando Capitale, & lucrum certum, ut explicat Glossa *ibidem, vers. Damnum est*, ita ut nullum remaneat periculum damni subeundi. (*) Huic legi videtur obstare eadem lex. §. 2, ubi expresse prohibetur, quo minus contrahatur societas, in qua alter damnum, alter vero lucrum sentiat; sed respondetur casum esse longe diversum nam casus de quo in §. 1. supponit, omne lucrum ad unum spectare, damnum vero ad alterum; sed §. 2. statuitur ut quis deducto damno lucrum sentiat, sive deducatur pacto, sive consuetudine, sive arbitrio boni viri (*).

8 Et favet etiam *cap. Ad vestras* 7. *donationibus inter virum & uxorem*, ubi Innocentius III. præcepit, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum, quod dictus Pontifex non præcepisset, nisi supposuisset fuisse licitum sortem dotis præcipuam salvam præstare apud Mercatorem suscepturum hujus summæ periculum, & intermedio tempore soluturum fœnus æquum, & honestum compesando se quæstu, quem Societas pareret, ibi: *Mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui Mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit Matrimonii sustentare*.

9 Accedit ratio, quia in illo contractu servatur justitia commutativa, cum, ut supponitur, assecuratio Capitalis, & venditio lucri incerti fiant justo pretio; ergo est justus, & licitus: Sicuti enim fit justo pretio cum diversis personis, ita etiam cum eadem; quandoquidem personarum diversitas non mutat pretia rerum, nec variat rationem contractus: adeoque si talis triplex contractus celebratus cum diversis personis licitus est, & non usurarius, ita etiam si celebretur cum eadem persona.

10 Nec valet dicere, quod si tale Capitale pereat, debeat perire ipsi conferenti, qui illius adhuc est verus Dominus cum quælibet res Domino suo pereat. Non valet, inquam, quia hoc verum est regulariter loquendo, ac secluso speciali pacto, quo quis periculum rei alienæ sponte in se suscipit: Alias secus. Quamvis enim in simili Commodatarius, vel Depositarius regulariter non teneatur de casu fortuito, quo res commodata vel deposita absque sua culpa periit; Secus tamen si præcesserit pactum de præstando casu fortuito, textu expresso *in cap. Cum gratia* 1. *De Commodato, & c. Bona fides* 2. *de Deposito*. Contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur; *cap. Contractus* 85. *de Regul. Jur. in* 6. *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris, & l. Depositum* 1. §. 6. *ff. Depositi*.

11 Nec valet instare, quod Sixtus V. in allegata Constit. 44. incip. *Detestabilis avaritiæ*, damnaverit omnes pactiones, quibus cavetur, ut Capitale salvum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum. Non valet, inquam, quia, ut referunt Comitolus *lib.* 3. *Respons. Moral. quæst.* 12. *num.* 3. & ex ipso Cardinal. de Lugo *cit. disp.* 30. *num.* 37. & alii apud ipsum Cardin. de Lugo idem Sixtus V. de sensu Bullæ interrogatus, respondit, se in ea voluisse solum prohibere in Contractibus Societatis illas injustas pactiones, quas Classici Doctores condemnarent; Et sic etiam asseveraverunt Patri Tuccio eximio præclarissimæ Societatis Jesu Theologo, Cardinalis Sanctæ Severinæ,

næ, & Cardinalis Toletus, qui jussu Sixti V. dictam Bullam condiderunt. Accedit Rota *in Romana Societatis die 3. Junii 1602. coram Cœccino Decano*, ubi censuit, dictam Bullam comprehendere solum casus usurarios de jure communi, additis tamen majoribus pœnis: quam decisionem refert Flavius Cherubinus *in Compendio Bullarii schol. 1. ad dictam Bullam 45. Sixti V.* Tum quia Lessius *l. c. n. 33.* apud La Croix *loc. c. n.876. vers. Hæ rationes*, & alii apud C. de Lugo *loco cit. n.37.* dicunt, Sixtum V. solum prohibuisse hujusmodi pactiones, quando apponuntur ex vi solius Societatis, non tamen quando Societati adjungitur alius contractus, quo socius propter pretium justum suscipit in se periculum Capitalis assecurando illud, vel emit spem lucri incerti, offerendo pro illo partem minorem certam; Nec S. Thomas, Sanctus Antoninus, & Sanctus Bernardinus Senensis citati pro contraria Sententia, si bene perpendantur, habent aliquid in re contra istam sententiam, ut ponderando eorum verba recte advertit Doctissimus Rosignolus præstantissimæ Religionis S. Pauli Decollati, *de contractibus contract. 3. disquisit. 6. §. 17. n. 8.*

12 Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis, ita ut possit tradi Rustico, seu Pastori certus numerus pecorum, ovium, vaccarum, & hujusmodi cum communi participatione fructuum, sed cum hoc, quod periculum non ad dantem, sed ad accipientem spectet, ut scilicet teneatur pro pereuntibus totidem substituere, & adhuc annuam pensionem solvere, sed minorem, quam alias deberet, ut sic fiat justa, & æqualis compensatio pro illo onere imposito, & suscepto, diminuendo scilicet tantum de lucro respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur. Sic Lessius *lib. 2. cap. 25. dub. 5.* Molina *loco cit. disp. 503.* Layman *loco cit. num. 4.* Sporer *loco cit. n. 60.* & ipso teste Communis aliorum contra paucos: Et ratio est, quia in tali contractu Societatis nulla proprie intervenit usura, cum unica sedes usuræ sit mutuum. In tali autem contractu cum tali pacto nullum proprie intervenit mutuum, nec formale, nec virtuale, cum non transferatur dominium rei collatæ in recipientem, uti reperitur de ratione mutui, quandoquidem per mutuum proprie transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, adeoque &c. Tum quia mutuum consistit in rebus non frugiferis, sed usu absumendis, ut pecunia, frumentum, vinum, & hujusmodi. In dicto autem contractu dantur res frugiferæ, adeoque pars fructuum pro eis juste exigi potest, non obstante tali pacto; Dummodo tantum diminuatur de lucro, seu de ipsa parte fructuum respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur.

(*) Antequam ulterius progrediamur, videndum quomodo contrahatur societas, & de variis societatis speciebus. Et quidem primo ad contrahendam societatem nihil præter consensum contrahentium requiri, exploratum est. Quare *societatem coire & re, & verbis, & per nuntium posse, dubium non est. l. 4. ff. pro socio.* Sæpius hæc lex societatis contractui adjicitur, ut quis certam partem in societate ferat; quod si non fuerint partes societati adjectæ æquas eas esse constat, quin rem mutet, ut quis duas, alter tres partes habeat. *l. 29. ff. eod.* Quoad lucrum si contrahentes noluerunt partem certam cuique socio competentem definire, possunt eam relinquere arbitrio boni viri, licet hic unus ex sociis sit, *l. 6. l. 76. l. 78. l. 79. l. 80. ff. eod.* Sed in societate hoc modo coita observandum est, quod *si societas coita sit ex his partibus quas Titius arbitratus fuerit, si Titius antequam arbitraretur decesserit, nihil agit, nam idipsum actum est, ne aliter societas sit, quam ut Titius arbitratus sit. l. 75. ff. eod.* Interdum etiam contractui societatis adjiciuntur leges circa tempus, quo duratura sit, incipiet, aut finietur. Nam *societas coiri potest vel in perpetuum, idest dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione l. 1. ff. eod.* Quod si coiretur societas duratura in æternum, nulla ipso jure esset societas *l. 70. ff. eod.* Diximus societatem sub conditione contrahi posse, quod nunc ita obtinuit, at vero antiquitus quæstio fuit vel maxime discussa. Hujus controversiæ rationem affert *Cujacius*. Cum contractus societatis, saltem universorum bonorum singulari jure dominium rerum quæ conferuntur, transferat; fingebatur in ea intervenisse mancipatio: porro mancipatio nec diem nec conditionem recipit, ideo ex istorum sententia non poterat societas sub conditione coiri. At Justinianus omnem penitus diremit quæstionem statuens *societatem contrahi posse non solum pure, sed etiam sub conditione: voluntates etenim legitime contrahentium omni modo conservandæ sunt l. 6. Cod. pro socio.*

Quoad vero diversas societatis species, easdem enumerat Ulpianus *in l. 5. ff. pro socio. Societas contrahitur sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam rei unius.* His alia etiam addi potest societas nempe universorum, quæ ex quæstu veniunt, quæ longe differt a priori omnium bonorum societatis specie. In omnium bonorum societate non requiritur necessario, ut omnes socii æqualem partem conferant, cum qui minus confert, opera sua supplere possit. *l. 5. ff. pro socio.* Contracta societate omnia sociorum bona illico communicantur, licet specialiter non intervenerit traditio, quæ semper præsumitur. *l. 1. §. 1. l. 2. ff. eod.* Ab universali communione unice excipiuntur nomina debitorum, quæ cum cohæreant personæ, non communicantur. *l. 3. ff. eod.* Quod attinet ad ea quæ socii post contractam societatem acquirunt, ea quidem non ipso jure societati quæruntur, sed ea socius, ex quacumque causa acquisiverit, conferre tenetur. *l. 3. §. 1. l. 52. §. 16. l. 73. & l. 74. ff. eod.* Quin etiam dos, quam uni ex sociis uxor ejus attulit, societati acquiritur, cum sua tamen causa, scilicet ut ex ea sustineantur onera matrimonii. *l. 65. §. 16. l. 66. ff. eod.* Intellige tamen, socium omnia bona, & lucra conferre debere, modo ex justa, & legitima causa procedant. Nam si ex illegitima ut ex furto, rapina, maleficio, adulterio, & similibus, non tenetur conferre, sicuti nec alii socii tenentur damna pro his rependere, si tamen non permiserunt ut communicarentur lucra illicita. *l. 52. §. 17. 18. l. 53.*

18. *l.* 53. *l.* 54. *l.* 55. *l.* 56. *l.* 57. *et l.* 59. *ff. eod.* Quoad, onera vero, quæ ferre cogitur societas, sciendum est, æs alienum cujusque socii ad societatem pertinere. Item ad hujus societatis onus spectabit quidquid ad suos, familiæque suæ necessarios usus unusquisque ex sociis erogabit. *l.* 73. §. 1. *ff. eod.* Idem dicendum etiam de dotibus filiarum, cum ex necessitate dentur, circa quas plures excitat, & resolvit quæstiones Papinianus *in l.* 81. *ff. eod.* tum circa constitutionem, tum circa solutionem, tum circa restitutionem, quæ ideo videnda est, cum non modo locum habere possit in societate omnium bonorum, sed etiam in aliis societatibus, si in his conventum sit, ut dotes filiabus sociorum, sumptibus societatis constituantur.

Societas universorum, quæ ex quæstu veniunt contrahi intelligitur, cum societas simpliciter contrahitur. Ita docent Ulpianus & Paulus *in l.* 7. *l.* 8. *& l.* 13. *ff. pro socio*. Inter quæstus recensentur etiam, & in hanc societatem conferri debent stipendia militiæ, & salaria. *l.* 52. §. 8. *ff. eod.* Verum in hac societate socius non tenetur conferre hæreditates, donationes, cujusque generis sint, legata, & alia hujusmodi. Cum enim hæc a merito personali, vel naturali debito alicujus procedant, in quæstu esse non videntur, ideo in hanc societatem non veniunt, *l.* 9. *l.* 10. *l.* 11. *l.* 71. §. 1. *ff. eod. l.* 45. §. 2. *ff. de acquir. hered.* E contra vero societas hæc non tenetur pro ære alieno sociorum, nisi in communem arcam pecuniæ versæ sint. *l.* 82. *ff. pro socio*.

Tertia societatis species est cujuslibet honestæ negotiationis. In hac societate si quæ pecuniæ aut res ad exercendam negotiationem destinentur societati, non statim atque destinatæ sunt, communes fiunt, sed tunc demum cum reipsa collatæ fuerint. *l.* 8. *in princ. &* §. 1. *ff. eod.* Huic porro societati acquiritur omnis quæstus, qui ex illa negotiatione proficiscitur, non autem is, quem aliunde socii faciunt. *l.* 52. §. 5. *ff. eod.*

Ab hac societate non valde dissimilis est societas vectigalium, quæ a præcedente in hoc tantum differt, ut morte unius ex sociis non solvatur, quod proprium est hujus societatis tantum, sed duret inter superstites, quin etiam ut hæres defuncti in societatem succedat, si ita ab initio conventum fuit, quod infra de solutione societatis indicabimus.

Quinta societatis species est societas rerum certarum, vel unius rei, puta unius prædii. *l.* 2. *Cod. pro socio*. *l.* 3. §. 2. *ff. eod. tit.* In societate unius rei quemadmodum & in societate unius negotiationis, illud demum lucrum, vel damnum confertur, quod propter illam rem contingit. *l.* 52. §. 6. *ff. eod.* Insuper socius illud lucrum non confert, quod dumtaxat propter suam partem sentit. *l.* 63. §. 9. *ff. eod.*

Superest ut aliquid attingamus de iure sociorum circa societatem. Socius portionem, quam in rebus communibus habet, in quemlibet transferre potest. *l.* 3. *& l.* 4. *Cod. de com. rer. alien.* Absit tamen quod quis ex sociis plus parte sua alienare possit, licet omnium bonorum societas sit. *l.* 68. *ff. pro socio*. Quinimmo socius non modo potest portionem suam tantum alienare, sed neque valet aliquid in re communi jure dominii agere invito altero, ut si quis ædificare velit invitis aliis, ei non permittitur. *l.* 28. *ff. de com. divid. l.* 27. §. 1. *ff. de servit. urb. præd. l.* 11. *ff. si servit. vindic.* Notandum tamen, quod licet quis ex sociis impediri possit quo minus in fundo communi ædificet, non tamen cogi potest ad demoliendum opus jam factum, nisi, absente socio, ad læsionem ejus ædificaverit. *l.* 28. *ff. com. divid. vers. sed etsi.*

Socius non potest suis sociis alium socium adsciscere citra eorum consensum, & si quid damnum sentiat societas ob hunc socium adscititium, ipse tantum præstabit, nullo habito respectu utilitatis, quam socius hic attulerit societati, nisi demum cæteri etiam socii consenserint, ut hic socius adscititius in societate admitteretur. *l.* 19. *l.* 21. *l.* 23. *in princ. &* §. 1. *l.* 24. *l.* 25. *l.* 26. *ff. pro socio*. *Nam socii mei socius, meus socius non est*. *l.* 47. §. *fin. de reg. jur.*

In contractu Societatis, si quid pereat sine ulla culpa Sociorum, damnum censetur commune. *Communis*, per text. *in l. Cum duobus* 52. §. 4. *ff. Pro socio*. 13

Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius Socii, tenetur solus talis socius ad ipsum damnum, Socius enim tenetur versus Socios de dolo, culpa lata, & levi, non tamen levissima. *Communis*. Et quidem quod teneatur de dolo, evincitur aperte ex §. *Socius* 9. *Institut. de societate, leg. Cum duobus* 52. §. 2. *&* 3. *ff. Pro socio*, cum similibus. Quod teneatur Socius de culpa lata, habetur clare ex *cit.* §. *Socius* 9. *Institut. de societate, leg. Non ob eam* 25. *& l. Socius* 72. *ff. Pro socio*, cum similibus. Quod teneatur Socius etiam de culpa levi, demonstrat manifesta ratio, quia Contractus Societatis est ex illis, qui conferunt ad utriusque contrahentis utilitatem; In istis autem contractibus contrahens tenetur, nedum de dolo, & culpa lata, sed etiam de levi, textu expresso *in l. Si ut certo* 5. §. 2. *ff. Commodati*, *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*, cum similibus, adeoque &c. Quod autem non teneatur Socius de culpa levissima, habetur clare ex cit. §. *Socius* 9. *institut. de societate*: ubi expresse sic dicitur: *Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est*, quod expresse habetur etiam *in cit. l. Socius* 72. *ff. Pro socio*, ibi: *Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est*. 14

Ex dictis infertur primo, quod, si res tradita in Societatem, fuerit furto sublata defectu debitæ custodiæ, teneatur ille, cui data fuerat, illam compensare, nec damnum sit commune utrique. *Communis*, per text. in *l. Cum duobus* 52. §. 1. 2. *&* 3. *ff. Pro socio*. 15

Infertur secundo, quod non solum teneatur Socius ex dolo, culpa lata, & levi in ordine ad damnum ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans, & damnum emergens. *Communis*, claris textibus *in leg. Cum duobus* 52. §. 11. *ff. Pro socio*, *& l. Socium* 60. *ff. eod.* 15

Infertur tertio, quod ex culpa etiam levi alicujus ex Sociis teneantur etiam heredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex Sociis facien- 16

ciendam. *Communis*, claris textibus *in l. Heres* 40. *ff. Pro socio*, *&* *leg. Verum* 63. §. 8. *ff. eod.* ubi expresse dicitur: *In heredem quoque socii pro socio actio competit, quamvis heres socius non sit, licet enim socius non sit, attamen emolumenti successor est.*

17 Expensæ, quæ fiunt causa Societatis, debent esse communes, & solvendæ sunt ex communi pecunia Societatis. *Communis*, textu expresso *in l. Cum duobus* 52. §. 15. *ff. Pro socio*, *cum similibus*.

18 Hinc si ex necessitate Societatis qui ex Sociis proficiscatur in alias regiones, & sumptus longe majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis Societatis quo ad illos compensari. *Communis*, textu expresso *in cit. leg. Cum duobus* 52. §. 15. *ff. Pro socio*, cum similibus.

19 An autem deducendæ sint expensæ illæ, quas dictus Socius domi fecisset, si alio propter Societatem non fuisset profectus? Variant Doctores. Detrahendas enim esse defendunt Major *in* 4. *dist.* 15. *q.* 47. Angelus verb. *Societas n.* 12. Silvester verb. *Societas* 1. *q.* 12. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 3. *nu.* 73. Gama *decis.* 213. Rosignol. *de Societate contract.* 7. *prænot.* 13. *n.* 5. *vers. Limita quarto*, & alii hac ducti non spernenda ratione Jure suffulta, quod expensas, quas Socii in rebus suis privatis faciunt, vel facere deberent, ex suo solvere debent, *l. Cum duobus* 52. §. 15. *&* 16. *ff. Pro socio*. Non esse autem detrahendas sustinent Lessius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub. ultim. n.* 35. Azorius *lib.* 9. *c.* 5. *qu.* 8. Reginald. *lib.* 25. *cap.* 27. *n.* 395. Layman *loco cit. n.* 5. Bonacina *loco cit. punct.* 4. *n.* 3. Reiffenstuel *loco cit. nu.* 145. Navarr. *Manual. cap.* 17. *num.* 285. & alii, hac ducti ratione, quod Jura præscribentia expensas hujusmodi faciendas esse de bonis Societatis absolute loquuntur sine ulla restrictione, ut patet ex *cit. l. Cum duobus* 52. §. 15. *&* 16. *ff. Pro socio*, & similibus. Quod autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *cap. Quia circa* 22. *de Privileg. & l. De pretio* 8. *ff. De Publiciana in rem actione*; Accedit praxis, & consuetudo, quæ est optima Legum interpres; *leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*; *cap. Cum Dilectus* 8. *de Consuetudine*, quæ ubi vere adsit, est servanda, *argum. cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*.

20 Conveniunt tamen omnes, quod non essent solvendæ ex bonis Societatis expensæ illæ, quæ inutiliter, & irrationabiliter fierent in conviviis, aliisque rebus non necessariis; istæ enim cum non cederent in bonum Societatis, nec de bonis Societatis, sed de bonis propriis eas inutiliter, & irrationabiliter facientis essent solvendæ. Cum justum non sit, ut quod pro se inutiliter consumitur, in aliorum perniciem transfundatur; Peccata enim suos debent tenere Auctores; *l. Sancimus* 22. *Cod. de Pœnis*, *cap. Quæsivit* 2. *De his, quæ fiunt a majori parte Capituli*. Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. Non debet* 7. *ff. de Regul. Jur. cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris in* 6.

21 Si Socius aliquis absque sua culpa, etiam levi, ex causa, seu ratione Societatis damnum incurrit, quia v. g. ad merces comparandas profectus in latrones incidit, qui eum vestibus, & pecunia etiam propria spoliaverunt, vel se, aut servum ejus vulneraverunt, & proinde ad se, vel servum curandum multas fecit expensas, tales expensæ solvendæ sunt ex pecunia Societatis. *Communis*, textu expresso *in cit. l. Cum duobus* 52. §. 9. *ff. Pro socio*, cum similibus.

Dicitur autem notanter: *absque sua culpa etiam levi*, quia secus esset dicendum, si dictus socius ex sua culpa in tale damnum incidisset, v. g. pergendo contra expressam consociorum prohibitionem per viam periculosam, latronibus obsessam, provocando alium rixis, in quibus fuit vulneratus, & hujusmodi. *Communis*, *argum. cit. l. Cum duobus* 52. §. 4. *in fine*, ibi: *Nam sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit*, ubi nota ly *quod non culpa socii contingit*: ex quibus verbis stat clarum, quod non debeat esse commune damnum, quod culpa Socii contingit, ut *ibid.* §. 18. ibi: *Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere*. Socius enim tenetur, ne dum de dolo, & culpa lata, sed etiam de culpa levi *per Jura adducta supra num.* 13. Tum quia justum non est, ut Societas damnum patiatur ex culpa alicujus Socii. Peccata enim suos debent tenere Auctores; *l. Sancimus* 22. *C. de pœnis*, *cap. Quæ sicut*, 2. *De his quæ fiunt a majori parte Capituli*; Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut expresse statuitur *in cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expresso *in c. Non debet* 22. *de Regul. Jur. in* 6. *l. Non debet* 74. *ff. De Regul. Jur.* 22

Dicitur etiam notanter *Ex causa, seu ratione Societatis*, quia damna propria, quæ Socius aliunde incurrit, v. g. quia iter ad proprium commodum arripuit, & inde a Latronibus pecunia, & rebus fuit spoliatus, seu vulneratus fuit, vel ob privatas inimicitias, seu rixas fuit vulneratus, & hujusmodi, non debent Societati imputari, sed ipsi soli. *Communis*, textu expresso *in l. Socium qui* 60. §. 1. *ff. Pro Socio*, *&* concordat *cit. l. Cum duobus* 62. §. 18. ibi: *Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere*. 23

Societas finitur, seu dissolvitur quatuor præcipuis modis, scilicet ex Personis, ex Rebus, ex Voluntate, & ex Actione, textu expresso in *l. Verum est* 63. §. 10. *ff. Pro socio*, ibi: *Societas solvitur ex Personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione; Ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur Societas*. Et concordant *l. Societatem* 4. *& l. Actione* 65. *ff. eodem*, *& Instit. de Societate* §. 4. 5. 6. 7. 8. 24

Ex personis dissolvitur Societas per mortem naturalem unius Socii, quamvis Societas cum pluribus contracta fuerit, & plures supersint, *cit. l. Societatem* 4. *l. Verum* 63. §. 10. *& l. Actione* 65. §. 9. *ff. Pro Socio*, *&* §. *Solvitur* 5. *Institut. de Societate*. Nisi enim in coeunda Societate aliter convenerint socii, heres socii defuncti non succedit, cum censeatur electa industria personæ, textu expresso *in cit. l. Actione* 65. §. 9. *ff. pro Socio*, & *cit.* §. *Solvitur* 5. *Institut. de Societate*; Immo Pomponius docet, *adeo morte unius socii dissolvi societatem, ut nec ab initio pacisci possimus, ut heres etiam succedat societati. l.* 59. *ff. Pro socio*, cui cohæret etiam Ulpianus *in l.* 35. *ff. eod.* Unde heres socii defuncti non succedit in lo- 25

in locum ejus, nisi novo consensu ineatur societas; *l. Nemo potest 35. & l. Plane 37. ff. Pro Socio*.

(*) Non ita accidit in societatibus vectigalium, quæ uno defuncto, manet inter superstites, *sed ita demum si pars defuncti ad personam heredis ejus adscripta sit, ut heredi quoque conferri oporteat. Quod ipsum ex causa æstimandum est. l. 59. vers hæc ita. ff. pro socio*. Et quidem ipso jure citra ullam conventionem. In hoc consistit, ut inquit Janus a Costa ad instit. §. 5. de societate, prima differentia hujus societatis, a reliquis societatibus, quæ, ut supra notavimus morte unius socii solvuntur, nec durant inter superstites nisi ita convenerit post mortem ipsius socii. Quin etiam in societate vectigalium heres defuncti in societatem succedet, sed ita demum si hæc lex societati dicta sit, ut pars defuncti ipsi adscriberetur, idest ut in societatem in parte defuncti succederet. Valet enim hæc conventio in societate vectigalium, & hæc est secunda differentia, in qua differt a ceteris societatibus, in quibus talis conventio non admittitur, ut supra monuimus. Vide Janum a Costa loc. cit. Ceterum, ut observat doctissimus Scultingius, quamvis ex speciali lege hujus societatis possit heres defuncti cogere socios, ut ipsum adsciscant in socium pro parte defuncti, & vicissim ipse ab eis cogi possit, non tamen fit ipso jure socius, sed dum fuerit adscitus. *l. 63. §. 8. ff. pro socio*. Est tamen casus, in quo hæc etiam societas solvi poterit per mortem unius ex sociis, ut colligitur ex superius citata lege 59. per hæc verba. *Quid enim si is mortuus sit, propter cujus operam maxime societas coita sit? aut sine quo societas administrari non possit*. Possunt enim esse justæ causæ cur neutrum fieri debeat, & tunc nec durare debet societas inter superstites. Item possunt esse causæ, cur manente societate pars defuncti non debeat adscribi hæredi, puta quia non est idonea persona, & tunc quidem non poterunt cogi alii socii ad hunc hæredem adsciscendum.

Quod diximus morte socii solvi societatem, hanc limitationem recipit, scilicet *si integris omnibus manentibus alter decesserit, deinde tunc sequatur res, de qua societatem coierunt, tunc eadem distinctione utemur, qua in mandato, ut si quidem ignota fuerit mors alterius, valeat societas; si nota, non valeat. l. 65. §. 10. vers. quod si ff. pro socio*. Puta duo coierunt societatem ad rem emendam, uno ex his mortuo, alter qui mortem ignorat, rem emit, valebit societas poteruntque socius, & heres socii mortui invicem agere pro socio, quasi emptio facta esset vivo socio.

Quamvis autem morte unius socii solvatur societas, heres nihilominus socii mortui in omnia hujus jura, quæ ex ante gestis pendent, succedit. *l. 40. & l. 65. §. 9. vers. sed quod. ff. pro socio*. Illud denique observandum est, quod quamvis ad heredem socii non transeat, nihilominus si novus intercedat consensus potest continuare societas. *l. 37. ff. eod.* (*)

26 Et istud extenditur etiam ad mortem Civilem alicujus ex Sociis, qualis censetur incurri per exilium, & Professionem Religiosam; *argum. cit. Juribus, & §. Minor 2. Institut. de capitis diminutione*; Cum enim censeatur electa in Societate industria personæ, & ignoretur qualis futura sit industria heredis Exulis, seu Professi, non potest ipse heres in ejus locum succedere, nisi novo consensu ineatur Societas, *cit. l. Nemo potest 35. & l. Plane 37. ff. Pro socio*.

Item dissolvitur societas per maximam, & mediam capitis deminutionem, non per minimam; textu expresso *in cit. lege Verum 63. §. 10. ff. Pro socio*, ibi: *Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis deminutione, aut morte*. 27

Quid autem, & quotuplex sit capitis deminutio, 28 habetur *in Institut. de capitis deminutione in princip.* ibi: *Est autem capitis deminutio proprii status mutatio: Eaque tribus modis accidit: Nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor (quam quidem mediam vocant), aut minima*. Et §. 1. expresse dicitur: *Maxima capitis deminutio est, cum aliquis simul & Civitatem, & libertatem amittit, quod accidit in his, qui servi pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ; Vel libertis, ut ingratis erga Patronos condemnatis: Vel his, qui se ad pretium participandum venundari passi sunt*. Et §. 2. sic: *Minor, sive media capitis deminutio est, cum Civitas amittitur, libertas vero detinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit. Vel ei qui in Insulam deportatus est*. Et §. 3. sic: *Minima capitis deminutio est, cum Civitas retinetur, & libertas, sed status hominis commutatur; quod accidit in his, qui cum sui Juris fuerint, cœperunt alieno Juri subjecti esse, vel contra: Veluti si filius familias a patre emancipatus fuerit, est capite deminutus*. Et §. 4. sic: *Servus autem manumissus capite non minuitur, quia nullum caput habuit*. Et §. 5. sic: *Quibus autem Dignitas magis quam status permutatur, capite non minuuntur, & ideo a Senatu motos capite non minui constat*. (*) Ceterum societatem permanere licet filius familias a patre emancipatus sit, vel quis adrogatus sit docent Ulpianus & Paulus in l. 58. §. 2. & l. 65. §. 11. ff. pro socio. Notandum quoad adrogatum qui licet post adrogationem in societate continuet, societas tamen ad adrogatorem non transit, ut habet idem Paulus in cit. l. 65. §. 11. in princ. (*).

Ex rebus dissolvitur Societas, quando sors capitalis periit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum, quia v. g. facta est Religiosa, & Deo consecrata, *cit. l. Verum §. 10.* ibi: *Res vero, cum aut nullæ relinquantur, aut conditionem mutaverint; Neque enim ejus, quæ jam nulla sit, quisquam socius est, neque ejus, quæ consecrata .... sit*. 29

Item Societas dissolvitur publicatione bonorum, 30 *cit. l. Verum §. 10.* ibi: *Publicatave sit*; & *cit. l. Actione 65. §. 12. ff. eod.* ibi: *Publicatione quoque distrahi societatem diximus: quod videtur spectare ad universorum bonorum publicationem, si socii bona publicentur, nam cum in ejus locum alius succedat, pro mortuo habetur, & §. Publicatione 7. Instit. de societate*, ubi habentur fere eadem verba.

Item Societas dissolvitur per cessionem bonorum, 31 cum quis ære alieno, & egestate oppressus bonis suis cedit, *§. Item si quis 8. Institut. de societate*, ibi: *Si quis ex sociis mole debiti prægravatus bonis suis cesserit, & ideo propter publica, aut privata debita* sub-

substantia ejus veneat, solvitur societas, & cit. l. societatem 4. ff. Pro socio, juncta Glossa *ibid. verb. Egestate*: ubi expresse dicit: *Ut si quis ex sociis bonis cesserit.* (*) His addi etiam potest *l. 65. §. 1. ff. eod.* quæ sic habet: *bonis a creditoribus venditis distrahi societatem Labeo ait* (*).

32 *Ex voluntate* dissolvitur Societas per renunciationem, textu expresso *in cit. l. Verum §. 10.* ibi: *Voluntate distrahitur societas renunciatione*: Intellige tamen per renunciationem seu consensum mutuum omnium Sociorum; alias vero, si unus solummodo renunciat, ipse quidem a se liberabit socios suos, se vero non liberabit ab ipsis, quando Societatis interfuit, non dirimi tunc Societatem, textu expresso *in cit. l. Actione 65. §. 3. cum seq. ff. Pro socio*, & concordat §. *Manet 4. Institut. de societate*.

33 Item finitur Societas finita negotiatione, textu expresso *in cit. l. Actione §. 10.* ibi: *Item si alicujus rei societas sit, & finis negotio impositus, finitur societas*; & §. *Item 6. Instit. de Societate*, ibi: *Item si alicujus rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est, finitur societas*.

34 *Ex actione* dissolvitur Societas Judicis Judicio, & auctoritate, idest quando excitata inter socios controversia per Judicem dirimitur per dissolutionem contractus; *l. Actione 65. in principio ff. Pro socio*, ibi: *Hoc ipso, quod Judicium ideo dictatum est, ut Societas distrahatur, renunciatam societatem, sive totorum onerum, sive unius rei societas coita sit*.

35 Item actione dissolvitur Societas per stipulationem, idest per novationem, seu delegationem, quando unus Socius, non renuente, sed potius altero acceptante, obligationem suam, quam contraxit versus ipsum in celebratione contractus, in tertiam personam transfundit, quam delegat, vel unam in alteram obligationem commutat, *citat. leg. Actione in principio*, ibi: *Actione distrahitur, cum aut stipulatione, aut judicio mutata sit causa societatis*.

36 Item actione dissolvitur Societas, quando Socii non inscii separatim agere incipiunt, & unusquisque eorum sibi negotiatur, textu expresso *in l. Itaque 64. ff. Pro socio*, ibi: *Itaque cum separatim socii agere cœperint, & unusquisque eorum sibi negotiatur, sine dubio Jus societatis dissolvitur*.

37 Item actione dissolvitur societas, quando ipsa actio perit, textu expresso in *cit. l. Verum 65. §. 10. ff. Pro socio*, ibi: *Ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas*.

38 Perit autem actio temporis conventi lapsu, idest actione finitur Societas, finito tempore ad Societatem constituto, textu expresso *in cit. l. Actione §.*
39 *6.* ibi: *Quod si tempus finitum sit, liberum est recedere, quia sine dolo id fit*. Item perit actio per sententiam Judicis; *arg. cit. Jur. supra nu. 34*. Item per novationem, seu delegationem. *argum. cit. Jur. supra num. 35*.

40 Finita, seu dissoluta Societate, divisio bonorum, seu lucri provenientis debet fieri inter Socios ad æqualitatem juxta proportionem illius, quod quisque contulit in Societatem, ita ut, si æqualem pecuniam, vel industriam contulerint, æquale lucrum recipiant, & si inæqualem contulerint pecuniam, vel industriam, inæquale etiam ad proportionem lucrum reportent. *Communis*, per text. *in l. Si societatem 6. ff. Pro socio*, ibi: *Si societatem (mecum) coieris, ea conditione, ut partes societatis constitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda est, & conveniens est viri boni arbitrio, ut non utique ex æquis partibus socii simus. Veluti si alter plus operæ, industriæ, pecuniæ in societatem collaturus sit, & in leg. Si non fuerint 29. ff. eod.* ibi: *Si vero placuerit, ut duas partes, vel tres habeat, alius unam, an valeat? Placet valere, si modo aliquid plus tulit societati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cujuscumque alterius rei.... Quod ita demum valebit (ut & Sabinus scribit) si tanti sit opera, quanti damnum est. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat, quam pecunia. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus*. Et concordat §. *De illa 2. Instit. de societate*.

Finita, seu dissoluta Societate attenta natura contractus, si alter ex sociis contulit rem, seu pecuniam, & alter suam meram industriam, & operam non majoris valoris dictæ pecuniæ, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, & solum lucrum dividendum. Abbas *consil. 77. col. 2.* Bolognetus *in Apostil. ad cons. 99. Joann. de Anan.* Lapus *allegat. 94. num. 3.* S. Thomas *2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 5.* Silvester verb. *societas 1. qu. 20.* Angelus verb. *societas §. 17.* Sotus *lib. 6. de Justit. quæst. 6. art. 1. in fine*, Navarrus *in Enchirid. cap. 17. num. 253.* Lessius *lib. 25. dub. 20. a num. 15. ad 20.* Mantica *lib. 6. tract. 14. num. 17.* Rosignol. *de societat. Contract. 7. num. 3.* & alii, *argum. citatis Juribus num. antecedenti*, aliis *in toto Titul. Pro socio, & titul. Familiæ erciscundæ, & Titul. de communi dividundo*, ubi dicitur Sociis Capitale integre reddendum, & nullibi fit mentio de Capitali dividendo. Et ratio est, quia, si Capitale esset inter dictos contrahentes dividendum, non esset æqualis utriusque contrahentis conditio. Conferens enim Capitale, non posset habere nisi Jus ad lucrum proportionatum cum amissione partis Capitalis; Conferens autem operam, & industriam haberet Jus ad lucrum etiam proportionatum, & insuper ad determinatam partem Capitalis, quod non est dicendum, adeoque &c. Tum quia, si Capitale perit, perit ipsi Conferenti, ergo si remanet, eidem remanere debet. Unde Cabassutius *Juris Canonici Theor. & prax. lib. 6. cap. 13. num. 7.* sic concludit: *His adde, Sixtum V. in Extravagante: Detestabilis avaritiæ, ita sentire, sortem finita societate tradendam esse illi, qui eam contulit, si extat*. 41

Si finita, & dissoluta Societate, nullum sit lucrum, adhuc totum Capitale est restituendum ei, qui illud contulit; Et si capitale perierit, totum ipsi Conferenti periit. Sic contra paucos fere Communis Doctorum, & signanter Cabassutius *loco cit. n. 3.* ubi inter alia requisita ad justam Societatem, hoc quartum enumerat sic expresse dicens: *Quarto, ut singuli subeant damna, & expensas pro rata quoque eorum, quæ ex parte sua contulerunt, atque seorsim totam incurrant jacturam eorum, quæ in sortem contulerunt, ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi, aut lata pe-* 42

pereat; Si vero salva pecunia nihil obveniat lucri, socius alter, qui suum laborem vel industriam contulit, subeat solus jacturam industriæ, seu laboris; pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt. Et infra *num.* 7. concludit: *Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit, ergo si supersit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum: cap. Qui sentit onus 55. de Reg. Juris, & secundum naturam est, commodum cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda; l. Secundum naturam 10. ff. de Regul. Juris.*

43 Finita, & dissoluta Societate, si pro ipsa nihil expresse determinet Jus, & nulla inter contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem cujusque Loci, seu Regionis, quia quando nihil conventum est in Contractibus, & Jura nihil determinate præscribunt, id actum præsumitur, quod consuetum est; *l. Quod si nolit 31. §. 20. ff. de Ædilitio Edicto, l. Si prius 17. §. 1. ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.* Et hoc cum omnimodo fundamento, cum consuetudo sit Jus non scriptum, seu Jus quoddam moribus utentium comprobatum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex, textu expresso *in cap. Consuetudo 6. dist.* 1. ibi: *Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex.*

44 Advertendum est circa dicta de contractu vulgo trium contractuum, quod Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib.* 4. *cap.* 50. asserit, disputari adhuc, an revera fuerit a Sixto V. peculiari Constitutione super illo edita, prohibitus talis contractus, & erudite allatis, & scite suo more ponderatis utriusque sententiæ rationibus, recte concludit, quod Episcopi in Synodo a definitionibus super eo abstinere debent, sed subditos suos ab illo, utpote periculoso, dehortari. Vide ipsum *ibi*, ubi plurima egregie tradit ad rem scitu dignissima, & Rosignolum *loco* a nobis *cit.* supra, sub *num.* 10. ubi sub *num.* 5. utramque sententiam recte conciliat.

Additiones ex aliena manu.

45 Tria hic addere libet. Primum est, quod societas jus quodammodo fraternitatis complecti dicitur; *L. 63. prin. ff. Pro socio.* Hinc autem varia
46 deduxere Romani Jurisconsulti. Nam infamiam minantur socio illi, qui perfide agit; *L. 6. ff. de*
47 *de his, qui notantur infamia*: Beneficium competentiæ, inter socios locum habere statuunt qualiscumque fuerit societas; *L. 22. §. 1. L. 63. ff. Pro*
48 *socio.* Nec obstat *Lex 16. ff. de re Judicat.* quam corruptam esse docet *Noodt in Commentar. ad di-*
49 *gest. tit. cit. pro socio.* In rationibus reddendis multum fidei, & jurejurando ejus, qui administravit, relinquunt, ubi de majori quantitate non est sermo; Confer *Leyser. spec.* 184. *num.* 9.

50 Alterum est, quod non aliter socius ex contractu alterius acquirit, & obligatur, quam si nomine societatis tamquam institor, & secundum normam præscriptam seu voluntatem sociorum contraxit; *L. 4. §. 1. ff. de exercit. act.* si in communem arcam pecuniæ versæ sint *L. 8. ff. Pro socio*, Alias si socius proprio nomine contraxit, reliquis 51
jus agendi contra tertium non nascitur, nec reliqui obligantur; *L. 13. C. Si cert. petat.* Adi *Lauterbech. de oblig. socior. quæ oritur ex conventione cum extraneo inita.*

Tertium demum est, quod *contractus trinus* fuit 52
approbatus a Rota *in Lucana Pecuniaria 21. Januarii* 1744. §. 3. *cor. Em. Bussio*, ibi: *Quum enim hujusmodi persolutio; & immissio pecuniarum in negotium, sit contractus in dicta Civitate usitatus, & nuncupetur depositum mercantile continens trinum contractum, nempe societatis, assecurationis Capitalis, & conventionis fructuum, ex quo honestum, & limitatum lucrum retrahi valet &c. utique fructus exacti a Canonico in dicta quantitate scutorum 557. 12. reputandi amplius non erunt illicitæ usuræ provenientes ex credito mere pecuniario, sed legitimæ obventiones conventæ in dicto novo contractu, innovativo præcedentis crediti fructiferi, quæ justo titulo exigi non poterant absque ullo onere, & obligatione restitutionis.*

Quinimo tradit supremum Tribunal in mox al- 53
legata decisione quando initus dici queat trinus hic contractus, ut *ex §. 4. & plur. seq.* (*) De societate videndus egregius tractatus nuper editus a doctissimo advocato Zanchio, qui fuse de hac re agit. (*)

(*) *Additiones novæ.*

Contractum trinum cum socio, aut sociis ini- 54
tum damnant Antoine in tractatu de contractibus cap. VIII. quæst. II., Cuniliati tract. X. de VII. Decal. Præcepto cap. V. §. II. Colet in continuatione Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely in tract. de contractibus part. II. cap. IV. concl. I., & alii, quos recensere longum esset. Confer Petrum Ballerinium in Appendice ad Opus ab eodem editum hoc titulo: *De jure divino, & naturali, circa usuram, Bononiæ MDCCXLVIII. Opuscul. II. cap. III.* Præ omnibus autem legendus est Daniel Concina in Opere, quod inscribitur *Usura Contractus Trini Dissertationibus Historico-Theologicis demonstrata, Romæ MDCCXLVI.* Hic enim non modo omni argumentorum genere contractum istum usurarium esse pugnat, sed etiam singula, quæ ab ejus Patronis, atque adeo a Lucio nostro a num. 7. ad 11. pro eodem ab usuræ labe purgando afferuntur, copiose, & accurate refellit, objectaque a Sacræ Romanæ Rotæ Decisionibus præsertim in *Lucana Pecuniaria*, ad quam Decisionem Additionum Auctor num. 52. & seq. provocat, petita diluit.

De societate autem animalium, de qua Ferraris 55
num. 11., juvat hic referre, quæ S. Carolus Borromæus in Concilio I. Mediolanensi Provinciali anno 1565. Actor. part. I. cap. de *Usuris* decrevit. Sunt autem hujusmodi: „In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus. Neve quidpiam certum,

præter sortem, ex fructibus animalium quotannis solvatur. Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo, aut negligentia ejus qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus qui locarit. Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit.

SOCIETAS INTER FRATRES.

1 Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se strictum, & rigorosum contractum societatis, ita ut omnia lucra, & damna fiant communia, *Communis*. *Contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur*, textu expresso *in cap. Contractus* 85. *de Regulis Juris in 6. & in l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*, ibi: *Nam hoc servabitur, quod initio convenit*: *Legem enim contractus dedit*.

2 Per hoc tamen quod fratres habeant hereditatem, seu patrimonium indivisum, & de communi mensa vivant, non censentur talem strictam, & rigorosam societatem iniisse; *l. Cum duobus* 52. *§. 6. ff. Pro socio*; *l. Ex parte* 39. *§. 3. ff. Familiæ erciscundæ* cum similibus, Bartolus *in l. si patronus* 4. *Cod. Communia utriusque judicii*, Azorius *part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 59. Filliucius *tract.* 38. *cap.* 6. *quæst.* 6. *num* 145. Silvester verb. *Peculium* 2. *qu.* 4. Bonacin. *de contractibus disp.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 7. *num.* 2. Rosignol. *de societate contract.* 7. *prænot.* 37. *num.* 1. & alii passim; Et ratio est, quia ad contrahendam strictam, & rigorosam societatem, qua omnia lucra, & damna communia fiant, requiruntur verba, aut signa aperte indicantia talem contractum societatis, cum de natuta talis strictæ, & rigororæ societatis requiratur, quod sit conventio duorum, vel plurium aliquid pretio æstimabile conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum, *l. Societatem* 4. *l. Societate* 5. *l. si societatem* 6. *ff. Pro socio*, *& Institut. tit.* 26. *de societate*, adeoque &c.

3 Hinc frater habens hereditatem, seu patrimonium indivisum cum aliis fratribus non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum a se acquisitum ex publici alicujus officii administratione, quia, nisi aliter sit expresse conventum, indivisio hereditatis, seu patrimonii, & consequenter societas ex ipsa indivisione proveniens inter fratres se extendit solum ad bona hereditaria, & ad lucra ex illis provenientia. Non vero ad alia bona, & lucra aliunde fratribus obvenientia, uti sunt bona acquisita donatione, hereditate, dignitate, officio, seu industria non debita tali fraternæ societati, seu divisioni; *l. Cum duobus* 52. *§. 6. ff. Pro socio*, *l. Cui muneris* 12. *ff. de muneribus*, *& honoribus*, cum similibus, Azorius *cit. cap.* 19. *q.* 4. Filliuc. *loc. cit. num.* 136. Silvester *loco cit. qu.* 20. Bonac. *loco cit. num.* 2. Rosignol. *loco citat. num.* 4. & alii.

4 Item frater habens hereditatem indivisam cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hereditaria communi pecunia; Dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni, & indivisioni fraternæ, quia tunc esset communicandum aliis fratribus pro parte correspondente operibus debitis tali communioni, & indivisioni fraternæ: *l. Qui aliena* 8. *Cod. si quis alteri, vel sibi*, *l. si patruus* 4. *Cod. communia utriusque judicii*, *l. Titium*, *& Mævium* 47. *§. 6. ff. de administrat. Tutor.* cum similibus Bald. *in l. si pecunia* 1. *Cod. si quis alteri, vel sibi*. Silvester *loco cit. qu.* 17. *&* 18. Rosignol. *loco cit. num.* 17. *&* 19. & alii.

Intellige tamen dummodo dictus frater non fuerit Tutor, aut Curator aliorum fratrum, quia tunc 5
lucrum acquisitum per negotiationem cum communi hereditaria pecunia factam, licet nomine proprio, & non communi, est communicandum aliis fratribus; *l. Si Tutor vel Curator* 2. *ff. Quando ex facto Tutoris, vel Curatoris*, Silvester *loco citat. quæst.* 18. Baldus in *l. si pecunia* 1. *Cod. si quis alteri vel sibi*, *& in l. Si ut proponis* 8. *Cod. de rei vindic.* & alii.

Lucrum acquisitum ab uno ex fratribus per nego- 6
tiationem factam cum communi hereditaria pecunia nomine communi, debet etiam communicari aliis fratribus. *Communis*. Et ratio clara est, quia quod fit de communi, & nomine communi, est commune.

Commanentibus simul pluribus fratribus post 7
obitum patris, si unus de suis bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, aut aliunde suis aliquid in communem victum impenderit, non potest illud repetere, si inter ipsos fuerit prius inita societas ad communem victum. Baldus *in l. Cum duobus* 52. *ff. Pro socio*; Silvester *loco citat. quæst.* 22. Azorius *cit. cap.* 19. *vers. Sexto quid dicendum*, Rosignol. *loc. cit. numer.* 4. & alii: Et ratio est quia stante tali societate, non habetur consideratio ad illud plus ab ipso fratre in communi victu impensum, cum societatis jure intelligatur consumptum, *cap. Si duo fratres tit.* 12. *lib.* 2. *Feudorum*. Tum quia cum illud plus impenderit in illis usibus, ad quos inita est societas, præsumitur illud donasse, nisi aliter se expresserit, adeoque non potest illud repetere.

Posset autem dictus frater illud plus repetere 8
si non fuerit prius inita societas cum aliis fratribus; Sic citati Doctores, & alii. Et ratio est, quia nullo jure, nec titulo naturalis pietatis obligatur unus frater ad alendos alios fratres de suo, quando isti, ut in hoc casu supponitur, habent ex bonis communibus quantum sufficit ad suam honestam sustentationem, adeoque potest illud plus impensum repetere; *l. Nesennius* 34. *ff. de negotiis gestis*.

Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, 9
amentes, aut furiosi, quia in tali casu, quamvis non fuerit inter ipsos inita societas, non posset dictus frater illud plus impensum repetere, nisi ante impensionem protestatus fuerit se nolle illud plus gratis impendere, seu donare, Sic Doctores citati

citati *supra num.* 7. & alii. Et ratio est, quia seclusa tali protestatione illud plus impensum per dictum fratrem in communem victum fratrum pupillorum, amentium, aut furiosorum præsumitur gratis datum, seu condonatum, adeoque illud repetere nequit, *cit. l. Nesennius* 34. *ff. de negotiis gestis*.

10 Frater, qui inita societate cum aliis fratribus, dotavit de propriis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus sororem, quam etiam alii fratres dotare tenebantur, potest pro rata ab aliis compensationem repetere. Bartolus *in l. Si patruus* 4. *Cod. Communia utriusque judicii*, Azorius *loc. cit. cap.*19. *quæst.* 5. Filliucius *tract.* 38. *cap.* 7. *num.* 146. Bonacina *loco citat. num.* 8. & alii. Et ratio est, quia talis frater utiliter gessit negotium aliorum fratrum, adeoque potest ab ipsis pro rata compensationem repetere.

11 Frater habens cum aliis fratribus hereditatem indivisam, & sic solum societatem simpliciter, & non expresse contractam societatem omnium bonorum, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione bonorum eam dotem in suam partem computare; Speculator in *tit. de Judic.* §. *Sequitur vers. Quid si unus*, Bart. in *l. Si patruus* 4. *Cod. Comm. utriusq. judicii*, Silvester *loco cit. quæst.* 20. *cir. fin.* Azorius *loco citat. cap.* 19. *vers. Quin* Rosign. *loco cit. disquis.* 4. §. 9. *num.* 4. cum aliis ibi citatis. Et ratio est, quia, cum non est inita inter fratres expressa societas omnium bonorum, omnes expensæ factæ de hereditate communi & indivisa in utilitatem unius dumtaxat, debent ipsi soli imputari: Unde cum talis dos fuerit erogata in utilitatem dumtaxat illius fratris, qui tamquam pater tenebatur dotare suam filiam de bonis propriis, si eam dotavit de communibus, tenetur eam in suam partem computare; *arg. l. In hoc judicium* 14. *ff. Communi dividundo*, cum similibus.

12 Si autem dictus frater nedum habuerit cum aliis fratribus hereditatem indivisam, & solum societatem simpliciter, sed etiam expresse contraxerit cum ipsis rigorosam societatem omnium bonorum, & debitorum, tunc talis dos est extrahenda ex bonis communibus absque eo quod teneatur postea ipsam in suam partem computare; Silvester *loco c. q.* 28. cum Baldo ibi allegato, Azorius *loco cit. c.* 19. *vers. Nono quæritur*, Rosignol. *loco cit. prænot.* 27. *num.* 6. & alii per text. *in l. Si socius pro filia* 81. *ff. Pro socio*. Et ratio est, quia ratione hujusmodi societatis omnia bona, lucra, commoda, debita, damna, & pericula fiunt communia fratribus sic sociatis; *l. Ea vero* 3. *& l. Cum duobus* 62. §. 8. *ff. Pro socio*, adeoque unus frater debet alteri contribuere, ut filiam dotet, sive pro contrahendo Matrimonio, sive pro ingredienda Religione, & sic de similibus aliis expensis faciendis. Tum quia in hujusmodi societate talis censetur intervenire conventio; Contractus autem ex conventione Legem accipere dignoscuntur, textu expresso *in cap. Contractus de Regulis juris in* 6. *& l. Contractus* 23. *de Regulis juris*.

13 Hinc frater habens præ aliis filios aptos ad laborem & re ipsa laborantes in commodum, & utilitatem communionis, & indivisionis fraternæ, si non inierit cum aliis fratribus expressam societatem omnium bonorum, potest in divisione (nisi aliter sit conventum, aut aliud postulet legitima consuetudo) exigere stipendium proportionatum labori præstito a suis filiis, cum labor sit pretio æstimabilis, & dignus sit operarius mercede sua. *Luc. cap.* 10. *num.* 7. *Matth. cap.* 10. *num.* 10. Et sic etiam frater non habens filios potest in divisione (nisi aliter sit conventum, aut aliud ferat legitima consuetudo) exigere a fatre habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum. Navarrus *cap.* 17. *num.* 161. Bartolus, Baldus, & alii apud Felicium *cap.* 13. *num.* 91. *& cap.* 27. *num.* 64. *&* 71. Bonacina *loc. cit. punct.* 7. *num.* 7. cum aliis ibi allegatis. Et ratio clara est, quia sicuti habens filios laborantes in utilitatem communionis, & indivisionis fraternæ potest in divisione exigere stipendium proportionatum eorum labori, ita alter non habens filios potest in divisione exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum juxta dicta *supra num.* 11.

Si vero dicti fratres inierint inter se expressam 14 rigorosam societatem omnium bonorum, & debitorum, nec habens filios laborantes, posset in divisione exigere stipendium pro tali labore, nec alter carens filiis posset exigere sumptus factos in alendis filiis alterius fratris per dicta, & jura adducta *supra num.* 12.

Frater habens uxorem lucra acquirentem exer- 15 citio alicujus artis, seu mercaturæ, vel quia esset obstetrix, aut Chirurgica, &c. si ipsa uxor lucrum separatum tenebat, aut ex aliis conjectari posset, quod societatem contrahere nolebat, non tenetur in divisione illud lucrum aliis fratribus communicare, sed ipsa uxor teneretur solum erogare viro, & aliis ejusdem fratribus tantum lucri quantum secundum judicium boni viri corresponderet operibus communibus, & obsequialibus a mulieribus suæ conditionis in domo fieri solitis, quibus ipsa propter exercendam talem artem, aut professionem defecisset, quia cum ipsa teneatur talia officia, & obsequia præstare ex vi sui status, & conditionis, si non præstet ob acquirendum aliud lucrum, debet ex illo lucro illa compensare. Silvester *loco citat. quæst.* 32. cum aliis ibi allegatis, Rosignol. *loco cit. disquisit.* 4. §. 10. *num.* 2. *&* 3. & alii.

Sic a fortiori non tenetur frater in divisione com- 16 municare aliis fratribus lucra acquisita ex bonis paraphernalibus, seu extradotalibus suæ uxoris, si ipsa uxor sibi expresse reservaverit talia lucra, aut ex aliis conjecturis appareat voluisse ipsa sibi reservare, & nullatenus aliis communicare. Nec obstat, quod dictus frater habens ex commissione suæ uxoris administrationem talium bonorum paraphernalium lucra inde provenientia insumpserit in communem utilitatem, quia per hoc non censetur, quod voluerit aliis fratribus communicare, sed donare, cum non sit verisimile, quod voluerit talia lucra auferre sibi, & suis filiis, & dare alienis; Unde si ipse insumpsit in utilitatem communionis fraternæ, potest in divisione ea ab aliis fratribus exigere, quia quidquid solus expendit de suo in re com-

communi (nisi aliud sit conventum, aut ex conjecturis constet) potest in ejus rei divisione repetere ; *l. In hoc judicium* 14. *ff. Communi dividundo* .

17 Secus autem esset dicendum , si ipsa uxor , & suus vir cum ejusdem fratribus iniissent expressam rigorosam societatem omnium bonorum, & dicta lucra acquisita ex suis artificiis, vel ex suis bonis paraphernalibus fuissent insumpta in com-
18 munem utilitatem dictæ societatis ; Quia ratione hujusmodi rigorosæ societatis communicari debent quæcumque ex qualibet causa acquisita, videlicet ex labore, opera, industria, negotiatione, donatione, legato, hereditate ; *l. Ea vero* 3. *ff. Pro socio*. Item quæcumque obveniunt ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus ; *leg. Cum duobus* 52. §. 8. *ff. Pro socio* . Et generatim omnia acquisita ex quolibet jure, titulo, vel causa, ac omnia debita contracta, damna, & impensæ; *leg. Cum duobus* 52. §. 19. *ff. Pro socio*, ibi : *Socium universa in societatem conferre debere*, *Neratius ait*, *si omnium bonorum socius sit*, & concordat *lex Ea vero* 3. §. 1. *ff. eod.* ibi : *Cum specialiter omnium bonorum societas coita est*, *& tunc hereditas*, *& legatum*, *& quod donatum est*, *aut quaque ratione adquisitum communioni adquiretur*, juncta *leg. Si societatem uni-*
19 *versarum fortunarum* 73. *ff. eod.* Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius, quia ut patet ex adductis juribus, est proprium, & peculiare hujus rigorosæ societatis, quod omnia cunctorum sociorum bona com-
20 municentur. Ast debet adverti, quod non intelligitur contracta hæc rigorosa omnium bonorum societas, nisi fratres, seu socii specialiter, & expresse inter se voluntarie convenerint, quod sit omnium quorumcumque bonorum societas ; *l. Ea vero* 3. *ff. Pro socio* .

21 Nec dici potest societas omnium bonorum illa, quæ vocatur societas simpliciter, quia societas simpliciter, nisi inter fratres, seu socios fuerit expresse conventum, quod sit omnium bonorum, intelligitur solum contracta, ut sit universorum, quæ veniunt ex quæstu, hoc est si quid lucri ex emptione, venditione, locatione, conductione descendit, textu expresso *in l. Coiri societatem* 7. *ff. Pro socio*. Pro quæstu autem intelligitur id, quod 22
ex opera, artificio, industria, vel cura & diligentia cujusque provenit; *l. Quæstus* 8. *ff. Pro socio* .
Unde ratione societatis simpliciter contractæ non 23
communicatur hereditas, legatum, vel si quid donatum est, quia hæc veniunt ex caritate, liberalitate, vel alia causa, & non ex quæstu, *l. Nec adjecit* 9. *ff. Pro socio* .

Tenetur autem frater ratione societatis simplici- 24
ter contractæ communicare cum aliis fratribus thesaurum inventum, sive in suo communi fundo, sive in alieno, quia aliqua sua opera, industria, diligentia, vel labore illum quæsivit, sicque talis thesaurus ex quæstu venire videtur, *argument. citat. leg. Quæstus* 8. *Digest. Pro socio* *. Socius 25
vero non frater, seu extraneus, tenetur ratione talis societatis simpliciter contractæ communicare cum alteris sociis solummodo thesaurum repertum in fundo alieno propter adductam rationem ; Non tamen thesaurum repertum in suo fundo, agro, vel domo quia tunc perinde esset, ac si rem suam amissam invenisset, aut nesciens ubi esset, postea reperisset . Sic expresse Azorius *loc. cit. cap.* 17. *vers. Octavo*, & alii. Semper autem esset commu- 26
nicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis talis ubicumque repertus thesaurus, si inter ipsos fuisset inita rigososa societas omnium bonorum, per dicta, & jura adducta *supra num.* 18. juncta *l. Si societatem universarum fortunarum* 73. *ff. Pro socio* .

Debitum contractum ab uno fratrum post obi- 27
tum

Notæ Rom. Theologi.

* Ut scias dominium, quod inventores in thesaurum acquirunt, hanc ex P. Gabriele Antoine *de Just. & Jure cap.* 2. exhibere placuit doctrinam : Jure naturali & gentium thesaurus totus est inventoris; nam quæ nullius sunt, fiunt jure naturali & gentium primi occupantis . Thesaurus autem nullum habet dominum ; nam definitur in jure : *Vetus quædam depositio pecuniæ*, *cujus non extat memoria*, *ut jam Dominum non habeat* : *L.* 31. *ff. De acquir. rer. Dom.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, ut vasa, gemmæ, annuli, catenæ aureæ &c. Dicitur autem vetus depositio : nam si non sit vetus, non censetur thesaurus, sed res inventa, quæ Domino, & in ejus defectum ejus heredibus restitui debet ; qui si cognosci nequeant, impendi debent in usus pios, quia sunt bona incerta ; *Si quis autem vel lucri causa*, *vel metus*, *vel custodiæ*, *condiderit sub terra*, *non est thesaurus*, *cujus etiam furtum sit* : *L. Nunquam ff. de acquir. rer. dom.*

Jure tamen civili communi obligante in conscientia, hæc statuta sunt de thesauro. 1. Thesaurus totus est illius, qui eum in proprio fundo reperit ; *Instit. de rer. dom.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam judicis. 2. Qui fortuito thesaurum in fundo alieno reperit, est dominus dimidii, alterum vero dimidium tenetur ante sententiam judicis tradere Domino speciali fundi, sive sit princeps, sive privatus, *ex Instit. de rer. divis.* quæ dispositio non est pœnalis sed definitiva proprietatis rerum . 3. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu Domini, totus est Domini ; *l. unica Cod. de Thes.* Varii tamen putant, inventorem non teneri ante sententiam judicis tradere nisi dimidium, ob hæc verba legis ex ea parte pœnalis ; *Totum locorum domino reddere compellatur* . 4. Si Thesaurus inveniatur in platea, foro vel via publica, juxta multos dividi debet cum fisco, juxta alios totus est inventoris. In his vero sicut in aliis spectandæ sunt speciales locorum leges, vel consuetudines, & servandæ. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus, in tres partes æquales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera Domini fundi,

tum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem fratrum utilitatem. *Communis* per textum in *l. Omne æs 27. ff. Pro socio*, *l. Si hi 1. l. Quod si 3. ff. De in rem verso*,
28 *cum similibus*. Si autem tale contractum debitum conversum fuerit in solum privatum commodum contrahentis, non esset de communi solvendum, *Communis*, textu expresso in *l. Jure societatis 82. ff. Pro socio* cum similibus, & facit *l. Non debet 74. ff. de Regul. juris*, *& cap. Non debet 22. de Regul.*
29 *juris in 6.* In contentione inter fratres in quem usum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit: qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet ex suo solvere, quia in tali contentione alii fratres sunt veluti rei in judicio, & qui debitum contraxit, est Actor: Actori autem incumbit probare, quod si non probet, reus absolvitur; *l. Qui accusare 4. Cod. de edendo*; *l. Actor 23. Cod.*
30 *de probation. l. Ei 2. ff. de probat.* Et mortuo fratre, qui contraxit debitum in contentione inter creditorem, & reliquos fratres debitores, onus probandi tale debitum fuisse conversum in communem ipsorum utilitatem spectat ad creditorem uti Actorem propter dicta, & jura adducta numero antecedenti. Sic in universum Rosignol. *loco cit. disquisit.* 4. §. 7. cum aliis ibi allegatis.

31 Delictum, seu maleficium unius fratris socii omnium bonorum, non nocet aliis fratribus; *l. Cum duobus 52. §. 2. & 28. ff. Pro socio*. Unde si talis frater delinquens condemnetur propter delictum, seu maleficium ad pœnam, solvere debet de suis, & non de bonis societatis, textu expresso *in cit.* §. 18. ibi: *Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere*. Et ratio est, quia sicuti societas non est inita de lucris provenientibus ex culpa, ut ex furto, homicidio, adulterio, perjurio, *cit. l. Cum duobus 52. §. 17. & l. Quod autem ex furto 53. ff. Pro socio*, ita neque censetur inita de damnis, quæ frater delinquens sentire debet in pœnam, *cit. l. Cum duobus 52. §. 3. & §. 18. ff. Pro socio*.

32 Præscindendo a societate inter fratres jure novo *in l. Ut liberis 17. Cod. de Collationib. Authent. Ex testamento, Cod. eod. titul. Auth. de Triente, & semisse §. Illud quoque collat. 3.* statutum est, quod ipsi in divisione hereditatis paternæ, & maternæ adducant ad partitionem communem quæ ab ipsis viventibus acceperunt, dummodo ipsis expresse vel tacite per conjecturas non præsumantur donata, seu condonata. Et hic in specie assignantur ea, quæ in partitione hereditatis adduci debent, vel non.

Primo igitur in divisione cum reliquis fratribus 33
debet alter frater adducere & computare in suam partem pecuniam, quam pater consumpsit pro studiis ipsius, si pater apud se habebat ipsius filii bona castrensia, vel quasi castrensia. Colligitur ex *l. Filius a parte 18. ff. de petitione hereditatis*, & ex *l. si parte 7. Cod. de dotis promissione*. In tali enim casu præsumendum est, quod pater administratorio nomine egerit de dictis bonis ipsius filii, & noluerit insumptam pecuniam condonare in præjudicium aliorum filiorum, cum ille haberet de propriis bonis sufficientia ad dicta studia; Secus autem si pater non haberet apud se ulla filii bona, quia in tali casu præsumendum est, quod pater eam pecuniam contulerit ut absolutus dominus, & liberaliter donaverit; *l. Quæ pater 32. ff. Famil. ercisc.* Molina *tom. 2. disp. 239.* Lopez *2. par. c. 2. concl. 3.* Silvester *loco cit. quæst. 8.* cum Baldo ibi allegato, Rosign. *loc. cic. prænot. 27. num. 7. & 13.* Bonac. *loco cit. punct. 7. §. unic. num. 7.* Navarr. Vasquez, Sa, Zechio ibi citatis, & aliis passim.

Secundo, debet frater adducere in partitionem 34
cum reliquis fratribus juxta dicta *num. antec.* libros, quos pater vivens ipse tradidit pro studio, si sint considerabilis quantitatis, & valoris. Molina, Lopez, Zechius, Tuschus, & alii citati, & secuti a Bonacina *loc. cit. num. 9.* quia in tali casu non est præsumendum, quod pater voluerit illos ipsi donare, cum ex hac donatione magna consurgeret inæqualitas inter fratres; Secus autem si tales libri essent parvæ quantitatis, & pauci valoris, quia in tali casu adesset præsumptio de liberali paterna donatione. Et sic dicendum est de pecunia 35
ei tradita a patre pro emendis libris, quam si in magna quantitate insumpsit in ludos, aut meretrices, tenetur computare in suam partem; Secus autem si in exigua quantitate, quia circa hanc exiguam quantitatem quamvis pater præsumatur invitus quoad modum, non tamen quoad substantiam, sicque potius præsumitur, quod pater voluerit illam ei condonare, quam ut ipsam in suam partem computaret. Navarrus, Molina, Zechius, Vasquez, Lopez, & alii allegati, & secuti a Bonacina
loc. cit. num. 10. In omni tamen casu, quo libri 36
adducendi, & computandi sint, computari debent secundum valorem, quem habent tempore divisionis, & non secundum valorem, quem habuerunt. Glossa *in l. Illud 29. Cod. de Collat. in V. Ponderat.* Rosignol. *loco citat. num. 15.* & omnes alii allegati *supra num. 34.*

Tertio, debet frater adducere in partitionem, 37
quæ de bonis communibus post mortem patris insum-

di, tertia Dynastæ, seu alterius justitiarii vel Regis, si solus in loco sit altus justitiarius. Thesauri vero a Domino fundi inventi media pars est inventoris, alia Dynastæ, vel Regis. Immo circa hoc variæ sunt in variis provinciis consuetudines.

Responsio Auctoris.

Circa dominium, quod inventores in thesaurum acquirunt, ultra ea, quæ hic trado, Ego alia quamplura tradidi jam in verb. *Dominium art. 3. a num. 26. ad 45.* inclusive, ubi cum assistentia juris, & doctorum assignavi, quando & quomodo ab inventoribus in thesaurum dominium acquiratur, & quando non. Vide ibi multa ad rem.

sumsit in prosecutione studii incepti ante mortem patris, quia factum per patrem viventem inceptum in favorem alicujus ex filiis, non obligat heredem, nisi quatenus erat obligatus; *l. Et si filius* 15. *ff. de munerib. & honoribus*, *l. Si filia* 20. §. 6. *ff. Familiæ erciscundæ*, *l. Honores* 7. §. 2. *ff. de decurionibus*. Pater autem non erat obligatus ad expensas in prosecutione studii dicti filii. Silvester *loco cit. quæst.* 11. cum Bartolo ibi allegato, Rosignol. *loc. cit. num.* 8. & alii.

38 Quarto, computare debet frater expensas factas in assequenda post mortem patris laurea Doctoratus, quia Doctoratus est novus actus distinctus ab ipso studio, *l. Si servus legatus* 108. §. 5. *ff. de Legatis* 1. Nec alii fratres ad ipsas expensas tenentur. Silvester *loco cit. quæst.* 11. *in fine*, cum Baldo ibi
39 citato, Rosignol. *loc. cit. num.* 9. Azorius *loc. citat. c.* 19. *vers. Octavo*, & alii. Non sunt autem conferendæ expensæ factæ ab ipsomet patre pro obtinendo doctoratu, dignitate, vel beneficio, nisi aliter constet tacite, vel expresse de voluntate dicti patris, *l. Hic titulus* 1. §. 16. *ff. de Collat. bonorum*, Bartolus *ibid.* Silvester *loco cit. quæst.* 26. Bonacina
40 *loco cit. num.* 15. & alii. Sunt tamen conferendæ expensæ factæ a patre pro obtinendis filio aliis officiis, quæ vendi, & transmitti possunt ad posteros, & heredes, *l. Illud* 40. *Cod. de Collationib.* Covarruv. 3. *par. variar. cap.* 19. *num.* 4. Molina *loco cit. disp.* 241. cum Bartolo, & Gomezio *ibi cit.* Bonacina *loc. cit. num.* 17. cum aliis ibi allegatis, & alii apud Vasquez *in Opusc. de testamentis cap.* 7. *dub.* 9. Et ratio est, quia hæc Officia censentur bona profectitia, adeoque in divisione sunt conferenda quoad pretium, seu æstimationem illorum.

41 Quinto, conferre debet frater secundum valorem præsentem vestes, torques, & alia ornamenta a patre tradita ipsius uxori, si adhuc extent, & sint pretiosa, & non sint necessaria ad quotidianum usum, *arg. l. Illud*, seu *Id vestimentum* 25. *ff. de peculio*. Et ratio est, quia illa non præsumuntur ei a patre donata, sed ad solum usum concessa, *l. Mortis suæ causa* 53. *ff. de donationibus inter vi-*
42 *rum, & uxorem*. Non debet autem frater ea conferre, si non amplius extent, nec sint pretiosa, & sint necessaria ad quotidianum usum. Et ratio est, quia recipiens non tenetur compensare concessa ad usum, si post usum non remaneant, nec minus si remaneant, si non sint pretiosa, & sint necessaria ad quotidianum usum, tenetur ea conferre, quia in ordine ad ista currit justa præsumptio, quod pater ea donaverit uxori filii, & a principio tenuit donatio inter socrum, & nurum, *l. Ex annuo* 15. *ff. de donationibus inter virum & uxorem*, *l. si dos*
43 85. *ff. Ad leg. Falcid.* Item nec tenetur frater ea conferre, quamvis sint pretiosa, quoties constat patrem ea nurui, seu respective ejus uxori donasse, nam illa essent de libero dominio ipsius uxoris; cum a principio tenuerit donatio inter socrum, & nurum per jura mox adducta, juncta *l. Filius* 5. *ff. de dotis collatione*. Silvester *loc. cit. quæst.* 12. Sanchez *lib.* 6. *de Matrimon. disput.* 25. Rosignol. *loc. cit. num.* 12. Navarrus *cap.* 17. *num.* 116. Bonacina *loco cit. num.* 12. & alii passim.

44 Sexto, conferre debet frater munera, arrhas, & alias sponsalitias donationes a patre factas propter suas nuptias, quia censentur donationes factæ ob causam matrimonii, sicuti censetur facta dos; *l. Ut liberis* 17. *Cod. de collationibus*. Filius enim vo- 45
lens succedere patri, licet non teneatur conferre, quæ ab ipso valide accepit donatione simplici ei facta ex mera liberalitate, ut patet ex *leg. Illud* 20. *circa finem Cod. de Collationibus*, tenetur tamen conferre quæ ab ipso accepit donatione non ex mera liberalitate, sed ob causam, verbi gratia ob nuptias, ob dotem, ob susceptionem ordinum, ob ingressum Religionis & hujusmodi per *cit. leg. Illud*, cum similibus; cum donata ob causam de sua natura conferri debeant, ex quo præsumantur tradita in compensationem legitimæ. Vasquez *loc. cit. dub.* 6. Emanuel Sa, verb. *Hereditas num.* 43. Bonacina *loc. cit. num.* 13. Sanchez *cit. disp.* 25. cum pluribus aliis ibi allegatis. Non sunt tamen com- 46
putandæ in divisione expensæ factæ a patre in convivio ob nuptias filii, seu occasione primi Sacri celebrati, aut ingressus, & professionis Religiosæ, vel promotionis ad doctoratum, aut ad aliquam dignitatem, si filius non habeat bona propria, quia tales expensæ pertinent ad rationabilem administrationem bonorum patris, & ad alimenta filiis debita, nec magis censentur factæ ob filium, quam in honorem ipsius patris. Molina *tract.* 2. *disp.* 238. *vers. de expensis*, cum Bartolo, Gomezio, & aliis ibi allegatis, Tuscus *concl.* 417. Vasquez *loco cit. dub.* 6. *num.* 46. Sa, *loc. cit. num.* 43. Bonacina *loco cit. num.* 11. cum aliis ibi citatis. Nec tenetur frater in divisione computare quæ pa- 47
ter illi dedit præ aliis ad cibum, vestitum, & equitatum, quia stat rationabilis præsumptio, quod pater illa liberaliter ei donaverit, seu condonaverit. Navarr. *c.* 17. *num.* 160. Vasquez *loco cit. dub.* 8. *num.* 155. Bonacina *loco cit. num.* 8. & alii. Nec 48
tenetur frater conferre quæ a patre vivente accepit ob merita extraordinariorum obsequiorum; dummodo accepta non excedant merita; *l. Si pater* 34. *ff. de donationibus*, Molina *disp.* 224. Navarr. *cap.* 17. *num.* 144. & 145. Silvester verb. *Donatio* 2. *quæst.* 7. Vasquez *loc. cit. dub.* 10. *num.* 163. Bonac. *loc. cit. num.* 18. cum aliis ibi allegatis.

Septimo, conferre debet frater quæ pater insum- 49
psit in ipsius liberatione a captivitate, a carcere, aut a pœna ipsi pro delicto debita, si pater declaravit esse computanda in divisione: Pater enim licet teneatur alere filium, non tamen tenetur cum gravamine aliorum filiorum innocentum ipsius delinquentis delicta solvere, si autem declaraverit non esse computanda, aut non expresserit an vellet computari, non sunt computanda in divisione, quia tunc præsumi debent ex paterna pietate condonata, cum non sit addenda afflictio afflicto, *cap. Cum percussio* 7. *quæst.* 1. *cap. Ex par.* 5. *de Clerico ægrotante*; Dummodo tamen pater non habeat bona propria ipsius filii. Tuscus *conclus.* 417. Vasquez *loc. cit. dub.* 8. *num.* 155. Navarrus *cap.* 17. *num.* 165. Bonacina *loco citat. num.* 19. cum pluribus aliis ibi allegatis.

Octavo, conferre debet frater bona profectitia, 50
quia horum bonorum dominium pertinet ad patrem; §. 1. *Institut. Per quas personas cui acquiritur*,

51 *tur*. Non debet tamen conferre bona castrensia,
aut quasi castrensia, quia horum dominium abso-
lute pertinet ad filium; *leg. Castrensi* 11. *ff. de ca-
strensi peculio*, *leg. Hic titulus* 1. *Nec castrense*, *ff.*
52 *de collatione bonorum*. Nec bona adventitia, *leg.
Ut nemini* 21. *Cod. de collationibus*. Adventitiorum
enim bonorum dominium directum, seu proprie-
tatem habet filius; *l. Cum oportet* 6. *Cod. de bonis
quæ liberis*.

53 Nono, conferre debet frater quæ accepit a patre
titulo patrimonii ad Sacros Ordines, vel ad nuptias
contrahendas, quia traditio horum bonorum non
est donatio omnino libera, sed ob causam: Do-
nata autem ob causam, & non ex mera liberalita-
te, conferri debent in partitionem, *l. Illud* 20. *cir-
ca finem*, *Cod. de Collationibus*. Ast tamen jus fru-
ctus percipiendi dum vivit, spectat ad ipsum so-
lum, nec debet eos fructus afferre in partitionem.
Molina *disp.* 233. §. *Hujusmodi autem*, Hugo *tom.* 1.
disput. 5. *sect.* 2. *num.* 37. Sporer *tom.* 2. *tract.* 6. *in
complement. septim. præcept. cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 51.
Bonacina *loco citat. num.* 5. *vers. Respondeo secun-*
54 *do*, cum aliis ibi allegatis. Non tenetur tamen
conferre, si nolit succedere patri in hereditate,
sed contentus sit re sibi tradita, quia is solum con-
ferre tenetur, qui vult in hereditate cum aliis suc-
cedere, *l. Fuit quæstionis* 7. *ff. de dotis collatione*,
Molina *disp.* 237. *vers. Reditum*: Emanuel Sa, *loco
citat. num.* 42. Bonacina *loco cit. num.* 4. cum Go-
mezio, & Zechio ibi citatis, & alii.

55 Decimo, conferre debet frater in divisione ex-
pensas factas a patre ad ejus bona adventitia au-
genda ad perpetuam considerabilem utilitatem, si
constet, quod pater eas fecerit animo repetendi;
Et si dubitetur de tali animo, attendenda est quan-
titas dictarum expensarum, & si parva sit, præsu-
mi debet, quod non habuerit animum repetendi,
si vero magna sit, ita ut quantitas expensarum fa-
ctarum excedat quantitatem fructuum percepto-
rum, est præsumendum, quod animum habuerit
repetendi dictas expensas, cum non sit credibile,
quod voluerit pater unum filium ditare cum ma-
gno detrimento aliorum: Navarr. *cap.* 17. *num.* 163.
Bonacina *loco cit. num.* 15. & ipso teste alii com-
56 muniter. Sic e contra, si pater dilapidaverit bona
adventitia unius filii, alii fratres in divisione tene-
buntur compensare, cum obligatio ex justitia trans-
mittatur ad heredes, & hereditas, seu res transeat
cum suo onere; *l. Alienatio*, *ff. de contrahend.
emptione*, *l. Pomponius* §. *Cum quis ff. de acquir.
poss. l. Via constituti*, §. *Quicumque*, *ff. de servitut.
l. Fiscus* 6. *ff. de jure Fisci*, *Clementin.* 1. *de censi-
bus*, cum similibus; Emmanuel Sa, verb. *Here-
ditas num.* 45. Bonacina *loc. cit. num.* 13. *in fine*,
& alii.

Additiones ex aliena manu.

57 Inter fratres potest esse communio tantum men-
sæ, fructuumque bonorum patrimonialium, tum
58 potest esse Societas universalis. Ex hoc autem so-
lum, quod fratres concorditer vixerint, promis-
cue, ac pro indiviso bona possederint, vix habe-
tur communio mensæ, & fructuum bonorum patri-
monialium. Quinimmo id procedit, etiamsi adsit 59
pactum, ut omnia lucra & damna sint communia;
quippe quia potest pactum hoc verificari in bonis
tantummodo patrimonialibus, quorum respectu
inter ipsos erat communio; confer Rotam in *Ro-
mana*, *seu Spoletana Fideicommissi* 1. *Februarii*
1754. §. 7. *& plur. sequent. cor. bon. mem. Vicecom.
&* 4. *Julii* 1755. §. 9. *& duob. sequent. cor. Illustriss.
Figueroa*.

Societas vero universalis, per quam omnia tum 60
industriæ, tum fortunæ lucra communicantur, vel
requirit expressam conventionem, vel deducenda
est ex necessariis actibus & argumentis, de qui-
bus vide Rotam *in Romana Hereditatis super Fi-
dejussione* 5. *Maii* 1751. §. 5. *coram Eminentissimo
Bussio*. Adde etiam idem Supremum Tribunal *in
dict. Romana*, *seu Spoletana Fideicommissi* 1. *Fe-
bruarii* 1754. §. 6. *&* 7. *cor. bon. mem. Vicecomit.
&* 4. *Julii* 1755. §. 9. *cor. Illustriss. Figueroa*.

Num acquisitio proprio nomine facta ab uno ex 61
fratribus excludat inter ipsos societatem univer-
salem? Quæstionis est. Obtinuit distinctio, quod 62
si certo constet, & quidem vel expresse, vel taci-
te, de societate universali, eam minime excludat
mox dicta acquisitio, quia tunc proprio nomine
acquirens, communi sociorum nomine acquisivisse
videtur. At si de societate universali, nec ex con- 63
ventione expressa, nec ex argumentis indubiis con-
stet, præfata acquisitio urget in ejus exclusionem;
Michalor. *de Fratrib. par.* 2. *cap.* 17. *num.* 16. *&
sequent.* Constant. *ad Statut. Urb. annot.* 21. *n.* 41.
Rot. *in Spoletana divisionis Bonorum* 5. *Februarii*
1745. §. 12. *& in Recinaten. Communionis universa-
lis* 25. *Junii* 1747. §. 6. *utraque cor. bon. mem. Vice-
comite*.

Ex indole societatis universalis res communi 64
periculo ita pereunt, ut unus alteri ex sociis nonni-
si de inexcusabili culpa, probatoque dolo tenea-
tur; Rota *in Romana Hereditatis super Fidejussio-
ne* 5. *Maii* 1751. §. 6. *cor. Eminentissimo Bussio*.

SODOMIA, Vide verb. *Luxuria a num.* 50. *ad* 63.

SOLEMNITATES PRO ALIENANDIS REBUS ECCLES. Vide verb. *Alienatio art.* 2.

SOLEMNITATES CONTRACTUUM. Vide verb. *Contractus per tot.*

SOLIDUS. Vide verb. *Cathedraticum n.* 4. & verb. *Donatio art.* 1. *n.* 30.

SOLLICITATIO AD TURPIA. Vide verb. *Confessarius art.* VII.

SOLUTIO.

1 SOlutio proprie sumpta est idonea, ac sufficiens debiti præstatio, seu satisfactio tempore, & loco convenienti legitime facta. *Sic in re Communis*.

2 Ad solutionem tenetur quicumque est debitor, seu obligatus; Debitum enim seu obligatio non tollitur, nisi solutione, & satisfactione. *Institut. Quibus modis tollitur obligatio*, *in principio*, ibi: *Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur*.

3 Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit Laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis Creditores, servato Iuris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quandiu aliquid adest: *l. Qui bonis cesserint* 1. *Cod. Qui bonis cedere possunt*, cum similibus.

4 Qui autem Iuris ordo servandus sit pro solvendis ipsis Creditoribus, cum non sufficiunt debitoris bona ad cuncta solvenda debita? Vide verb. *Restitutio art.* 4. *a n.* 29. *ad* 73.

5 Quomodo vero per cessionem bonorum liberetur debitor ab onere solutionis faciendæ, & quæ de ipso in facti contingentia concludenda occurrant? Vide verb. *Restitutio art.* 5. *a n.* 49. *ad* 59.

6 Si Debitor, qui solvendo non est, sit Clericus, non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerari, aut aliter molestari potest, si vere inops sit, & ad inopiam sine sua culpa devenerit, & juratam cautionem præstet de solvendo, cum ad pinguiorem fortunam venerit. *Communis*, per textum *In cap. Odoardus* 3. *de solutionibus*, juncto ejus Summario, sic expresse habente: *Si Clericus non habeat, unde satisfaciat suis creditoribus, non debet excommunicari, nec aliter molestari, præstabit tamen cautionem saltem juratoriam de solvendo, cum venerit ad pinguiorem fortunam*. Assignantur tamen quo ad hoc a Doctoribus variæ limitationes videndæ apud Barbosam *in d. c. Odoardus a n.* 6. & alios Canonistas *ibid.*

7 Qui rerum suarum liberam administrationem non habent, uti sunt Pupilli habentes Tutorem, Minores, Furiosi, & Prodigi habentes Curatorem, sine auctoritate Tutorum, & respective Curatorum valide solvere non possunt. *Communis*, textu expresso *in l. Quod si* 14. §. 8. *ff. de solutionibus*, *&* §. *Nunc admonendi* 2. *in fine Instit. Quibus alienare licet, vel non*. (*) Sed si pupillus dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt, ut in *cit. l.* 14. §. *fin.* Hæc tamen regula suam habet limitationem ex ead. lege ibid. Nam si is, cui fuit soluta pecunia, eam bona fide consumsit, convalescet solutio, nec amplius poterit vindicari. *Plane si fuerint consumpti, liberabitur*. Sed nec omnes qui liberam rerum suarum administrationem non habent, prohibentur solvere creditoribus. Reus criminis inquisitus prohibetur in fraudem fisci alienare, nihilominus recte solvit, nec enim in fraudem alienat qui solvit, quod debet. *l.* 42. *ff. de solut.* Filius pariter familias, qui peculii castrensis administrationem habet, solvere non prohibetur, argumento *l.* 84. *ff. eod.* Multo magis convalescit solutio facta a filio familias, si eam ratam habeat pater, vel tacite vel expresse argumento pariter *l.* 66. *ff. de fide jus*. Quæ leges quamvis de servis loquantur, nunc tamen recte accomodantur filiis familias (*).

Procurator, tam specialis, quam universalis, potest valide solvere pro Debitore, cujus est Procurator. *Communis*, textu expresso *in l. Procurator* 58. *& l. Sed & id* 59. *ff. de Procuratoribus*, *l. Quodlibet* 87. *ff. de solutionibus*. 8

Immo etiam quivis alius pro debitore etiam invito, ac ignorante solvere, ac satisfacere, eumque a debito liberare potest. *Communis*, text. express. *in leg. Solutionem* 23. *& leg. Solvere* 53. *ff. de solutionibus*, ibi: *Solvere pro ignorante, & invito cuique licet*, addita *ibidem* ratione: *Cum sit Iure Civili constitutum licere etiam ignorantis, invitique meliorem conditionem facere*. Et concordat *lex Solvendo* 39. *ff. de negotiis gestis*, ubi redditur eadem ratio. 9

Est tamen hic advertendum, quod solvens pro alio sciente, & volente, habet contra illum actionem mandati, *arg. l. Si remunerandi* 6. §. 2. *ff. Mandati*. Solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum gestorum ad repetendum ab ipso quod pro eo solvit, nisi debitoris interfuerit eam pecuniam non solvi, text. exp. *in l. Cum pecuniam* 43. *ff. de negotiis gestis*. Solvens tamen pro alio expresse nolente, & contradicente, nullam habet actionem, vel Ius ad repetendum ab eo, quod pro ipso solvit; *arg. l. si rem* 40. *ff. de negotiis gestis*, *& cit. l. si remunerandi* 6. §. 2. *ff. Mandati*. 10

(*) Verum observandum est, eum qui pro alio solvit, nomine debitoris solvere debere, alioquin nec se, nec debitorem liberat, non se quia alienam pecuniam solvit, non debitorem, quia ipsius nomine non solvit, sed debitor se tueri tantummodo potest exceptione doli mali, ne si aliter observaretur, creditor in lucro versaretur. *l.* 7. *& l.* 25. *ff. de solut.*

Potest etiam creditor sibimet efficaciter solvere, ut mulier possit satis fieri de dote, si habeat administrationem bonorum mariti. *l.* 48. *ff. eod.* Item possessor pignorum si pignus vendat, & quantum ei debebatur, accipiat, liberabitur debitor. *l.* 26. *ff. eod.* Vide etiam l. 8. §. fin. ff. quib. mod. pign. solv. (*)

Successor in Beneficio Ecclesiastico, ut in Episcopatu, Prælatura, & quocumque Beneficio etiam simplici, tenetur solvere debita facta ab Antecessore pro vera utilitate, vel necessitate Ecclesiæ, seu Beneficii. *Communis*, text. expres. *in c. Ad hoc* 1. *de solutionibus*, ibi: *Sicuti filius debita patris solvere tenetur, ita Prælatus, sui Prædecessoris pro Ecclesiæ utilitate contracta*, juncto ejus Summario sic expresse habente: *Successor in Beneficio tenetur solvere debita Prædecessoris pro necessitate Ecclesiæ contracta*. 11

Item Successor in Beneficio tenetur solvere debita contracta a suo Antecessore pro sua necessaria, honesta, ac decenti sustentatione. Sic Abbas *in d. c. Ad hoc n.* 2. Barbosa *ib. n.* 3. Fagnan. *ib. n.* 10. citans 12

tans ad id Rotæ decisionem, Flaminius Paris. *de Resignation. lib.* 1. *q.* 16. *n.* 15. Engel. *lib.* 3. *decretal. tit.* 23. *num.* 18. Reiffenst. *ib. num.* 16. & alii; Et ratio est, quia etiam hæc debita propter unionem, quam habet Rector cum Ecclesia, censentur contracta pro necessitate Ecclesiæ, eo quod Ecclesia teneatur suum Rectorem alimentare, *c. Cum secundum* 16. *de Præbendis*. ibi: *Cum secundum Apostolum qui altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Iesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa pro nobis ratio persuadet.*

13 Ut Successor autem in Beneficio teneatur solvere debita Antecessoris, debet prius Creditor probare, quod pro vera utilitate, seu necessitate Ecclesiæ, aut saltem pro necessaria Prælati sustentatione fuerint contracta, *Communis*, per text. *in c. Ea etiam* §. 1. *caus.* 10. *quæst.* 2. ibi: *Is Creditor hic intelligatur, qui quod credidit, probat in utilitatem Divinæ Domus processisse*. Et concordat *c. Quod quibusdam* 4. *de Fide-jussoribus*, ibi: *Nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse*.

14 Sufficit tamen, quod Creditor probet tunc temporis adfuisse verum casum utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ, quamvis non probet in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse conversam; sic Glossa communiter recepta *in cit. c. Ea etiam* 21. *ad fin. caus.* 10. *q.* 2. *verb. Probat.*, Abbas *in cit. cap. Ad hoc* 1. *de solutio. n.* 7. Abbas *in cit. c. Quod quibusdam* 4. *de Fide-jusscrib. n.* 7. Reiffenst. *loco cit. num.* 19. & ipso teste communis aliorum, *arg. l. Utilitatem* 1. §. 9. *& l. Lucius* 7. *ff. de exercitatoria actione*.

15 Nullatenus vero tenetur Successor in Beneficio solvere debita ab Antecessore contracta, non pro utilitate, aut necessitate Ecclesiæ, nec pro necessaria sui sustentatione, sed alio titulo. *Communissima* per claros textus *in cap. Si quorumdam* 1. *de solutionibus*, *cap. Quod quibusdam* 4. *de Fide-jusscrib. c. Gravis* 1. *de Deposito*, *cap. Ea etiam* 2. *caus.* 10. *q.* 2. Et ratio est, quia Clerici debita contrahentis incuria, culpa, vel prodigalitas, non debet nocere Ecclesiæ, textu expresso *in cap. Delictum* 76. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*. Peccata enim suos debent tenere Auctores, *l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *cap. Quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte capituli*.

16 Solutio primum fieri debet, ac potest ipsi Creditori, etiam invito, si ipse Creditor liberam rerum suarum habeat administrationem, & ipsa solutio fiat debito loco, & tempore; Et si creditor solutionem accipere nolit, poterit debitor pecuniam debitam Magistratui consignare, sicque se & a debito principali, & ab usuris liberare. *Communis*, text. exp. *in l. Oblatione* 9. *Cod. de solutionibus*, ibi: *Oblatione totius debitæ pecuniæ solemniter facta liberationem contingere, manifestum est. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, si eo loco, quo debetur, solutio fuerit celebrata*, cum similibus.

17 Nequit vero fieri solutio Creditori, qui liberam rerum suarum administrationem non habet; Unde si quis debitum solvat Pupillo sine auctoritate Tutoris, vel Minori, Prodigo, Amenti sine auctoritate curatoris, & pecunia soluta perdatur, seu male consumetur, denuo pro solutione debiti conveniri potest; *Communis*, per text. *in* §. *Nunc admonendi* 2. *Institut. Quibus alienare licet, vel non*, *l. Pupillo* 15. *ff. de solutionibus*.

Potest tamen fieri solutio Tutori, aut curatori 18
ejusmodi creditoris, non habentis liberam rerum suarum administrationem. *Communis*; textu exp. *in l. Quod si* 14. §. 7. *l. Solutam* 49. *ff. de solutionibus*, & cit. §. *Nunc admonendi* 2. *Instit. Quibus alienare licet, vel non*, cum similibus.

Item recte fit solutio creditoris procuratori tam 19
generaliter, quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato. *Communis*, textu expresso *in l. Vero* 12. *in principio ff. de solution. & l. Qui hominem* 34. §. 3. *ff. eodem*.

Si Debitore penitus ignorante, seu nesciente, 20
Procurator a creditore tali Officio privetur, vel ei, ne solutionem accipiat, specialiter mandetur, adhuc ipse debitor recte ei solvit, & liberatur a sua obligatione; Secus autem, si id sciat. *Communis*, textu expresso *in cit. l. Vero* 12. §. 2. *ff. de solutionib. & cit. l. Qui hominem* 34. §. 3, *& l. Dispensatori* 5. *ff. eodem*.

Item recte fit solutio servis, ac filiis familias, si 21
ad accipiendam solutionem specialiter sint deputati, vel liberam, & universalem habeant administrationem. *Communis*, per claros textus *in l. Vero* 12. *l. si quis* 18. *l. Qui hominem* 34. *l. Solutam pecuniam* 49. *ff. de solutionibus*, cum similibus.

Item recte fit solutio creditori creditoris, nisi ab 22
ipso creditore expressa ad id habeatur contradictio, *arg. leg. Si liber* 36. *ff. de negotiis gestis*, *l. solutum* 11. §. 5. *ff. de pignoratitia actione*; Unde casu, quo creditor a tali Debitore adhuc solutionem prætenderet, posset dictus debitor se liberare exceptione doli mali, dicendo: sine tua contradictione jam solvi tuo creditori, *l. si opera* 6. *ff. de doli mali, & metus exceptione*, & *ibi* Baldus, Perez *de solutionibus nu.* 6. Silvester verb. *solutio q.* 14. Reiffenst. *loco cit. n.* 26. & alii.

In qua specie, & quo valore monetæ facienda 23
sit solutio? Vide verb. *Moneta a n.* 13. *ad* 25.

Debitore existente in culpabili mora solvendi, 24
si interim contingat monetarum mutatio; ipse solus damnum sentire debet. *Communis*; Mora enim cuique sua, non alteri nocere debet, *c. Mora sua* 25. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Mora sua cuilibet est nociva*.

Quando in conventione speciali certum tempus 25
ad solvendum præfixum est, debet exacte a debitore observari. *Communis*, per textum *in l. Solidum* 85. *ff. de solutionibus*, ibi: *Solidum solvitur, non minus quantitate, quam die*; Et hoc etiamsi Creditor non urgeat solutionem, quia dies statuta interpellat pro eo, textu expresso *in c. Potuit* 4. *de locato, & conducto*, ibi: *Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet*; Et concordat *l. Magnam* 12. *Cod. de contrahenda stipulatione, & l. In Emphiteuticariis* 2. *Cod. de Iure Em-*

26 *phiteutico*. Unde si ex culpabili mora solvendi præfixo, & determinato tempore creditor aliquod damnum patiatur, est ei resarciendum a Debitore culpabiliter moroso, quia tunc est causa, quod patiatur illud grave interesse lucri cessantis, & damni emergentis; cum qui causam damni dat, damnum dedisse videatur, *c. Si culpa 9. de injuriis, & damno dato, l. Qui occidit 30. §. 3. ff. ad Legem Aquiliam*; adeoque &c.

27 Si certum tempus determinatum sit in favorem Debitoris, prout ordinarie fieri solet, *l. Cum tempus 17. ff. De Regul. Juris*, potest Debitor ante finitum tempus conventum solvere, & Creditor tenetur solutionem acceptare, textu expresso *in l. Quod certa 70. ff. de solutionib.* ibi: *Quod certa die promissum est, vel statim dari potest, totum enim medium temtus ad solvendum promissori liberum relinquitur*; Et concordat *l. Qui res 98. §. 4. ff. eodem* cum similibus; Et ratio clara est, quia omnes libere possunt his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, textu expresso *in l. Si quis in conscribendo 29. Cod. de pactis*, ibi: *Cum alia sit Regula Juris antiqui, omnes licentiam habere, his quæ pro se introducta sunt, renunciare, & cap. Si de terra 6. de Privilegiis*, ibi: *Cum liberum sit unicuique Juri suo renunciare*.

28 Si autem tempus determinatum sit in gratiam Creditoris, pro ut fit, quando pro Summa Capitali mutuo accepta dari debet usura; debitor ante elapsum illud tempus solvere non potest, nec Creditor solutionem accipere tenetur; Et sic in aliis similibus casibus. *Communis*, per textum *in l. Javolenus 15. ff. de annuis legatis*.

29 Si vero nullum tempus pro solutione sit determinatum, potest debitor eam differre, donec Creditor eam petat. *Communis, arg. l. Debitores præsentes 10. Cod. de Pignor. l. In Fideicommissi 3. ff. De usuris*; quando enim Creditor non petit solutionem, tunc Debitor prudenter præsumere potest Creditorem quod ad talem dilationem solutionis non esse invitum.

30 Limitatur tamen prima Conclusio in casu, quo solutio sit debita ex delicto, v. g. furto, tunc enim solutio, seu restitutio, facienda est satim moraliter, quam primum absque notabili incommodo fieri potest, etiamsi non petatur a Creditore, quia tunc talis debitor ex delicto etiam sine petitione Creditoris est in culpabili mora solvendi seu restituendi. *Communis*, textu expresso *in l. in re furtiva 8. §. 1. ff. De condictione furtiva*, ibi: *Semper*
31 *enim moram fur facere videtur*. Et si Creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patiatur, resarciri debet a culpabiliter moroso debitore. *Communis*, per dicta, & Jura adducta *supra n. 26.* Vide verb. *Restitutio art. 3. n. 87.*

32 Limitatur secundo conclusio in casu, quo Creditor ex timore etiam reverentiali debitum petere non audet, aut illud ignorat, tunc enim debitor censetur esse in culpabili mora ex eo tempore, quo arbitrio prudentis viri solvere potest, ac debet; Et ita ad præsens intelligi debet id, quod expresse dicitur *in l. In omnibus 14. ff. de Regul. Juris*, ibi: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die habetur*. Sic Reiffenstuel *loc. cit. num. 48.* Silvester verb. *Mora q. 1.* & alii passim.

Alia ad rem de tempore solutionis, seu restitutionis faciendæ. Vide verb. *Restitutio art. 3. a. numer. 83. ad 103.* 33

Solutio, seu restitutio in quo loco, & cujus expensis, & periculis fieri debeat? Vide verb. *Restitutio art. 4. a n. 1. ad 27.* 34

Quilibet Debitor regulariter loquendo tenetur simul, & semel totum solvere debitum, nec tenetur Creditor solutiones per partes accipere. *Communis*, per text. *in l. Tutor 41. §. Lucius, ff. De usuris, l. Plane 3. ff. Familiæ erciscundæ*, ubi etiam redditur ratio ibi: *Quia sæpe & solutio, & exactio partium non minima incommoda habet*. 35

Limitatur tamen conclusio primo in casu, quo specialiter conventum sit inter debitorem, & Creditorem, quod solutio fiat per partes. *Communis*, per textum in *l. Arbitraria 2. §. 4. ff. De eo, quod certo loco dari oportet*; Et ratio est, quia ut expresse dicitur *in cap. Contractus 85. de Reg. Jur. in 6. Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur*, & justa pacta servanda sunt, *l. Antigonus 1. de pactis*, ibi: *Inita pacta suam obtineant firmitatem, cap. Qualiter 3. eod.* ibi: *Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur; l. Si quis in conscribendo 29. Cod. de pactis*, ibi: *Pacta conventa, quæ neque contra Leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo observanda sunt*. 36

Limitatur secundo in casu, quo debitum per partes contractum sit, quia obligatio eo modo tolli potest, quo contracta est. *Communis*, per textum *in l. Nihil tam naturale 35. ff. de Regul. Juris*, ibi: *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est*. 37

Limitatur tertio in casu quo debitor ex diversis causis seu contractibus debita contraxerit, nempe unum debitum ex causa, seu contractu locationis, aliud ex contractu, seu causa emptionis, aliudve ex causa, seu contractu mutui, & sic de aliis; Tunc enim debitor potest, quod vult ex illis debitis solum solvere, & non tenetur omnia dicta debita simul solvere. *Communis*, textu expresso *in l. In potestate 1. Cod. de solutionibus*, ibi: *In potestate ejus est, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, tempore solutionis exprimere in quam causam reddat; & concordat l. Quoties 1. ff. de solutionibus*, ibi: *Quoties quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit, est in arbitrio solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum, & quod dixerit, id erit solutum*. 38

Unde cum quis ex pluribus causis est Debitor, & aliquam solutionem facit, in ejus potestate est exprimere, quod potius debitum velit solutum; Si vero nihil exprimat, est in potestate Creditoris, pro quo voluerit debito talem solutionem accipere; textu expresso *in c. l. Quoties 1. ff. & cit. l. In potestate 1. Cod. de solutionibus*. Cum hoc tamen, quod si nihil exprimat, censetur semper solutum debitum magis onerosum. Sic aperte additur *in c. l. Quoties 1. ff. de solutionibus*: *Dummodo* (creditor) *in id constituat solutum, in quod ipse; si di-* 39 40

si deberet, esset soluturus; quoque debito se exoneraturus esset si deberet .... Æquissimum enim visum est, Creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret, & concordat *l. In his* 5. *& l. Cum ex pluribus* 97. *ff. eod.*

41 Quando Debitor una cum capitali simul usuras debet per partialem solutionem factam, censentur solutæ usuræ, quamvis Debitor Capitale se solvere exprimat, textu expresso *in l. In his vero* 5. §. 3. *ff. de solutionibus*, ibi: *Apud Marcellum lib.* 20. *Digestorum, quæritur, si quis ita caverit Debitori in sortem, & usuras se accipere, utrum pro rata, & sorte, & usuris decedat; An vero prius in usuras, & si quid superest in sorte? Sed ego non dubito, quin hæc cautio in sortem & in usuras, prius usuras admittat, tunc deinde, si quid super fuerit, in sortem cedat.*

42 Debitum tollitur etiam sine solutione per acceptilationem. *Communis*; textu expresso *in* §. *Item* 1. *Institut. Quibus modis tollitur obligatio*, ibi: *Item per acceptilationem tollitur obligatio*, & *l. Pluribus* 6. *ff. de acceptilatione*, ibi: *Id solum per acceptilationem sublatum est.*

43 Acceptilatio autem est imaginaria solutio, seu habitio rei pro recepta per interrogationem Debitoris, & responsionem Creditoris facta. *Quod enim Titio debetur, si id Titius velit remittere, poterit sic fieri ut patiatur hæc verba Debitorem dicere: Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? Et Titius respondeat: habeo.* Sic expresse habetur *in citat.* §. *Item* 1. *Institut. Quibus modis tollitur obligatio*, & concordat *cit. l. Pluribus* 6. *ff. de acceptilatione*, ibi: *Pluribus stipulationibus factis si promissor ita accepto rogasset: Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? Siquidem apparet, quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est, si non apparet, omnes stipulationes solutæ sunt.* Vide verb. *Juramentum art.* 1. *n.* 20.

44 Unde ut acceptilatio valeat, debet sic fieri, ut appareat cujus debiti ex pluribus remissio petatur. Unde *in cit. l. Pluribus* subjungitur: *Si ego aliud accepto tuli, aliud tu rogasti, nihil valere acceptilationem.*

45 Si autem pluribus debitis ex pluribus stipulationibus factis gravatus, non pro uno, vel altero determinato debito, sed pro omni indefinite roget, tunc per acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus stipulationibus provenientia, censentur sublata, seu remissa, *citat. l. Pluribus*, ibi: *Si quidem apparet, quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est, si non apparet, omnes stipulationes solutæ sunt.*

46 Debitum tollitur, & solutio fieri censetur etiam per justam compensationem. *Communis* per textum *in l. Dedisse* 76. *ff. de verbor. significat.* ibi: *Dedisse intelligendus est etiam is, qui compensavit*, & *l. Si Debitor* 4. *Qui potiores in pignore*, ubi dicitur: *Nihil interesse, solverit ne aliquis, an compensaverit?*

47 Quandonam autem licita, & justa compensatio fieri possit, & quænam conditiones ad ipsam requirantur? Vide verb. *Compensatio per tot.*

48 Qui per errorem solvit; quod nec Jure naturali, nec Civili debebat, solutum condicere seu repetere potest. *Communis* per text. *in l. Nunc videndum* 1. *& l. Si quis* 2. *ff. de condictione indebiti, l. Pecuniæ indebitæ* 1. *l. Cum & soluta* 3. *Cod. eod.* cum similibus; Et ratio clara est, quia Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, textu expresso *in l. Nam hoc* 14. *ff. de Condictione indebiti*, ibi: *Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem, leg. Jure naturæ* 206. *ff. de Regul. Juris*, ibi: *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem; cap. Locupletari* 17. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.*

Qui per errorem solvit indebitum Jure naturæ, 49
debitum vero Jure Civili, solutum pariter condicere, seu repetere potest sive per errorem facti, sive Juris solverit; Glossa *in cap. Is qui* 4. *de solutionibus verb. Indebitum*, Abbas *ib. num.* 14. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 23. *num.* 2. Reiffenstuel *ib. num.* 70. *& alii arg. l. Si non sortem* 26. §. 3. *ff. de condictione indebiti*. Et ratio est, quia, quando agitur de damno vitando, & non lucro captando, ut in hoc casu, non solum non nocet error, seu ignorantia facti, sed nec error, aut ignorantia Juris, textu expresso *in l. Error* 8. *ff. de Juris, & facti ignorantia*, ibi: *Ceterum omnibus Juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.*

Qui indebitum jure Civili, & debitum Jure na- 50
turali solvit per errorem, seu ignorantiam facti, modo ignorantia non sit crassa, vel supina, potest solutum repetere, seu condicere. Gloss. 2. *in cit. cap. Is qui* 4. *de solutionibus verb. Indebitum*, Abbas *ib. num.* 12. Pirhing *loc. cit. num.* 33. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 71. & alii, *arg. leg. Nec supina* 6. 51
& l. Error 8. *ff. de Juris, & facti ignorantia* Si autem id solvat per errorem, seu ignorantiam Juris, repetere, seu condicere non potest, quia talis ignorantia non excusat, Glossa *loc. cit.* Abbas *loc. cit. num.* 12. Pirhing *loc. cit. num.* 33. & alii per text. *in l. Ignorantia* 1. *l. In Omni parte* 2. *leg. Plurimum* 3. *l. Juris ignorantiam* 4. *l. Error* 8. *leg. Regula* 9. *ff. de Juris, & facti ignorantia, & leg. Cum quis* 10. *Cod. eod.* ubi expresse, ac repetitis vicibus habetur, quod Juris ignorantia non prosit. Immo *in cit. leg. Regula* 9. *ff. de Juris & facti ignorantia* pro Regula traditur expresse ut sequitur: *Regula est, Juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere: & in citat. l. Cum quis* 10. *Cod. eod.* sic præcise statuitur: *Cum quis Jus ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio. Per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est.*

Qui ciens se non debere, & nihilominus solvit, 52
non potest solutum condicere, seu repetere. *Communis*, textu expresso *in l. Nunc videndum* 1. §. 1. *ff. de Condictione indebiti*, ibi: *Si sciens se non debere solvit, cessat repetitio*, cum similibus; Et ratio est, quia talis præsumitur donare, nam ut expresse dicitur *in l. Cujus* 53. *ff. de Reg. Jur. Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.* Et procedit conclusio, etiamsi talis de- 53
derit hac mente, quod velit iterum repetere, textu expresso *in l. Quod quis* 50. *ff. de condictione indebiti*, ibi: *Quod quis sciens indebitum dedit hac mente*

mente, ut postea repeteret, repetere non potest. Secus autem esset, si animo dubio, incerto, ac titubante solvisset, textu expresso *im l. Pro dubietate* 11. *Cod. de condictione indebiti*, ibi: *Quod nos decidentes sancimus, omnibus, qui incerto animo indebitam dederint pecuniam; vel aliam quamdam spe-*
54 *ciem persolverint, repetitionem non denegari*. Et ratio est, quia, ut expresse statuitur *in l. Non debet* 41. §. 1. *ff. de Regul. Juris; In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro*.

55 Asserens se indebitum solvisse, & condictionem intentans, probare debet, quod fuerit indebitum. *Communis*, textu expresso *in cap. Is qui* 4. *de solutionibus*, ibi: *Is, qui conqueritur indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur, quod indebite sit soluta, l. Cum indebito* 25. *ff. de probationib.* Præsumptio enim stat contra ipsum, quia, ut expresse dicitur *in cit. l. Cum indebito, qui .... solvit, numquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, & indebitas effundat*.

56 Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse. Tunc enim si de solutione accepta convincatur, ipse probare debet, id, quod solutum accepit, sibi revera debitum fuisse; *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Is qui* 4. *de solutionibus*, ibi: *Nisi adversarius solutionem inficians exinde convincatur, tunc enim diffitenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset*, & *cit. l. Cum de indebito* 25. *de probationibus*.

57 Ad facilius capienda hactenus dicta observandum est quod conditio indebiti est actio personalis, quam quis habet contra eum, cui indebitum, hoc est, aliquod, quod ei non debet, per errorem solvit. *Sic in re communis, arg. l. Nunc videndum* 1. *Quod indebitum* 7. *l. indebiti solutio* 15. *ff. de condictione indebiti, leg. Pecuniæ indebitæ* 1. *l. Cum & soluta* 3. *l. Si per ignorantiam* 6. *l. Fideicommissum* 7. *Cod. eod.* cum similibus.

58 Indebitum autem est quasi contractus re initus, quo is, qui rem indebitam per errorem solutam accepit, ad eamdem reddendam obligatur. Sic expresse Pirhing *loc. cit. num.* 30. & alii per textum *in l. Si quis* §. 4. *ff. de obligationibus, & actionibus* & §. *Item* 15. *Inst. de obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur*.

Additiones ex aliena manu.

De præsumpta solutione, de qua frequenter in foro disseritur, paucis hic agendum.

59 Solutionem præsumptionibus probari posse non ambigitur. At quænam præsumptiones efficaces sint,
60 videndum. De existentia Chirographi penes debitorem dubitatur, an ea præsumptionem inducat solutionis. In primis autem constare debet, an Chirographum a debitore in medium productum, sit illud ipsum, quod antea in manibus Creditoris fuit, idque quia accidere potest, ut Debitor sciens Creditorem amisisse Chirographum, aliud confecerit.
61 Constito de identitate Chirographi, alia deinde inspectio occurrit, num voluntate Creditoris Debitor Chirographum consequutus sit, an eo inscio, &
62 invito? Hic autem ita distinguunt Doctores. Si debitor suspectus sit, vel Creditoris domesticus, aut alias familiariter cum eo conversetur, Creditorem admittunt, ut juramento asserat Chirographum se inscio ad debitorem pervenisse. E contrario au- 63
tem si debitor vir sit probatæ vitæ, & integritatis, ut suspicio subreptionis locum sibi vindicare nequeat, ejus juramento creditur, si testetur creditorem sibi Chirographum reddidisse; Anton. Fab. *in cod. lib.* 18. *tit.* 3. *defin.* 24. Carpzov. *Jurisprud. Forens. part.* 2. *Constit.* 29. *defin.* 12. Adde Freyer *de solut. cap.* 11. *membr.* 1. *num.* 20. *& seq.*

Quid juris de Chirographo cancellato? Si chiro- 64
graphum cancellatum reperiatur apud Debitorem, nec domesticum creditoris, nec alia de causa suspectum, ipse debitor vel ad juramentum admittitur creditorem cancellasse, vel creditor onus probandi contrarium in se suscipere tenetur; Carpzov. & Freyer *locis mox allegatis*. Quod si chirographum 65
apud creditorem cancellatum reperiatur, solutio præsumitur, nisi ipse Creditor manifestis probationibus contrarium ostendat; Brunemann. *ad L.* 24. *fer. per tot. de Solut.* Dubitatio major est, si chi- 66
rographum cancellatum penes tertium reperiatur, Sunt qui existiment, debitorem eo ipso non esse liberatum, quum chirographum illi tertio, saltem custodiæ causa traditum fuerit, & sic præsumptio cancellationis a creditore factæ cesset; Vide Freyer *ubi supra num.* 23. *& ab eo allegatos*. Quod ta- 67
men ita intelligendum reor, nisi aliæ probationes concurrant. Denique si chirographum confecit, il- 68
ludque in protocollo Notarii cancellatum reperiatur, solutionis præsumptio exinde non aliter oritur, quam si cancellationem consensu creditoris factam esse probetur, confer Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *Præsumpt.* 141. *a.* 19.

Succedit privata debitoris adnotatio. Pro regula 69
autem tenendum est, quod etsi debitor in libro quodam, in quo consignare soleat res quotidie gestas, aut rationes rerum suarum, scripserit, se alteri solvisse, hoc ipsi neutiquam proficiat, quum alias hac ratione quilibet debitor se a vinculo obligationis facile liberare posset. Interim tamen re- 70
gula hæc exceptionem patitur, ut ex adnotatione debitoris præsumptio factæ solutionis resultet, si simul aliæ circumstantiæ eidem adminiculentur. De 71
his autem circumstantiis, vide Mevium *part.* 4. *decis.* 121. *per tot.*

Sunt & aliæ præsumptiones factæ solutionis. Huc 72
pertinet quando creditor distulit multos per annos petere creditum, v. g. si non petit vivo debitore, sed defuncto eo hæredes convenit, & tamen creditor est persona cauta, & diligens alias in exigendo, aut est pauper, aut non admodum dives. Idem 73
dicendum, si creditor a debitore mutuum petiit, tum si creditor administravit bona debitoris, atque ita sibi solvere potuit, rationes tamen non reddidit; tum si quis per tres apochas probet se tribus 74
annis proximis usuras solvisse; tunc enim nisi creditor recipiens usuras ultimas protestando sibi consuluerit, easdem usuras ratione præteriti temporis etiam solvisse censetur; Fachin. *lib.* 13. *controv.* 89. Finckelth. *observ.* 115. Mev. *part.* 4. *decis.* 345. & 355. utrobique *fer. per tot.* Sed consule præ ceteris Freyer *de solut. cap.* 12. *membr.* 6. *per tot.* qui de his omnibus fusius agit.

SOM-

SOMNIUM.

1 SOmnium est phantasma in somno factum, idest apparitio phantastica in somno facta, ex Aristole *lib. de somno & vigilia*, sive visum, quod in somno apparet. Et ut ex Richelet habet Pontas *verb. somnium in princip.* Somnium est motus vis imaginandi, quæ dormientis in sensibus exprimit formam rei effictæ conformem.

2 Somnia ex Macrobio *lib. 1. de somn. Scipion.* quem sequitur Salisber *lib. 2.* dividuntur in quinque genera, scilicet in insomnium, spectrum, somnium, visum, & oraculum; sed Artemidorus *lib.1. c.2.* ea quinque ad duo revocavit, insomnium nempe, & somnium, sub insomnio spectrum, sub somnio comprehendit visum, & oraculum, quoniam hæc illud consequuntur. Sic refert Delrius *disquis. tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 6. vers. Macrobius*.

3 Auctor libri *de spiritu*, *& anima* (sive is sit Hugo Victorinus, sive alius) *c. 25. operis* quinque somniorum genera enarrat, videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium, phantasma. *Oraculum*, inquit, est cum in somnis aliqua sancta, gravisque persona, vel etiam Deus eventurum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nunciat. *Visum* est, cum id, quod viderat quis, eodem modo, quo apparuerat, evenit. *Somnium* est quid figuris tectum, quodque sine interpretatione intelligi non potest. *Insomnium* est, cum id quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, ut cibi cura, vel studium. *Phantasma* est, quando quis dormire cœpit, & adhuc se vigilare existimat, aspicereque videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas. Sic habet Beyerlinch *Theatr. vitæ humanæ, verb. Somnium*, *fol. 348. litt. H.*

4 Sanctus Gregorius *lib. 8. moralium cap. 13.* & *l. 4. Dial. cap. 48.* sex genera somniorum ex totidem causis orta commemorat, aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis somnia existunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illusione Dœmonis, aut ex cogitatione hominis simul, & illusione Dœmonis, aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis simul, & revelatione Dei, sicque rectissime, ut Delrius observat *loc. cit. concl. 2.* somnia tribus auctoribus ad-
5 scribit; Deo, Naturæ, & Dœmoni. Unde posteriores Theologi ea diviserunt in Divina, dœmoniaca, & naturalia, quam divisionem variis aliis relictis, & nos amplectimur.

6 Somnia igitur divina, seu cœlestia sunt illa, quæ a Deo inspirantur, sive id faciat immediate per se, sive ministerio Angelorum, ut plerumque accidit. Unde Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 95. art. 6. in corpore* sic ait: *Spiritualis autem est quandoque quidem a Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somniis*.

7 Divinorum, seu cœlestium somniorum varii fines reperiuntur in Sacra Scriptura. I. Ut quis a malo absterreatur, sicut factum Abimelech *Genes. 20.* & Regi Meraræ, & Labano *Genes. 31.* Et id insinuat Job *cap. 4. n. 13. & 14.* ibi: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt*, & *cap. 7. num. 14.* ibi: *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties*. II. Ut adhortetur ad aliquod bonum, ut Gedeonem *Judic. 7.* & Judam, ejusque exercitum 2. *Machabæorum 15.* III. Ut moneat, vel doceat quid agendum, aut fugiendum, ut B. Joseph *Matthæi 1. & 2.* & tres Magos *Matthæi 2.* Et hunc finem indicat Job *c. 33. num. 15. & seq.* ibi: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperuit aures virorum, & erudiens eos instituit disciplina &c.* IV. Ut spiritum Prophetiæ, aut aliud spirituale donum simul largiatur, ut *Joelis cap. 2. n. 28.* ibi: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt*. Et patet de dono sapientiæ, & prudentiæ in somniis dato Salomoni 3. *Reg. 3.* Et de promissione obventuræ Dignitatis Joseph *Genesis 37.* & Mardochæo *Esther 11.* V. ut revelet aliquod mysterium, ut *Genes. 28.* aut alicujus Reipublicæ, vel Regni, seu Imperii vicissitudinem, ut Israelis *Genes. 41.* Ægypti, & Nabuchodonosor *Daniel. 2. & 4.*

Ad hæc capita reduci possunt multa somnia divina, quorum in historiis Sanctorum fit mentio, 8 ut illa Africana apud Victorem Uticen. de persecut. Vandalic. oblata Eusebio Episcopo Charthaginensi. Item somnium oblatum Monacho Cluniacensi Beatæ Virginis, tempore S. Odonis apud Joann. Monachum *lib. 3. vitæ Odonis cap. 9.* Item aliud Bertæ matri S. Suitberti apud B. Marcellinum *cap. 1. Vitæ S. Suitberti*. Item aliud S. Abramio Confessori, *Metaphrast. in ejus vita*. Item aliud Henrico Imperatori, Rupert. *in vita S. Hereberti c. 7. n. 26.* Item aliud S. Hugoni Gratianopolitano apud Guidonem *in ejus vita*. Item aliud Theodosio Imperatori, aliud Mauricio Imper. aliud Arnobio Rethori, aliud Bardæ, aliud Eulogio apud Delrium *disquis. Magicar. tom. 3. cap. 3. q. 6. concl. 4.* & multa alia apud Fulgosium *lib. 1. exempl. cap. 5.* & apud Beyerlinck *l. c. fol. 285. §. Somnia Divina*, & alia innumera apud alios.

Dæmoniaca somnia sunt illa, quæ mali spiritus 9
studiose dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi ciendas, ut libidinem, iram, odium, desperationem, vel ad occultorum, aut futurorum significationem. Sic expresse Delrius *loc. cit. post conclusionem 4. vers. Diabolica somnia*, & colligitur ex S. Gregorio *lib. 8. moral. in cap. 7.* Job *cap. 13.* S. Augustin. *Epist. 9. alias 115.* S. Thom. 2. 2. *qu. 95. art. 6. in corpore*, Blesensis *Epist. 65.* & alii passim.

His Dœmoniacis somniis totum intentum mali- 10
gnorum, & fraudulentorum illorum spirituum est homines ad peccata deducere, eosque præsertim incautos, ac ignaros vanis superstitionibus imbuere, si eos aliquorum somniorum eventu ad habendam ipsis fidem reduxerint, sicque eos deceptos ad enormia, nefanda, ac sacrilega crimina pertrahere, ut communis Doctorum, ac quotidiana experientia etiamnum docet.

Na-

11 Naturalia somnia sunt illa, quæ communiter ortum ducunt ab affectione, & dispositione animæ & corporis somniantis, Beyerlinck, & Pontas
12 *loc. cit.* & alii passim. Et hæc somnia naturalia proficiscuntur, vel a causa intrinseca somnianti, vel a causa illi extrinseca. Intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, & tunc dicitur causa animalis, & quædam potissimum a corpore, & vocatur causa corporalis.

13 Intrinseca causa animalis est quando somnia obveniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis valde fuit intenta, & per diem ipse somnians circa illas multum occupatus fuit, juxta illud *Ecclesiastes cap. 5. n. 2.* ibi: *Multas curas sequuntur somnia.* Unde Lucretius. *Poemat.* apud Beyerlinck *loc. cit. fol. 286. §. Animalia* sic habet.

In somnis eadem plerosque videmus obire,
Causidicos causas agere, & componere Leges
Induperatores pugnare, & prælia obire:
Nautas contractum cum ventis degere bellum;
Et quo quisque fere studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum simus ante morati.

14 Et ad hæc pertinent somnia de rebus, & personis, in quas odio, amore, timore, aut spe vehementer afficimur; Hinc liberales, & benefici somniant se aliis largiri, mendici petere, cantores canere, Philosophi disputare, avari pecuniam congerere, vindicativi de inimicis ulcisci, & alii alia similia. Unde Aristoteles 1. *Ethicor. cap. 13.* dicit bonorum hominum somnia meliora esse, quam malorum, propterea quod consilia, quæ ad virtutum officia exercenda sollicite agitant, eadem eis in somno occurrunt.

15 Intrinseca causa corporalis nascitur a præsenti dispositione, ac temperamento corporis, quod vel inedia exhaustum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægrescit, vel alio interiore vitio laborat; Unde ex variis his causis varia nascuntur somnia. Cholerici enim somniant coloress flavos, rixas, jurgia, inimicitias, incendia, & hujusmodi. Sanguine redundantes rubentia, ignes, ustiones, hortos, convivia, & læta omnia. Melancholici funera, caliginem, tenebras, solitaria loca, nocturnas oberrationes, tetra spectra, tristiaque cuncta; Phlegmatici mare, aquas, balnea, navigationes, submersiones, tardam, & impeditam a noxiis fugam. Qui viscido humore affectas, obstructasque habent partes cerebri posteriores, illi comprimi, ac suffocari videntur in somniis, & latini vocant hunc *incubum* morbum. Qui sinceris, purisque succis constant, somniant se volutari inter odoratos, suavesque flores, & e contra qui fœtidis putridisque sunt repleti humoribus, somniant se versari in cloacis, sepulcris, sordidis, ac cænosis locis.

16 Extrinseca naturalis causa somniorum est, quando dormientis imaginatio ab agente extrinseco movetur. Hujusmodi autem agens est duplex; Alterum est aer ambiens; Alterum impressio, sive influxus corporum cœlestium; sicut enim corpora cœlestia suo in materiam corpoream influxu varias formas lapidum, metallorum, plantarumque gignunt, sic influendo in phantasiam quæ organis corporeis est immersa, possunt a cœlestibus corporibus produci species imaginabiles effectui a corporibus illis cœlestibus promananti conformes, ut erudite suo more ratiocinatur doctissimus Delrius *loc. cit. post conclusionem secundam vers. Naturalis extrinseca.* Unde ut habetur in *Lexico Medico Castello-Brunoniano verb. Somnium*; Somnia sunt operationes, quæ fiunt inter dormiendum ab Astris in homine.

Species imaginabiles in somniis causatæ sunt 17
quandoque in somniante adeo impressæ, ut distincta afferat verba, recte ad interrogata respondeat, aut e lecto surgat aliquid exterius facturus, tute etiam in locis periculosis perambulet, & denuo adhuc dormiens lectum repetat, ut patet de noctambulantibus, seu melius somnambulantibus, cum nedum noctu, sed etiam interdiu id accidat, ut observat *Lexicon Medicum Castello-Brunonianum verb. Somnambulo* referens quemdam celebrem olim somno meridiano indulgentem inter dormiendum surrexisse, deambulasse, cum conjuge locutum fuisse, a qua etiam rursus ad sellam, in qua dormiverat, reductus, paulum adhuc dormivit, evigilans deinde omnium plane fuit ignarus. Hæc ibi; nec desunt alia consimilia exempla.

Pro discernendis somniis, an sint Divina, an 18
Dœmoniaca, an naturalia? habendus est recursus ad Patrem spiritualem, aliasque pias, & instructas personas, ut suis consiliis ea dilucident, & in subsidium suis orationibus lumen pro eorum vera discretione, & intelligentia a Deo exquirant. Sic communiter Doctores cum S. Thoma 2. 2. *q. 95. art. 7. in corpore*: Hac tamen retenta pro certa regula, quod quando Deus somnium immittit, solet simul hominem lumine interiori certum reddere hoc somnium a se profectum, & cœlitus immissum fuisse, ut recte docet Delrius *loc. ci. post conclusionem quintam vers. Discernere*: & relinquit ipsum hominem totum hilarem, humilem, devotum, ac pium. Quando autem dœmon somnia immittit, talia somnia aut visiones habentes evadunt tristes, spiritu audaces, elati, & superbi, impuri, ac omni malitiæ proclives, ut advertit Clericatus *nelle sue spiche verb. Sogni n.* 898. Tunc vero somnia sunt naturalia, quando mere procedunt a phantasmatibus in memoria motis ab operationibus diebus antecedentibus factis, aut intenta voluntate, & desiderio diebus sequentibus faciendis, aut ab humoribus a stomacho elevatis ad cerebrum, ubi generantur somnia rerum extravagantium, ridicularum, ac penitus infructuosarum, ut notat Clerioat. *loc. cit. num.* 899.

In summa, concludit doctissimus Delrius *loc. cit.* 19
vers. Discernere hoc est observandum, si constet neque ex animali, neque ex corporali causam somnium fuisse natum, sicque non esse naturale, dubitetur autem adhuc utrum sit a Deo vel a dæmone? tutissimum est, si ut a dæmone immissum caveatur, & contemnatur juxta illud *Ecclesiastici cap. 34. num. 6. & 7.*, ubi traditur esse contemnenda exrinseca somnia, quæ non constat a Deo fuisse immissa, ibi: *Nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim er-*

errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

20 Divinorum somniorum observatio licita est, at interpretatio solis convenit illis, quibus a Deo facta est interpretationis revelatio. Delrius *loc. cit. concl.* 5. & alii communiter. Prima pars de se patet, quia somnia divina nobis immittuntur a Deo, ut ea observemus, ac ab ipsis instruamur, moneamur, & corrigamur. Secunda pars habetur ex *Daniele c.* 2. *n.* 27. ibi: *Mysterium, quod Rex interrogat sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi, sed est Deus in Cœlo revelans Mysteria, qui indicavit tibi, & ibid. num.* 30. subjungit: *Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plusquam in cunctis viventibus, Sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio Regi manifesta fieret, &* 1. *ad Corinth. c.* v. *num.* 11. ibi: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

21 Dæmoniacorum somniorum observatio, ut fraudes dæmonis caveantur, est licita, sed ad occultorum, vel eventuum futurorum scientiam, seu cognitionem habendam, est illicita. Sic expresse Delrius *loc. cit. conclus.* 4. & alii passim. Prima pars de se patet, quia hoc est animæ valde salutare, & aliquando necessarium, ut sic dæmonis fraudulentæ astutiæ eludantur, & peccata, ad quæ per ipsas nos intendit inducere, evitentur. Secunda pars probatur, quia hoc est Dei lege prohibitum *Levit. c.* 19. *num.* 26. *Non augurabimini, nec observabitis somnia, Deuteron. cap.* 18. *num.* 10. ibi: *Nec inveniatur in te qui.... observet somnia, & Ecclesiastic. cap.* 34. *num.* 6. & 7. per verba adducta *supra num.* 19. Tum quia non potest horum interpretatio citra miraculum haberi, nisi ex pacto implicito, vel explicito, cum dæmone, quod est omnino illicitum, dicente expresse Apostolo 1. *ad Corinth. cap.* 10. *num.* 20. *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.*

22 Observatio, & interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem, seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa sit intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. Sic Delrius *loc. cit. concl.* 3. & communis aliorum cum S. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 6. *in corpore.* Prima pars, quando videlicet causa est intrinseca animalis, clare patet: Si enim quis sit lascivis somniis, fœdisque illusionibus inquinatus, potest, immo debet causam talium somniorum inquirere, & cognoscens ipsa provenire ex quo obscenis lectionibus, libidinosis cogitationibus, aut turpibus colloquiis operam dederit, debet similes lectiones, cogitationes, & colloquia cavere, ac vitare, & sic de similibus. Secunda pars, quando scilicet causa est intrinseca corporalis, est etiam de se clara, nam ut docent Aristoteles *lib. de Divinatione per somnia cap.* 1. & Hippocrates *lib. de insomniis & 6. Epid.* & S. Thomas *cit. quæst.* 95. *art.* 6. *in corpore*, & alii passim admonent Medicis notanda, & expendenda esse ægrotantium insomnia, seu somnia, ad eorum morbos dijudicandos, & curandos. Ex ea namque observatione satis probabilem de qualitate morbi conjecturam eliciunt, & qui humores intus lateant, qui eorum defectus, vel exsuperantiæ sint, dignoscunt; Si quis enim somniet de occupationibus igneis, signum est choleræ prædominantis, si de aereis, sanguinis abundantis, si de aqueis, multi phlegmatis, si de terreis, melancholiæ, & sic de similibus, & ideo potest licite sibi per congruentes medicinas præcavere. Qua de re Galenus *lib. de præsagio ex somnis sumendo* refert, quod cum quidam somniasset alterum crus sibi factum lapideum, mox ea corporis parte paralyticus evasit.

Si causa naturalis somniorum sit extrinseca juxta dicta *supra n.* 16. & talis causa non sit tam a somniante remota, quin possit ab illa naturaliter affici, & pati, tunc dicta somnia includunt aliquid probabilitatis, adeoque observari, & interpretari licite possunt, ut patet de podagricis, & herniosis, qui possunt affici & pati a causis futuræ cras pluviæ, sicque de illa aliquod suum somnium interpretari. Secus autem dicendum est, si causa extrinseca sit adeo a somniante remota, ut non possit ab illa naturaliter affici, & pati: Sic enim, cum non potest quis hic hodie affici & pati a causis futuræ pluviæ post triennium propter temporis distantiam, nec a causis futuræ statim pluviæ in Moscovia propter loci intercapedinem, non potest de tali pluvia aliquod suum somnium interpretari, cum causæ hujusmodi nihil pertineant ad ipsius corporis temperamentum, & dispositionem, nihilque possint in ipso agere, seu operari, adeoque somniorum a similibus extrinsecis causis provenientium observatio est penitus incerta, & fallax. Et si aliquando respondeant eventui, id a casu fit, vel ab intelligentia quapiam revelatur, ut recte observat Delrius *l. c. post concl.* 3. *vers. Quando naturalis causa est extrinseca.* 23

Peccat graviter, qui ex somniis, tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis divinant futura contingentia, successus, fortuitosque casus, aut quæcumque dependent, seu manant ab humani arbitrii voluntate, sive somniantis, sive alterius. *Communis.* Et ratio est, quia hæc non dependent a causis naturalibus, aut temperamento corporis, nec ab astris, cum nullam habeant naturalem connexionem cum illis; & omnis similis divinatio est expresse prohibita, tum ex Sacra Scriptura *Levitic.* 19. *Deuteronom.* 18. *Isajæ* 47. *Ecclesiastici* 34. *& ex cap. Illud cap. Illos, cap. Sed & illud caus.* 26. *quæst.* 5. & præcipue in Constit. Sixti V. incip. *Inscrutabili judiciorum.* 24

Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatio per somnia, qua ex somniis prædicitur, aut creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. Eodem enim modo est loquendum de divinatione per somnia, ac de divinatione per astra, quæ est prohibita, etiamsi tales divinatores id non certo affirmare asserant, & protestentur, ut expresse dicit Sixtus V. in cit. Constit. incip. *Cœli, & terræ creator.* 25

Hinc caveant illi, qui nedum somniis, sibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, sed & ipsa cum abusu rerum Sacrarum, eas nocte capiti in lecto supponentes, vel alibi reponentes ex animo procurant, atque expectant, ut ex iis inde divinent nomina in ludis vulgo Seminariorum dictis sortitura. Proh dolor! quot in istis crimina, quot sacrilegia, quot diabolica sortilegia! 26

27 Non esset tamen culpandus peccati saltem mortalis, qui sine ulla superstitione, & sortilegio, sed ex mera curiositate pergeret ad locum thesauri absconditi sibi in somnis manifestati, ibique terram effoderet, quia videtur id tantum esse actus levitatis, & vanitatis. Sic Henno *tom.* 1. *tract. in Decalogum disp.* 1. *q.* 4. *art.* 5. *concl.* 4. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 22. ubi, ut etiam ex ipso refert La Croix *loc. cit.* dicit, hominem in somno sæpius admonitum, ut certo loco terram effoderet, sicque reperiret ollam auro plenam, non peccasse graviter, quamvis deceptus sit, & invenerit ollam plenam nigris carbonibus.

18 Item non esset condemnandus peccati mortalis, qui dubitans, an thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, terram effodit, ut rei veritatem detegat, nulla tamen fide somniis adhibita. Sic expresse Henno *loc. cit.*
29 & alii. Nec sic esset culpandus, qui nulla adhibita fide, & habita superstitione terram foderet ad inveniendum thesaurum ibi sibi a dæmone indicatum, quia non videtur peccaminosum uti scientia a dæmone accepta, ubi saltem non fuit ab eo explicite, aut implicite petita, nec ullus intercessit ad eum recursus. Sic expresse Henno *loc. citat.* Lessius *in Auct. verbo Magia cap.* 6. La Croix *loc. cit. dub.* 3. *num.* 25. & alii.

30 Similiter non est mortale observare somnia, quando quis non omnino credit rem in somnio sibi ostensam esse veram, seu futuram, sed tantum propter tale somnium aliquod de se non malum operatur, ut evitet mala sibi in somnio minata. Sic Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 25. La Croix *loc. cit. dub.* 2. *num.* 10. Tamburinus *loc. cit.* & alii. Et ratio est, quia licet ibi sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia, ut expresse dicit La Croix *loc. cit.* non tam credit illud esse a Deo, aut ideo esse verum, quam posse aliunde esse verum.

31 Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus somniis fides: Immo generaliter loquendo nulla est ipsis fides, & observatio præstanda ex *Levit. c.* 19. *Deuter. c.* 18. *Isa. c.* 47. *Ecclesiast. c.* 34. & ex dictis *supra n.* 19. 21. 23. *&* 24. Unde monet Ecclesiastes *cap.* 5. *num.* 6. quod *ubi sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri, tu vero Deum time*, & Ecclesiasticus *cap.* 34. *num.* 1. *& seqq.* quod *Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia*; & *ibid. num.* 7. subjungit, quod *multos errare fecerunt somnia, & exciderunt, sperantes in illis*. Quod & revera docet experientia: nam eos, qui curiose ad somnia attenderunt, somniorum interpretatio subsecuta, in gravissimas calamitates, & in interitum præcipites egit, ut Agamemnonem Homericum, Cyrum Persarum Regem, Xersem, Onomarcum, Antigonum, & Pompejum, teste Delrio *l. cit. post conclusionem quintam vers. Discernere in fine*. Nec desunt, & utinam deessent, recentiora exempla eorum, qui bona temporalia, corpus, & animam ex nimia, superstitiosa, ac sacrilega somniorum observantia misere perdiderunt.

Vide verb. *Pontius Pilatus*, ubi de somnio ab 32
ejus uxore habito nocte Passionis D. N. J. C.

SOMNUS.

Somnus, secundum Aristotelem *lib. de somno, & vigilia*, est ligamentum omnium sensuum ad animalis quietem, & salutem institutum. 1 Obstruentibus enim vaporibus e ventriculo ascendentibus ad caput sensus communis aditum, iisdemque cerebri membranam opplentibus, sicque quasi ligatis internis, ac externis sensibus, anima & corpus sine ulla operatione quiescunt, donec consumptis dictis vaporibus ipsi interiores & exteriores sensus soluti, pristinam suam operativam virtutem recuperent, seu reassumant. 2 Unde 3 cibi illi, qui plurimum vaporem sursum efferunt somniferi appellantur, & Phlegmatici aliique abundantioribus repleti vaporibus, seu humoribus uti & infantes ad somnum prockliviores redduntur. Sic ex Aristotele Beyerlinck *Theatr. vitæ humanæ verb. Somni causa efficiens*.

Somnus quo ad tempus ipsum sumendi alius 4
est diurnus, & alius nocturnus. Diurnus rursus 5
duplex est, alius antemeridianus, qui fit jejuno ventriculo, qui tolerabilis est, nec omnino noxius, cum tunc vacuo ventre, & materia exhalationum non suppetente, mala, seu morbi non obrepant. Alter meridianus, seu pomeridianus qui 6
si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet. Unde apud Plautum in Mostell. *Non bonus somnus est de prandio*, & Schola Salernitana. *Si vis vivere sanum, fuge somnum meridianum*.

Somnus enim pomeridianus cibos in ventriculo 7
non concoquit, sed corrumpit, ructus, flatusque parit, cerebrum multa crassa, mordacique humiditate, atque fuligine replet, unde gravedines, oscitationes, pendiculationes, vertigines, catharri, capitis dolores, anginæ, apoplexia, incubus, epilepsia, paralysis, & alii morbi frigidi, atque mortiferi promanant. Nonnulli tamen certis cau- 8
tionibus adhibitis mitiora, ac minime periculosa illa sibi efficiunt, primum consuetudine, & longo usu, deinde non protinus a cibo, neque capite demisso dormiendo. Præterea vel somno plenius indulgendo, vel parum longo utendo, postremo non subito, nec raptim, sed paulatim vigiliam revocando. Sic ad litteram Beyerlinck *loc. cit.* §. *Tempus*.
Ubi subjungit, quod aptissimum somno tempus 9
est nocturnum, propterea quod ipsum noctis silentium quietem advocat, & circumfusi aeris frigiditate innatus calor facilius sese colligit, & ad interiora revocat, cum somnus, ut Aristot. *cap.* 3. *de somno & vig.* asserit, antiperistasis quædam sit
naturæ conveniens. Unde Seneca *lib.* 22. *Epist.* 123. 10
eos reprehendit, qui ut quidam in eadem Urbe Antipodes, noctes vigilant, dies dormiunt, quos appellat Lychnobios, idest lucernarios, atque ejusmodi homines contra naturam vivere. Quod fa-

factitasse Heliogabalum Imperatorem testatur Lampridius *in ejus vita*.

11 Unde somnus appellatur filius noctis, & nox somni datrix a Poetis, teste Serra in suis Synonymis, & Beyerlinck *loco cit. §. Tempus vers. Nec*
12 *inscite*. Et suavior evadit nocturnus somnus, si cœna hominis fuerit sobria, & parcus homo in esu, & potu, juxta illud Scholæ Salernitanæ. *Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis*, & habetur expresse ex Ecclesiastico *cap.* 31. *nu.* 24. ibi: *Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usque mane, & anima illius cum ipso delectabitur*.

13 Quamvis autem sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis, & orationibus, etiam diurnum, seu pomeridianum somnum capere consuescunt, uti solent Regulares utriusque sexus hora pomeridiana, silentium indicere, & aliquantulum somni, ac quietis capessere, ad id habito exemplo a nostro Salvatore Jesu Christo, qui uti solitus nocte orare, quadam die naviculam suorum discipulorum ingressus ibi suavissimum somnum capiebat, a quo suscitatus ipsos a maritima procella salvavit, *Matth. cap.* 8. *num.* 24. & 25. ibi: *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat, & accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes: salva nos, perimus*.

14 Quotis autem horis sit somnus capiendus? Varii variant juxta variorum varias corporis dispositiones, & animi applicationes. Medici ad horas 6. 7. aut 8. constituunt, tale enim temporis intervallum sufficit concoctioni, & viribus naturæ reparandis, Clericat. *in suis spicis verb. sonno num.* 908. refert a suo satis docto, & erudito Grammaticæ Magistro sic didicisse; *Un buon Scolare non deve dormire più di cinque ore, Un buon Predicatore non più di 6. Un buon Padre di famiglia ore 7. Un gran poltrone ore* 8. Ursaya *in* 2. *Miscellan. Sacro, & profano litt. S. num.* 51. sic habet: *Quattro o cinque al Viandante, Altrettante al Mercatante, Cinque o sei allo studente, Ed otto ad altra gente. Tutte sono al Vecchio buone, Nove e dieci al Dormiglione, E chi più è un gran poltrone*.

15 Somnus ex Tertulliano *c.* 44. *de Anim.* est recreatio corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem fe-
16 cit, auferens rerum etiam colorem. Ex quo forsan motus fel. rec. Paulus IV. dicere solebat, posse ut libet somnum capere, non in hominis situm facultate, sed esse Dei donum. Indeque cum nocte aliqua obdormire non poterat, surgebat quidem e lecto, sed neminem excitabat, neque omnino alicui molestiam afferebat, ne somno, quem Dei donum appellabat, quempiam privaret, ut per hæc præcisa verba id advertit Ciacc. *in ejus vita §. Vitæ puritas*, & Ursaya *Instit. Crim. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 195.

17 Et idem Ursaya *in* 1. *Miscell. Sacro, & profano litt. S. numer.* 195. *& sequen. de somno*, sic habet.

Si somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus;
Quo plus in vita dormio, vivo minus.
Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Unde Solimanus Turcarum Tyrannus, qui jure- 18
jurando promiserat numquam velle occidere Ibraimum ejus primarium ministrum, viventem, Die 15. Martii 1535. fecit illum occidere quando dormiebat, asserens hoc modo juramentum non fregisse. Sic ex aliis refert ipse Ursaya *in* 2. *Miscellaneo Sacro, & profano litt. S. n.* 50.

S O R S.

SOrs interdum sumitur promiscue pro fortuna, 1
vel fato, juxta illud Virgilii *lib.* 3. *Æneid... Hic exitus illum sorte tulit*. Aliquando sumitur pro statu, juxta illud Psalm. 30. *In manibus tuis sortes meæ*. Sæpe sumitur pro prima, & capitali pecunia in societatem, seu contractum collata, juxta illud Terentii in Adelph. *Heu mihi etiam de sorte nunc venio in dubium?* quo sensu sors etiam accipitur *leg. Acceptam* 19. *Codic. de usuris. cap. Conquestus* 8. *de Usuris*. Specialiori autem, & usita- 2
tiori modo sumitur pro eo, quod præciso hoc fine agitur, ut ejus eventu spectato aliquid occultum, vel dubium innotescat v. g. quid cuique debeat competere; seu sors est inquisitio fortunæ, aut Divinæ Providentiæ de aliquo contingenti, humanoque evento, vel signum datum, per quod distinguantur res confusæ ab invicem.

Porro hæc sors est triplicis generis, nempe di- 3
vinatoria, consultoria, & divisoria, ut tradunt communitur Doctores cum S. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. Sors divinatoria est superstitiosa inquisitio 4
rerum occultarum, vel futurarum, quæ naturaliter sciri non possunt. Sors consultoria est in- 5
quisitio Divini consilii circa res agendas, vel cavendas. Sors divisoria est investigatio ex con- 6
sensu partium, cui in dubio res aliqua tribuenda sit.

Sortes divinatoriæ sunt illicitæ, & damnatæ a ju- 7
re Divino, Canonico, & Civili. Jure Divino vetitæ, & damnatæ sunt. *Exodi capit.* 22. *Levitici cap.* 19. & 20. *Numer. cap.* 23. *Deuteronom. cap.* 18. 1. *Regum cap.* 23. Jure Canonico prohibitæ sunt *in cap. Illud* 6. *cap. Qui* 7. *cap. Illos* 8. *cap. Sed & illud* 9. *cap. Si de arca* 10. *cap. Licet* 11. *caus.* 26. *qu.* 2. *cap. In tabulis* 1. *cap. Ex tuarum* 2. *de Sortilegiis, & caus.* 26. *quæst.* 5. *per totam*. Jure Civili interdictæ sunt *in l. Artem* 2. *l. Nullus* 3. *leg. Eorum* 4. *leg. Nemo* 5. *leg. Multis* 6. *leg. Et si* 7. *leg. Culpa* 8. *& leg. Quicumque* 9. *Cod. de Maleficis, & Mathematic.* Et quidem juremerito sunt sortes divinatoriæ 8
damnatæ, utpote involventes tacitam, vel expressam dæmonis invocationem, quandoquidem nec ex natura rei, nec ex Dei, aut Ecclesiæ ordinatione inserviunt rei manifestandæ. Et huc reducitur versio cribri, qua impii quidam homines tentant divinare fures, homicidas, sagas, &c. & sic de similibus.

 9 Sor-

9 Sortes consultoriæ possunt ex circumstantiis esse licitæ, vel illicitæ. Illicitæ sunt, si fiant sine gravi necessitate, sine debita reverentia ad Deum, & sine modo proportionato: Ubi enim sufficit consilium humanum, illicitum est exercitium sortis consultoriæ pro habendo consilio Divino, cum hæc, & similia præstentur solum divinitus, quando non potest humanitus provideri. Unde in tali casu omnis sors consultoria est irreverentia, & Dei tentatio; adeoque illicita: Licitæ autem sunt sortes consultoriæ, si fiant urgente necessitate cum debita reverentia, & precibus devote ad Deum fusis, & non fiant pro officiis, seu Beneficiis Ecclesiasticis; Tales enim sortes consultoriæ per se primo non ordinantur ad cognoscenda futura contigentia, sed solum ad tollendas dubietates circa res agendas, vel cavendas, quæ dubietates solo humano consilio decerni non possunt, unde licite in tali casu implorare quis potest Divinum consilium per sortes consultorias, ut per eas dignetur Deus indicare quid sibi agendum sit, aut cavendum, juxta illud *Proverbior.* 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*.

10 Et de facto religiosissime, & sanctissime secundum Deum his sortibus consultoriis usi sunt S. Augustinus, ut fatetur ipsemet *lib.* 8. *Confession. cap.* 13. & Seraphicus meus Parens Sanctus Franciscus, ut scribit Sanctus Bonaventura *in ejus vita cap.* 13. ibi; *Immissum est ejus menti per Divinum oraculum, quod in aperitione libri Evangelici aperiretur ei a Christo quid Deo in ipso, & de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de ipso Altari sumptum in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium virum utique Deo devotum, & sanctum; sane cum in trina libri aperitione semper passio Domini occurreret, intellexit Vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis, antequam ex mundo transiret*. Et sic etiam plures alii Sancti apud citatos Auctores a Beyerlinck *Theatr. vitæ humanæ verb. Sors §. Apud Chri-*

11 *stianos*. Hinc apud meam, variasque alias Religiones invaluit pius usus sortiendi singulis annis, & singulis mensibus Sanctum Tutelarem, ut & consuescunt multæ aliæ sæculares piæ Personæ.

12 Sunt tamen illicitæ sortes consultoriæ a Gentilibus vocatæ Homericæ, seu Virgilianæ, eo quia aperto Homeri, seu Virgilii Codice, versus, qui primo visui occurrissent, assumebantur in oraculi omen; Livius *lib.* 22.

13 Item illicitæ sunt sortes consultoriæ a quibusdam Christianis vocatæ sortes Sanctorum, eo quia ad libri Sacri aperitionem, vel ad Sacræ lectionis auditionem, putant aliqui ratiocinium captare ex sententia inibi occurrente. Tales enim consultoriæ sortes saltim vitio vanitatis laborant, cum nullo Spiritus Sancti instinctu, nulla gravi necessitate cogente, nulla ratione sufficienti ad ipsas honestandas fiant, adeoque juremerito prohibentur *cap. Aliquanti 6. cap. Si quis 9. caus. 26. q. 5.* & Sanctus Clemens *lib.* 7. *Constit. Apostolic. c.* 7. dictæ prohibitionis rationem reddit, dicens hoc studium ducere ad Idololatriam.

Sortes divisoriæ, per quas ex consensu partium in dubio discernitur, cui res aliqua tribuenda sit, extra casum electionis Ecclesiasticæ, sunt licitæ, dummodo nihil superstitionis, aut injustitiæ contineant: Has enim sortes divisorias approbavit ipsemet Deus *Num. c.* 16. & 33. *Deuteronom. cap.* 1. *Paralip. cap.* 25. & 26. Sic terra per sortem divisa est: *Numer. cap.* 26. *vers.* 5. & *cap.* 33. *vers.* 54. & *cap.* 36. *vers.* 2. *Deuteronom. cap.* 1. *vers.* 28. & 31. *vers.* 7. *Josue cap.* 14. Sic captus fuit Jonathas; 1. *Regum capit.* 14. Sic deprehensus Jonas a Nautis cum a facie Domini fugeret; *Jon. cap.* 1. Sic detectus fuit Achan, *Josue capit.* 7. Sic sorte exiit Zacharias, ut incensum poneret in Altari; *Lucæ cap.* 1. 14

Unde videmus in quotidianam praxim deduci has divisorias sortes tum a Politicis, & Juristis, tum a Canonistis, & Theologis ad determinandas, seu declinandas lites, ad dividendas hereditates, & spolia, ad decernenda munera, & officia sæcularia, & ad multa alia hujusmodi; quæ sortes sunt revera licitæ, si nihil superstitionis, aut injustitiæ contineant. *Proverbiorum enim* 18. expresse dicitur: *Contradictiones comprimit sors, inter potentes quoque dijudicat*. 15

Per nullam autem sortem fieri possunt electiones Ecclesiasticæ, cum sic fieri sit expresse prohibitum *in capit. Ecclesia vestra* 3. *de sortilegiis*, ibi: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*, & *in l. Sacris* 47. *Cod. de Episcop. & Clericis*, ibi: *Neque ex sortibus, neque ex fortuitis circumstantiis*, & concordat *cap. Quia propter* 42. *de election.* ubi Innocentius III. præscribens modos in electionibus necessario servandos, methodum de mittendis sortibus omnino siluit, & omnes alias eligendi formas præter res ibi assignatas, nempe Scrutinii, Compromissi, & Inspirationis decrevit penitus irritas, ac nullas, ibi: *Aliter electio facta non valeat*: volens insuper quod attentantes eligere contra tres dictas formas ea vice priventur potestate eligendi, ibi: *Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur*. Pirhing *lib.* 5. *decret. tit.* 21. *numer.* 8. & *seq.* Zoesius *ibidem numer.* 5. Reiffenstuel *ibidem numer.* 8. & alii passim. 16

Nec valet objicere exemplum de Sancto Matthia Apostolo per sortem ad Apostolatum evecto, *Act. Apostolorum cap.* 2. *num.* 26. ibi: *Et dederunt sortes, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis*. Non valet, inquam, quia *in c. Non exemplo* 4. *caus.* 26. *qu.* 2. expresse sic habetur: *Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum (ut Hieronymus. ait) communem Legem omnino facere non possint*: (1*) Tum quia etiam da- 17

(1*) Videtur scilicet id singulare fuisse S. Matthiæ privilegium; quia enim cæteri Apostoli a Christo immmediate vocati erant, voluit & Christus electionem Matthiæ sibi vindicare, ne collegis suis

dato, quod electio Sancti Matthiæ non fuerit facta ex speciali privilegio & manifestatione, seu revelatione Divinæ voluntatis, uti factam fuisse docuerunt Sanctus Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia*, Sanctus Hieronymus *in c.* 1. *Jonæ*, & Beda relat. *in citat. cap. Non exemplo Matthiæ*; Nec ex consueta sortitione, & simul aliquo signo cælesti visibili, ut voluerunt Origenes *Homil.* 1. *in Josue*, & Sanctus Augustinus *conc.* 2. *in Psalm.* 30. Nec facta fuerit partim consilio proprio, & judidicio, & partim auxilio sortium, ut asserunt nonnulli; Nec mediate ab Apostolis, & immediate a Deo, ut sustinent alii volentes, quod duplex fuerit electio, mediata scilicet per suffragia, & immediata per sortem, seu voluntatem Dei: Sed facta fuerit talis electio per communem sortem ex usu, & more veteris Testamenti acceptam ab Apostolis, ut defendunt Sanctus Laurentius Justinianus *in sermon. de Sancto Matthia*, & Abulensis *in cap.* 7. *Josue q.* 41. adhuc tamen non valet hodie tale exemplum ad convalidandas electiones Ecclesiasticas factas per sortes, cum ad evitandas fallacias, fraudes, & astutias in electionibus per sortes oriri solitas, fuerint ex post reprobatæ, & damnatæ similes electiones per sortes *in citato c. Ecclesia vestra* 3. *de sortilegiis*, *&* *in c. l. Sacris* 47. *Cod. de Episcop. & Clericis*, juncto *c. Quia propter* 42. *de election.* ubi declaratur irrita, & nulla electio, quæ non sit facta una ex tribus formis ibi assignatis, nempe Scrutinii, Compromissi, & Inspirationis.

18 Et quidem juremerito fuerunt damnatæ, & reprobatæ tales Ecclesiasticæ electiones per sortem, cum sors sit meri casus, seu cæcæ fortunæ, & non liberi arbitrii electionis, & virtutis, & dum ignorationi, & fortuito casui adhæret, sæpe iis dimissis, qui sunt virtute præditi, eos in medium producit, qui indigni sunt, ut de illis ulla ratio habeatur, ut recte advertit Sanctus Joannes Chrysostomus *Homil.* 2. *cap.* 1. *ad Ephes.* & alii passim.

19 Immo neque per sortem lis dirimi potest, etiamsi duo omnibus meritis, qualitatibus, virtutibus, ac dotibus æquales æqualibus votis electi ad Beneficium Ecclesiasticum, ambo consentiant in sortem. Sic Glossa final. & Abbas *in cap. Ecclesia vestra* 3. *de sortilegiis*, Pirhing *l.* 5. *decretal. titul.* 21. *n.* 10. Zoesius *ibidem num.* 4. Reiffenstuel. *ibid. n.* 10. *& l.* 1. *Decretal. tit.* 6. §. 3. *n.* 63. Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælatorum c.* 23. *numer.* 18. Redn. *Jus Canonic. politic. tom.* 1. *tit.* 6. *n.* 44. & alii. Et ratio est, quia stante æqualitate votorum (quidquid sit de æqualibus Candidatorum conditionibus) nondum adest ulla electio, cum electio debeat fieri per majorem partem votorum, & non per mediam, seu æqualem partem, uti esset in casu, adeoque talis electio diceretur absolute celebrata per sortem, quod est expresse prohibitum per cit. Jura *in c. Ecclesia vestra* 3. *de sortilegiis*, *leg. In Sacris* 47. *Cod. de Episcopis*, *& Clericis*, juncto *c. Quia propter* 42. *de election.* Unde in tali discordia res per compromissarios determinanda est, vel adeundus est Superior, qui Electores ad novam electionem, vel concordiam compellat intra certum præfixum tempus, quo sine nova electione, seu concordia elapso, poterit ipse Superior via devolutiva eligere, ut docet Glossa communiter recepta *in cap. Duobus* 14. *verb. Teneantur*, *de Rescriptis in* 6. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *de Superstit. cap.* 12. *num.* 7. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *n.* 74. Pirhing *loc. cit. n.* 10. Redn. *lo. cit. n.* 44. & alii contra Glossam *in Rubric. verb. Sortes caus.* 26. *q.* 1. ubi tenet posse in tali casu litem per sortem dirimi, ibi: *Sed quæ fiunt necessitatis causa, non sunt illicitæ, ut si contentio esset de electione aliquorum, & esset paritas utriusque in omnibus, exemplo Matthiæ, possunt fieri sortes &c.* & Garciam *part.* 5. *de Beneficiis c.* 1. *n.* 205. *& seq.* asserentem in certo casu, ac paritate votorum tandem esse deveniendum ad sortes.

Aliæ autem lites, & controversiæ in causis Beneficialibus extra casum electionis, licet non possint per sortes dirimi propria, ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente Judicis auctoritate. Pirhing *loco cit. n.* 14. Suarez *l. c. n.* 13. *&* 14. Sanchez *loco cit. n.* 79. & alii. 21

Et ratio primæ partis est, quia si tales lites Beneficiales per sortes componerentur propria, ac privata auctoritate partium, posset fieri, ut per talem sortem Beneficium obtineret, qui nullum canonicum, & legitimum titulum haberet contra *c. Beneficium* 1. *de Reg. juris in* 6. ubi expresse dicitur, quod *Beneficium Ecclesiasticum potest licite sine institutione Canonica obtineri*, *&* contra *cap. Cum qui unic. de eo, qui mittit in possessionem*, ubi prohibetur, ut ne litibus Beneficialibus aliquid fiat, per quod ad Beneficia ingressus vitiosus patere possit, ibi: *Ne propter hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus*, Nam cum neuter ex litigantibus possit privata sua auctoritate, aut pacto alteri dare legitimum titulum Beneficii, nec constet, uter litigantium habeat justum titulum, ideo stat grave periculum, ne is, super quem cadit sors, obtineat, & possideat Beneficium sine justo titulo. Tum quia talis litis, seu controversiæ Beneficialis compositio per sortes nequit fieri, sine pacto, & conventione partium; Omne autem pactum propria, & privata auctoritate initum circa Beneficia litigiosa, est Simoniacum, *c. ultim. de pactis*, *c. Quam pio* 2. *caus.* 1. *q.* 2. & concordat *cap. Super eo* 7. *de transactionibus*, *cap. Quæsitum* 5. *de rer. permut. cap. Super hoc* 6. *de renunciat. cap. Matthæus* 23. *de Simonia*, cum similibus. 22

Ratio autem secundæ partis, quod nempe lites, & controversiæ Beneficiales per sortes dirimi possint, interveniente Judicis auctoritate est, quia si partes litigantes super beneficio pactum aliquod, consentiente, & approbante Judice, ineant, & juxta illud Judex sententiam proferat, vigore talis sententiæ is, cui a Judice beneficium litigiosum adjudicatum est, illud vere consequitur ex titulo sufficien- 23

suis inferior videretur, Ideo Apostolis internæ inspirationis afflatu auctor fuit, ut sortem ea in electione adhiberent.

ficienti, nempe titulo, & auctoritate sententiæ Judicialis, ac proinde cessat Simonia, & periculum vitiosi ingressus, quia auctoritate Judicis interveniente purgatur utrumque vitium, & Simoniæ, & vitiosi ingressus, quod utrumque intervenit, non interveniente in tali pacto Judicis auctoritate: Sicque eadem ratione cessabit utrumque periculum, & Simoniæ, & vitiosi ingressus, si pactum de lite Beneficiali per sortes componenda, interveniente Judicis auctoritate, & approbatione sit initum, adeoque, licet dictæ lites, & controversiæ Beneficiales non possint per sortes dirimi propria, ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente Judicis auctoritate & approbatione.

Novæ additiones ex aliena manu.

24 De usu sortis in electione Canonica aliqua tetigimus *in addit. ad verb. Electio artic.1.n.9. & duob. sequent.* Hic vero illud accuratius expendendum, an re vera Honorius III. *in cap. 3. de Sortileg.* in electione canonica omnino improbaverit usum sortis.

25 Verba hujus capituli sunt; *Ecclesia vestra nuper Episcopo destituta circa modum electionis diversos incipientes tractatus unum tandem elegistis ex vobis per sortem. Is iterum tres elegit, qui Episcopum Ecclesiæ nominarent. Nos tali examinato processu multa reprehensione dignam putamus, sortem in talibus perpetua prohibitione damnantes.*

26 Negari sane haud potest, Honorium III. in recitato capitulo uti verbis valde momentosis adver-
27 sus sortem. At enim vero plurima occurrunt, quæ interpretationem suadent, quod capitulum hoc intelligi non debeat nisi de sorte divinatoria, conjuncta scilicet cum opinione, Deum sorte recturum esse electionem.

28 Primo enim, id vult inscriptio totius tituli *de sortilegis*, quo verbo plerumque denotantur *Divinatores*.

29 Deinde quum alia decreta *in cap. 4. sequenti* conquirenda sint, quæ sortis usum approbant, in dubio certe verba Honorii assumenda sunt de sortis abusu.

30 Tum ipsa decreti historia id fere dicit. Quia Collegæ Ecclesiæ Lucanæ, quum in electione Episcopi inquirere debuissent in merita candidatorum, omissa cura hac, fiduciam in judicio sortis posuerunt. Quod merito illis exprobrat Honorius. Si enim sors illorum fuerit lusoria, tum levitas & incuria erant accusandæ Electorum. Sin autem divinatoria, tum coargui poterat superstitio, & Religionis nimietas, qua in globulis fiduciam posuerant divinæ voluntatis, quum illam quærere debuissent in usu rationis meritorum virtutumque utriusque candidati.

33 Neque est, quod dicat aliquis, Lucanos tamen non elegisse ipsum Episcopum judicio sortis, sed tantum Electores, ut adeo pertinere videatur ad genus electionis per compromissum.

In promptu enim est responsio: *Qui sorte decernit Electores, ille viam sortis facit Electo*; Neque 34
inter hunc & casus alios quidquam interest, quam quod sortis usus concurrere possit in electione vel *immediate*, vel *mediate*, vel *directe*, vel *indirecte*. Utrumque recte omnino prohibetur. Alia vero est 35
ratio compromissi facti cum judicio, & usu rationis, alia cæcæ, & superstitiosæ sortis. Primum admittunt canones, alterum merito refellunt.

Ex his non improbabiliter sustineri potest Ca- 36
pitulum 3. loqui non *de sorte rationabili*, cui præcessit *examen Candidatorum*, non de lusoria neque etiam de necessaria, sed *de genere sortis superstitiosæ, divinatoriæ, temerariæ*.

Eo vel maxime, quod in casu hoc *sortis ratio-* 37
nabilis metui nequit, ut homo indignus eligatur, quæ est ratio, cur communiter usus sortis improbatur. In eo enim Candidati jam fuerunt missi sub examen industriæ, virtutis, litterarum. Breviter; aliud eligere per sortem, aliud factam electionem judicio sortis definire: Vide *Natalem Alexandr.* virum antiquitatum Ecclesiæ callentissimum, qui *Historiæ Ecclesiasticæ seculo 1. dissert. 6.* hanc quæstionem ex instituto resolvit, idque his tandem verbis. *Probatur usus sortis, si modo Episcopatus Candidati sint digni; & ita pares, ut vix inter eos sit meritorum discrimen. Quia ubi humanæ prudentiæ judicium deficit, divina voluntas consulenda, & ejus omnia committenda providentiæ. Sic inter Antistites, qui tempore pestis manere debeat, merito sortis usu indagatur, suasore Augustino.* (1)

SORTILEGIUM.

Sacerdotes abutentes Sacrificio Missæ ad sorti- 1
legia, præter alias pœnas, incurrunt insuper perpetuam inhabilitatem ad celebrationem Missæ ex Decreto Sanctæ universalis Inquisitionis edito de mandato Benedicti XIV. *Die 5. Augusti* 1745.

Alia ad rem vide infra verb. *Superstitio* a num. 2
33. ad 44.

SPADONES. Vide verb. *Matrimonum quoad impedimenta art.2.n.38.39.& verb. Patria Potestas n.7.*

SPATULOMANTIA. Vide verb. *Supertitio n.* 24.

SPE-

(*1) *Lib. 1. de doct. Christ. cap.* 28., & epistola 180. ad Honoratum. Huc spectat Canon tertius Concilii Barcinonensis habiti a. 599. sub Reccaredo Rege, & Gregorio M. Pontifice.

SPECTACULA.

* Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum, & adolescentum nudorum cursus, & luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab Episcopis, legibusque latis prohibeantur, mandat Benedictus XIV. in encyclica ad Episcopos Campaniæ incip. *Nihil profecto*; Bull. tom. 1. *numer.* 60.

SPES. Vide verb. *Virtus a num.* 21. *ad* 35.

SPICÆ.

1 Spicarum collectio post absolutam messem pauperibus permittenda indicitur a Benedicto XIV. tom. 1. Constit. 56. incip. *Acerbi plane doloris* directa Archiepiscopis, & Episcopis Ditionis Ecclesiasticæ in qua adducit scripturas, quibus clarius, & luculentius constat agrorum dominos ad exercendam hanc in pauperes liberalitatem Dei ipsius oraculo edoceri. Videlicet *Levitici cap.* 19. ibi: *Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges: Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes, Ego Dominus Deus vester*. Et rursus *Deuteronomii cap.* 24. *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum: sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit ab arboribus, non reverteris, ut colligas, sed relinques advenæ, pupillo, & viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, & viduæ*.

2 Adducit insuper illud *Ruth cap.* 2. ubi habetur, eam socrui suæ Noemi dixisse; *Vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me Patris familias reperero gratiam*. Et paulo post in agrum Booz ingressam, spicas collegisse, ibi: *itaque, & colligebat spicas post terga metentium*; cum vero percontanti Booz quænam esset illa mulier, Moabitidem esse responderetur, nec deessent, qui testarentur illam a primo mane ad eam usque horam spicas collegisse. *Audi*, (inquit) *filia ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed jungere puellis meis, & ubi messuerint, sequere; mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi*; Præterea tantum pii viri animus a contumeliis abfuit, ut eam non colligere tantum relictas, sed integras spicas metere passus sit, jubens ea de causa Messoribus: *Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam*. Quare cum sese domum Ruth recepisset, & tantam frumenti copiam socrui suæ ostendisset acceptam; illa memori, ac grato animo collectas fruges Datori censuit referendas, inquiens: *Sit benedictus, qui misertus est tui*. Hæc ille *loco cit.* qui *ibid.* §. 6. majori, quo potest paternæ caritatis sensu hortatur, & obtestatur, ut Episcopi causam pauperum, quæ causa Dei est, omni ope, & conatu tueantur, in suam veluti clientelam suscipientes pauperes, dignum pietate sua zelum exhibeant, suis primum vocibus, & exhortationibus, ac mandatis, etiam in singulis Diœcesum suarum Parochiis inter Missarum solemnia evulgandis commendetur egenorum causa, agnoscatque populus quam turpe, ac Christiano nomini indecorum sit, messe jam absoluta, pauperes ab agri finibus amoveri. Potissimum vero intelligant agrorum domini colligendarum spicarum morem immaturo consilio sublatum fuisse in iis locis, in quibus diuturno usu jam invaluerat, ibique restitui omnino oportere. Ubi vero hæc consuetudo recepta adhuc non sit, pro viribus inducatur in solatium egenorum, qui gravi saltem, si non extrema, laborant inopia, quique in difficilium temporum angustiis magis, magisque conficiuntur. Sic idem in laudata Constitutione *Acerbi plane doloris*.

Spicarum egenis collectoribus permittitur sine alio libera extractio quocumque tempore in Ditione Ecclesiastica etiam extra statum Ecclesiasticum. Idem tom. 2. Constitution. 53. incip. *Quo die*, *num.* 11. 4

SPIRITUS SANCTUS.

Spiritus Sancti processio a Patre, & Filio est vere credenda. Benedict. XIV. constitut. 47. incip. *Etsi Pastoralis* §. 1. (1) Etsi autem Græci teneantur credere etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in symbolo pronunciare. Unde particula *Filioque* in symbolo omitti po- 1

(*1) Præter Natalis Alexandri dissertationem habes T. III. *Thesauri Theologici Zachariani* P. Michaelis le Quien dissertationem *p.* 302. *de Processione Spiritus Sancti*. Tomo autem II. ejusdem *Thesauri p.* 625. Petri Pithoei *historiam* habes *controversiæ veteris de processione Spiritus Sancti* cum Petavii dogmatibus Theologicis conferendam. Eodem pertinet P. Ignatii Frantz dissertatio *super formulis Græcorum, & Latinorum de confitenda Spiritus Sancti processione*, seu quæstio Theologica, anne perinde sit cum Ecclesia catholica dicere, *Spiritum S. a Patre, Filioque procedere*? vel cum Græca, *procedere ex Patre per Filium*. Vide indicatum Tomum III. Zachariani *Thesauri pag.* 348.

ti potest a Græcis. Idem *ibidem*. Non tamen ab Albanensibus, qui eam recitare consueverunt. Idem
4 *ib*. Nec ab Italo-Græcis, si a locorum Ordinariis, vel ob suspicionem hæresis, vel ob scandalum vel ob aliam causam, requisiti fuerint: Tunc enim particulam illam *Filioque* in Symbolo pronunciare tenentur. Idem *ibid*.

5 Spiritus Sancti Imagines sub humana juvenis forma damnantur, & prohibentur. Idem constit.145. incip. *Sollicitudini* §. 10. 23. 33. *ad* 37. Spiritus Sancti tamen Imagines in forma columbæ approbantur, & permittuntur. Idem *ib*. §. 16. *ad* 20. *&* 36. Item in figura linguarum ignis uti repræsentatur mysterium Pentecostes. Idem *ibid*. §. 21. *&* 36. Vide *verb. Imagines*.

SPOLIATOR, SPOLIATUS.

1 Spoliator hic dicitur quicumque, sive privatus, sive Judex alium vi, vel clam extrajudicialiter, & non servato Juris ordine, de possessione alicujus rei, seu Juris ejicit, aut alias injuste privat, seu spoliat. *Ita in re Communis*: *arg. c.Conquerente* 7. *de restitutione spoliatorum*, cum aliis similibus, *& tot. titul. ff. de vi*, *& de vi armata*, *& C. Unde vi*.

2 Spoliatus e contra dicitur, qui vi, vel clam a quocumque privato, sive Judice extrajudicialiter, & non servato Juris ordine de possessione alicujus rei, seu Juris est ejectus, aut alias injuste privatus, seu spoliatus. *Sic in re Communis*, *arg. cit. c. Conquerente* 7. *de restit. spoliator*, cum aliis similibus, *tot. tit. ff. de vi*, *& de vi armata*, *& Cod. Unde vi*.

3 Remedia Iuris præcipua, quæ habet spoliatus ad recuperandam possessionem sunt sequentia. Primum remedium est interdictum *Unde vi*, sic dictum a primis verbis Prætoris illud proponentis *in l. Prætor ait* 1. *ff. De vi*, *& de vi armata*, ibi: *Unde tu illum vi dejecisti?* per quod Interdictum duo statuuntur in favorem spoliati; Primo scilicet ut spoliatus ante omnia instituatur in pristinam possessionem, ita ut spoliator volens agere, aut probare proprietatem rei ablatæ, non sit audiendus, nisi prius rem ablatam restituerit, etiam Prædoni; *cap. In litteris* 5. *de restitutione spoliator. & c. Super Spoliatione* 4. *de ordin. cognition.* Et secundo ut spoliatus restituatur ad totam causam, idest non solum in pristinam possessionem liberam, ut antea *arg. c. Pisanis* 19. §. *Porro*, *de restitutione spoliator.* sed etiam ad omne id, quod ibi amisit, licet ad spoliationem nihil pervenerit; *l. Prætor ait* 1. §. 1. *ff. De vi*, *& de vi armata*, *l. Si de possessione* 4. *Cod. Unde vi*, *c. Redintegranda* 3. *caus.* 3. *q.* 1. *c. Gravis* 11. *de restitut. spoliator.* Et hoc juremerito in odium spoliationis; *Clement. unic. de causa possess. & proprietat.*

4 Dictum beneficium, seu interdictum *Unde vi* competit ei soli, & omni, qui vere dejectus est, sive sit dominus directus, sive utilis, sive non sit dominus, ut prædo: item heredibus, eorumque successoribus adversus omnes, qui per se, vel per alium spoliarunt, aut spoliationem demandarunt, aut spoliationem suo nomine factam ratificarunt; *c. Cum ad Sedem* 15. *de restitutione spoliatorum*, & Glossa communiter recepta *ib. verb. Interdictum Unde vi*, cum pluribus ibi citatis.

Secundum remedium recuperandæ possessionis 5
est condictio, *ex cap. Sæpe* 18. *de restitutione spoliatorum*, ratione cujus spoliatus potest agere contra quemcumque tertium possessorem, qui rem invasam scienter recipit, ita ut ille cogatur rem ablatam restituere, quamvis spoliatus non probaverit ejus proprietatem, sed dumtaxat spoliationem, textu expresso *in cit. c. Sæpe §.Unde de restitutione spoliatorum*.

Tertium remedium recuperandæ possessionis est 6
condictio, *ex cap. Redintegranda* 3. *caus.* 3. *q.* 1. vi cujus spoliatis, & ejectis Episcopis, per quos veniunt omnes Ecclesiastici, & secundum probabiliorem, & communiorem sententiam etiam Laici, omnia bona, sive mobilia, sive immobilia in eodem loco, ubi sibi erepta fuerunt, redintegrari, seu restitui jubentur, & quidem ante accusationem, ita ut spoliatus ante factam restitutionem omnium sibi ablatorum accusari non possit, & accusatus respondere non teneatur, antequam omnia sibi fuerint restituta, textu expresso *in cit. c. Redintegranda* 3. *caus.* 3. *q.* 1.

Quartum remedium recuperandæ possessionis est 7
condictio, *ex l. Invasor* 5. *Cod. Unde vi*; quod datur, & contra eum, qui per vim loca aliqua invasisse probetur, & contra eum, qui per errorem, & bonam fidem occupavit possessionem rei alienæ, qui tenetur non obstante errore, ac bona fide, restituere possessionem occupatam, textu expresso *in cit. l. Invasor* 5. *Cod. Unde vi*.

Quintum remedium recuperandæ possessionis est 8
condictio, *ex l. Si quis in tantam* 7. *Cod. Unde vi*, per quod, qui propria auctoritate violenter ingreditur possessionem penes alium constitutam, cogitur in primis hanc possessionem alteri restituere; Et deinde si Invasor fuit dominus dictæ rei, ultra possessionem amittit etiam ejus Dominium, & si non fuit Dominus, compellitur insuper ad dandam, seu restituendam æstimationem rei, textu expresso *in cit. l. Si quis in tantam* 7. *Cod. Unde vi*. Quæ tamen pœna amissionis dominii, aut reddendæ æstimationis rei intelligitur solum habere locum post sententiam Judicis, ut notat Glossa communiter recepta, *ib. verb. Amittant*.

Sextum remedium recuperandæ possessionis est 9
condictio, *ex l. Cum quærebatur* 11. *Cod. Unde vi*, quod datur adversus eum, qui dolose occupavit possessionem rei alienæ vacantem, & sic tamquam prædo rem occupatam, ejusque possessionem restituere cogitur, textu expresso *in cit. l. Cum quærebatur* 11. *Cod. Unde vi*.

Septimum remedium recuperandæ possessionis 10
est condictio, *ex l. Extat*, *ff. de iis*, *quæ vi*, *metusve causa*, per quod Creditor, qui per vim, aut propria auctoritate rem, vel pecuniam sibi debitam accepit, aut vi illata solvi fecit, cogitur rem acceptam restituere, & insuper perdit Jus crediti, & actionem adversus debitorem, textu expresso in cit. *l. Extat*, *ff. de iis*, *quæ vi*, *metusve causa*, *& l.*

& l. Creditores 7. ff. ad Legem Juliam, de vi privata.

11 Octavum remedium recuperandæ possessionis habetur *ex officio Judicis*, & competit illi, qui non possidet, sed solum detinet rem, & postmodum ipsa spoliatur, ut *commodatarius*, *depositarius*, *conductor ad breve tempus*, & similes; Isti enim, cum non possideant sed solum detineant, *l. Officium 9. ff. de rei vindicatione*, si spolientur detentione talium rerum, non habent ullum ex hucusque enumeratis ordinariis remediis possessoriis ex defectu possessionis, & ideo sic suadente æquitate est eis indultum remedium extraordinarium, ac subsidiarium, ut possint nempe implorare Officium Judicis ad recuperandam rerum præhabitarum detentionem a qua ceciderunt, *arg. l. Aquilius 27. ff. de donationibus, l. & non tantum 19. ff. de petition. hereditat. c. Quia 11. de Judiciis, c. Bonæ memoriæ 15. de appellat.* cum similibus.

12 Ut spoliatus ante omnia sit restituendus, ut ante omnia esse restituendum jam diximus *supra n. 3. per Jura ibi adducta*, si agat ex remedio *Interdicti Unde vi*, duo probare debet, scilicet se possedisse, & se fuisse spoliatum tali sua possessione; *cap. consultationibus* 10. *de Officio Delegati*, juncta Glossa *ibid. verb. Possessionem, & dejectionem, l. Prætor ait 1. §. Interdictum autem, ff. De vi, & vi armata*, ibi: *Interdictum autem hoc nulli competit, nisi ei, qui tunc cum dejiceretur, possidebat*. Si autem agat ex remedio, *can. Redintegranda 3. caus. 3. q. 1.* sufficit; quod ipse spoliatus probet suam priorem possessionem, & novam alterius, seu spoliatoris conventi prætensam possessionem; Probata enim justa priore possessione, nova præsumitur clandestina, & vitiosa, cum duo insimul eamdem rem, & eodem modo possidere non possint; *l. Licet causam 9. §. Ex præmissis de probationibus*, cum similibus.

13 Dicta Regula: *Spoliatus ante omnia est restituendus*, procedit non solum quando quis vi, vel clam fuit spoliatus a privato, ut est indubitatum apud omnes, sed etiam quando quis est spoliatus a suo Prælato, seu Judice extrajudicialiter, seu non servato Juris ordine, textu expresso *in cap. conquerente 7. de restitutione spoliatorum*.

14 Regula illa: *Spoliatus ante omnia est restituendus*, fallit in aliquibus casibus. Primo scilicet quando spoliatus consentit, ut spoliator ante restitutionem super proprietate rei sibi competente audiatur, textu expresso *in cap. Licet 1. de restitutione spoliator.* Et ratio clara est, quia Beneficium restitutionis est privilegium Juris cui libere renunciare potest spoliatus; *cap. Si de terra 6. de privileg. & l. Si quis in conscribendo 29. Cod. de pactis*.

15 Secundo quando notorium est, quod proprietas rei spolio ablatæ non pertineat ad ipsum spoliatum, sed ad spoliatorem; Tunc enim spoliatus ob notorium defectum proprietatis veluti dolosus Jure repellitur, textu expresso *in cap. dolo facit 59. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem*, & concordat *l. Dolo facit 8. ff. de doli mali, & metus exceptione*.

16 Tertio quando spoliatus ante factam suam spoliationem, libere renunciavit dominio rei spoliatæ, textu claro *in cap. Accepta 3. de restitutione spoliator.* Nec obstat *c. Sollicite 2. eod. tit.* quia loquitur de renunciatione, nec ante spoliationem facta, quæ non censetur libera, ut argumentatur ibi Pontifex: *Quia non est verisimile, quod sponte Juri suo renunciaverit, qui renunciavit spoliatus*.

Quarto quando spoliatus post spoliationem cum spoliatore pactum inivit, vel juravit sponte, quod nolit agere possessorio recuperandæ; Pacta enim inita sunt custodienda, & promissa sunt opere complenda, *c. Antigonus 1. & c. Qualiter 3. de pactis, l. Juris gentium 7. §. 7. ff. De pactis*. 17

Dicitur autem notanter *Post spoliationem*, quia simile pactum initum cum spoliatore ante spoliationem non valet, textu expresso *in l. Si unus 27. §. 3. & §. 4. ff. De pactis*; Et ratio est, quia tale pactum initum ante spoliationem præberet ansam delinquendi, & animaret homines ad spoliandum, ac proinde veluti continens turpem causam merito reprobatur a Jure, & non valet; *l. Si unus §. 3. & §. 4.* ubi expresse dicitur: *Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda; veluti si paciscar, ne furti agam, vel injuriarum, si feceris; expedit enim timere furti, vel injuriarum pœnam, sed post admissa hæc, pacisci possumus*. 18

Mulier propria auctoritate sub prætextu impedimenti, v. gr. consanguinitatis, a marito se separans, sicque eum possessione spolians, si non habet probationes incontinenti paratas ad probandum impedimentum dirimens Matrimonii, est plenarie restituenda marito, & quo ad cohabitationem, & quoad torum, donec ipsa probationes offerat præparatas. Sic expresse decisum habetur *in cap. Litteras 13. §. Quod si non habeat, de restitutione spoliator.* Et ratio est, quia ut ibidem subjungitur, præsumitur mala fides contra ipsam, eo quod propria temeritate, & absque Judicio Ecclesiæ a viro suo recesserit; unde stante tali casu, viget regula generalis, quod *spoliatus ante omnia sit restituendus*. 19

Si vero tanta esset viri sævitia, ut mulieri trepidanti non posset sufficiens securitas provideri, tunc non solum non esset ei restituenda, sed ab eo potius removenda. Et e contra, si possit dictæ mulieri sufficiens securitas provideri, est ipsa ante causæ cognitionem restituenda marito, textu expresso *in cit. c. Litteras in fine*, ibi: *Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri, alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisa profecto videtur conjux ante causæ cognitionem restituenda marito*. Et concordat *c. Ex transmissa 3. c. Ex conquæstione 10. c. Ex part. 14. de restitutione spoliator. & c. Intelleximus 1. De ordine cognitionum*. 20

Spoliator violentus restituere debet spoliato, non solum rem ablatam, sed etiam cum ipsa omnes fructus, tum extantes, tum consumptos, immo etiam illos, quos non percipit & prior possessor spoliatus percipere potuisset si suam possessionem continuasset. *Communis*, textu expresso *in cap. Gravis 11. de restitutione spoliator. & l. Si de possessione 4. Cod. Unde vi*. 21

Unde, antequam dictus spoliator audiatur super prætensa rei ablatæ proprietate, est restituendus spo- 22

spoliatus, non solum in pristinam posssessionem liberam ut antea, *arg. c. Pisanis 19. §. Porro, de restitutione spoliat.* sed etiam ad omne id, quod ibi, sive ratione fructuum non perceptorum, sive ratione factarum expensarum amisit, & damnum passus est, licet ad spoliatorem nihil pervenit; *l. Prætor ait 1. §.1.ff. De vi, & vi armata, l. Recte possidenti 1. l. Ut pulsos 2. l. Auctoritate 3. & l. Si de possessione 4. Cod. Unde vi; c. Redintegranda 3. caus. 3. q. 1. c. Gravis 11. de restitutione spoliatorum.* Et hoc jure merito in odium spoliationis. *Clem. unic. de causa possession. & propriet.* Et sic Rota *in Lavellen. seu Melphien. pecuniaria 16. Novemb.* 1610. *coram Ubaldo, & in Romana Silvæ 15. Maii* 1628. *coram Verospio*, allegat. a Barbosa *in cit. cap. Gravis n.* 4. & sic Doctores communiter.

23 Nec talis spoliator excipere potest contra spoliatum per objectionem criminis; Prius enim ut supra restituendus est Actor spoliatus, antequam de crimine objecto per exceptionem audiatur Reus spoliator, textu expresso *in cap. Item cum quis 6. de restitut. spoliator*, ibi: *Non occurrit nobis, quod illius objectio admitti debeat, vel principalis causæ propter hoc executio retardari, quoniam criminaliter adversus eum ante restitutionem agere non potest, cum præsumatur ejus existere inimicus.*

24 Nisi tamen opponatur talis criminis exceptio, quæ personam spoliati reddat inhabilem ad agendum, ut est excommunicatio, cum excommunicatus in Judicio non sit ut Actor audiendus, nec ibi stare possit, nisi tamquam Reus; *cap. Intelleximus 7. de Judiciis, c. Conspiratores 5. can. Nullus anathematizatorum 6. caus. 3. q. 4.* cum similibus.

25 In civilibus non admittitur spoliationis exceptio facta ab alio, quam ab actore, textu expresso *in cap. Frequens 1. de restitutione spoliator. in 6.*

26 In criminalibus autem admittitur spoliationis exceptio etiam a quocumque tertio facta, dummodo fiat intra quindecim dies, & sit de tota substantia, vel majori parte, textu expresso *in cit. cap. Frequens.*

27 Spoliatus excipiens spoliationem factam a tertio intra certum tempus a Judice statuendum, debet petere restitutionem, alias non juvat exceptio, & accusabitur, exceptione non obstante, textu expresso *in cit. c. Frequens §. Solet.*

28 Agenti super rebus Ecclesiasticis non obstat exceptio spoliationis privatorum rerum. Vel e converso, textu expresso *in cit. cap. Frequens §. Ad hoc*, ibi: *Ad hoc sancimus, ut rerum privatorum spoliatio agenti super Ecclesiasticis, vel e contrario, nullatenus opponatur.*

Additiones ex aliena manu.

29 Adversus violentos Spoliatores alia præter Interdictum *Unde vi* sunt prodita remedia, puta accusatio ex Lege Julia de vi publica, & de vi privata; nec non constitutiones variæ recentiores, quibus vis coercetur, comprehensæ *in L. 7. & seq. C. Unde vi.*

30 Pinguiora vero præ cæteris sunt remedia juris canonici moribus hodiernis passim comprobata *ex cap. Sæpe contingit, de Restitut. Spoliator. & Can. Redintegrandæ 3. & 4. caus. 3. quæst. 1.* Interdictum enim *Unde vi* tantum locum habet in rebus immobilibus, & incorporalibus, quæ immobilium jure censentur, & tantum competit contra dejicientem, non item contra tertios rei possessores, & quidem intra annum.

At remedium ex *Canone Redintegrandæ* ad omnes 31
omnino res extensum fuit, & adversus omnes rei possessores datum, sive bona, sive mala fide, sive cum, sive sine titulo possideant & sive titulus ex quo possident, sit onerosus, sive lucrativus sit, idque sine temporis distinctione. 32

Sed an hæc, quæ usu recepta sunt de remedio *ex Capite Redintegrandæ*, consona revera sint menti Auctoris ipsius, vide Bohemer. *ad titul. de Restit. Spoliat.*

SPOLIUM.

Spolia Ecclesiasticorum Beneficiatorum, qui decedunt sine testamento, vel sine facultate testandi disponunt, & illa, quæ ultra facultatem remanent, pertinent ad cameram Apostolicam. Paulus III. 29. constit. incip. *Romani.* 1

Spolia Ecclesiasticorum Beneficiatorum morientium sine facultate testandi pertinent ad Cameram Apostolicam, eorumque dispositiones nullæ sunt, etiamsi sint ad pias causas. Pius IV. constit. 8. incip. *Grave nimis.* 2

Spolia Beneficiatorum morientium extra residentiam, etiamsi habuerint facultatem testandi, pertinent ad Cameram Apostolicam. Pius V. constit. 91. incip. *In suprema.* 3

Spolia bonorum clericorum ex illicita negotiatione acquisitorum pertinent ad Cameram Apostolicam. Pius IV. Constitut. 19. incip. *Decens.* 4

Spolia Regularium vagantium, & morientium extra claustra pertinent ad cameram Apostolicam, nisi habeant facultatem testandi; Gregorius XIII. Constit. 43. incip. *Officii nostri.* Advertit tamen Passerinus *de statib. homin. tom. 3. pag. 189. artic. 8. num. 529.* talem Constitutionem non habere locum de omnibus bonis Religiosorum, sed de illis solum, quæ acquisierunt extra claustra degentes; de his bonis loquitur Constitutio Pauli IV. 14. inc. *Postquam*, & patet etiam ex citat. Const. Greg. XIII. ubi dicitur tempore, quo extra claustra hujusmodi fuissent acquisita, & tandem §. 3. statuit, ut bona omnia per regulares degentes extra claustra acquisita spectent ad cameram Apostolicam, ideo quæ Religiosus acquisivit, antequam egrederetur de claustro, concludit dictus Passerinus, Religioni manent, nam fuerunt jam illi acquisita. Vide infra *num. 39.* 5 6

Hinc a fortiori manent Religioni, & illi debentur bona illorum Religiosorum, qui cum legitima facultate suorum superiorum itinera arripientes, vel apud parentes, amicos, & benefactores, religiosas vacationes obeuntes per accidens ibi decedunt. Et ita censuit *Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in* 7

Ver-

Vercellen. 11. *Aprilis* 1650. & 30. *Junii* 1604. apud Pignatell. *tom.* 8. *cons.* 85. allegans ad rem alia decreta Sac. Congr. S. Officii.

8 Spolium regularium solet erogari per prælatos regulares in usum conventus absque beneplacito apostolico, etiamsi sit pecunia deposita absque vinculo in banco publico, quia vere non est pecunia destinata ad emptionem *Sacra Congreg. Concilii die* 28. *Februarii* 1654. *tom.* 19. *Decret. pag.* 319. proposito dubio: N. *Superior Regularis quærit pro quiete suæ conscientiæ: An si ipse pecunias provenientes ex spolio Religiosi defuncti juxta consuetudinem Monasterii pure absque aliquo vinculo deposuerit in banco publico civitatis, illas postea juxta eamdem consuetudinem erogando in dictum usum, & necessitates urgentes ipsius Monasterii ob penuriam, & infirmitates supervenientes, ut ex partitis libri ejusdem Monasterii liquere asseritur, inciderit in pœnas expressas in Decreto de rebus Regul. non alienand. inhærente etiam Constitutione Pauli II. eo quod prius non obtinuerat licentiam. Sacr. Congreg. secundum ea, quæ proponuntur, respondit non incidisse.* Sic refert Cardin. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Constitut. V. Pauli II. sect. II. num.* 33.

9 Spolia Cardinalium ubicumque decedentium non pertinent ad Cameram Apostolicam. Pius IV. Constitut. 19. incip. *Decens*.

10 Spolia Curialium, & prælatorum habentium facultatem testandi, non pertinent ad Cameram Apostolicam, Pius IV. Const. 19. incip. *Decens*.

11 Conclavistæ non subjacent spolio. Gregor. XIV. Constitution. incipient. *Romanus* §. 10.

12 Moriente Clerico, sive Romano, sive curiali, sive incola, ab intestato, si Romæ, vel intra spatium decem milliariorum moritur, succedunt heredes. Paulus V. Constit. 18. incip. *In eminenti* §. 4. Alexander VII. Constitut. incip. *Nos volentes*.

13 Spolia fieri non possunt a collectoribus &c. de iis beneficiatis, quorum beneficia non excedunt fructus ducatorum auri triginta de camera, & si faciunt, tenentur restituere, & per censuras ad hoc cogi possunt. S. Pius V. Constit. 42. incip. *Rom. Pontif.*

14 Spoliorum causæ agitandæ sunt cum citatione Commissarii Cameræ. S. Pius V. Constit. 51. incip. *Attendentes*.

15 Spoliorum nomine, quæ ad Cameram Apostolicam pertinent, non intelliguntur paramenta Ecclesiæ, Vasa, Libri Ecclesiæ, Gradualia, Missalia, & aliæ res sacræ, etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona; quæ per quoscumque Episcopos ad usum, & cultum divinum, etiam in eorum privatis ædibus, & capellis, vel oratoriis destinata tempore eorum obitus reperiuntur; quæ etiam sub quibusvis facultatibus testandi, & alias disponendi minime comprehenduntur, sed ea omnia ad eorum Ecclesias, idque proportionaliter habita ratione fructuum, & temporis, quo beneficia, si plura fuerint, possederunt, nec ad heredes ex testamento, vel ab intestato deveniunt. S. Pius V. Constit. 42. incip. *Romani Pontificis*.

16 Vasa, ornamenta, vestimenta, & hujusmodi clerici decedentis intestati, si jam fuerunt dicata Deo, Ecclesiæ, vel oratorio expresse, non spectant ad heredes ab intestato. *Communis*; Quod enim semel Deo dedicatum est, ad humanos usus amplius redire non debet; *can. Nulli licet* 3. *caus.* 12. *qu.* 2. *can. Quod semel* 4. *caus.* 19. *q.* 3. *can. Ligna* 36. & *can. Vestimenta* 40. *dist.* 1. *de consecrat. cap. Ad hæc* 2. *de Religiosis domibus, cap. Mancipia* 3. *de rerum permut. cap. Semel* 51. *de Reg. Juris in* 6. *l. Si quis sepulcrum* 12. §. 1. *ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*.

Item ad heredes non spectant prædicta, si Deo, 17
Ecclesiæ, vel Oratorio fuerint dicata, etiam solum tacite, ut si haberent signum, vel insignia Ecclesiæ, vel essent ita apta tali Ecclesiæ, ut viderentur fuisse a primæva sua emptione, vel confectione ipsi dicata, vel aliæ consimiles adessent conjecturæ, quibus posset rationabiliter præsumi ipsa fuisse tacite dictæ Ecclesiæ dicata, seu donata. Rota divers. *part.* 3. *lib.* 3. *decis.* 582. *num.* 7. & 9. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 16. §. 1. *num.* 11. & alii, *arg. citatis Juribus*. Unde ex Menochio *lib.* 2. *de arbitr. Judic. caus.* 88. *num.* 8. Judicis arbitrio est relinquendum, quænam conjectura ad præsumendam donationem sufficiat, quia conjecturæ in facto consistunt, *arg. l. Sed si quis* 14. §. 7. *ff. de religiosis, & sumptibus funerum*.

In dubio autem, non concurrentibus supradi- 18
ctis, talia vasa, ornamenta, vestimenta, & hujusmodi spectant ad heredes ab intestato; sic expresse pluribus adductis defendit Ventriglia *loco citat. a num.* 12. *ad* 18. ubi testatur sic respondisse in facti contingentia, & secundum suum votum sic fuisse judicatum in quadam curia Episcopali quo ad sequentem casum. *Reverendus quondam N. N. dum viveret, emit ad suum proprium privatum usum, & commoditatem nonnulla vasa, ornamenta, seu vestimenta Ecclesiastica, & Sacerdotalia, & deinde creatus Canonicus Ecclesiæ N. adhuc bona prædicta pro suo usu retinuit in eadem Ecclesia, successive ab hac vita decessit, nulla facta particulari dispositione prædictorum bonorum.*

Et ratio est, quia in tali casu bona prædicta non 19
debent censeri donata Ecclesiæ, quia donatio in dubio non præsumitur, sed probari debet per text. *in l. Cum de indebito* 25. *ff. de probationibus, & præsumptionibus*. Immo potius error, seu actus invalidus, quam donatio præsumitur. Mascardus *de probationibus conclus.* 554. *num.* 4. Menochius *lib.* 2. *de arbitr. Judic. casu* 88. *num.* 3. Barbosa *de Axiomat. usu frequent. verb. Donare*, Flaminius Parisius *de Resignat. benefic. lib.* 9. *q.* 19. *num.* 5. Aretin. *in l. A Titio n.* 3. *de verbor. obligat.* Ventriglia *loc. cit. n.* 15. & alii; Unde cum donans dicatur perdere per Glossam *in c.* 1. *de donationibus*, & nemo præsumatur suum jactare, & perdere, per *cit. l. Cum de indebito* 25. *ff. de probationibus & præsumptionibus*, & *l. Campanus* 47. *ff. de bonis libertorum*, merito damnatur præsumptio donationis, prout fuisse damnatam in simili casu asserit Riccius *in decis. cur. Archiepisc. Neapol. decis.* 296. ubi quidam privatus fecerat argentea candelabra cum stigmatibus cujusdam Monasterii, illaque penes Monasterium reposuit, & adhuc contra Monasterium fuit judicatum non fuisse donata, ut ad litteram refert Ventriglia *loc. cit. num.* 15.

20 Qui insuper n. 16. subdit, quod non obstat *cit. supra num.* 15. Constitutio 42. S. Pii V. incipiens *Romani Pontificis*, ubi disponitur vasa, ornamenta, vestimenta, & hujusmodi in hereditate beneficiati inventa, non ad spolium, sed ad Ecclesiam beneficii spectare, quia prædicta Constitutio loquitur concurrente Ecclesia cum spolio, quod cum ficta persona sit, & odiosa, præsumendum est defunctum Ecclesiam spolio præferre voluisse; Non autem loquitur constitutio concurrente Ecclesia cum herede, ut in casu nostro. Unde cum simus in diverso casu, non est facienda extensio, de uno ad alium casum, *cap. Quæ a Jure* 28. *de Regul. Juris*, & ibi Glossa communiter recepta *verb. Quæ a Jure*, ubi ad id plura Jura adducit, *l. Quod contra* 141. *ff. de Regul. Juris*, cum similibus, maxime cum non militat eadem ratio; A diversis enim non fit illatio; *l. Papinianus* 20. *ff. De Minoribus*, *c. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, ad late tradita per Everardum *in sua Topica loco a ratione legis &c. fol.* 57.

21 Tum quia dicta Piana constitutio disponit solum de acquisitis ex fructibus beneficiorum, seu reditibus Ecclesiasticis, non autem ex patrimonialibus, aut officiis lucrosis personalibus, ut quia Clericus habebat officium lucrosum in Curia, erat doctor, publicus lector & hujusmodi, ut tradunt Navarr. *de Spoliis Cleric.* §. 1. *num.* 4. Bursat. *con.* 376. *n.*28. *vers. Attamen cessat*, Barbosa *de Jure Ecclesiastic. lib.* 3. *c.* 17. *num.* 62. Azor. *Instit. Moral. tom.* 2. *lib.*8. *cap.* 3. *quæst.* 11. Panimol. *decis.* 20. *adnot.* 2. *n.* 11. Bellet. *disquisit. Cleric.* 1. *part. tit. de bonis Cleric.* §. 9. *num.* 5. Ventriglia *loco cit. num.* 17. Rota *in Forolivien. de Monsignoribus* 26. *Februarii* 1603. *coram Penia*. In nostro autem casu talia bona non fuerunt empta ex fructibus beneficii, cum supponantur empta ante beneficii consecutionem, adeoque non cadunt sub spolio, sed spectant ad heredes, ut cavetur *in cap.* 1. *de Testament. in cap. Manifesta*, *& in cap. Sicut manifesta* 12. *q.* 1. & tradunt Panimoll. *decis.* 20. *adnot.* 2. *num.* 6. Navarr. *loco cit.* §. 5. Ventriglia *loc. cit. num.* 17. & alii per textum *in l. Edicto* 3. *Cod. de Edicto divi Adriani tollendo*, ubi heredi tradendam esse possessionem omnium bonorum defuncti disponitur.

22 Hinc heredes beneficiati habentis pingue patrimonium ante beneficii consecutionem non debent amoveri a possessione bonorum, donec discutiatur, an bona fuerint acquisita ante, vel post beneficii consecutionem, & an ex fructibus beneficii, vel ex fructibus patrimonii, seu officii lucrosi personalis? per textum clarum *in cap. Nulli dubium* 1. *caus.* 12. *quæst.* 5. *in fine*, ibi: *Nec ei sine cognitione de his, quæ possidet quidquam auferre*. Et tradunt Panormit. *in cap. Cum esses num.* 24. *vers. Sed possessor*, *de testament.* Bursat. *cons.* 376. *num.* 13. Zabar. *consil.* 79. *num.* 2. *vers. Unde in casu nostro*, Roman. *cons.* 159. *num.* 5. *vers. Tertio casu principali*, Redoan. *de spoliat. Clericor. q.* 9. *num.* 33. *in fine*, Aloysius Leo *in Thesaur. For. Eccles. par.* 3. *c.* 3. *num.* 25. Filliuc. *oper. moral. tract.* 43. *c.* 5. *in fine*, Panimol. *loc. cit. num.* 12. & alii passim.

Ad cognoscendum autem ex quibus reditibus sint acquisita bona beneficiati habentis patrimonium, seu officium personale lucrosum? attendenda est summa fructuum beneficii, ex qua summa, & non ex patrimoniali, seu personali lucro detrahenda sunt alimenta beneficiati, & suæ familiæ, ac omnes expensæ necessariæ, aliæque factæ pro eleemosynis, & piis operibus; Unde, si talis summa ex reditibus beneficii non sit tam ingens, & exuberans, ut ex ipsa detractis supradictis omnibus adhuc remaneant superflui reditus, ex quibus verisimiliter detegatur fuisse dicta bona acquisita, tunc censenda sunt acquisita ex fructibus patrimonii, & officii personalis lucrosi, quæ in tali casu non cadunt sub spolio, sed spectant ad heredes; Sic Innocentius *in c. Cum in Officiis* 27. *de testamentis*, ibique communiter ceteri Canonistæ, teste Panimol. *loc. cit. num.* 13. apud quem etiam *Communis aliorum*. 23

Si vero clare constet Clericum non habuisse alia bona, quam illa Ecclesiæ, nec etiam aliquod officium personale lucrosum exercuisse, tunc sine dubio censenda sunt talia bona acquisita ex fructibus Ecclesiasticis, adeoque cadere sub spolio, & deberi Ecclesiæ. *Communis*, per text. *in cap. Cum unusquisque*, *de peculio Clericor. & c.* 1. *caus.* 2. *q.*3. cum similibus. 24

Si autem dubium sit, an Clericus ultra bona Ecclesiæ habuerit etiam bona propria, vel aliquod officium personale lucrosum; tunc præsumitur clericum acquisivisse ex fructibus Ecclesiasticis: Sed si talia bona ab heredibus clerici possideantur, onus probandi, quod fuerint acquisita ex fructibus Ecclesiasticis, spectat ad cameram, & respective ad Ecclesiam, ut ipsa ad talia bona succedat. Menoch. *de arbitr. Judic. cas.* 195. *num.* 9. *&* 10. *& de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 13. *num.* 7. cum pluribus aliis ibi allegatis, Gratian. *disceptat. forens. c.* 381. *num.* 1. *tom.* 2. Panimol. *loc. cit. num.* 14. *&* 19. & alii passim. 25

Quando tamen constat Clericum simul habuisse bona Ecclesiæ, & etiam patrimonialia, seu officia personalia lucrosa, nec constare potest, ex quibus fructibus fuerint talia bona acquisita, tunc præsumitur fuisse acquisita ex utrisque, & dividi debent personaliter inter ipsius clerici heredem, & Ecclesiam, seu cameram arbitrio Iudicis, bene attenta, & animadversa qualitate, & quantitate tum patrimonii, seu officii personalis lucrosi, tum fructuum Ecclesiæ; & sic an fructus Ecclesiæ excedant, an vix sufficere possint ad commodam clerici sustentationem? quæ integra prius sumi debet ex ipsis fructibus Ecclesiasticis, juxta dicta *supra n.* 23. *argum. cap. Cum secundum Apostolum* 16. *de præbend.* & similibus. Sic ex Abbat. Cardin. Zabarell. Bald. Alexandr. Socin. Roman. Menoch. *de arbitr. Judic. casu* 195. *num.* 7. *&* 8. *lib.* 3. *præsumpt.* 53. *num.* 5. Panimol. *loc. cit. n.* 18. & alii passim. (1) 26

Om-

(*1) Quæ a sequenti numero traduntur, conferantur cum iis, quæ Thomassinus *P. III. lib. II. cap.* 57. postquam superioribus capitibus historiam exhibuit juris spoliorum a primis Ecclesiæ sæculis ad

27 Omnia spolia Archiepiscoporum, & Episcoporum in insula Sardiniæ, & extra, non tamen in Italia decedentium abdicantur ab eorum successoribus, & applicantur respectivis Ecclesiis pro fabrica, & manutentione; Et hoc vigore brevis S. Pii V. ad instantiam Regis Catholici emanati. Rota *par.4. rec. tom. 3. dec. 560. n. 7. & 8.* & dictum breve confirmatum fuit etiam a Clemente VIII. Rota *ibid. c. 9. & seq.*

28 Spolium clericorum non est in usu in statu Mediolanensi, sed ex antiqua consuetudine transit ad eorum heredes, Rota *par. 4. recent. tom.3.dec.529. num. 5. & seq.* Card. de Luca *de Benefic. disc. 10. n. 5. & 9.*

29 Spolia Archiepiscoporum, & Episcoporum in Regno Neapolis spectant ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas. Innoc. XII. Constit. incip. *Inscrutabili*, & Benedict. XIII. Constit. incip. *Sacrosancti Apostolatus*, ubi ad id ampliat, etiamsi Episcopi moriantur extra residentiam. Vide infra *n.44.*

30 Jus spolii non est receptum in Gallia, neque in Germania, neque in Belgio, neque in Lusitania. At in Regno Castellæ sola Episcoporum, non autem aliorum beneficiatorum spolia cameræ Apostolicæ acquiruntur. In Italia autem, tam beneficiatorum inferiorum, quam Episcoporum spolia Fisco cedunt Apostolico, ut testantur Martinus Navarra *tract. de spoliis* §. 14. Azorius *part. 2. lib. 8. c. 5.* & alii.

31 Spolia defunctorum canonicorum S. Salvatoris Bononiæ spectant ad eorum Religionem, Rota *par. 14. dec. 363. n. 14.*

32 Spolia defunctorum Equitum Hierosolymitanorum non spectant ad Cameram Apostolicam, sed ad eorum Religionem, Rota *part. 8. rec. decis. 51. num. 11.*

33 Nec eorum bona spectant ad heredes sanguinis, sed religioni acquiruntur. Rota *par. 4. dec. 76. n. 1. & 2.* & *Annotat. ad decis. 16. num. 9. par. 3.* quod procedit, non solum de bonis, quæ ad eos perveniunt intuitu suæ Religionis, sed etiam de patrimonialibus, aut aliunde quæsitis, & non solum ex dispositione statutorum Religionis, sed etiam juxta juris communis dispositionem; Rota *par.2. dec. 76. num. 1.* & Annot. *ad dec. 16. nu. 8. part. 3.* Religio enim succedit ad exclusionem omnium in hereditatibus militum defunctorum, & in omnibus, & singulis eorum bonis. Rota *par.9. tom.1. dec. 30. num. 43.* & Annotat. *ad dec. 10. n.8.par.3.* Et eorum bona deferuntur in Thesauro Religionis ex Constitutione Clementis VIII. & S. Pii V. Rota *par. 4. dec. 76. n. 7.*

34 Advertendum tamen est, Religionem Hierosolymitanam ex urbanitate dimittere suis militibus, & eorum heredibus omnia sua bona immobilia, nec fieri spolia, nisi de mobilibus, & se moventibus. Rota *par. 9. tom. 1. dec. 302. n. 17.*

35 Spolium omnium eorum, quæ ab Episcopo quæsita fuerunt ex priori Ecclesia, a qua fuit translatus, debetur eidem Ecclesiæ. Sic pluries statuit *Sacr. Congreg. Conc.* & signanter *in Cathacen. seu Suessana Spolii*, in qua ad dubium; *An bona mobilia, libri, pecuniæ, ceteraque (præter Sacra paramenta) inventa tempore obitus bon. mem. Francisci Gorii Episcopi Suessani, prius Episcopi Cathacen. apud ipsum, spectent ad Ecclesiam Cathacen. vel potius ad Ecclesiam Suessanam?* Ead. *Sacra Congreg. Conc. die 28. Sept.* 1709. Respondit, quod *bona quæsita ex fructibus Ecclesiæ Cathacen. spectabant ad eamdem*. Et reproposito eodem dubio *die 25. Jan.* 1710. Sacra Congregatio *stetit in decisis*, uti habetur *lib. 59. Decret. pag. 331. & lib.60. pag. 27.*

Et in *Trevicana, seu Tricaricen.* in qua propositis quatuor hisce dubiis.

I. An mobilia, libri, pecuniæ, argenta, aliaque bona, (præter Sacra paramenta) bon. mem. Simonis Viglini prius Episcopi Trevicani, & postea Tricaricen. reperta tempore ejus obitus spectent ad Ecclesiam Trivicanam, vel potius ad Ecclesiam Tricaricen. in casu &c.

II. An paramenta, & vasa Sacra, aliaque argenta, & supellectilia ad usum Capellæ & cultum Divinum destinata, reperta, ut supra, debeantur Ecclesiæ Trivicanæ, vel potius dictæ Ecclesiæ Tricaricen. in casu &c.

III. An argenta, & mobilia, aliaque bona ab Ecclesia Trivicana commodata d. bon. mem. Episcopo Viglino, tunc Episcopo Trivicano, debent eidem Ecclesiæ Trivicanæ restitui in casu &c. & quatenus affirmative.

IV. An, & a quo, & quibus bonis, illis non extantibus, debeat solvi illorum pretium in casu &c.

Sacra Congreg. Conc. die 6. Jul. 1726. Respondit: *Ad I. & II. pertinere ad Ecclesiam Trivicanam. Ad III. Affirmative. Ad IV. solvenda esse ex hereditate Episcopi*. Sic apud *Thesaurum resolution. Sacræ Congregat. Concil. tom. 3.*

Ac in *Acerrarum, seu Matheranen. & Acheruntina Spolii*, in qua ad dubium; *An Capitula Ecclesiarum Matheranensis, & Acheruntinæ teneantur restituere Capitulo Ecclesiæ Acerrarum bona descripta, & contenta in inventario facto per bon. memor. Episcopum Pasitanum 30. Septembr.* 1723. Respondit *Affirmative*. Sic apud dict. *Thesaurum tom. 6. & 7.*

Spolium ornamentorum, paramentorum, aliarumque rerum ad usum, & cultum divinum spectantium, debetur Ecclesiis, quibus Episcopi præfuerunt; Et de his rebus Episcopi nequeunt disponere per ultimam voluntatem, & per contractum onerosum, ad satisfaciendum creditoribus, si alia bona non sufficiant. Proposito enim dubio in *Sacra Congreg. Conc. An creditoribus defuncti Episcopi in subsidium, si alia bona non sufficiant, satisfaciendum sit ex bonis etiam benedictis, seu Pontificalibus, non obstante Constitutione 42.B.Pii V. Sacra Congreg. Conc. die 29. Maii* 1683. Respondit *Affirmative*. Prædicta enim Bulla 42. incip. *Romani Pon-* 36

ad sæculum XIV., de Pontificio jure spoliorum primum a Clemente VII, tempore schismatis Avenionensis, ut ipse existimat, inducto collegit,

Pontificis, sustulit solum contrarias dispositiones de dictis bonis factas per ultimam voluntatem, & & per contractum lucrativum donationis, secus autem per contractum onerosum, ut firmant Guttier. Roderic. Garcia & Salgad. citati in expositione causæ in *d. Trivicana, seu Tricaricen.* apud *Thesaurum Resolution. S. Cong. Conc. tom.* 3.

37 Item spolia Beneficiatorum, qui pluribus Ecclesiis præfuerunt, esse dividenda proportionaliter inter dictas Ecclesias, statuit S. Pius V. in d. Constitut. 42. incip. *Romani Pontificis*, & tenent Gavant. in *Manual. Episcop. verb. Spolium numer.* 4.

38 Spoliorum tamen nomine non veniunt distributiones Canonici defuncti. *Sacra Congregat. Episcop. & Regul.* 29. *Nov.* 1600. apud Gavant. *loco cit. num.* 1.

39 *Numero* 6. addendum est, quod sic in terminis resolvit *Sacra Congregatio Spoliorum in Pistorien. die* 11. *Decemb.* 1731. quod nempe dicta Constitutio Gregorii XIII. loquatur, & intelligenda sit solum de bonis de novo acquisitis a Regularibus tempore, quo degebant extra claustra, & non de illis, quæ jam acquisierant antequam e claustris egrederentur, sicuti nec de illis bonis patrimonialibus, quæ Regulares ante ingressum in Religionem renunciassent cum puncto reversivo in casu reditus ad sæculum ex indulto Apostolico. Cum enim D. Sigismundus de Selesis Canonicus Regularis Lateranensis ex indulto Apostolico provisus de Canonicatu in Cathedrali Pistoriensi similem fecisset renunciationem ante ingressum in Religionem, articulo acriter discusso prodiit resolutio dictæ Sacræ Congregationis contra Reverendam Cameram sub hac formula, *Nihil constare pro camera*.
40 Et sic etiam censuit *Rota dec.* 151. *num.* 18. *& sequ. par. 6. recent.* & eadem *Sacra Congregat. Spoliorum in Bononien.* 15. *Septemb.* 1701. apud Scarfanton. *par.* 3. *addit.* 20. *num.* 17. 27. 28. ac per tot. ubi plura tradit ad rem scitu dignissima & pluribus adductis recte declarat, quod Camera Apostolica succedit Regulari extra claustra degenti, etiam de licentia suorum Superiorum in bonis quæsitis per eum extra eadem claustra; in bonis autem intra claustra quæsitis succedit Religio, quæ pariformiter succedit in bonis acquisitis a Religioso vacante extra claustra, & postea ad Monasteria reverso, in eoque mortuo, quia Constitutio Gregorii loquitur solum de Religiosis extra claustra vagantibus, & extra ea decedentibus. ut recte observant Navarr. in Summa Bullar. *part.* 2. *canon.* 9. *Ricc. part.* 4. *decis.* 179. *& decis.* 177. *Capon. discept.* 256. *n.* 8. cum aliis ab ipso allegatis *loc. cit. num.* 29. 30. *&* 31.

41 Spolio subjiciuntur bona a Clericis, etiam Curialibus, acquisita per negotiationem. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 53. incip. *Apostolicæ Ser-*
42 *vitutis* §. 1. *&* 3. Spoliorum Commissarii tenentur quotannis rationem reddere in Computisteria Cameræ Apostolicæ. Idem tom. 2. Constitut. 6. incip. *Apostolicæ Sedis num.* 26.

43 Spoliorum subcollectores eludi possunt a Clericis, si isti bona Ecclesiæ, quæ supersunt, pauperibus erogent, neque in commodum congregent cognatorum, ut recte advertit Card. Baronius *ad ann.* 397. *num.* 64. de his Collectoribus loquens inquit, *de quorum importuna exactione cum multi querantur, hos facile vitabunt, & prudenter arte deludent, qui bona Ecclesiæ quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint.* Quem sequitur Thomassin. *de Beneficiis part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 17. *sub num.* 9. prout adducit Benedict. XIV. *De Synodo Diœcesana lib.* 3. *c.* 8. *n.* 7.

Spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, & re- 44
liquorum Prælatorum Regni Neapolitani ab Innocentio XII. Constitut. incip. *Inscrutabili*, addicta fuerunt Ecclesiis, quibus Antistites hujusmodi, dum viverent, præfuerunt. Benedict. XIV. Constitution. incip. *Pastoralis sollicitudo* §. 2. Innocentianam Constitutionem iteratis additis declarationibus Benedict. XIII. in Constitut. incip. *Sacrosancti Apostolatus officium*, & in Constitut. incip. *Romanum decet Pontificem*, defendit adversus cavillosas quorumdum interpretationes. Idem *ibid.* §. 3. *&* 4. Qui subinde §. 8. *& sequent.* novam formam assecurandis, custodiendis, dirtribuendisque spoliis hujusmodi Prælatorum præscribit, prohibendo nempe, quod viventibus Præsulibus, Canonici, Capitula, quibus spoliorum applicandorum cura spectat, quidquam attentent: Item Ecclesiarum indemnitatem Vicario Generali Præsulis ægrotantis demandando. Demortui inde Præsulis spolia esse diligenter custodienda, & ad id claves obsignatorum cubiculorum a Præfato Vicario Generali esse tradendas Vicario Capitulari, & Canonicis deputatis, per actum solemnem coram iisdem testibus, explendum, & notario similiter literis consignandum; Ac præcipiendo, quod his omnibus absolutis nequaquam liceat rem ullam in defuncti spolio repertam, vendere, aut alia ratione alienare, nisi postquam Ecclesiæ de novo Pastore, seu Rectore provisum fuerit, atque hic ejusdem Ecclesiæ possessionem adeptus fuerit; quia possessione adepta præscribit regulas servandas ab ipso circa res in defuncti spolio repertas. Quicumque interim Sede vacante, quocumque modo spolia illa administrarunt, vel administrationi præfuerunt, novo Præsuli rationem reddere tenentur. Idem *ibid.* §. 12.

Additiones ex aliena manu.

Beneficiariis nulla secundum Canones est pote- 45
stas disponendi causa mortis de fructibus Beneficiorum tam collectis, quam colligendis, rebusque sibi obventis ab Ecclesia, vel pecunia Beneficii comparatis, sed ipsi post suum decessum omnia Ecclesiæ suæ restituere debent; *cap. final. de Pecul. Cleric.*

Nec de rebus patrimonialibus testari olim pote- 46
rant Clerici viventes vitam communem; *Canon. Nolo* 12. *q.* 1. Post solutam vero Clericorum com- 47
munitatem de rebus patrimonialibus ad libitum testari eis concessum, sed nequaquam de Ecclesiasticis proventibus, *cap.* 2. *de Testam.*

Post constitutam rerum Ecclesiæ partitionem in 48
Episcopum, Clerum, Fabricam, & Pauperes, dubitatum fuit, an Episcopus nomine Ecclesiæ intel-

intelligeretur ad effectum succedendi. At Alexander III. in Decretali ad Capitulum Cassanense in *cap. 22. de Testament.* definivit, quod nomine Ecclesiæ non Episcopus, vel Successor Clerici morientis ubi est Collegium Clericorum, sed communis congregatio intelligatur, quæ rerum in hæreditate Clerici remansarum debet canonicam distributionem, & curam habere: ubi autem non est Collegium, sed in loco defuncti unus est ordinandus, ipsemet Successor eamdem, sicut & alia
49 ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispenset. Et Bonifacius VIII. *in cap. Quia sæpe 50. de elect. in 6.* cohærenter sanxit, ut bona a Prælatis Cathedralium, & Regularium, & Collegiatarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendantur, vel futuris successoribus debeant fideliter servari, comminando in particulares occupatores pœnam suspensionis ab Officiis, & Beneficiis.

50 Nihilo tamen minus consueverant Episcopi bona Clericorum decedentium ab intestato usurpare, sibique vindicare, vel ex Privilegio Sedis Apo-
51 stolicæ, vel ex consuetudine. Privilegii monumentum habetur in *cap. Quum sibi 28. de verb. signif.*
52 Consuetudinem vero probavit Bonifacius VIII. *in*
53 *cap. Præsenti 9. de offic. Or. in 6.* Et hanc Bonifacii Constitutionem probavit *Concilium Constantiense sess. 39. sub titul. de spol.*

54 Intereaque ortum suum sæculo XIII. habuisse videtur reservatio spolii decedentium Clericorum in favorem Cameræ Apostolicæ. Innocentius enim IV. primus omnium constituit anno 1246. ut si Clericus ex tunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus Domini Papæ converterentur, ut *Matthæus Parisiensis refert ad dictum annum* 1246. Aliæ postmodum ab aliis Summis Pontificibus puta a Clemente VI. anno 1346. & ab Innocentio VI. anno 1352. conformes editæ fuerunt Constitutiones.

55 Quoniam vero aliqui in dubium revocabant, an bona & spolia Prælatorum tempore obitus remanentia, ad Cameram Apostolicam generatim pertinerent ex aliqua generali Constitutione Apostolica, propterea quod Collectores in variis, sed non universis Provinciis Romani Pontifices destinassent; Paulus III. tandem anno 1541. Bullam edidit, quæ incipit *Romani Pontificis providentiam*, declarantem bona hujusmodi Prælatorum sine facultate testandi decedentium ubicumque ad Cameram Apostolicam spectare, & per collectores Apostolicos exigi debere.

56 Hanc Constitutionem confirmavit, & declaravit Julius III. immediatus successor anno 1550. in Bulla, cui initium: *Dudum ex certis* quibus præscripsit fructus Beneficiorum exactos & cum reliquis Clericorum bonis profanis commixtos, ac incorporatos, ad liberam Beneficiatorum dispositionem, ubi a Sede Apostolica obtinuerint indultum disponendi, spectare, fructus vero tam inexactos, quam non commixtos ad Cameram Apostolicam reservari debere in locis, ubi Collectores adsint Apostolici. Ad Clericorum autem hæredes profanos sive ab intestato, sive ex testamento vigore quarumcumque facultatum condito, aut Legatarios nequaquam pertinere fructus maturatos in ipsorum Clericorum vita, sed non exactos.

Idem summus Pontifex anno 1550. in Bulla, 57
quæ initium habet: *Cupientes*, quibusvis Prælatis, & Ecclesiasticis Urbem Romam incolentibus, vel Curiam sequentibus, liberam facultatem indulsit, si in dicta Curia, & districtu decesserint, disponendi, & testandi de quibuslibet rebus intuitu etiam Ecclesiæ quæsitis in favorem quarumlibet Personarum, nec non transmittendi res easdem Ecclesiasticas ab intestato ad suos legitimos successores. Deinde anno 1553. ad se avo- 58
cavit causas spoliorum coram aliis quam Thesaurario Pontificio, ejusve Ministris pendentes, easque eidem Thesaurario commisit generali spoliorum in tota Italia collectori.

Fuerunt & aliæ Constitutiones circa eamdem 59
materiam latæ ab aliis summis Pontificibus, scilicet S. Pio V. anno 1560. 1564. & 1567. Gregorio XIII. anno 1577. Innocentio XII. anno 1693. & Benedicto XIII. anno 1726.

Hic vero prætereundum haud est, sub Sixto V. 60
ortum habuisse transactiones spoliorum inter Nuntium Pontificium nomine Curiæ Apostolicæ, singula fere Capitula Civitatum, & Diœcesum Regni Neapolitani, & pleraque Italiæ, hoc pacto initas, ut solum quotannis conventa pecuniæ quantitate in favorem Cameræ Possessores Beneficiorum, eorumque profani hæredes exempti sint a spolio, præter quam in casu illicitæ negotiationis. Vigore igitur harum transactionum Beneficiarii fere omnes, qui annuam summam pro transacto spolio persolvunt subcollectori Cameræ Apostolicæ, bona intuitu Ecclesiæ quæsita, & fructus beneficiorum jam collectos, & exactos ad hæredes profanos ab intestato transmittunt, & de iis pro libito disponunt, ac testantur.

In locis igitur, in quibus transactio spolii con- 61
fecta non sit, datur locus ipsi spolio.

SPONSALIA.

Sponsalia a sponendo sunt dicta, textu expres- 1
so *in l. Sponsalia 2. ff. de Sponsalibus*, ibi: *Sponsalia autem dicta sunt a spondendo*; Mos enim olim erat, & adhuc nunc est, ut cupiens uxorem ducere, eam peteret, ac petat prius ab illis, sub cujus cura, & potestate puella existebat, ac existit, & illi deinde ipsi petenti puellam in Matrimonium dare spondebant, seu promittebant, ac spondent, seu promittunt, *cit. l. Sponsalia 2. ff. de sponsalibus*, ibi: *Nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras*, (*) Addi potest testimonium quoque *Auli Gellii noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 4. qui antiquos sponsalium ritus declarat, & addit consuevisse actionem dari *ex Sponsu* si quis renuebat accipere in uxorem, vel si quæ nubere recusabat, & judex æstimabat litem pecunia. Vid. etiam Gronov. ad Gellium. Brisson. in lib. de rit. nupt. Plaut in Cur. act. 2. scen. 2. (*) Unde ille, cui petita puella in uxorem sponde-

spondebatur, seu promittebatur, ac spondetur, seu promittitur, dictus est, & dicitur *Sponsus*, & illa, quæ spondebatur, seu promittebatur, ac spondetur, seu promittitur, dicta est, & dicitur *Sponsa*, id est promissa, textu expresso *in leg. Unde 3. ff. de sponsalibus*; ibi: *Unde Sponsi, Sponsæque appellatio nata est*. Et illi, qui petitam puellam sic promittebant, ac promittunt dicti sunt, & dicuntur *Sponsores*, & dies, in quo sic spondebatur, ac spondetur, dictus est, ac dicitur *Sponalis*. Reiffenstuel *lib. 4. decret. tit. 1. §. 1. n. 2.* & alii *arg. l. Sponsalia 1. & cit. l. Sponsalia 2. & l. Unde 2. ff. de Sponsalibus*.

2 Sponsalia tripliciter potissimum sumuntur. Primo omnino improprie pro arrha scilicet, & muneribus, quæ a Sponso Sponsæ dabantur, ac dantur, *Arg. l. Quidam 1. C. si nuptiæ ex rescripto*: *Qui parentum sponsionem de nuptiis filiarum implere desiderant, vel Sponsalia, hoc est arrharum data nomine reddi præcepto Legum cum statuta pœna deposcunt*. Secundo minus proprie, pro ipso scilicet Matrimonio rato, & non consummato, *arg. c. Sicut 22. & c. Si inter 31. de Sponsalibus*; ubi sicut & passim in jure Matrimonium ratum *Sponsalia de præsenti* dicitur ad distinctionem *sponsalium* proprie talium, quæ non sunt ipsum matrimonium jam rite contractum, sed sola sponsio, seu promissio de eodem in futurum contrahendo, & propterea *sponsalia de futuro* appellantur, ad distinctionem *Sponsalium de præsenti*. Tertio, proprie pro ipsa scilicet promissione futuri Matrimonii.

3 Unde sponsalia sic proprie accepta ita definiuntur. *Sponsalia sunt mentio, & repromissio nuptiarum futurarum*. Sic expresse *in leg. Sponsalia 1. ff. de Sponsalibus*; & concordat *c. Nostrates 3. caus. 30. quæst. 5.* ibi: *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissio*. Et conveniunt in re Doctores communiter sponsalia sic definientes: *Sponsalia sunt futuri Matrimonii mutua deliberata promissio signo sensibili expressa inter personas de Jure habiles*.

4 Hinc ad valorem Sponsalium de futuro plura requiruntur. Primo enim requiritur, quod promissio futuri matrimonii sit vera, ac seria, & non ficta, seu simulata. *Communis, arg. l. Obligationum 3. ff. de action. & oblig. & c. Ex sponsalibus unic. de sponsalibus in 6.* ubi sponsalia dicuntur *nulla ex defectu consensus, & c. Ubi non est 1. caus. 30. q. 2.* ibi: *Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium, ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & e converso, nihil faciunt*; Consensus autem internus vere contrahendi, ac sese obligandi deest in ficte, & simulate promittente, adeoque &c.

5 Nec valet, dicere, quod ficte, & simulate promittens exhibuerit consensum externum, adeoque etiam ficta, & simulata externa promissio sufficiat ad valorem sponsalium. Non valet, inquam, quia talis fictus, & simulatus externus consensus sine formali consensu interno non sufficit ad valorem sponsalium, nec obligationem contrahendi de futuro inducit. *Communis*, text. exp. *in c. Tua nos 26. de sponsalibus*, hac addita ratione: *Cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri, quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, & deficit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale, & l. Simulatæ 30. ff. de ritu nuptiarum*, ibi: *Simulatæ nuptiæ nullius momenti sunt*. Et ratio clara desumitur ex *can. Humanæ aures 13. caus. 22. quæst. 5. quia*, ut ibi expresse dicitur, *quia non debet aliquis verba considerare, sed animum, & intentionem*, & ut cantat commune axioma, *Actus agentium* non operantur ultra voluntatem eorum, *l. In Agris 19. ff. de acquir. rer. domin. l. Non omnis 19. ff. de rebus creditis, capite Cum olim 38. de Præbend.*

Ficte, seu simulate, aut jocose, vel dolose tantum promittens alteri matrimonium, quamvis in foro interno, seu coram Deo, & in foro conscientiæ non teneatur servare tale promissum per dicta, & jura adducta *numero antecedenti*; Peccat tamen sic promittendo, & tenetur resarcire totum damnum alteri inde secutum. *Communis*, per text. *in cap. Si culpa 9. de injuriis, & damno dato*, ibi: *Si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata .... Jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam*. Et concordat *cap. Si rixati 1. cap. Si quis 2. cap. Si bos 3. cap. Si læserit 4. cap. Si egressus 5. cap. Si quis domum 6. cap. Olim 7. cap. In nostra 8. eod. tit.* cum similibus. 6

In foro autem externo quivis præsumitur vere, & serio promisisse. Unde ad servandum promissum debet condemnari, nisi legitime fictionem, seu simulationem, aut jocum, seu dolum probet, quia, ut dicitur in *l. Labeo art. 7. §. 2. ff. de supellectili legata*, in foro externo: *Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit*; Et ut habetur *in l. Generaliter 13. Cod. de non numerata pecunia*: *Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere*. Et ratio est, quia alias si ad id non condemnaretur, posset quivis facillime in foro externo sponsalia eludere, & ex iis sibi incumbens onus nubendi pro libitu subterfugere, dicendo se tantum ficte, & simulate, aut jocose, vel dolose, seu fraudulenter promisisse contra expressam dispositionem juris statuentis, quod fraus, & dolus nemini patrocinari debent, *cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de Rescriptis, cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumacia, cap. Tua 12. de Clericis non residentib. l. In fundo, ff. de rei vindicat. l. Cum hi, ff. de transactionib. l. Si Legatarius Cod. de Legatis*, cum similibus. *Vide infra n. 46.* 7

Secundo ad valorem sponsalium requiritur, quod promissio sit deliberata, & libera ab omni gravi metu, & errore circa personam. *Communis, arg. cap. Dilectus 24. cap. Tua nos 26. de sponsalibus, l. Furor 8. de sponsalib.* cum similibus. Et ratio est, quia alias non potest intervenire legitimus requisitus voluntarius consensus. 8

Tertio requiritur, quod talis promissio sit verbis aut aliis signis externis sufficienter manifestata, quia promissio mera interna, seu mente retenta, nec sufficit, nec obligat, cum intentio mente retenta nihil operetur in humanis contractibus. Com- 9

Communis, *arg. l. Cum in plures 60. §. Locato*, *ff. Locati*.

10 Quarto requiritur, quod promissio sit mutua, & reciproca ab utraque parte facta. *Communis*, *arg. l. Sponsalia 1. ff. de sponsalibus*, ubi ut patet textu allato *supra num. 3.* Sponsalia definiuntur, *mentio*, *& repromissio*, idest mutua, & reciproca partium promissio. (*) Neque de jure civili satis erat ut hæc promissio concurreret inter sponsum, & sponsam, sed ulterius requirebatur consensus parentum in quorum potestate erant *l. 35. ff. de rit. nupt. l. 12. Cod. de nuptiis*, ideoque plena tunc libertate non gaudebat matrimonium prout nunc, utrum magis expediat, an non, nostrum non est perscrutari. (*)

11 Quinto requiritur, quod sponsalia contrahantur inter personas de Jure habiles, idest nullo impedimento perpetuo sive dirimente, sive solum impediente affectas, habentes legitimam ætatem, ut docent doctores communiter.

12 Ætas autem legitima requisita, & sufficiens, tam in femina, quam in masculo pro contrahendis sponsalibus est septennium completum. *Communis*, per textum *in cap. Litteras 4. cap. Accessit 5. cap. Ad dissolvendum 13. de desponsatione impuberum in 6. c. Ubi unic. caus. 30. quæst. 2. l. Sponsalibus 14. ff. de sponsalibus*. (*) Videri posset temporibus Augusti requisitum fuisse decennium, ut in Dione Cassio legimus lib. 4. Verum hoc sancivit Augustus, non ut sponsalia ante hanc ætatem contracta irrita essent, sed ut qui talia sponsalia contraheret, quæ intra biennium non poterat exequi, præmiis quæ Imperator per legem Juliam sponsis ac maritis indulgebat, non gauderet, ac pro cælibe haberetur, ut ex ipsa lege Julia eruitur, in quam vide interpretes, præsertim eruditum Heinnecium. (*)

13 Unde sponsalia ante completum septennium unius, aut utriusque ordinarie sunt invalida, & nulla, quamvis illa loco liberorum contraxerint parentes, nisi liberi facti septennio majores ea ratificent. *Communis*, textu expresso *in c. Si infantes unic. de desponsatione impuberum in 6.* ibi: *Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo, vel facto ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare: Sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt, & ideo cum sint nulla, ratione defectus consensus, publicæ honestatis Justitiam non inducunt*, & concordat *can. Ubi unic. caus. 30. quæst. 2.*

14 Nec valet objicere, quod ex *c. Tua nos, de desponsat. impuber.* filius postquam pervenerit ad perfectam ætatem, debeat adimplere, non solum sponsalia, sed & matrimonium a patre loco illius, usum rationis nondum habentis, contractum. Non valet, inquam, quia, ut *ibid. n. 7.* advertit Fagnan. & Communis Canonistarum, dictus textus est intelligendus, quod filius debeat ea adimplere ex debito honestatis, non autem necessitatis.

Dicitur autem notanter, quod sponsalia contra- 15
cta ante completum septennium sunt invalida *ordinarie*, quia extraordinarie possunt etiam talia sponsalia esse valida, si nempe in aliquibus malitia, seu potius prudentia (1) suppleat, seu præveniat talem ætatem. Sicut enim valet matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia, seu prudentia suppleat, seu præveniat ipsam requisitam ætatem per dicta, & certa jura adducta sub verbo *Matrimonium art. 1. num. 22.* ita a fortiori sic valere debent sponsalia. Ita Joan. Andreas *in cap. Juvenis 3. de sponsalibus num. 9.* Covarruv. *p. 1. de sponsalibus cap. 2. num. 1.* Fagnan *lib. 4. decretal. in c. Ubi non est 2. de desponsat. impub. n. 5.* ubi ex Navarr. testatur de communi, Sanchez *lib. 1. disp. 16. num. 9.* Silvester verb. *Sponsalia q. 2. dist. 2.* Pontas verb. *Sponsalia cas. 1.* Reiffenstuel *lib. 4. decretal. tit. 2. num. 4.* & communior aliorum contra paucos, *arg. cap. Juvenis 3. de Sponsalibus*, ubi habetur, ex sponsalibus ab impubere minore septennio contractis ortum esse impedimentum, *publicæ honestatis*, adeoque fuisse valida, cum tale impedimentum non oriatur, nisi ex validis sponsalibus, tam de jure antiquo, *arg. cit. cap. Si infantes unic. de desponsatione impuberum in 6.* quam novo Concil. Trident. *sess. 24. de reformatione Matrimonii cap. 3.* Unde si valida fuerunt talia sponsalia, hoc solum fuit, quia in ipso malitia, seu prudentia suppleverat, seu prævenerat ætatem, uti recte notat Glossa *in cit. cap. Juvenis verb. dubia ad finem*; Tum quia jura generaliter requirunt ad valorem sponsalium septennium completum, quia ordinarie ante illud tempus non censetur adesse usus rationis, defectu cujus non potest præberi necessario requisitus consensus, *arg. cit. cap. Si infantes unic. de despons. impuber. in 6.* ibi: *Cum sint nulla, ratione defectus consensus*, ergo quando malitia, seu prudentia extraordinarie supplet, seu prævenit ætatem, habetur sufficiens usus rationis, & consequenter sufficiens consensus requisitus ad valorem sponsalium; Cum ratio legis sit anima legis; *l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum*: Et ubi eadem est ratio, eadem etiam debeat esse juris dispositio, *l. Illud, ff. Ad Legem Aquiliam, & cap. Inter corporalia 2. de translat. Episcop.*

(*) Petrus Colet in continuat. Prælectionum Hono-

(*1) Phrasis hæc, *malitia supplet ætatem*, aliter intelligitur in sponsalibus, aliter in Matrimonio. In ordine ad Sponsalia, malitia, vel potius prudentia, dicitur ætatem supplere, quando ante tempus a jure ad illa præscriptum adest sufficiens rationis usus. In ordine vero ad matrimonium, malitia supplet ætatem, quando ante tempus matrimonio præfixum quod est in maribus an. 14. & in puellis ann. 12. utrobique completorum, non solum adest sufficiens rationis usus, ac judicii discretio sed etiam prodit se potentia ad coitum & generationem; Potentia hæc coeundi vocatur etiam pubertas naturalis, & hæc in quibusdam præcedit pubertatem legalem, id est ætatem quam leges ex præsumptione communiter contingentium determinaverunt.

norati Tournely in tract. de matrimonio cap. III. sect. II. tom. VIII. pag. mihi 103. „ Huic postremæ opinioni, *inquit*, facile adhæserim in locis ubi contraria certo usu inducta non fuerit, quod propter casus infrequentiam difficile est. Nihilominus auctor fuero ut propter dubium & Ecclesiæ reverentiam ad Episcopum recurratur. Quamquam & satius fuerit, ut is pro virili obstet ne sponsalia etiam a septennibus contrahantur. Parisiis tamen, Argentorati, & aliis pluribus in locis, cautum est dumtaxat, *ne affidentur impuberes, nisi saltem sint annorum 7. completorum* „. (*)

16 Si duo impuberes septennio majores sponsalia contrahant, neuter ab illis ante pubertatem resilire potest, bene vero post illam. *Communis*, textu expresso *in c. de illis 7. & c. A nobis 8. de de-*
17 *sponsatione impuberum*. Nec in tali casu, qui primo fit pubes, tenetur alterum expectare, donec etiam ille pubescat, sed potest statim ac pubescit, pro libitu resilire, *cit. cap. De illis 7. §. Si vero*, Glossa *ibid. verb. Minoris*, licet contrarium dicat *ibid. verb. Cum sponsalia*, Sanchez *lib. 1. de sponsalibus disp. 51. num. 9.* Pirhing *lib. 4. decret. tit. 2.* num. 6. Reiffenst. *ibid. num.* 14. testans de communi. Et ratio est quia frustra expectatur eventus, cujus nullus est effectus, *cap. Cum contingat 36. de officio judicis delegati*, adeoque si prius pubes factus potest altero pubertatem adepto resilire, poterit
18 etiam statim. Si autem pubes cum impubere contrahat sponsalia, tunc pubes non amplius resilire potest, bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, textu expresso *in cit. cap. De illis 7. §. Mulier*; Et ratio differentiæ est, quia cum contractus possit ex parte impuberis claudicare, ideo in favorem ipsius tantum potest retractari, sicut si minor sine tutoris auctoritate contractum cum majore ineat, propter dictam rationem illi soli resilire permissum est, *l. Non eo minus 14. de Procuratoribus*.

19 Impubes, quamvis ex dictis possit, cum ad pubertatem pervenerit, a sponsalibus resilire, tamen debet statim pubertatem adeptus id facere, alioquin postea non poterit, quia ex quo non statim contradixit, censetur tacite sponsalia ratificare, præsertim si sponsi nomen adhuc patiatur, aut familiaritatem continuet, vel munera det, aut recipiat, Covarruv. *in lib. 4. Decretal. part. 1. cap. 5. §. 1. n. 2.* Engel *lib. 4. Decretal. tit. 2. num. 6.* Reiffenstuel *ibid. num.* 15. Pirhing *ibid. n. 7. notabil. 2.* Sanchez *cit. disp. 51. num. 15.* & alii passim; Statim autem dicitur resilire, si circiter intra triduum resiliat, seu contradicat, quia in jure dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum, seu triduo proximo fit: *l. Sententiis 3. Cod. de errore Advocatorum*, ibi: *Ex continenti, idest triduo proximo contradixisse*, *l. Cum specialis 18. de Iudiciis*, ibi: *Illico autem, idest intra triduum proximum sine ulla dilatione*.

20 Facultas resiliendi a sponsalibus, impuberibus a jure concessa post adeptam pubertatem, habet locum, tam in foro interno, quam in foro externo, ita ut ex solo impuberis dissensu post adeptam pubertatem absque alia causa in utroque foro licite dissolvi possint sponsalia; Jus enim consulere voluit immaturo, & mutabili puerorum judicio, ne tanto vinculo indissolubiliter, seu irrevocabiliter obligari possint, sicque tenendum est omnem obligationem sublatam esse etiam in foro conscientiæ, *arg. cit. cap. De illis 7. cap. A nobis 8. de desponsat. impuberum* cum similibus. Sic Doctores supracitati. (1)

Talis autem facultas resiliendi a sponsalibus pro- 21
babilius non est censenda concessa impuberibus, si ipsa sponsalia juramento confirmaverint. Glossa *in cit. cap. De illis, verb. Judicio Ecclesiæ*, Ancharan. *in cap. Ex litteris 10. de Sponsalibus*, Covarruv. *in lib. 4. Decretal. part. 1. cap. 5. §. 1. num. 3.* Sanchez *lib. 1. de sponsalibus disp. 51. num. 22.* Becanus *tract. de Sacram. cap. 43. q. 26. n. 7.* Pirhing *loc. cit. num.* 8. & communior aliorum, teste Reiffenstuel *loc. cit. num. 16.* quamvis ipse *ibi* cum aliis sentiat oppositum; Et nostra conclusio clare desumitur *ex cap. Ex litteris 10. de sponsalibus*, ubi expresse statuitur, quod si impuberes sponsalia juramento confirmaverint, ea dissolvere non amplius possint, juncto ejus summario, in quo sic expresse habetur: *Qui juravit cum aliqua contrahere, si non subest impedimentum, per censuram Ecclesiasticam contrahere compellitur*. Quamvis tamen non sit improbabilis opposita sententia propugnata a Reiffenstuel *loc. cit.* & ab aliis ab ipso allegatis. (*) Confer Colet loc. cit. pag. 105. (*)

Sponsalia de præsenti, seu matrimonium ab im- 22
puberibus nulliter contractum valet in vim sponsalium; seu transit, & resolvitur in sponsalia de futuro. Vide verb. *Matrimonium art. 2. num. 26.*

Matrimonium autem nullum ex aliquo essen- 23
tiali defectu, ut celebratum sine proprio Parocho, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. Vide dict. verb. *Matrimonium art. 2. num. 2. & 3.*

Ad valorem sponsalium non requiritur præsentia 24
Parochi, & testium. *Communis ac certa*, sic enim pluries declaravit *Sacra Congregat. Concilii*, ut testantur Sanchez *de Matrimonio lib. 1. disput. 12. n. 2.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 22.* & alii. Vide infra *num. 139.*

Item ad valorem sponsalium non requiritur con- 25
sensus, aut consilium parentum, aut eorum, sub quorum cura existunt sponsalia contrahentes. *Communis arg. cap. Sufficiat 2. caus. 27. qu. 2.* ibi: *Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur*, & concordat *cap. Veniens 12. de sponsalibus*: & Conc. Trid. *sess. 24. de reform. Matrimonii cap. 1.*
Ut licite tamen contrahant filii sponsalia, requiri- 26
tur saltem, ut prius desuper consulant Parentes, quamvis eorum consilium non semper sequi teneantur. *Communis, arg. c. Aliter 1. caus. 30. qu. 5. can. Ho-*

(*1) Negat id Colet loc. cit. pag. 106. Antoine autem de matrimonio cap. 1. in resp. ad quæst. V. de sponsalibus agens: „ Impubes, *inquit*, cum pervenerit ad pubertatem, potest pro libito illa dissolvere: nisi intercesserit copula cap. 19. *de Sponsal.*

Honorantur parentes 13. *caus.* 32. *qu.* 2. *cap. Tua nos* 1. *de desponsation. impuber. l. In sponsalibus* 7. §. 1. *ff. de sponsalibus*, cum similibus. Vide infra *n.* 140.

27 Parentes contrahere possunt sponsalia pro suis filiis puberibus, sive impuberibus; & si ipsi filii expresse, vel tacite consenserint, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur ad illa, & ex eis oritur Justitia *publicæ honestatis*. *Communis*, textu expresso *in cap. Si infantes unic.* §. *Porro*, *de desponsation. impuber. in* 6. ibi: *Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus, plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur Justitia publicæ honestatis*.

28 Parentes, nedum contrahere possunt sponsalia pro suis filiis præsentibus, sed etiam pro ipsis absentibus, & sponsalia ignorantibus, & si ipsi filii post scientiam dicta sponsalia ratificaverint expresse, vel tacite, obligantur ad illa. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Si infantes* §. *Porro*, ibi: *Et est idem si filii tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientiam ratificaverint tacite, vel expresse*.

29 Sponsalia contracta a parentibus pro filiis, sive præsentibus, sive absentibus, aut ignorantibus, & nec expresse, nec tacite consentientibus, & a fortiori contradicentibus, sunt invalida, & nulla, & nullatenus obligant ipsos filios, nec inde oritur Justitia publicæ honestatis. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Si infantes* §. *Porro*, ibi: *Alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis Justitia inde surgit*.

30 Item invalida, & nulla sunt etiam sponsalia contracta a filiis per gravem metum eis a parentibus, seu aliis injuste incussum. Sic Abbas *in cap. Ex litteris* 11. *de desponsatione impuber. num.* 2. Reiffenst. *lib.* 1. *Decret. tit.* 40. *num.* 45. & *lib.* 4. *Decretal. tit.* 1. *nu.* 13. Rosignol. *de sponsalib.* 1. *contract.* 14. *prænot.* 5. *sect.* 4. *n.* 21. & 22. cum pluribus ibi citatis, Sporer *tom.* 3. *part.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *de sponsalibus n.* 170. cum aliis ibi citatis, Layman *lib.* 3. *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 7. *nu.* 3. Barbosa *lib.* 2. *Decretal. collectan. ad cap.* 2. *num.* 6. *de eo, qui ducit in Matrimonium*, Joannes Angelus Bossius *de Matrimon. contract. cap.* 12. *num.* 239. & *seq.* Basilius Pontius, *lib.* 12. *cap.* 8. §. *ultim. nu.* 75. Pontas verb. *Sponsalia cas.* 8. & sic communior, & probabilior sententia Doctorum, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *de Matrimon. disp.* 19. *num.* 2. & 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 378. contra alios. Sic etiam videtur statui *in c. Ex litteris* 11. *de desponsation. impuber.* & arguitur a pari de Matrimonio, quod ex gravi metu injuste incusso contractum ipso jure nullum est, atque invalidum textu expresso *in cap. Cum locum* 14. *cap. Veniens* 15. *cap. consultationis* 28. *de sponsalibus*, & *Matrimonio*, & patet ex dictis sub verb. *Matrim. quoad Imped. a n.* 103. *ad* 107. & sub verb. *Matrimonium art.* 2. *n.* 4. 5. 6. 7. & 49. Id enim, quod Jure statutum est de metu irritante ipsum Matrimonium, est quoque intelligendum de metu respectu sponsalium, cum hæc sint via ad illud, & connexorum idem sit Judicium; *arg. cap. Translato, de Constitutionibus*, cum similibus; Unde etiam *leg. Orator* 16. *ff. de sponsalibus* in simili habetur, quod prohibitis in persona Senatorum nuptiis, etiam sponsalia ipso jure prohibita censeantur; Tum quia fieri non potest, ut aliquis promissione sui obligetur ad actum, seu contractum invalidum, adeoque cum Matrimonium invalide contrahatur a persona gravi metu compulsa per jura supra adducta, & Communem Doctorum, etiam sponsalia, seu promissio Matrimonii talem personam non obligant, & sunt ipso jure nulla, & invalida. Tum etiam quia omnia quæ fiunt metu & vi, declarantur esse ipso jure nulla, textu expresso *in c. Abbas* 2. *de his, quæ vi metusve causa fiunt*, ibi: *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*.

Talia sponsalia ex gravi metu inita neque firmantur juramento. Sic desumitur *ex cap. Ex litteris* 11. *de desponsat. impuber.* & docent Sanchez *loco cit. disp.* 21. *n.* 3. cum pluribus aliis ibi allegatis, Diana *loco cit.* Sporer *loco cit.* testans ex aliis de communi, Rosignol. *loco cit. num.* 21. Natta *consil.* 451. *n.* 3. Seraphinus *de privileg. Jur. privileg.* 100. *num.* 11. Barbosa *lib.* 2. *decret. collectan. ad cap.* 2. *num.* 6. *de eo, qui duxit in Matrimon.* Coninch. *de Matrimon. disp.* 28. *num.* 47. Basilius Pontius *lib.* 12. *cap.* 8. §. *Ultim. num.* 65. Ioan. Angelus Bossius *de Matrimon. cap.* 12. *num.* 239. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 108. Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 2. *qu.* 1. *art.* 3. §. *Aliud deinde*, & alii plures contra alios. Et ratio est quia Juramentum ex genere suo non supplet defectum consensus substantialiter requisiti ad validitatem contractus, ut notant communiter Doctores *in c. fin. de procuratorib. in* 6. Sponsalia autem per metum gravem inita, sunt irrita ex defectu consensus substantialiter requisiti, ut patet ex dictis supra, adeoque per juramentum non possunt absolute revalidari; Et confirmatur per text. *in cap. Significavit* 2. *de eo, qui duxit in Matrimonium*, ubi expresse statuitur, quod ille, qui post Matrimonium metu contractum, & juratum aliam duxit, debeat permanere cum secunda, & prius Matrimonium sit invalidum: Tum quia juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, & contractus, & obligationis, cui apponitur, *l. Fin. Cod. de non numerata pecun.* nisi aliud specialiter expressum habeatur in jure, ergo quia sponsalia gravi metu inita habent hanc naturam quod sint invalida, & nulla ex dictis *supra num.* 30. eorum naturam non immutabit, sed sequetur, juramentum adjectum; Tum etiam quia votum solemne Religionis, metu gravi emissum est nullum, textu expresso *in cap. Perlatum* 1. *de his, quæ vi, metusve causa fiunt* & concordat *cap. Cum dilectus* 6. *eod.* cum similibus, & patet ex dictis, & Juribus adductis sub verb. *Metus num.* 14. & 17. Votum autem solemne Religionis æque præstans est ac juramentum, adeoque etiam juramentum pari metu præstitum est nullum. 31

Nec tale juramentum obligat, nec ulla indiget relaxatione, aut absolutione, Rosignol. *l. c. n.* 22. & ipso teste Butrius, Panormitan. & Doctores communiter *in cit. cap. Ex litteris* 11. *de desponsat. impuber.* Joann. Angelus Bossius *de Matrimon. cap.* 12. *num.* 143. Rodriquez *tom.* 1. *Summæ cap.* 231. con- 32

conclus. 4. *& cap.* 244. *concl.* 4. Azorius *Instit. moral. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 29. *qu.* 6. Basilius Pontius *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 12. La Croix *loco cit. num.* 108. Layman. *lib.* 3. *Theol. moral. tr.* 4. *c.* 6. *n.* 3. Sporer *loc. cit. n.* 170. ex alii contra alios; Et ratio est, quia ut patet ex dictis *num. antecedenti*, juramentum adjectum contractui per metum gravem inito non ligat, & nullum est; vinculum autem, quod non est, neque indiget solutione, seu relaxatione; hocque clare patet *ex cit. cap. Ex litteris* 11. *de desponsat. impuber.* ubi est sermo de sponsalibus juratis; Tum quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis; *cap. Quanto* 18. *de jurejurando*, *can. Inter cetera* 22. *caus.* 22. *quæst.* 4. cum similibus, adeoque non potest obligare ad servanda sponsalia de jure nulla, utpote per iniquum, & injustum gravem metum extorta, sicque nulla indiget relaxatione, aut absolutione, cum jus illud ab initio irritet, ut recte dicit la Croix *loco cit. num.* 108.

33 An sponsalia contracta per metum reverentialem sint invalida, & nulla; Vid. verb. *Metus a nu.* 20. *ad num.* 24. & discurre proportionaliter, sicut *ib.*

34 Sponsalia contracta per metum levem, etiamsi injuste incussum, sunt valida. Vide verb. *Matrimon. quoad Impedimenta art.* 1. *numer.* 195. & discurre proportionaliter sicut *ibi*, quia solus, & omnis metus sufficiens ad invalidandum Matrimonium, regula generali tradita a Sporer *loco cit. num.* 170. est sufficiens ad invalidanda sponsalia.

35 In foro externo generaliter loquendo, nisi aliunde de intentione constet, censenda sunt contracta vera sponsalia per illa verba, quæ juxta communem intelligentiam, & communem loci usum, aut consuetudinem loquendi veram promissionem futuri Matrimonii significant. *Communis*, per clarum text. *in cap. Ex litteris 6. De Sponsalibus*, *l. Labeo* 7. *ff. De supellectili legata*, *l. Semper in stipulationibus* 35. *ff. de regulis juris*.

36 In specie verba certo significantia, & importantia sponsalia sunt sequentia, & similia v. g. *Promitto*, *me obligo*, *do tibi fidem meam quod te ducam*. Vel *habeas me infidum*, *nisi te ducam*; Vel *accipiam te*. Vel *sub mea fide te ducam*. Vel *Promitto me ducturum te in meam*, *vel in sponsam meam*. Vel *accipiam te in uxorem*, si altera respondeat, *Ego te accipiam in virum*. Vel *non alium*, *sed te ducam*, Vel *promitto tibi tecum contrahere Matrimonium*. Vel *in crastinum te ducam*, & hujusmodi. Sic expresse tradunt Tamburinus *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2. §. 5. *num.* 7. Sporer *loco cit. num.* 179. Gobat *tom.* 1. *tract.* 10. *num.* 48. testans cum Sanchez, & aliis de communi, Reiffenstuel *l.* 4. *Decret. tit.* 1. *n.* 30. ubi sequentia verba tamquam certo significantia sponsalia enumerat. *Promitto tibi matrimonium*, *& Ego tibi*. Vel *obligo me*, *quod velim tibi nubere*. Vel *te ducere*. Vel *tecum contrahere*. Vel *per fidem meam*. Vel *Quam vere vivo*. Vel *Quam vere homo sum*. Vel *quam vere ita vocor*. Vel *quam vere honestus sum*, *ducam te*, *vel accipiam te*, *nubam tibi &c.* Vel *sim nequam*. Vel *sim infidelis*, Vel *Diabolus me rapiat*, *nisi ducam te*; *&c.* Vel *tu sis futura mea uxor.* Vel *volo te habere pro futura mea uxore*. Quamvis enim non in omnibus supradictis habeatur expresse terminus *Promitto*, *Juro*, *me obligo &c.* sed simpliciter dicatur *accipiam te*, *ducam te*, *volo te accipere*, *ducere &c.* tamen cum per similia verba juxta communem intelligentiam, communemque usum, & consuetudinem loquendi vera futuri Matrimonii promissio intendatur, & significetur, ita sic loquentes, & promittentes, vera sponsalia intendisse, præsumi & judicari debet; *arg. cit. cap. Ex litteris 6. de sponsalibus*, *l. Labeo ff. de suppellectili legat. l. Semper in stipulationibus*, *ff. de Reg. Juris*: Dummodo tamen semper accedat similis reciproca, & mutua utriusque partis promissio per dicta *supra num.* 10.

Verba certo non sponsalia, sed Matrimonium significantia sunt sequentia, & similia v. g. *Accipio te in meam*. Vel *Habeo te in uxorem*. Vel *Jam ex nunc reputo te in uxorem*. Vel *jam ex nunc reputo posthac*, *ab hoc tempore providebo tibi ut meæ uxori*. Vel *semper*, *seu post hac omnibus diebus vitæ meæ habebo*, *tenebo te pro mea uxore*, Vel *ex nunc*, *post hac eris mea uxor*. Vel *ex nunc accipio te in maritum*, & hujusmodi verba mutuo, & reciproce prolata: Quamvis enim ea verba futuri temporis, *mea eris*, *habebo*, *tenebo tractabo*, *providebo* ex se significent, & constituant tantum sponsalia, quatenus tamen additur ejusmodi particula: *Jam*, *ex nunc*, *semper*, *omnibus diebus vitæ meæ &c.* jam important etiam verum consensum de præsenti, adeoque verum Matrimonium, etiam ubi receptum est Concilium Tridentin. si interveniat legitima Parochi, & testium præsentia. Sic Tamb. *l. cit. n.* 29. Sporer *loco cit. num.* 180. Gobat *loco cit. num.* 51. *& seq.* & alii passim *arg. c. Si inter virum* 31. *de sponsalibus*. 37

Verba sub dubio constituentia sponsalia nisi major expressio addatur, sunt sequentia, & similia; v. g. *Te desponsabo*. Vel *tecum sponsalia contraham*. Vel *Volo contrahere tecum*. Vel *Placet te ducere*. Vel *Propino tibi ad Matrimonium*. Vel *promitto tibi amorem*, *& fidelitatem*, & alia hujusmodi; similia enim verba, nisi alia addantur, vel adsint aliæ circumstantiæ, non continent certo, sed tantum dubie promissionem Matrimonii, cum si loquamur de ultimis, amor, & fidelitas possint etiam in aliis rebus præstari; Vel si loquamur de primis, potest per illa intelligi tantum promissio sponsalium, non Matrimonii; Et si loquamur de ceteris aliis, per illa significatur tantum animus, seu propositum faciendi sponsalia, seu affectus ad Matrimonium; at per illa necdum admittitur obligatio, nisi major expressio addatur, aut tales interveniant circumstantiæ, unde cognoscatur per similia verba sic loquentes vere promittere futurum Matrimonium, sicque vera, & certa contrahere sponsalia cum obligatione promissum Matrimonium realiter effectuandi: Sic Gobat *loc. cit. a num.* 43. Sporer *loco cit. a num.* 180. La Croix *lib.* 6. *part.* 6. *a num.* 126. Reiffenstuel *loco cit a numer.* 33. cum pluribus aliis apud ipsos. 38

Hæc verba: *Non ducam aliam*, seu *Nullam aliam ducam quam te*. Vel, *Præter te*, aut *Nisi te*, probabilius non faciunt sponsalia, nisi aliunde ex circumstantiis alia intentio constet, seu colligatur. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 19. *n.* 5. cum pluribus 39

bus ibi allegatis, Guttierez *Canonicar. qq. lib.* 1. *q.* 21. *num.* 13. Layman. *Theol. moral. tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Sporer *loc. cit. n.* 185. Alciat. *in leg. Actione, Cod. de transactione*. Aversa *q.* 8. *sect.* 3. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 427. cum aliis ibi citatis, Gobat *tom.* 1. *tract.* 17. *n.* 60. Reiff. *l. c. n.* 33. Tamburin. *loco cit. n.* 60. Rota *part.* 4. *decis.* 656. *tom.* 3. *recent. num.* 4. Pontas verb. *Sponsal. cas.* 24. & alii plures contra alios: ratio est, quia similia verba faciunt solummodo sensum exceptivum, seu exclusivum, & conditionatam promissionem, nempe, *Si aliquam sum ducturus, ducam te*. Unde quamvis vi talis promissionis eam ducere deberet, si nubere vellet; *arg. Si sterilis* 21. §. 5. *de Act. empt.* tamen omnino etiam abstinere potest a Matrimonio.

Et sic censuit *Sac. Cong. Concil. in Vintimilien. Sponsalium die* 1. *Junii* 1709. ubi de sponsalibus contractis sequentibus verbis; *Io infrascritto Antonio Levame dico, e prometto di non sposare altra Figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non sposare altro giovine che me*, discussis dubiis 1. *An constet de validitate sponsalium inter Antonium Levame, & Benedictam Genam, & quatenus affirmative*, 2. *An dictus Antonius Levame sit cogendus, vel potius possit ab eis recedere contrahendo cum altera in casu &c.* fuit rescriptum *ad* 1. *Ex hactenus deductis non constare de sponsalibus absolutis*. *Ad* 2. *Negative quoad primam partem, & quoad secundam dilata*. Et reproposita causa sub consueto dubio, *an sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c. Die* 28. *Septembr. ejusdem anni* 1709. dictum Rescriptum fuit confirmatum, & additum fuit, *Antonium posse cum altera muliere Matrimonium contrahere*. Et sic etiam respondit *ead. Sacr. Cong. in Mediol. Sponsalium die* 13. *Julii* 1725.

40 Non solum verbis, seu Epistolis similia verba continentibus, sed etiam signis, seu factis consensum internum exprimentibus sponsalia contrahuntur. *Comm. arg. c. Cum apud* 23. *de sponsal.* ubi habetur etiam mutum contrahere posse sponsalia addita hac ratione: *Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*, & concordat *cap. Tuæ* 25. *eod. & cap. Si infantes unic. de desponsat. impub. in* 6.

41 In foro externo, generaliter loquendo, sponsalia contracta esse censentur, ac præsumuntur per illa signa, seu facta, per quæ concurrentibus circumstantiis juxta communem intelligentiam, ac usum, & consuetudinem loci, voluntas seu sensus internus contrahendi exprimi, & manifestari solet. *Communis, arg. c. Ex litteris* 7. *de sponsalibus, l. Labeo* 6. *ff. de supellectili legat. & l. Semper* 34. *ff. de Regul. Juris*, ibi: *Semper in stipulationibus, & in ceteris contractibus id sequimur, quod actum est. Aut si non appareat quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur*.

42 Sic concurrente circumstantia præcedentis tractatus Matrimonii, seu verbi unius censentur, & præsumuntur contracta sponsalia per immissionem, seu donationem, & receptionem annuli, *arg. cap. Si quis* 15. *caus.* 27. *q.* 2. *cap. final. de desponsat. impuber.* Glossa communiter recepta *in cap. Si inter* 32. *verb. dicente, de sponsalibus*, Reiffenstuel *loco cit. num.* 57. Sporer *loco cit. num.* 189. Mascard. *de probationibus concl.* 1024. *num.* 2. *& seq.* Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 22. *num.* 3. & alii passim; Et ratio est, quia præcedente contractu, aut verbo unius de futuro Matrimonio, traditio annuli facta a juvene, & acceptatio ejusdem facta a puella secundum communem usum, & æstimationem hominum habentur pro certo signo consensus ad futurum Matrimonium, adeoque in foro externo per id censentur, & præsumuntur contracta vera sponsalia, *arg. cit. cap. Ex litteris, cit. l. Labeo, & l. Semper*.

Item concurrente circumstantia præcedentis tractatus Matrimonii per missionem, seu donationem & acceptationem aliorum munerum juxta morem sponsorum censentur, & præsumuntur contracta sponsalia, Sanchez *loc. cit. n.* 5. cum aliis ibi allegatis, Sporer *loc. cit. n.* 190. Gobat *loco cit. nu.* 69. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 59. & alii: Currit enim eadem ratio in simili circumstantia de donatione & acceptatione aliorum munerum, ac de donatione, & acceptatione annuli; Ubi autem eadem est ratio, eadem est Legis dispositio, *l. Illud* 32. *ff. Ad Legem Aquiliam, & cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episcop.* Cum ratio Legis sit anima Legis, *l. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum*, adeoque &c. 43

Item in simili circumstantia præcedentis tractatus Matrimonii per porrectionem manus ab uno factam, & ab altera sine renitentia, & contradictione acceptatam censentur, & præsumuntur contracta sponsalia, Sanchez *loc. cit.* Sporer *loco cit. num.* 188. Gobat *loco cit. n.* 66. Reiffenstuel *loco cit. n.* 60. & ipso teste alii communiter per dicta, & Jura adducta *n.* 42. *&* 43. 44

Per omnia autem supradicta, si non concurrat circumstantia præcedentis tractatus Matrimonii, nec ad hoc speciale quid habeat consuetudo loci, non censentur nec præsumuntur contracta sponsalia in foro externo. Abbas *in cap. final. de desponsat. impuber. num.* 7. Mascardus *loc. cit. n.* 2. *& seq.* Sanchez *loc. cit. disp.* 22. *num.* 1. Reiffenstuel *loco cit. num.* 66. & alii communiter. Et ratio est, quia donatio, & acceptatio annuli, aliorumque munerum, sicut porrectio, & acceptatio manus, sunt signa, & facta æquivoca, cum etiam ob alias causas fieri possint, & soleant, *arg. cap. Illud* 11. *de præsumptionibus*; Fieri enim possunt, & interdum solent ob turpem, vel etiam castum amorem, ob amicitiam, ob signum memoriæ, ob mutuum affectum, aut ob spem futuri Matrimonii, adeoque &c. 45

Quando verba, signa, aut facta, omnibus consideratis, adhuc remanent dubia, an inducant vera sponsalia, vel non? & qui ea protulit, aut edidit, negat ea protulisse, aut edidisse intentione promittendi Matrimonium; Tunc Judex debet negantem absolvere, præsertim si ei delato juramento purgatorio juret absolute non habuisse talem intentionem; In dubio enim magis præsumitur pro libertate, quam pro obligatione *l. Adrianus* 47. *ff. de obligationibus, & actionibus*, ibi: *Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum; Ubi de liberando ex adverso quæritur, ut faciliores simus ad liberandum*; & concordat *cap. Ex litteris* 3. *de probationibus*, ubi expresse dicitur, quod *promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, &c.* 46

In ob-

In obscuris 30. de Regulis Juris in 6. ibi: *In obscuris minimum est sequendum*, idest quod minus obligat, & onerat: Tum quia in dubiis, ambiguis, & obscuris recurrendum est ad mentem proferentis, eique saltem jurato credendum, *arg. cap. Cum in tua 6. §. final. qui Matrimonium accusare possunt, & cap. Pastoralis 4. in fine de exceptionibus, cap. Præsentium 31. de testibus, can. Si verum esset 1. caus. 31. quæst. 2.* cum similibus; Et sic in specie tenent Gailus *lib. 2. Observat. 48. num. 24. & seq.* Felinus *in cap. Quando, de præsumptionibus n. 6.* Reiffenst. *loco citato num. 45.* & alii passim; Et universaliter quando de mente, & conscientia alicujus, agitur, statur Juramento illius, uti recte docet Glossa communiter recepta *in cap. Significasti 16. de homicid. voluntar. verb. Si ita est.*

47 Quando vero verba, signa, aut facta secundum communem usum, & consuetudinem loci sunt clara, & sponsalia vere significant, tunc negans condemnari debet, nec debet admitti ad juramentum, quamvis dicat se ad obtinendum usum corporis, vel ob alium similem finem jocose, ficte, dolose, aut fraudulenter protulisse, aut edidisse, nisi jocum, fictionem, dolum, aut fraudem legitime probaverit: Turpitudinem enim suam allegans jam suspectum se facit, & indignum fide, sicque minus habilem, ut ei juramentum deferatur; Nam *allegans suam turpitudinem non est audiendus, nec fides est ei præstanda*, maxime ubi id potest esse in præjudicium tertii; *arg. c. Inter dilectos 8. de donationibus* & Glossa *ibid. verb. Turpitudinem*, adducens varia jura, & alia Glossa *in cap. Officii, de Pænitent. & remissionib.* Hocque satis evincit textus *in l. Mercedem, Cod. de condict. ob turpem causam, leg. Transactione Cod. de transactionib.* Sic expresse pluribus adductis defendit Reiffenstuel *loco citat. numer. 7. 8. & 48.* Vide *supra numer. 7.* & verb. *Juramentum artic. 2. a numer. 25.*

48 Quando verba, signa, aut facta clare significant sponsalia, & Reus absolute negat se ea protulisse, aut edidisse, nec Actor id plene probare potest; quid in tali casu facere debeat Judex, & cui juramentum sit deferendum? Vide verb. *Juramentum art. 2. num. 25.* & discurre proportionaliter sicut *ibi.*

49 Sponsalia vera quamvis occulta obligant sub mortali. *Communissima, argum. cap. Præterea 2. de sponsalibus*, ubi expresse statuitur, quod *hi, qui Matrimonio contrahendo pure, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent, & cap. Ex litteris 10. eodem titulo*, ubi sub excommunicationis pœna mandatur, ut qui sponsalia contraxit, præstitam fidem de nubendo observet, ibi: *Mandamus quatenus ..... eum moneas, & si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet*; Pœna autem excommunicationis non debet infligi, nisi pro peccato mortali, *cap. Nemo 41. caus. 11. quæst. 3.* ibi: *Non nisi pro mortali debet imponi crimine*; In Ecclesia enim non datur major pœna ipsa Excommunicatione, *can. Corripiantur 17. caus. 24. quæst. 3.* ibi: *Qua pœna in Ecclesia nulla major est*, adeoque &c.

Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo, nisi justa causa excuset. *Communis arg. l. Solutum 85. ff. de solutionibus*, ibi: *Solutum solvitur non minus quantitate, quam die*; Contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur, ut expresse dicitur *in cap. Contractus 85. de Reg. Juris in 6.* & pacta justa servanda sunt, *leg. Si quis in conscribendo 39. Cod. de pactis, capit. Antigonus 1. & cap. Qualiter 3. de pactis*, cum similibus. 50

Et procedit conclusio, quamvis in hoc casu pars altera non urgeat, quia dies statuta interpellat pro homine, *arg. cap. Potuit 4. de Locato, & conducto*, ibi: *Non obstante quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet.* Et concordat *l. Magnam 12. Cod. de contrahenda stipulatione, & l. In Emphyteuticariis 2. de Jure Emphyteutico*, ubi clare ad rem. 51

Unde si ratione culpabilis moræ unius altera pars aliquod damnum patiatur, debet illud damnum ei penitus resarcire, *arg. c. Mora sua 25. de Regul. Jur. in 6.* ibi: *Mora sua cuilibet est nociva*: Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, *capit. Si culpa 9. de injuriis, & damno, l. Qui occidit 30. §. 3. ff. Ad Legem Aquiliam.* 52

Si autem intervenerit aliqua rationabilis causa, possunt licite sponsalia differri quo ad effectuationem Matrimonii, *arg. c. Ex litteris 10. de sponsalibus*, ubi dicitur, quod ob rationabilem causam possint sponsalia omnino dissolvi, ibi: *Nisi rationabilis causa obstiterit*, unde a fortiori ob eam licite differri poterunt, & ideo *supra num. 49.* fuit notanter dictum: *Nisi justa causa excuset*, quia ut statuitur *cap. Imputari 41. de Regul. Jur. in 6. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum, & ex capit. Cognoscentes 2. de Constitutionibus* ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* 53

Si nullum certum tempus sit præfixum ad Matrimonium contrahendum, tenetur quisque contrahere altero exigente, quam primum commode potest, Sanchez *l. 1. de sponsalibus disp. 28. nu. 2.* Tannerus *tom. 4. dis. 8. quæst. 1. dub. 3. numer. 35.* Pirhing *lib. 4. decretal. tit. 1. num. 16.* Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 245.* & alii plures. Et ratio est, quia id generale est in omni debito, cui dies certus præfixus non est. Non enim prius tenetur debitor solvere, quam Creditor postulaverit, *l. Debitoris 10. de pignoribus.* Reiffenstuel autem *loco citat. num. 143.* Pontius, Castropal. Coninch. Ledesma, & alii ab ipso ibi allegati tenent, quod sponsalia in tali casu obligent ad contrahendum Matrimonium statim, quam primum commode, & humanitus fieri potest, etiamsi ab aliqua ex spondentibus parte monitio, aut requisitio non fiat. At recte Sporer *tom. 3. part. 4. capit. 2. num. 420.* dicit facile has sententias conciliari, si dicatur obligari quidem statim, quia natura promissionis est, ut servetur quam primum moraliter, & hu- 54

mano

mano modo servari potest, at excusari hujusmodi sponsos, quoties alter non requirit, cum posset, quia tunc censetur remittere, & non curare de dilatione, quod & admittit Reiffenstuel ipse *loco citato num.* 149. concedendo, quod altera pars censeatur remittere, si tales adsint circumstantiæ aut signa, ex quibus prudenter colligi possit dictam partem alteram dilationi consentire. Ceterum quo ad hoc servandum salubre monitum Sacræ Congregationis Concilii apud Sporer *loco cit. num.* 420. & Reiffenstuel *loco citat. num.* 151. referentes ex Gallemart. dictam Sacram Congregationem ad Trident. *sess.* 24. *capit.* 1. sic provide statuisse: *Monendi sunt Sponsi, ut factis Sponsalibus quam primum contrahant Matrimonium per verba de præsenti coram parocho, & testibus, ne Sponsæ stupri periculum subeant.*

55 Recusans post legitima sponsalia contrahere Matrimonium potest, & debet ad id compelli per competentia juris remedia, nisi rationabilis causa obstiterit. *Communis, ac certa* per textum *in cap. Præterea* 2. *de Sponsalibus*, ubi expresse statuitur, quod *hi, qui de Matrimonio contrahendo pure, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent, & cap. Ex litteris* 10. *eod. titul.* ubi expresse mandatur: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas, & si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

56 Et conclusio procedit, sive sponsalia fuerint jurata, sive non, ut tradunt communiter Doctores, & Rota *part.* 3. *recent. decis.* 742. *nu.* 1. *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 451. *num.* 2. *decis.* 666. *sub num.* 2. *Annot. ad decis.* 431. *num.* 62. *part.* 4. *tom.* 2. *& decis.* 163. *num.* 4. *& seq. part.* 9. *tom.* 1. Et ratio est, quia Judex Ecclesiasticus potest, & non debet jurantem tantum, sed etiam simpliciter promittentem, aut contrahentem debitis juris remediis ad observanda promissa, & pacta compellere, præsertim ad instantiam partis, *cap. Antigonus* 1. *de pactis*, ibi; *Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sentiat disciplinam; & cap. Qualiter* 3. *eod.* ibi: *Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*, juncto ejus Summario, ubi expresse dicitur: *Judex debet studiose agere, ut promissa adimpleantur*,

57 Pro compellendo tali renuente contrahere Matrimonium debet Judex Ecclesiasticus ante omnia ipsum renuentem debito modo monere, adjunctis etiam minis, ut suæ obligationi satisfaciat, promissum Matrimonium contrahendo. *Communis*, textu expresso *in citat. cap. Ex litteris* 10. *de sponsalibus* ibi: *Moneas, & si non acquieverit monitis .... compellas*; & concordat *cap. Non invenitur* 41. *caus.* 23. *qu.* 4. ubi pro ratione, & modo præscribitur, ut monitio severitatem præcedat.

58 Deinde si monitione, & minis Judex Ecclesiasticus nihil proficiat cum tali renuente matrimonium contrahere, potest etiam adhibere nedum pœnam pecuniariam, sed & carceres, aut alias pœnas corporis afflictivas, si eas adhibendi occasionem habeat. Fagnan. *in capit. Pervenit* 2. *de Adulteriis a num.* 10. Barbosa ad Concil. Triden. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat. num.* 28. Castropal. *de sponsalibus disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 2. Marc. Anton. Genuens. *in Practic. Eccles. quæst.* 780. *num.* 4. Antonell. *in prax. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 3. *& seq.* Reiffenstuel *loco citat. num.* 157. qui testatur supradictos Doctores cum communi, & hodie certa asserere Judicem Ecclesiasticum in causis tam civilibus, quam criminalibus ad se pertinentibus omnino posse carceribus, & aliis pœnis corporis afflictivis Laicos compellere, quin & debere hoc facere, antequam ad censuras Excommunicationis, aut Interdicti contra eos in præfatis causis procedat.

Et si nec etiam carceratione, aut aliis pœnis 59 corporis afflictivis aliquid efficiat, tunc potest, & debet renuentem etiam censura Excommunicationis, ad nubendum compellere. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Ex litteris* 10. *de sponsalibus*, ibi; *Et si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet*; & concordat Concil. Tridentin. *session.* 25. *de reformat. capit.* 3. §. *Quod si executio.*

Si autem Episcopus, non adhibita carceratione, 60 aliisque pœnis corporis afflictivis, statim Censuras adhibeat pro compellendo ad contrahendum Matrimonium talem renuentem, illicite quidem, sed tamen valide, aget, & Censuræ sic statim inflictæ valebunt. Sic Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 96. *num.* 39. & ad Concil. Tridentin. *sess.* 25. *de reform. capit.* 3. *num.* 21. cum Guttierez, Campan. Escobar. Mascard. Ant. Genuens. & aliis ab ipso citatis *dict. allegat.* 96. *numer.* 39. Reiffenstuel *loco citat. num.* 162. & alii. Et ratio est; quia Concil. Triden. *loco citat.* non annullat Censuram latam contra modum ibi præscriptum, sed tantum declarat illicitam, cum non imponat formam necessario observandam, sed tantum tradat instructionem, ut docent supracitati Doctores *arg. leg. A. D. Pio §. In vindicatione, ff. de re judicata*; ubi statuitur modus observandus in quavis executione facienda, hanc pariter admittere interpretationem, ut executio aliter facta non subjaceat nullitati. Sic expresse Barbosa ad Concil. Triden. *loco citat. & cit. allegat.* 96. *num.* 39. cum plurimis ibi cit.

Si tandem, adhibitis omnibus supradictis me- 61 diis, etiam Censuris, adhuc renuat cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti, & absolvi, præsertim si advertatur magna animorum aversio, ita ut ex tali futuro Matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiæ, jurgia, scandala, verbera, mutilationes, & alia similia gravia incommoda. Sic Rota *par.* 4. *recentior. tom.* 3. *decis.* 651. *numer.* 10. *&* 11. *part.* 15. *decis.* 145. *num.* 6. ubi *num.* 7. subjungit, nec posse damnari ad pœnam pecuniariam, seu conventionalem; ne quis pœnarum metu cogatur ad Matrimonium, in quo omnimoda libertas consensus esse

esse debet, ut prosequitur *ibidem num.* 8. Et sic Glossa *final. in cap. Pervenit* 2. *de adulteriis*, Joannes Andreas *in cap. Ex litteris* 10. *de Sponsalibus num.* 12. & *ibi* Ancharanus *num.* 5. Covarruvias *de Sponsalibus part.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. *& seq.* Guttierez *de jurament. part.* 1. *cap.* 51. *num.* 4. Sanchez *lib.* 1. *de Sponsalibus disp.* 29. *num.* 7. *&* 8. Gobat *tom.* 1. *tract.* 10. *num.* 127. *& seq.* cum aliis ibi citatis Sporer *loco citat. numer.* 421. cum aliis ibi allegatis, Reiffenstuel *loco citat. numer.* 163. & ipso teste *Communis aliorum*, *arg. capit. Requisivit* 17. *de Sponsalibus*, ubi Lucius III. Papa sic expresse respondet: *Requisivit a Nobis tua Fraternitas, qua Censura mulier compelli debeat, quæ juris jurandi religione neglecta nubere renuit ei, cui se nupturam interposito juramento firmavit? Ad quod breviter respondemus, quod cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*, quod intelligi debet de finali & nimia coactione, juxta dicta supra, *& citat. capit. Ex litteris* 10. *de Sponsalibus*, ubi Censuris compelli jubetur renuens nubere, *Nisi rationabilis causa obstiterit*. Revera autem videtur obstare rationabilis causa non compellendi ipsum Censuris ad sic nubendum, cum Judex ex circumstantiis prudenter colligere possit præfatam animi aversionem, ex qua indubitanter oritura forent tot ingentia dicta mala, & gravia incommoda, *arg. can. Principatus* 23. *caus.* 1. *quæst.* 1. ubi ex verbis S. Leonis Papæ expresse dicitur: *Difficile est ut bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio*, adeoque &c.

62 Nec quid novi induxit circa id Concilium Tridentin. sed in robore reliquit dispositionem Juris Canonici *in citat. capit. Requisivit* 17. *de Sponsalibus* de non cogendo finaliter ad nubendum talem renuentem nubere, ut habetur ex sequenti declaratione Sacr. Congregat. Concilii relata ab Ursaya *tom.* 3. *part.* 1. *decision.* 19. *numer.* 216. his verbis:

Hieracen. Præsupposito, quod Matrimonium sit factum absque Parochi præsentia, & duorum, vel trium testium, quo casu irritum declaratur a Tridentino Concilio sess. 24. *de reformatione Matrimonii cap.* 1. *vers. Qui aliter*; Quæritur.

An dictum Matrimonium transeat in Sponsalia de futuro, ita ut cogi possit Vir per Censuras, aliaque Juris remedia ad servandam fidem Sponsæ, quando maxime sequuta sit copula?

Et an si fuerint sequutæ promissiones, & data fides de contrahendo Matrimonium per verba de futuro, possit cogi nolens contrahere ad contrahendum per verba de præsenti cum solemnitatibus Sacri Concilii, cum jure Canonico videatur contrarium decisum ex cap. Requisivit, *de Sponsalibus*.

Die .... *Novembris* 1589. *Quoad primum S. C. censuit non transire. Quoad secundum de cogendis contrahentibus ad observanda sponsalia nihil novi induxisse Concilium Trident. A. Card. Caraffa lib.* 6. *decretor. fol.* 62.

Et abstinendum esse a coactione reluctantis sponsi, vel sponsæ, & permittendas nuptias cum alia, seu alio censuit *Sacr. Congregat. Concil. in Senogallien. Sponsalium* 1. *Septemb.* 1714. *in Majoricen. Sponsalium* 24. *Aprilis* 1724., *in Mediolanen. & Salernitanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725. *in Neapolitana* 17. *April.* 1728. *& in Gallipolitana Sponsalium* 28. Februarii 1773. apud Thesaurum Resolution. Sacræ Congreg. Concilii *in dict. Gallipolitana tom.* 6. Nec etiam cogenda sunt effectuari sponsalia inter consanguineos, seu affines inita sub conditione Apostolicæ dispensationis obtinendæ; ipsa enim declarata fuerunt irrita, & invalida a Sacra Congregatione Concilii *in Brugnaten. Sponsalium* 26. *Januar.* 1709. *& in Januen. Sponsalium* 12. *Decembr.* 1733. apud dict. *Thesaurum tom.* 6.

Unde recusantem Matrimonium contrahere post sponsalia posse quidem moneri, & juxta Sacrorum Canonum præscripta compelli comminatione Censurarum, non autem posse præcise cogi, propugnat Rota *part.* 4. *recentior. tom.* 3. *decis.* 656. *num.* 10. *&* 11. *part.* 15. *decis.* 142. *num.* 6. & potissimum ubi adsit aliqua justa causa resiliendi a sponsalibus: quo casu Judex potest quidem monere, ut ad effectuationem Matrimonii deveniat, non autem potest cogere, neque per Censuras, & præsertim si timeatur, quod Censuræ sperni possint; Vel quod per Matrimonium coacte initum gravius malum oriri possit. Rota *part.* 16. *rec. decis.* 19. *num.* 2. *&* 44. *part.* 14. *decis.* 185. *n.* 5. 63

In tali enim casu potest Judex omnino abstinere a Censuris, si prudenter prævideat, quod illæ nihil efficient, ut prævidere potest, si animadversio nimia dignoscatur. Sic Covarruv. *de sponsalibus part.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 5. Sanchez *loco citat. nu.* 4. *&* 7. cum pluribus aliis ibi allegatis, Reiffenstuel *loco citat. num.* 164. Gobat *loco citat. num.* 128. & plures alii. 64

Et in casu, quo talis renuens Matrimonium effectuare, fuerit ob id excommunicatus, tunc Judex Ecclesiasticus non solum sponsum petentem absolutionem absolvere potest, postquam diu stetit excommunicatione innodatus, sed eumdem etiam non petentem absolvere tenetur; In simili enim casu æque pia, ac laudabilis praxis Ecclesiæ est talem excommunicatum etiam non petentem, immo invitum absolvere, *Sponsoque primævam libertatem restituere*, juxta præcisa verba Rotæ, & ad terminos Auctoritatum allegatarum *in Comen. Sponsalium* 10. *Junii* 1705. §. *Concurrente*, *coram Molin.* Sic refert, & tenet expresse Ursaya *tom.* 7. *part.* 1. *discept.* 21. *numero* 244. *& tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 19. *numer.* 252. & sic tenet cum pluribus aliis Gobat *loco citat. numer.* 128. *&* 129. (*) De hoc tamen vide distinctionem allatam infra *novæ additiones ex aliena manu*, quæ omnino necessaria est (*). 65

Tempus autem, quod decurrere debet, antequam talis renuens excommunicatus absolvatur, regulariter solet esse illud unius anni, ne postea efficiatur de hæresi suspectus, juxta disposita in Concil. Tridentin. *sess.* 23. *cap.* 3. cum concordant. apud Menoch. *de Arbitrar. cas.* 416. *num.* 55. Verum tamen est, quod ex particularibus facti circumstantiis Rota *in decis.* 242. *num.* 13. *coram Duran.* censuit esse 16. mensium, & *in Majoricen. Censurarum* 15. *Januarii* 1515. §. *Longum*, *coram Card.* 66

Card. Scotto censuit esse spatium 17. mensium. Sic Ursaya *tom. 3. part. 1. citat. discep. 19. numero 254.*

67 Nec in tali casu poterit licite sponsa adhuc urgere negationem talis absolutionis a censura, ut recte docet Gobat *loco citat. num. 129.* ubi insuper dicit cum Perez *disp. 11. sect. 1. num. 4.* quod quando est clarum periculum supradictorum gravium malorum emergens ex horrore, quem sponsus habet adversus sponsam, tunc sponsalium etiam juratorum obligatio hoc ipso cesset, *arg. cit. cap. Ex litteris 40. de sponsalibus*, ibi: *Nisi rationabilis causa obstiterit, & cit. cap. Requisivit 17. eod.* ibi: *Cum libera debeant esse Matrimonia; monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

68 Quamvis autem dicta sponsa non possit in tali casu licite adhuc negationem talis absolutionis urgere, potest tamen licite Jure exigere compensationem omnium damnorum emergentium ex hac dissolutione, ut tradunt communiter Doctores, & expresse Rota *in Majoricen. Censurarum 15. Januarii 1715. §. final. coram Card. Scotto*, ubi eo tempore, quo demandavit absolutionem sponsi renuentis effectuare sponsalia adjecit modum, qui fuit refectionis omnium expensarum, tam judicialium, quam extrajudicialium in causa fact. cum reservatione jurium respectu mulieris in congruo Judicio petendi dotem, quatenus illa de jure deberetur eidem mulieri.

69 An autem pars innocens, etiamsi nullum damnum patiatur, possit ab altera parte sine legitima causa a sponsalibus recedente, exigere pœnam conventam; seu an sit licitum, & validum in sponsalibus apponere pœnam solvendam ab illo, qui ab eis injuste resilit? Variant Doctores. Negant enim id fieri posse S. Thomas *in 4. dist. 27. qu. 2. art. 3. ad 4.* sic expresse dicens: *Quandoque autem opponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ, & tunc, quia Matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo, qui non vult Matrimonium complere*, Rota *part. 15. recent. decis. 142. num. 7. & 8.* S. Antoninus *3. part. summ. Theol. tit. 1. cap. 18.* Tamburin. *lib. 8. de Matrimon. tract. 3. §. 3.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. quæst. 1. numer. 44.* Dicast. *disp. 1. dub. 26. num. 36.* Beja *part. 1. cas. 1.* Onnate *de contractibus disput. 34. num. 15.* Tancredus *lib. 1. dist. 30. num. 1.* Kugler *part. 1. numer. 42.* Aversa *quæst. 8. sect. 9.* Sanchez *lib. 1. disp. 30. num. 2.* asserens sic omnes sentire secum, Pontas verb. *Sponsalia numer. 56.* asserens similes pœnales conventiones, aut pactiones numquam tenere, nec in foro interiori, nec in exteriori, quamvis essent juramento firmatæ, cum non liceat Jusjurandum servare præstitum ob rem Legibus Ecclesiasticis vetitam, nec efficiendam sine peccato saltem veniali, quod & tenet Sanchez, & Aversa *loco citato* cum multis aliis. Et quidem stando in rigore juris tum civilis, tum canonici videtur hæc sententia tenenda. Etenim in Jure civili *l. Titia 134. ff. de verborum obligationibus*, sic expresse habetur: *Respondit ex stipulatione, quæ proponeretur, cum non secundum bonos mores interposita sit, agenti exceptionem doli mali obstaturam, quia inhonestum visum est vinculo pœnæ Matrimonia obstringi, sive futura, sive jam contracta*, & *in l. Mulier 5. Cod. de sponsalibus in fine*, ita expresse statuitur: *Extra definitionem hujus Legis, si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat*; & *in l. Libera 2. Cod. de inutilibus stipulationibus* sic reperitur præcise sancitum: *Libera Matrimonia esse antiquitus placuit, ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, & stipulationes, quibus pœnæ irrogantur ei, qui, quæve divortium fecisset, ratas non haberi constat*; Et in jure Canonico *cap. Gemmas 29. de Sponsalibus, & Matrimonio* sic clare disponitur: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus quatenus si ita est, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.*

Nihilominus probabilius id fieri posse, nempe 70
licite, & valide apponi posse in sponsalibus pœnam solvendam ab eo, qui ab illis injuste recesserit, & talem conventam pœnam obligare affirmant Godofr. *in cit. l. Titia 134. ff. de verb. obligat. vers. Quin inhonestum*, Barb. *in citat. cap. Gemmas 29. de sponsal. num. 89.* Engel *lib. 4. Decret. tit. 1. §. 2. numer. 7.* Reiffenstuel *ibid. a num. 187.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 1. nu. 9.* Henno *tom. 2. tract. de Matrimon. disp. 1. quæst. 9. conclus. 2.* Bosco *in Theol. Sacramental. disp. 11. de Matrimon. sect. 1. conclus. 11.* Basilius Pontius *de Matrimon. lib. 12. cap. 19. numer. 8.* Coninch *disp. 22. dub. 5.* Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 211.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de juram. cap. 23. nu. 5.* Vasquez *Opuscul. de testament. c. 3. num. 28.* Castropal. *de Sponsalibus disp. 1. punct. 9. numer. 3.* Gobat *tract. 10. cas. 4. a numer. 172.* Perez *de Matrimon. disp. 7. sect. 1. numer. 6.* Delbene *capit. 8. disp. 19. sect. 4.* Haunold. *de justitia tom. 1. tract. 4. a numer. 362.* Molina, Lessius, La Croix *lib. 6. part. 3. n. 148.* cum pluribus aliis ibi citatis, & valde probabile censet Pirhing *lib. 4. tit. sect. 1. n. 23. vers. Extendunt*, & plures alii.

Et ratio est, quia tales pœnales conventiones, 71
nec sunt contra Jus naturale, nec contra Jus positivum, adeoque validæ sunt & licitæ. Quod non sint contra jus naturale concedunt omnes, etiam ipsimet adversarii, cum ipsemet Deus injuste resilienti apponat pœnam damnationis æternæ, ut patet *supra num. 48.* & Ecclesia pœnam pecuniariam, carceris, & excommunicationis, ut patet *supra num. 56. & 57.* quod non facerent, si appositio pœnæ solvendæ ab injuste resiliente esset contra Jus naturale.

Quod autem tales conventiones pœnales non sint 72
contra Jus positivum, tum civile, tum canonicum clare patet, quia in tantum in allatis juribus reprobantur tales pœnales conventiones, in quantum per ipsas læderetur libertas ad matrimonium requisita, prout fatentur etiam ipsimet adversarii, eo quod hanc rationem allegent omnia *supra citata jura*. Atqui tales conventiones pœnales non lædunt libertatem ad matrimonium requisitam, ergo &c. Pro-

&c. Probatur minor: libertas ad matrimonium requisita non tollitur per graviores pœnas, nempe per pœnas corporis afflictivas, per carceres, per excommunicationem, per pœnam damnationis æternæ, sub quibus a Deo, & Ecclesia compelluntur sponsi ad non resiliendum injuste, & sine legitima causa a promisso matrimonio; ergo neque libertas requisita ad matrimonium tollitur per dictam pœnam conventionalem omnibus supradictis longe minorem, *arg. l. 22. ff. de adult.* Quod autem pœna æterna gravior, & major sit pœna temporali de se patet, & quod corporalis gravior, & major sit pecuniaria, clare constat, *arg. leg. In servorum §. fin. de pœnis* & quod excommunicatio sit gravior, & major pœna, quæ in Ecclesia dari possit, habetur expresse *in can. Corripiantur 17. caus. 24. qu. 3.* ibi: *Qua pœna in Ecclesia nulla major est.*

73 Tum quia posset negari suppositum, quod per dictam conventionem pœnalem tollatur libertas, cum contractis rite sponsalibus, nulla pars libertatem amplius habeat resiliendi injuste, & sine legitima causa a dictis sponsalibus, *arg. cap. Ex litteris 10. de sponsalibus*, ibi: *Si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat.* Quia, ut omnes etiam ipsimet adversarii concedunt, sponsalia rite contracta obligant sub mortali, adeoque sub pœna æterna ad promissum matrimonium effectuandum, sicque libertatem adimunt sponsis injuste & sine legitima causa resiliendi, eisque necessitatem moralem effectuandi dictum promissum matrimonium imponunt, & consequenter libertas moralis non datur ad resiliendum sine causa. Quod enim est inhonestum, hoc secundum leges est impossibile, quia de jure illud tantum possibile, & fieri posse censetur, quod licite fieri potest; *can. Fraternitatis 15. caus. 22. q. 2.* juncta Glossa *ibid. verb. Quod potest*: Hinc allegata Jura ab adversariis prohibent quidem pœnales conventiones tollentes libertatem ad resiliendum juste, & cum legitima causa, quod & nos ultro concedimus. At non prohibent pœnales conventiones ad non resiliendum injuste, & sine legitima causa, cum ad injuste resiliendum, contractis rite sponsalibus, moralem libertatem nulla pars amplius habet: Sicque talia jura permittunt fieri conventiones pœnales ad non resiliendum injuste, & sine legitima causa, quæ est nostra conclusio.

74 Tum etiam quia valide, & licite apponi posse pœnam, ne quis injuste a sponsalibus resiliat, dictamque pœnam ab injuste resiliente posse licite exigi a parte innocente, & debere solvi a parte rea injuste resiliente, conceditur expresse, & statuitur *in Constitut. seu Novella 18. Leonis Imperatoris*: *ut in sponsalibus constituta pœna exigatur*, vere digna, ut integra legatur; unde cum ibi habeatur tam clare, & explicite dicta dispositio, cessat penitus ratio dubitandi de jure civili. Immo etiam de jure Canonico, quia, ubi casus, vel materia in jure canonico obscure disponitur, uti in præsenti (cum *in cit. cap. Gemmas 29. de sponsalibus* sermo sit de sponsalibus inter pueros ante septennium contractis per parentes, uti patet ex textu, & fatentur omnes cum Sanchez *loc. cit. num. 3.* a quibus utpote invalidis non licet argumentari ad sponsalia ab adultis valide contracta); in jure autem civili habetur de tali casu, vel materia, clara dispositio (uti in præsenti, cum citata Constitutio, seu novella 18. Leonis Imperatoris contineat ad rem clarissimam, & expressissimam dispositionem) etiam in foro canonico causa decidi debet juxta jus civile, *arg. cap. Intelleximus 1. de novi operis nunciatione*, ubi Summus Pontifex Lucius III. sic expresse pronunciat: *Sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum statuta Canonum, Principum Constitutionibus adjuvantur.* Ubi Glossa verb. *Adjuvantur* notabiliter infert: *Et ita in causa Ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiamsi Canones deficiant, possit judicari secundum leges*, & Abbas *ibidem numero 3.* merito concludit, quod *causa Ecclesiæ debet decidi per Jus civile in defectum canonum, omnes enim leges Principum non contradicentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic.* (*) Confer Antoine de matrimonio cap. 1. quæst. v. num. 9., & addit. ad Cuniliati tract. XIV. de Sacram. in particul. cap. VII. §. 1. num. IX. (*)

An, & quando resilientes a sponsalibus amittant arrhas. Vide verb. *Arrha*. (*) Olim renuente sponso Arrha cedebat lucro sponsæ; l. 3. Cod. de spons. sed si mulier renuebat, cogebatur restituere arrham cum quadrupli pœna. L. un. Cod. Theod. si nupt. ex rescript. pet. l. 6. Cod. eod. de sponsal. l. unic. Cod. eod. si recte prov. spons. & cum pater sponsæ arrhas suscipiebat, eidem pœnæ se obligabat l. *6. Cod. eod. de spons.* Ex posterioribus vero constitutionibus, justis concurrentibus causis renuendi, arrham tenetur sponsa restituere l. 5. §. 1. Cod. de spons. l. 16. Cod. de Episc. aud. l. 56. Cod. de Episc. & cler. (*) 75

Sponsalia rite contracta variis justis de causis dissolvi possunt. Primo sponsalia puberum etiam jurata valide, & licite dissolvi possunt mutuo consensu. *Communis*, per text. *in cap. Præterea 2. de sponsalib.* juncto ejus Summario, in quo expresse sic habetur: *Sponsalia de futuro dissolvuntur, si Sponsi se dissolvunt, etiamsi fuerint jurata.* Et ratio est, quia ut dicitur *cap. Omnis res 1. de Reg. Juris in 6. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, & concordat *lex Nihil 35. ff. de Regul. Jur.* ibi: *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est*, cum similibus. 76

Secundo dissolvi possunt Sponsalia per recessum unius a sponsalibus; Recedente enim una parte a sponsalibus, sive juste, sive injuste, etiam altera pars recedere potest. *Communis*; Et quidem si una pars juste recedat, jam hoc ipso solvit sponsalia, & altera pars libera manet; si autem injuste recedat, procedit illud vulgatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem, arg. l. Qui fidem 16. de transactionib. & cap. Frustra 75. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.* 77

Quando tamen una pars injuste recedit, non tenetur altera pars recedere, sed potest injuste recedentem tenere sibi obligatum, ita ut hic teneatur 78

ci-

eidem volenti adhuc nubere. *Communis*. Et ratio est, quia peccata suos debent tenere auctores, *l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *cap. Quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte capituli*; Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit: *cap. Cognoscentes* 2. *de Constit.* Nec debet aliquis alterius odio prægravari, *cap. Non debet* 22. *de Regul. Jur. in* 6. *l. Non debet* 74. *ff. de Regul. Jur.* Et nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, *l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Reg. Jur. Ne videatur de sua malitia commodum reportare*, *cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*.

79 Tertio dissolvuntur sponsalia, si unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, tunc enim altera pars ad alia vota transire libere potest. *Communis*, textu expresso *in cap. De illis* 5. *de sponsalibus*, ibi: *De illis autem, qui, præstito juramento, promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non amplius in facto est processum, ad alia se vota transferre*; juncto ejus summario sic dicente: *Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa libere cum alio contrahit*.

80 Nec obstant leges civiles, *ut l. Si is qui* 2. *Cod. de sponsalibus*, ubi statuitur, sponsum absentem intra eamdem provinciam biennio esse expectandum, *l. Liberum est* 2. *Cod. de repudiis*, ubi sancitur esse triennio expectandum, si extra Provinciam absit, *l. Sæpe juste* 17. *ff. de Sponsalibus*, ubi decernitur triennio, quadriennio, & ulterius esse expectandum, si unus ex sponsis ob aliquam causam necessariam absit. Non obstant, inquam, quia præfatæ leges correctæ fuerunt a jure canonico *cit. cap. De illis* 5. *de sponsalibus*; cui juri canonico absolute standum esse in utroque foro, quando sponsus alio se confert ex voluntaria, justa quidem, sed non necessaria causa, docent Henriquez, Rodriquez, aliisque citatis Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. disp.* 54. *num.* 5. Tamburin. *loc. cit. c.* 1. *n.* 9. apud Sporer *loc. cit. num.* 244. & minime attendendas esse prædictas leges in nostro casu, quando scilicet unus sponsorum sine licentia alteris longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, docet cum aliis Reiffenstuel *loc. cit.*

81 *num.* 215. Quamvis tamen plures Doctores, ut Silvester, Canisius, Layman *loc. cit. n.* 14. Glossa, & alii apud ipsos dicant, prædictas leges non esse a jure canonico correctas in casu, quo sponsus ex causa necessaria, seu voluntaria, justa tamen, & utili, v. g. ob bellum justum, ob studia, ob negotiationem, & hujusmodi, diutius abest, deinceps reversurus, & in similibus casibus sponsam debere expectare saltem tantum temporis, quantum constituet judex ecclesiasticus illud moderando ad breviorem terminum, & significando sponso, intra quem teneatur redire, alioquin sponsam liberam fore; Quæ opinio est probabilissima, & mihi videtur in praxi sequenda, cum sic concilietur jus civile cum canonico, nec sit contra nostram conclusionem *sub num.* 75. nam ipsa loquitur de casu, quo unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi; Hinc in casu, quo deinceps reversurus absit ob aliquam supradictam necessariam, seu voluntariam, justam tamen, & utilem causam; tunc sponsa revera expectare debere aliquanto tempore judicis arbitrio, consideratis occurrentibus circumstantiis, significando interim sponso intra quod tempus redire teneatur, alioquin ipsam sponsam liberam fore, ut jam dictum est; Et sic in praxi observari asserit Sporer *loc. cit. num.* 244. Et sic si Sponsus sit in loco propinquo, quod requiri, & admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat, docet Sanchez *loc. cit. num.* 11. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 215. & alii passim.

Quarto sponsalia dissolvuntur per dilationem nimiam matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem; Qui enim differt inire matrimonium ultra tempus, vel terminum in sponsalibus sic præfixum, censetur a sponsalibus resilire, sic, ut altera pars etiam juste resilire, & ad alia vota se transferre possit. *Communis*, per text. *in cap. Sicut* 22. *de sponsalibus*, & *leg. Fidejussor* 29. §. *final. ff. mandati*; Et ratio clara est, quia, ut habetur *in cap. Contractus* 85. *de Regulis Juris in* 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, & concordat *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*. 82

Si autem dilatio fiat ultra tempus, vel terminum præfixum, non ad definiendam, sed tantum ad differendam seu ad exequendam obligationem contrahendi matrimonium, ita ut usque ad illud tempus verb. grat. usque ad Pascha, nulla pars obligetur, sed solum incipiat obligatio post illud tempus, tunc nequeunt dissolvi sponsalia ex eo quod intra illum terminum matrimonium non sit effectuatum, sed manet adhuc obligatio illud effectuandi. *Communis*, *argum. leg. Continuus* 137. §. 2. *ff. de verbor. obligat.* & *l. Celsus* 23. *ff. de Recept. qui arbitrium receperunt*; Et ratio est, quia cum tempus est præfixum, non ad finiendam, sed tantum ad differendam, seu exequendam obligationem contrahendi matrimonium, duplex consurgit obligatio; prima matrimonium contrahendi; secunda tali tempore contrahendi: unde licet hæc secunda obligatio violetur, & ob eam violationem altera pars juste resiliat, manet tamen prior obligatio absoluta, & principalis, scilicet matrimonium contrahendi, si altera pars adhuc velit. 83

Si vero nullum certum tempus præfixum sit ad matrimonium contrahendum, discurrendum est sicuti *supra num.* 53. 84

Quinto sponsalia dissolvuntur per ingressum in Religionem professione sequuta. *Communissima*; per professionem enim religiosam solvitur etiam ipsum matrimonium ratum, *cap. Ex publico* 7. *de convers. conjug.* adeoque multo magis sponsalia de futuro. 85

Per solum etiam ingressum in religionem, licet professione nondum sequuta, dissolvuntur sponsalia ex parte illius, qui in sæculo remanet, ita ut is a promissione sit liber, & si velit, ad alia vota se transferre possit; Sic Innocentius *in cap. Veniens*, *Qui Clerici*, *vel voventes*, & ibi Ancharan. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 42. *num.* 2. 86

num. 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. Sporer *loc. cit. num.* 247. cum Soto, Navarr. Henriquez, Rodriquex, Coninch. Tamburin. & aliis ibi citatis; Reiffenstuel *loc. citat. num.* 226. testans de communi aliorum contra Durandum, & alios apud Sanchez *loc. cit.* Et ratio est, quia illa pars, quæ Religionem ingreditur, ipso facto significat se mutasse voluntatem, & sponsalibus, ac juri suo renunciasse, adeoque relinquit alteram partem liberam; Tum quia per ingressum in religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis; per notabilem autem mutationem ex parte unius solvuntur sponsalia, & tollitur obligatio ex parte alterius; *arg. cap. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, *& cap. Per vestras* 7. *de donation. inter virum, & uxorem*.

87 Per solum autem ingressum in religionem, professione non sequuta non dissolvuntur sponsalia ex parte ingredientis, sed manet adhuc obligatio ex parte ipsius, ita ut si remanens in sæculo velit expectare, & adhuc eum habere velit, teneatur eam ducere, si non secuta professione a religione egrediatur. Engel *lib.* 4. *decretal. tit.* 1. §. 3. *num.* 7. Pirhing *ibid. num.* 50. Reiffenstuel *ibid. num.* 227. Sporer *loc. cit. num.* 248. Layman *loc. citat.* & alii communiter contra Sanchez *lib.* 1. *disp.* 42. *n.* 4. dicentem etiam ex parte ingredientis dissolvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur; Et ratio nostra est, quia solus ingressus in Religionem, non sequuta professione, nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit sponsalia, adeoque &c. Quod enim ex natura sua non solvat sponsalia, clare patet, quia novitius egredi potest e religione, & sponsalia adimplere; Quod autem ea non solvat ex jure aliquo positivo, constat ex eo quod nullum tale jus allegari possit; nam *cap. Verum* 2. *& cap. Ex publico* 7. *de conversione conjugatorum* cum similibus non loquuntur de ingressu, sed de sola professione, adeoque talis Juris positivi dispositio facta de sola professione, non debet extendi ad simplicem ingressum sine professione, quia cum sit odiosa, utpote in præjudicium alterius vertens, restringi potius quam extendi debet, *argum. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*.

88 Sexto sponsalia dissolvuntur ex parte utriusque per susceptionem Sacrorum ordinum. *Communis.* Et ratio est clara, quia per susceptionem sacrorum ordinum redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum ordines sacri ob solemne votum castitatis ipsis annexum reddant suscipientes incapaces matrimonii contrahendi, *cap. Presbyteris* 8. *dist.* 27. *cap. Ante* 1. *cap. Sacerdotibus* 2. *dist.* 31. *cap. Omnium* 1. *cap. Multorum* 2. *cap. De illo* 4. *cap. Si quis* 7. *cap. Subdiaconis* 9. *dist.* 30. *& c. Quod votum unic. de voto, & voti redempt. in* 6. *Extravag. Joan. XXII. Antiquæ concertationi unic. de voto, & voti redempt.* Concil. Tridentin. *sess.* 24. *Canon.* 9. adeoque &c.

89 Non dissolvuntur tamen sponsalia per susceptionem ordinum minorum saltem ex parte eos suscipientis. *Communis.* Et ratio est evidens, quia per susceptionem ordinum minorum non redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum ordines minores non repugnent cum matrimonio, sed promoti ad ipsos possint adhuc valide, & licite nubere, adeoque sponsalia contracta tenentur, quantum est ex parte sua, adimplere: dicitur autem notanter saltem *ex parte eos suscipientis*, quia si sponsus inscia, vel invita sponsa suscipiat ordines minores, probabilius solvuntur sponsalia ex parte ipsius sponsæ, ita ut hæc alteri pro libito nubere possit, ut contra Sanchez *lib.* 1. *disp.* 47. *n.* 1. docent Gobat *tract.* 10. *cas.* 8. *num.* 321. Tannerus *de sponsalibus disp.* 8. *tract.* 4. *qu.* 1. *num.* 53. Sporer *loc. cit. num.* 256. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 230. & alii. Et ratio est, quia tunc Sponsus revera videtur remittere Sponsæ jus suum in illam, cum suscipiendo ordines minores censeatur velle etiam ascendere ad ordines majores, & sic statum assumere incompossibilem cum matrimonio per jura adducta *num. anteced.* Tum quia videtur tunc fieri ex parte Sponsi notabilis mutatio, ob quam communiter nollent puellæ contrahere cum illo, quem scirent in clericum ordinandum, adeoque ob similem sponsi notabilem mutationem solvuntur sponsalia ex parte sponsæ; *argum. cap. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, *& cap. Per vestras* 7. *de donation. inter virum, & uxorem*.

An autem etiam per votum ingrediendi Religionem, aut suscipiendi ordines sacros, vel etiam per simplex votum castitatis dissolvantur sponsalia? Variant Doctores, & quidem quoad votum ingrediendi religionem Layman *loc. cit. num.* 4. Gobat *loc. cit. num.* 314. & alii volunt, ipsum dissolvere sponsalia ex parte utriusque, idest tam ex parte voventis, quam non voventis, quia, dicunt ipsi, promissio matrimonii tacite involvit conditionem, seu exceptionem, *Nisi elegero statum perfectiorem*; Castropal. autem *de Sponsalibus disp.* 1. *punct.* 20. *num.* 4. Tamburinus *lib.* 2. *num.* 7. Sporer *loc. citat. num.* 252. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 234. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *num.* 190. & plures alii probabilius docent, quod per tale votum religionis non illico dissolvantur sponsalia, sed solum suspendantur ex parte ipsius voventis; Et ratio est, quia tale votum ante professionem sequutam non constituit statum, sed relinquit potestatem adhuc implendi sponsalia, cum fieri possit, ut talis vovens religionem, nullibi suscipiatur; vel susceptus tempore novitiatus, iterum egrediatur: in quo casu, cum cesset obligatio voti, subintrat obligatio servandi sponsalia, si altera pars in sæculo remanens adhuc sic velit, ut in simili jam dictum est *supra n.* 83. de ingrediente religionem sine præcedente voto. Nec illa tacita conditio, seu exceptio asserta ab adversariis intellecta in promissione matrimonii quidquam probat contra nostram conclusionem, quia talis conditio, seu exceptio intelligitur solum in ordine ad ipsum statum perfectiorem religionis in effectu, & sequuta professione, non autem in ordine ad solum ejus votum, vel actualem ingressum sine effectuatione professionis: Tum quia tacita illa conditio, seu exceptio inest solum votis, seu promissionibus Deo factis, non autem factis homini, alias enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione, seu exceptione negligere, quod falsissimum est,

est, ut late ostendit Castropalao *tract. de juram.* Et hoc clare ostenditur exemplo; si quis enim vellet dare, vel vovere Deo domum, seu vineam, aliamve rem, quam alteri jam serio promisit, & ad quam alter jus jam habet, id certo non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, quamvis alias Deo, aut piæ causæ dare talem rem sit perfectius, quam dare homini. Aliud autem est in votis, seu promissionibus Deo factis, utpote in quibus Deus ipse solus promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco ipsius perfectius præstetur, *cap. Pervenit 3. de Jurejurando*; Ratio autem potissima cur liceat religionem ingredi, & profiteri cum præjudicio sponsæ, non est, quia religio est status perfectior, sed quia a jure sic concessum est, *arg. Extravag. Joan. XXII. Antiquæ concertationi unic. de voto, & voti redemptione*; ubi quamvis ordines sacri constituant statum perfectiorem, tamen cautum habetur, quod per ordines sacros matrimonium ratum non dirimatur, uti per professionem religiosam, addita hac ratione: *Cum nec jure divino, nec per Sacros Canones reperiamus hoc statutum*.

91 Conveniunt tamen doctores omnes, quod per simile votum dissolvantur illico sponsalia ex parte non voventis, seu remanentis in sæculo, quia hoc ipso, quod quis licite vovet assumere statum repugnantem matrimonio, censetur renunciare sponsalibus, & juri sibi ex ipsis acquisito, adeoque partem alteram relinquere liberam, ut cui vult, nubat; Licet etiam possit, si velit expectare effectuationem professionis, & ea non effectuata, compartem suam ad matrimonium urgere per dicta *supra num.* 82. *&* 83.

92 Quoad votum suscipiendi sacros ordines ipsum solvere sponsalia ex parte utriusque tenent Sotus *de justitia lib.*5. *q.*1. *art.*3. Henriquez *lib.*11.*cap.*14. *n.* 4. Bonacina *q.* 1. *de matrimonio p.* 5. *n.* 20. Dicastill. *disp.* 478. Gobat *loc. cit. num.* 319. & alii quicumque tenentes, quod post contracta sponsalia possint suscipi sacri ordines. Et ratio istorum est, quia sponsalibus videtur inesse hæc tacita conditio seu exceptio: *Nisi voluero ad statum perfectiorem transire*, qualis revera est status clericalis respectu status conjugalis, adeoque &c. Sanchez autem *lib.*1. *disp.* 47. *num.* 5. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 3. *num.* 25. Castropal. *de sponsalibus disp.* 1. *punct.* 19. Rebell. *lib.* 4. *de matrimon. quæst.* 6. *sect.* 5. Engel *lib.* 4. *decret. tit.* 1. *num.* 8. Pirhing *ibid. num.* 57. Reiffenstuel *ibid. num.* 236. Perez *d.* 9. *sect.* 6. La Croix *lib.* 6. *part.* 4. *num.* 196. *&* 200. cum Palud. Krim. & aliis ibi citatis, & plurimi alii, quotquot docent non posse licite suscipi sacros ordines post contracta valida sponsalia, probabilius docent per votum suscipiendi sacros ordines non dirimi sponsalia ex parte sponsi voventis; Et ratio patet per dicta *supra num.* 86. ubi enervatur etiam illa prætensa ab adversariis tacita conditio, seu exceptio imbibita sponsalibus; tum quia hoc ipso, quod sponsus in casu non possit licite suscipere sacros ordines, nec licite, nec valide potest emittere votum illos suscipiendi, cum votum de re illicita, nec licitum, nec validum sit, *arg. cap. Quando* 18. *de Jurejur.*

Per tale autem votum solvi sponsalia ex parte sponsæ tenent Sanchez *loc. cit. num.* 4. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 235. & alii passim Doctores utriusque adductæ sententiæ; Et ratio patet ex dictis *supra num.* 83. *&* 87. Quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen sponsus, quantum est in se, revera intendit, & vult assumere statum cum matrimonio incompossibilem, adeoque censetur renunciare sponsalibus, & juri sibi ex ipsis acquisito, ita ut sponsa, cognito tali voto, possit pro libito, cui voluerit, nubere, *cap. Veniens* 5. *Qui Clerici, vel voventes*; Vel ita nulliter voventem ad sibi nubendum per viam juris cogere. 93

Quo ad votum simplex perpetuæ continentiæ idem dicendum est, ac de voto suscipiendi sacros ordines, quod videlicet non dissolvat sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius: sic Barbosa *in cap. Veniens* 5. *Qui Clerici, vel voventes num.* 2. Abbas *ibid. num.* 2. Jo. Andreas *num.* 3. & Canonistæ communiter, ac omnes supracitati doctores, & alii *arg. cit. cap. Veniens* 5. *Qui Clerici, vel voventes*; Et ratio est eadem, quæ *num.* 88. *&* 89. est adducta de voto suscipiendi sacros ordines. 94

Septimo dissolvuntur sponsalia per matrimonium valide postea, licet illicite contractum cum alia persona. *Communis*, per textum *in c. Sicut* 23. *c. Si inter* 31. *de sponsalibus, & c. duobus modis* 1. *de sponsa duorum*; Quamvis enim, qui jam valide contraxit sponsalia cum una persona, illicite postea contrahat matrimonium cum alia, nihilominus tale matrimonium valet, & sponsalia solvit, etiamsi priora sponsalia fuerint juramento firmata, textu expresso *in cit. cap. Si inter*, ibi: *Sive sit juramentum interpositum, sive non*, cum similibus. 95

An autem per tale matrimonium cum alia initum dissolvantur in perpetuum priora sponsalia, ita ut, quamvis hæc uxor moriatur, aut profiteatur in Religione, sponsus non amplius teneatur ducere primam sponsam, & e contra? Variant doctores, Paludanus enim, Gabriel, Henriqu. Bonac. Becanus, Filliuc. Villalob. Lessius, Laym. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 48. apud la Croix *lib.* 6. *par.* 3. *n.* 201. Tannerus *tom.* 2. *disp.* 8. *q.* 1. *dub.* 4. *num.* 56. *&* 57. Dicastill. *disp.* 1. *dub.* 37. Pirhing *lib.* 4. *decretal. tit.* 1. *num.* 59. Reiffenstuel *ibid. num.* 243. & alii affirmativam sententiam tuentur, & dicunt id satis colligi ex *cit. cap. Si inter* 31. *de sponsalibus, cap. Duobus modis* 1. *de sponsa duorum, & can. ultim. caus.* 27. *quæst.* 2. ex quibus constat, quod sponsalia per matrimonium cum alia contractum solvuntur, adeoque omnino extinguuntur, & non tantum suspenduntur; Obligatio autem semel extincta non amplius reviviscit; *can. Quæris* 129. *dist.* 4. *de consecrat. l. Qui res* 98. §. 8. *de solutionibus*, ibi: *In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest*; Tum quia superveniens fortior, & major obligatio matrimonii videtur extinxisse totaliter debiliorem, & minorem obligationem priorum sponsalium, sicuti votum strictioris religionis extinguitur per professionem secutam in religione laxiore, textu expresso *in cap. Qui post votum* 5. *de Regularibus in* 6. 96

Negativam autem, nempe non penitus per dictum 97

ctum matrimonium extinctam esse obligationem priorum sponsalium quoad sponsum, qui primam fidem violavit, sed solum suspensam fuisse, ita ut remanente libero, teneatur priora sponsalia adimplere ducendo primam sponsam, si ipsa velit, defendunt probabilius Adrian. Ledesm. Hurtad. Vega, Pontius, Aversa, Mastrius, Castropal. Krimer, Kugler, & alii citati, & sequuti a la Croix *loc. cit. num.* 201. Coninch *disp.* 23. *dub.* 4. cum pluribus ibi allegatis, Herincx *disp.* 4. *num,* 42. Tambur. *cap.* 5. §. 5. *num.* 3. Silvius *in supplem. S. Thomæ q.*43. *art.* 3. Pontas verb. *Sponsalia cas.* 18. Sporer *loc. cit. de sponsalibus num.* 263. & alii plures, *arg. cap. Quidem* 3. *de conversione Conjugatorum*, ubi statuitur, quod qui invita uxore professionem in religione emisit, & ob id postea de jure uxori restituitur, si talis uxor præmoriatur, non possit aliam uxorem ducere, sed teneatur votum continentiæ observare, cum vivente uxore fuerit quidem tale votum ex parte suspensum, sed non totaliter extinctum. Et ratio est, quia licet verum sit secundum allegata jura ab adversariis, quod obligatio semel extincta non amplius reviviscat, tamen ex nullo jure constat obligationem illam priorum sponsalium omnino extinctam esse, cum *cit. c. Sicut* 22. *c. Si inter* 31. *de sponsalib. c. duobus modis* 1. *de sponsa duorum*, & *c. ult. caus.* 27. *q.* 2. ut legenti patet, non definiat, an talis obligatio omnino extinguatur, vel solum interea suspendatur.

98 Nec valet paritas adducta de voto strictioris religionis extincto penitus per professionem secutam in religione laxiore, quia in tantum id evenit, quia professio est vinculum, & impedimentum ex se perpetuum, quod sola morte tollitur; Vinculum autem, seu impedimentum matrimonii non est perpetuum, sed tantum durans ad vitam conjugis, nec aliter potens dissolvere priora sponsalia, quam quatenus cum illis erat incompatibile, qua proinde incompatibilitate sublata per mortem conjugis omnino reviviscet prius vinculum, & obligatio: sicuti si quis post votum simplex castitatis emissum, matrimonium contraxit, post mortem conjugis statim votum integre reviviscit, cum tale votum pro tempore, quo duravit illud matrimonium, fuerit quidem suspensum, at non omnino extinctum. Tum quia non potest dici, quod sponsus per tale matrimonium illicite cum alia contractum post priora valida sponsalia sit constitutus in meliori conditione quam antea, quia, ut expresse dicitur *in l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Regul. Jur. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. Ne*, ut habetur expresse *in c. Intelleximus* 7. *de judiciis*; *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*; adeoque sicuti ante tale illicitum matrimonium stricte obligatus erat dictis prioribus sponsalibus, ita etiam post solutum tale matrimonium per mortem conjugis, iisdem ligatur, teneturque ducere primam sponsam, si ipsa velit, cum illa per tale matrimonium remanserit penitus libera a dictis sponsalibus, ut omnes concedunt: Nam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso *in cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, & *peccata suos debent tenere auctores*, *l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *c. Quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*; Nec debet aliquis alterius odio prægravari textu expresso *in l. Non debet* 74. *ff. de Reg. Jur. c. Non debet* 22. *de Reg. Jur. in* 6.

Sponsalia priora legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora cum alia persona celebrata, etiamsi hæc posteriora sint juramento firmata. Unde standum est priori sponsæ, seu sponso, si ipsa, seu ipse velit. *Communis*, *arg. c. Sicut* 21. *de sponsalibus* & *c. unic. de sponsalibus in* 6. Et ratio est, quia quod uni jam promissum est, ac vi promissi Jure debetur, non potest amplius alteri promitti; & si talis promissio alteri fiat, nihil valet, quamvis Juramento firmetur, quia cum tale juramentum utpote in præjudicium tertii sit illicitum, nullimode obligat, textu expresso *in c. Non est obligatorium* 18. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Cum juramentum non sit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, *c. Quanto* 38. *de Jurejurando*, ibi: *Cum juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum*. Et concordat *can. In malis* 5. *caus.* 22. *q.* 4. ibi: *In malis promissis rescinde fidem..... impia est enim promissio, quæ scelere implebitur*. 99

Priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, si secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium. *Communis*. Et ratio est, quia cum ipsa secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium, fit eo ipso particeps delicti iniquæ promissionis, adeoque contra Jus prioris sponsæ nihil prætendere potest, quia nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest, ut expresse dicitur *in l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Reg. Iur. Ne*, ut dicitur *in c. Itelleximus* 7. *de Judiciis*, *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*. 100

Immo priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora etiam si posterioribus sponsalibus accesserit copula, & pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuerunt contracta, ignara fuerit priorum sponsalium, & consequenter fuerit decepta, unde adhuc subsistunt sponsalia priora, & nulla sunt posteriora; *arg. l. Non dubium* 5. *vers. Sed* & *si*, *Cod. de Legibus*, & *c. Illud* 8. *de Jurepatron.* Sic Sanch. *l.* 1. *de sponsal. disp.* 49. *n.* 5. Guttier. *de Matrim. c.* 27. *num.* 7. *in fine*, Henriq. *lib.* 11. *de Matrim. c.* 13. *n.* 3. Reiffenst. *loco cit. num.* 7. & alii contra alios: Et ratio nostra est, quia per injuriam posteriori illatam non debet, nec potest auferri Jus suum priori, cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non debeat, *cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*. Nec debeat aliquis alterius odio pregravari, *leg. Non debet* 74. *ff. de Regulis Juris*, *cap. Non debet* 22. *de Regulis Juris in* 6. Tum quia maxima sic aperitur via dolis, & fraudibus, cum quivis ad se liberandum a propria sponsa, & cum alia conjungendum posset quoties vellet, alteri spondere, & cum ipsa copulam habere, non sine ingenti animarum periculo, & gravi Reipublicæ detrimento contra omnia Jura clamantia, quod non debeat aperiri via malitiis, 101

tiis, & fraus, & dolus nemini debeant patrocinium impertiri; *l. cum hi, ff. de transactionib. l. Legatarius, Cod. de Legatis, cap. ex litteris 2. de dolo, & contumac. c. Sedes 15. c. Ex tenore 16. de Rescriptis, & c. Tuæ 12. de Clericis non resid.* cum similibus.

102 Octavo, sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem, sive a sponso, sive a sponsa post sponsalia commissam. *Communis.* Et quidem quod solvantur ex parte innocentis expresse deciditur *in c. Quemadmodum 25. de Jurejurando*; Et quod non solvantur ex parte nocentis caret omni dubio, quia ut expresse dicitur *in l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Regulis Juris* nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest. Ne ut habetur *in cap. Intelleximus 7. de Judiciis*: *Ne videatur de malitia sua commodum reportare.* Peccata enim suos debent tenere auctores; *l. Sancimus 22. Cod. de pœnis, cap. Quæsivit, 2. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.* Unde pars nocens compelli potest ad nuptias, si pars innocens velit, quia ut expresse dicitur *in cap. Quod ob gratiam 61. de Regul. Jur. in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, & concordat *l. Quod favore 6. Cod. de Legibus*; Cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, *cap. cognoscentes 2. de Constitutionibus.* Nec debeat aliquis alterius odio prægravari; *l. Non debet 74. ff. de Regul. Juris; & cap. Non debet 22. de Regulis Juris in 6.* & ut dictum est, peccata suos debent tenere auctores, *cit. l. Sancimus 22. Cod. de pœnis, cap. Quæsivit. 2. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.*

103 Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis per fornicationem etiam ante sponsalia commissam ab innocente tamen ignoratam. In jure enim paria sunt aliquid supervenire, & præcedere ignoranter: Res enim dicitur fieri, quando innotescit: *cap. Pastoralis 4. de exceptionibus.* Item paria sunt in Jure non esse, & non apparere; *leg. Duo sunt 30. ff. de testamentaria Tutela*; *leg. In Lege 77. ff. de contrahend. emptione*; adeoque a sensu contrario paria sunt esse, & apparere; Tum quia præcedens nocentis fornicatio ante sponsalia commissa, ignorata, & post illa primum cognita ab innocente, causat notabilem mutationem ex parte ipsius nocentis, adeoque sufficit ad dissolvenda sponsalia *arg. cap. Quemadmodum 23. de jurejurand.* Sanchez *lib. 1. disp. 63. n. 3.* Pirhing *loco cit. num. 62.* Reiffenstuel *loco cit. num. 256.* & alii plures ibi allegati: Qui tamen id tenent solum de fornicatione sponsæ & non sponsi.

104 Nec obstat, quod *in cit. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando* expresse dicitur: *Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem.* Non obstat, inquam, quia talis textus est intelligendus de fornicatione præcedente a sponso prius jam cognita, quia ex quo probavit scienter, & voluntarie mores illius, censetur cessisse juri suo, & consequenter non potest amplius illos reprobare, nisi nova superveniente causa, *arg. can. Horrendus 17. caus. 32. q. 5.* Sic Glossa in *cit. cap. Quemadmodum, verb. Præcedentem*, & Doctores citati.

Ob fornicationem sponsæ, sive præcedentem sive subsequentem sponsalia, potest sponsus ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. Sic Pirhing *l. cit. n. 61.* Reiff. *l. c. n. 252.* Sanchez *l. 1. disp. 55. n. 7.* Silvester verb. *Sponsalia quæst. 10. caus. 7.* Navarrus *c. 22. n. 27.* Layman *l. c. n. 11.* Sporer *l. c. n. 272.* La Croix *lib. 6. p. 2. n. 161.* & alii passim; *arg. cap. Raptor 33. caus. 27. quæst. 2.* & ibi Glossa verb. *Noluerit*; Et ratio est, quia etiam per talem fornicationem sponsæ fit notabilis mutatio ex parte ipsius, cum reddatur notabiliter vilior, & censeatur viro infame talem ducere præsertim quia exponeretur periculo habendi alienam prolem pro sua. 105

Item sponsus sponsalia dissolvere potest etiam ob oscula, amplexus, aut tactus impudicos a sponsa libere, & voluntarie admissos, vel exercitos. Pirhing *loco cit. num. 61.* Reiffenstuel *loco cit. n. 253.* Sporer *loco cit. n. 273.* Layman *loco cit. n. 11.* Sanchez *loco cit. disp. 55. n. 5.* & alii: & ratio est, quia talis sponsa censeretur impudice vivere; unde merito sponsus eam horrere potest, cum non possit eam sine gravi nota ducere. 106

An autem si uterque sponsus fornicationem commiserit, seu similia oscula, similesque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admiserit, vel exercuerit, & in omnibus casibus supradictis, in quibus licet sponsalia dissolvere, liceat etiam sponsæ? Variant Doctores. Affirmativam enim sententiam docent Castropal. Aversa, Krimer, Kugler citati, & secuti a la Croix *lib. 3. num. 162.* dicendo quod uterque possit a sponsalibus resilire, quia uterque violat fidem, & sic uterque dat alteri jus resiliendi, cum quo ad hæc pares debeant esse sponsus, & sponsa; quamobrem in corporum conjunctione vir, & mulier ad paria judicantur, ut notat Abbas *in cit. cap. Quemadmodum §. Illud num. 4.* Et quod in pari casu fornicationis, & similis violatæ fidei neuter resilire a sponsalibus possit, tenent etiam Bonacina *quæst. 1. punct. 8.* Paludanus *in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. num. 17.* Pontas verb. *Sponsalia cas. 45.* & alii, quia delictum unius compensatur per delictum alterius, *cap. Intelleximus 6. de adulteriis, & stupro*, ibi: *Cum ... paria delicta mutua compensatione tollantur*, & concordat *cap. Frustra 75. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.* Nec refert, quod delictum sponsæ censeatur gravius delicto sponsi, quia adulterium uxoris etiam censetur gravius, & tamen si tam vir, quam uxor adulteraverint, delicta mutua compensatione tolluntur, & non fit divortium, cum maritus æque adulter ac uxor nullum potius Jus ad id habeat, *cit. cap. Intelleximus 6. de adulteriis, & stupro*, addita ratione: *Cum Matrimonii Jus in utroque læsum consistat; & paria delicta mutua compensatione tollantur*, juncto ejus Summario sic expresse dicente: *Conjux Conjugem de adulterio impetere non potest, si & ipse adulterium commisisse convincatur*, adeoque &c. 107

Negativam vero sententiam tenent Sanchez *loco cit. disp. 55. a num. 5. ad 9.* Layman *loco cit. n. 5. & 12.* Sporer *loco cit. a num. 271. ad 273.* Bosco *Theolog. Sacramental. part. 6. disp. 11. sect. 2. n. 122. & seq.* Coninch *disp. 23. dub. 7. a num. 56.* Reiffenstuel 108

stuel *loco cit. a num.* 246. *ad* 254. Pirhing *loco cit. n.* 61. *&* 62. & communior aliorum, adeo ut Layman *loco cit. num.* 12. Pirhing *loco cit. num.* 62. Sporer *loco cit. num.* 271. & alii testentur de communi. Et ratio est quia delicta non sunt paria, sed turpior est fornicatio, & quælibet impudicitia admissa, seu exercita a femina, quam a viro, multoque ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere. *arg. l. Et si crimine* 12. *Cod. ad Legem Juliam, de adulteriis, & stupro*, juncta Glossa *ib. litt. C.* & *l. Palam* 43. *ff. de ritu nuptiar.* Tum quia ratione fornicationis sponsæ, & non sponsi fit incertum cujus sit futura proles. Nec refert, quod ex *cit. c. intelleximus* 6. *de adulteriis, & stupro*, vir non possit repudiare adulteram, si adulter sit, quia longe difficilius permittitur divortium, seu separatio Matrimonii quoad torum, quam dissolutio sponsalium, quæ ob quamvis notabilem rerum mutationem fieri potest, ut notant citati Doctores, & alii.

109 Limitant tamen recte citati Doctores dictam sententiam in pluribus casibus, nempe in casu, quo sponsus cum pluribus fornicationem commisisset, ita ut valde vitiosus in hoc cognosceretur; Tunc enim etiam sponsa posset sponsalia dissolvere, quia merito timere posset ne minus se esset amaturus, aut ei fidem non servaturus.

110 Item in casu, quo ex unica fornicatione prolem haberet; quia tunc censeretur adesse in sponso notabilem mutationem sufficientem ad dissolutionem sponsalium, *c. Quemadmodum* 75. *de Jurejurando*; & præsertim quia inde etiam redditur Matrimonium difficilius ob debitam alimentationem prolis, & plurimas discordias oriri solitas; unde in tali casu sponsa posset sponsalia dissolvere.

111 Item si oscula, & tactus, & amplexus impudici exerciti a sponso sint valde frequentes, ita ut ex frequentia talium actuum post sponsalia a sponso cum alia exercitorum justum concipiat sponsa horrorem: tunc enim potest sponsa sponsalia dissolvere, *arg. cap. quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, ubi habetur, quod in sponsalibus semper contineatur hæc tacita conditio, *Nisi contra Regulam desponsationis venerit*; contra quam regulam desponsationis clare veniret sponsus, frequenter cum alia, seu aliis oscula, tactus, & amplexus impudicos exercens.

112 Nono, dissolvuntur sponsalia per notabilem mutationem ex parte unius supervenientem post contracta sponsalia, quam si pars altera scivisset, aut prævidisset, sponsalia non contraxisset, sicque jam contracta dissolvere potest. *Communis*, per textum *in cit. cap. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, ubi ob hujusmodi mutationem ex parte unius supervenientem conceditur expresse alteri facultas dissolvendi sponsalia.

113 In specie in bonis animi mutationes notabiles, & sufficientes ad dissolutionem sponsalium sunt sequentes. I. Si alicui ex sponsis superveniat gravis infamia ob proditorium homicidium, ob adulterium, ob furtum, aut aliud grave crimen, tunc enim pars innocens, potest a sponsalibus resilire. *Communis, arg. cit. cap. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*. II. Si sponsus cognoscatur esse valde deditus ebrietatibus, ludis, scortationibus, aut similibus gravibus vitiis. *Communis, arg. cit. cap. Quemadmodum*. III. Si in sponso cognoscatur notabilis morum asperitas, & sævitia. *Communis*. Sævitia enim mariti est sufficiens causa instituendi divortium matrimonii, textu expresso *in cap. Litteras* 13. *in fine, de restitutione spoliatorum*, ergo multo magis erit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. Si capitales graves inimicitiæ, odia, & extraordinariæ animorum aversiones oriantur inter ipsos sponsos. *Communis, arg. cap. Præterea* 2. *& cap. Requisivit* 17. *de sponsalibus*. V. Si graves, & capitales, inimicitiæ, vel scandala ob id oriantur, seu rationabiliter timeantur inter parentes aut consanguineos sponsorum. *Communis argum. cap. Cum in tua* 28. *de sponsalibus*, ibi: *de fama, vel scandalo*. Et a sponsalibus recedi posse propter indignationem parentum expresse censuit Rota *part.* 4. *recent. tom.* 1. *dec.* 669. *num.* 3. *part.* 10. *dec.* 15. *nu.* 56. *Et Sacra Congreg. Conc. in Majoricen. Sponsalium* 24. *Augusti* 1723. expresse declaravit, quod in sponsalibus non est locus coactioni, accedente indignatione parentum, quæ reputatur justa causa dissolutionis. Sic refert Ursaya *in Miscellaneo* 1. *Sacro, & profano littera S. num.* 217. & apud eumdem *ibid. num.* 205 *Eadem Sacra Congr. Conc. in Mediolanen. sponsalium* 13. *Julii* 1724. expresse declaravit, quod dissolvuntur sponsalia per denegationem consensus Patris ex justa causa se declarantis nolle Filium Matrimonium cum certa muliere contrahere.

In bonis corporis mutationes notabiles, & sufficientes ad dissolvenda sponsalia sunt sequentes. 115
I. Si alteruter ex sponsis incidat in gravem morbum, paralysim, lepram, morbum epylepticum, morbum gallicum, aut alium contagiosum, & incurabilem morbum. *Communis*, per text. *in cit. cap. Quemadmodum* 23. *de Jurejurando*. II. Si oculum, aut nasum, manum, pedem amittat. *Communis*, per textum *in citat. cap. Quemadmodum*; & sponsalia dissolvi per claudicationem superventam sponsæ declaravit *Sacra Congreg. Concil. in Spoletana sponsalium* 22. *Februar.* 1698. III. Si unius os graviter male oleat, & medice curari non possit. Rota *part.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 493. *nu.* 74. & *Communis Doctorum*. *arg. cit. cap. Quemadmodum*: Gravem enim, & incurabilem oris fœtorem tolerare in tam arcta corporum conjunctione nimis onerosum esset. IV. Si superveniat præsertim sponsæ notabilis deformitas; Si sponsa enim tempore sponsalium pulcherrima, evadat inde notabiliter deformis, potest sponsus a sponsalibus resilire, cum in materia Matrimonii admodum æstimetur apud homines pulchritudo mulieris. *Communis, arg. c. Quemadmodum.* In sponso tamen valde magna [illegible] esse superveniens deformitas, ut sponsa propter illam possit a sponsalibus resilire, quia in viris non ita requiritur, nec tanti æstimatur pulchritudo, sicut in mulieribus, ut recte notant Pirhing *loco cit. num.* 64. Coninch. *de Sacrament. disp.* 23. *dub.* 7. *nu.* 66. & alii passim. V. Si superveniat sponsæ sterilitas, aut sponso impotentia, seu inhabilitas congrediendi. *Communis, arg. cit. cap. Quemadmodum*. Ipsa enim est maxima notabilis superventa mutatio, cum Matrimonium sit principaliter institutum ob generationem prolis, quæ sperari non potest in casu superventæ sponsæ sterili-

litatis, aut sponso impotentiæ, seu inhabilitatis congrediendi.

116 In bonis fortunæ mutationes notabiles, & sufficientes pro dissolvendis sponsalibus sunt sequentes. I. Si sponsa, aut parentes ejus, vel qui promiserunt, vel non possint, aut nolint dare dotem promissam. *Communis*, textu expresso *in cap. De illis 3. de conditionibus appositis*. II. Si uni ex sponsis superveniat gravis bonorum jactura, & ex honesto statu ad gravem inopiam decidat, etiam sine sua culpa, v. gr. ob bella, incendia, furta, & hujusmodi. *Communis*, *arg. cit. c. Quemadmodum*; In tali enim casu intervenit gravis, & notabilis mutatio. III. etiamsi ambo sponsi post sponsalia ad gravem inopiam decidant ob dictas similes causas, nempe ob bella, incendia, furta, & hujusmodi; In tali enim casu potest quælibet pars a sponsalibus resilire, quia dum ambo ex statu honestiori ad gravem inopiam incidunt, in ambobus contingit notabilis, & talis mutatio, ut ex ipsa minus apti sint ad onera Matrimonii sustinenda. Castrop. *de sponsal. disp. 1. punct. 28. n.* 4. Spor. *loc. cit. n.* 282. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 263. Tamburin. Bonacina, & alii magis communiter, *arg. cit. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando*, *& cap. Per vestras 7. de donationibus inter virum, & uxorem*. IV. Si uni ex sponsis comminetur exheredatio, vel ea rationabiliter timeatur, Rota *part. 4. rec. tom. 1. dec. 669. n. 57.* & *Communior Doctorum*: Non enim solum malum præsens, sed etiam rationabilis timor mali futuri, ac imminentis causat notabilem rerum mutationem, *arg. c. Requisivit 17. de sponsalibus*, & consequenter sufficit ad dissolvenda sponsalia per text. *in citato cap. Quemadmodum*.

117 An autem una parte remanente in suo statu, si pars altera ex inopinato fiat notabiliter ditior, aut honestior, possit propterea hæc ab illa resilire? Variant Doctores. Affirmativam enim sententiam tenent Hurtad. *disp. 2. de Matrim. dist.* 25. Amicus, Illsung, & alii apud Gobat *loco cit. n.* 340. dicentes absolute posse tamen resilire, quia mutatio illa in ipso facta causat inæqualitatem, qualis si fuisset ab initio, ipse utique non contraxisset; Negativam autem defendunt absolute Sanch. *lib. 1. disp. 59. n. 6.* Guttier. *de Sponsalibus*, *& Matrimon. cap. 33. nu.* 4. Castrop. *de Sponsalibus*, *disp. 1. punct. 28. num.* 5. Coninch. *disp. 23. dub. 8. n.* 29. Reiffenstuel *loco cit. num.* 262. Pirhing *loco cit. n.* 64. Busembaum, Reginald. Diana, Krimer, Kugler, & alii volentes, non posse talem ob id a sponsalibus resilire, quia altera pars per hoc non est facta deterior, sed mansit qualis erat, adeoque privari non potest Jure suo; Perez vero *disp. 9. sect.* 22. cum distinctione procedit, dicitque, quod resilire possit, si iniens sponsalia habuit reflexionem ad æqualitatem divitiarum, vel bonorum; E contra resilire non posse, si sine reflexione ad dicta contraxit propter aliam causam, quæ adhuc perseveret, v. g. ob specialem formositatem seu pulchritudinem, & hujusmodi; quæ opinio satis placet, quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, siquidem *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*, *arg. l. Nam omnis 19. ff. de rebus creditis, si certum petatur, & de condictione, cap. Cum olim 37. de præbendis*, in his videlicet, quæ dependent ab intentione agentium, uti sponsalia; Et præsertim quia hæc ex parte convenit cum secunda negativa sententia.

Decimo, dissolvuntur sponsalia per superveniens 118 impedimentum dirimens, v.g. per affinitatem contractam ex copula carnali habita post sponsalia cum consanguinea in primo, vel secundo gradu alteri sponsorum juncta. *Communis*; stante enim impedimento dirimente, nec licite, nec valide contrahi potest Matrimonium; Conc. Trid. *sess. 24. de ref. Matrim. c.* 4. adeoque in tali casu sponsalia non obligant.

Tenetur tamen qui tale impedimentum sua culpa 119 posuit, impetrare a Papa dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit. *Communis*, *arg. l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Reg. Juris*, ubi expresse dicitur, quod nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest. *Ne*, ut habetur *in c. Intelleximus 7. de Judiciis*, *Ne videatur de malia sua commodum reportare*. Nec pars innocens ad aliquam tenetur expensam, quia ut expresse dicitur *in c. Cognoscentes 2. de Constitutionibus*: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*; Nec debet aliquis alterius odio prægravari; *l. Non debet* 74. *ff. de Regulis Juris*, *& capit. Non debet*, *de Regulis Juris in 6.* cum peccata suos debeant tenere Auctores, *l. Sancimus 22. Cod. de pœnis*, *cap. Quæsivit 2. de his, quæ fiunt a majore parte Capituli*.

Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, 120 per se loquendo, nulla de Jure communi requiritur auctoritas Judicis ad dissolvenda dicta sponsalia, sive publica, sive occulta. *Communis*. Nullibi enim in Jure reperitur requisita ad id judicis auctoritas.

Potest tamen Judicis auctoritas ad id requiri in- 121 terdum per accidens, ut si sponsalia sint publica, & causa ea dissolvendi sit occulta, ratione scandali evitandi requiritur tunc Judicis interventus, ut notant communiter Doctores.

Et quando sponsalia sunt certa, causa autem ea 122 dissolvendi dubia, *de Jure*, vel *de facto*, tunc necessario requiritur Judicis auctoritas pro utroque foro. *Communis*; Et ratio est, quia cum unus sit in possessione sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privari: *In pari* enim *causa potior est conditio possidentis*, ut expresse habetur *in cap. In pari 65. de Regul. Juris in 6.* & concordat *c. Quod autem 5. de Jurepatronatus*, *c. Ad aures 6. de præscription. l. Nemo 126. §. 3. ff. de Regul. Jur. & l. In pari causa 128. ff. eod.* ubi expresse statuitur: Quod *in pari causa possessor potior haberi debet*. Unde cum nemo Judex sit in propria causa; textu expresso *in l. Generali unic. Cod. Ne quis in sua causa judicet*, *vel Jus sibi dicat*, necessario in dicto casu requiritur auctoritas Judicis. 123

Judex in causis sponsalium, & Matrimoniorum est solus Ecclesiasticus. *Communis*, & *certa*, utpote definita a Conc. Trid. *sess. 24. Canon* 12. ibi: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit*.

Et quidem Jure ordinario in causis Matrimonia- 124 libus Judex competens est solus Episcopus: *c. Accedentibus 12. de excessibus Prælator.* & Conc. Trid. *sess. 24.*

sess. 24. *de ref. Matr. c.* 20. verb. *Ad hæc*, ibi: *Causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum Judicio, sed Episcopi tantum examini, & Jurisdictioni relinquantur*.

125 Nomine autem Episcopi hic intelligitur etiam Vicarius Generalis, etiam absque speciali ad id mandato. *Communis, arg. cap. final. de Cognat. Spiritual. & cap.* 1. *de frigid. & malefic.*

126 Item Vicarius Capituralis sede vacante. *Communis*; Ad ipsum enim transit ordinaria Episcopi jurisdictio, *cap. Hi qui* 11. *& cap. Cum olim* 14. *de majorit. & Obedient.* cum similibus.

127 Judex autem Laicus, seu Sæcularis nullimode potest se ingerere in causis Matrimonialibus; *Communis*: Istæ enim sunt causæ Ecclesiasticæ, & spirituales, in quibus Judex Laicus, seu Sæcularis nullimode, nec principaliter, nec incidenter cognoscere potest, *c. Decernimus* 2. *Qualiter, & quando* 17. *de Judiciis, c. Nullus Judic.* 2. *de foro compet. c. Lator.* 5. *c. Causam quæ inter* 17. *Qui filii sint legitimi*, cum similibus.

128 Alia ad rem, Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta*, verb. *Matrimonium*, verb. *Sponsi*, verb. *Stuprator.*

129 Sponsalia Judæorum majorem tribuunt potestatem in sponsam, quam inter Christianos, itaut corruptor alterius sponsæ pro adultero habeatur, & adulterii pœna puniatur. Bened. XIV. tom. 2. Const.
130 28. incip. *Postremo mense* §. 19. Hinc est ut Sponsus a Judaismo ad Fidem Christianam conversus, hujusmodi potestatis jure ad Baptismum offerre possit sponsam, quæ sic oblata retinenda est, & probanda. Idem *ibid.*

231 Sponsalia apud Hebræos inter sponsum ex una & sponsæ parentes, aut proximiores agnatos ex altera parte contrahuntur; vocantur autem eorum
132 lingua *Tenaim*. Idem *ibid.* §. 63. Sponsalia Hebræorum tunc valida, & rata censentur, quum in scriptis legaliter redacta sunt addita testium subscriptione, vel juramento coram testibus præstito inter partes conventa. Idem *ibid.* §. 65. & 66.

133 Sponsalia ita contracta non obligant mulierem desponsatam ad contrahendum Matrimonium, sed si ipsa recuset, inobedientiæ erga parentes tantumo-
134 do arguitur. Idem *ibid.* §. 64. Si tamen copula post sponsalia sequatur, utraque pars adigitur ad contrahendum Matrimonium, non tam vigore contractus, quam in pœnam commissi reatus. Idem *ibid.*
135 §. 67. Sponsalia etiam valide, ut præfertur, contracta, facile inter Hebræos dissolvuntur auctoritate Rabbini, qui contrahentes a juramento absolvit. Idem *ibid.* §. 66.

136 Sponsus a Judaismo ad Fidem conversus, si sponsam offerat ad Baptismum, contractorum sponsalium probationes exhibere tenetur. Idem *ibid.* §.
137 69. Si probetur sponsalia juxta nationis suæ mores contraxisse, sponsa ad catechumenorum domum deferri debet, ibique quamdiu oportebit, non tamen ultra quadraginta dies retineri, & probari. Idem
138 *ibid.* §. 70. Si autem probationes tales exhibeat, quæ juxta Christianorum dumtaxat leges valida sponsalia evincerent; tum mulier extra vicum, seu *Ghettum*, evocari, & in Ecclesia, aliove idoneo loco de amplectenda fide interrogari debet, non tamen retineri, nisi conversionis spem ostendat. Idem *ibid.* §. 69.

Sponsalia coram Parocho, ac duobus testibus non 139
celebrata, valida sunt, nec potest Episcopus irritare. Idem *de Synodo Diœcesana lib.* 7. *cap.* 68. *n.* 1. & *Instit. Eccles.* 46. §. 8. ubi affert ad id plura Decreta Sacræ Congregationis Concilii. Vide *superius num.* 24. ubi jam dixi ad valorem sponsalium non requiri præsentiam Parochi, & testium.

* Sponsalia inita invitis parentibus, quanquam 140
judicari possint valida, juxta dicta *supra num.* 25. illicita sunt tamen, & detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat Archiepiscopus Rossanensis D. Muscettola in Dissertatione legenda in Tom. 1. Operum Zauli ad statuta Faventiæ. *Cit. Inst. Eccl.* 45. §. 15.

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat 141
inscio altero, admonendus est Superior Ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso si non pareat, vinculum dissolvitur. *ibid.* §. 5.

Sponsalia absque interna voluntate exequendi 142
promissa, dubium est, an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere. *ibid.* §. 16.

Promissio de præsenti absque præsentia Parochi, 143
& testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus Decretis S. Congregationis, *ibid.* §. 24.

Additiones ex aliena manu.

Quoad ait Auctor *n.* 55. *& plur. sequentibus*, con- 144
tractis scilicet Sponsalibus renuentem inire Matrimonium, compelli posse ad illud ineundum etiam per censuras, id non est absolute verum. Distinguere oportet Virum inter & Mulierem. Si Vir renuat, potest utique etiam per censuras compelli ad Matrimonium ineundum. Et de eo loquuntur Textus *in cap. Præterea, & in cap. Ex litteris il secondo de Matrim.* At si renuat Mulier, moneri ea 145
debet, non item cogi etiam per censuras ad ineundum Matrimonium, & de ipsa loquitur Textus *in cap. Requisivit d. titul. de Sponsalib.*

Vt ita conciliando mox allegatos textus processit 146
Rota, & signanter *in Majoricen. Sponsalium* 24. *Aprilis* 1746. §. 10. *& in confirmatoria* 16. *Januari* 1747. §. 56. *& sequent. cor. Eminentiss. Bussio, & in Constantien. Sponsalium* 26. *Junii* 1748. §. 7. *cor. Emin. Elephantutio, &* 17. *Juanuari* 1749. §. 4. *cor. bon. mem. de Vais.*

Non *deest* autem (ut recte inquit Rot. *in d. Majo-* 147
ricen. Sponsalium 16. *Januarii* 1747. §. 6. *cor. Emin. Bussio*) *causa, propter quam mitius in Fœminam, & acrius in Masculum animadvertatur. Naturalis oppido imbecillitas levitasque muliebris non longe est, ut despectum censurarum facile pariat, magisque suspicari potest ne Fœmina a Fide quam coacte spopondit facilius desciscat. Ceteroquin summum est inter Virum & Mulierem in hac materia discrimen, ut mulier si a Sponsalibus declinet, nullum irroget præjudicium Viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet Fœmina. Sin vero a Sponso Mulier relinquatur, gravissimam ipsa nominis subit diminutionem.*

Num post censuras possit Vir præcisæ cogi ad 148
Ma-

Matrimonium ineundum? Negat absolute Auctor
149 *n. 60. & duob. sequent.* At possunt esse casus, in quibus cogi præcise queat Vir ad ineundum matri-
150 monium. Talis meo judicio est, si quis Puellam impregnavit, & condemnatus est, ut eam, aut ducat, aut certa summa definita dotet. Quid
151 si nihil in bonis habeat, ut determinatam quantitatem pecuniæ solvere nequeat? Id sane videtur superesse, ut præcise cogatur ad ineundum Matrimo-
152 nium. Fluit hoc ex natura *obligationis alternativæ*, in qua alterum absolute, & præcisæ debetur, si alterum ex alternativis præstari haud possit. Sine omni effectu foret sententia, si stuprator neutrum præstare vellet, nec satisfacere Justitiæ, Partique
153 læsæ. Hoc igitur casu admitti potest, ut vel invitus ad Matrimonium ineundum cogi Vir possit, nec attendi debeat ejus reclamatio, quippe quæ nullum producere effectum potest. Et ita usu servatum est a pluribus Tribunalibus.

Responsio Auctoris.

154 Ast sufficit mihi pro mea conclusione habere textus Canonicos, & doctores *ibi* allegatos. Et quamvis textus in cap. *Requisivit* 17. *de Sponsalibus* loquatur de muliere dicendo; *respondemus, quod cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactione difficiles soleant exitus frequenter habere*; ly *potius* tamen Glossa *ibi* secuta passim a Canonistis, & Doctoribus, tradit accipiendum esse pro *prius*, ibi: *Sed expone; potius monenda est, idest prius monenda est,*
155 *& postea cogenda*. Accedit, quod textus cap *Præterea* 2. *de Sponsalibus* loquitur generice de Sponsis, sive viris, sive mulieribus, ibi: *Præterea hi, qui de Matrimonio contrahendo pure, & sine omni conditione fidem dederunt commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent*. Eminentiss.Card.Cavalchinus *in caussa Gallipolitana Sponsalium*, eam exponens decidendam a S. Congreg. Concilii, cujus tunc erat eruditissimus, & practicissimus Secretarius, de Lucretia Maniera renuente matrimonium contrahere cum Franco de Acugna, quocum prius sponsalia contraxerat, sic refert: *Cumque ibidem Antistites Gallipolitanus, & Neritonensis iterum sententiam Lucretiæ per seipsos indagassent, eam invenere tam obfirmato animo in hoc rejiciendo Conjugio, ut nec etiam denuntiata anathematis pœna, dimoveri ab ea sententia potuerit*. En *ibi* agebatur de renuente muliere, & tamen fuit
156 ei denuntiata anathematis pœna. Tum quia ratio a Pontifice Lucio III. adducta in cit. *cap. Requisivit* 17. *de Sponsalibus* est ista: *Cum coactiones difficiles*
157 *soleant exitus frequenter habere*. Quæ ratio nedum militat, cum cogitur mulier invita ad ducendum invisum virum, quam dum cogitur vir invitus ad
158 ducendam invisam mulierem. Immo a fortiori, ex Sacra Scriptura, militat in coacto viro ad ducendam mulierem invisam; *Proverb. enim cap.* 30. *num.* 21. ad 33. dicitur expresse; *Per tria movetur terra ...* inter quæ *per odiosam mulierem cum in Matrimonium*
159 *fuerit assumpta*. Terra autem non dicitur moveri per odiosum virum, cum in Matrimonium fuerit assumptus. Hinc si adhibitis debitis monitionibus, & comminationibus, adhuc Sponsus, vel sponsa renuat cum tali nubere non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti & absolvi, præsertim si advertatur magna animi aversio, ita ut ex tali futuro Matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiæ, jurgia, scandala, & alia similia gravia incommoda. Sic Rota *part.* 4. *recentior.tom.* 3. *dec.* 655. *n.* 10. *&* 11. *part.* 16. *decis.* 145. *nu.* 6. & abstinendum esse a coactione reluctantis Sponsi, vel Sponsæ in similibus casibus, ac permittendas nuptias cum alia, censuit *Sac. Congr. Conc. in Senogallien. Sponsalium* 1. *Septembris* 1714. *lib.* 64. *Decretor. pag.* 345. & in *Majoricen. Sponsalium* 24. *Aprilis* 1723. *lib.* 73. *decretor. pag.* 369. *& in Gallipolitana Sponsalium* 28. *Februarii* 1733. *apud Thesaurum Resolution. Sacr. Congregat. Concilii in dict. Gallipolitana tom.* 5. *& Mediolanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725. *lib.* 75. *decretor. pag.* 353. *& in Neapolitana* 17. *Aprilis* 1728. *lib.* 78. *decretor. pag.* 275. per quæ omnia patet responsio ad ea, quæ subjungit d. Additor *ibid.n.* 148.& *seq.* nempe num post censuras possit vir præcise cogi ad Matrimonium ineundum. Cæterum non negaverim Ego sequendam esse Rotam in allegat. *Majoricen. & Constantien. Sponsalium*, ubi concurrant ipsissimæ circumstantiæ *ibi* repertæ.

SPONSI.

Sponsus, & sponsa unde dicantur? Vide verb. *Sponsalia n.* 1. 1

Conversationes, & commercia sponsorum ante contractum Matrimonium per verba de præsenti, Episcopus impediat omnino: Mulctas vero ob earum causam incursas applicet usibus piis, & interim deponat apud depositarium mulctarum. *S. Cong. Episc. in Hieracen.* 20. *Apr.* 1587. apud Nicol. *in Floscul. verb. Matrimonium n.* 8. 2

Sponsi divites invicem conversantes puniri non possunt nisi mulcta infra duos Ducatos. Pauperes vero solis pœnitentiis salutaribus. *Ead. S. Cong. Episc. in Tarant.* 27. *Nov.* 1593. *& in Lyciensi* 8. *Julii* 1596. apud eumdem *ibidem*. 3

Quamvis autem cohabitatio sponsorum ante contractum Matrimonium per verba de præsenti punibilis sit; Visitationes tamen, & conversationes, præsertim in præsentia consanguineorum non sunt punibiles. *Ead. S. Congreg. Episc. in Tranen.* 26. *Oct.* 1583. *in Caven.* 28. *Aug.* 1589. *in Cosentina* 15. *Febr.* 1536. apud eumdem verb. *Sponsalia n.* 2. 4

Sponsus an, & quomodo visitare possit sponsam in Clausura Monialium existentem? Vide verb. *Moniales art.* 1. *a n.* 30. *ad* 36. ubi plura ad rem *de sponsalib. & Matrimonio educandarum*. 5

Sponsi, vel sponsæ fornicatio cum alia, vel cum alio commissa constantibus validis sponsalibus an addat malitiam injustitiæ distinctam, & in Confessione necessario aperiendam? Vide verb. *Luxuria nu.* 9. 6

Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, & hujusmodi, quæ fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea, morosa & directe voluntaria, sunt peccata mortalia, alias non 7

 sunt

sunt nisi venialia. Et si pudice fiant ex recto fine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. *Communis* *.

8 Quando autem sponsi graviter peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula futura, & de dictis tactibus, osculis, amplexibus &c. Vide verb. *Delectatio morosa a n. 27. ad 29. & n. 32.*

9 Alia ad rem. Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta* verb. *Matrimonium*, verb. *Sponsalia*, verb. *Stuprator*, & Novissimam Const. Bened. XIV. incip. *Redditæ sunt*, in qua Sponsis Catholicis, qui in Fœderati Belgii regionibus cor. Civili Magistratu, aut Hæretico Ministro dumtaxat, mutuum consensum in Matrimonium de præsenti declararunt, quælibet conjugalis consuetudo interdicta decernitur, donec Matrimonium ad formam Concil. Trident. rite celebraverint.

10 Salutare quidem est Decretum, quo fere omnes Episcopi prohibent, ne ante contractum Matrimonium sponsus in una eademque domo cum sponsa habitet, propter periculum evidens ne inter eosdem sponsos copula habeatur ante matrimonii celebrationem. Non tamen id prohiberi potest sub pœna stupri, sed tantummodo sub pœna arbitrio Ordinarii infligenda, ut respondisse *Sacr. Congreg. Conc.* Episcopis Provinciæ Mediolanen. refert Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 12. cap. 6. n. 3.* ibi: *Non posse, sed ambos graviter arbitrio Ordinarii dumtaxat esse puniendos.*

11 Sponsus, qui sponsam seducit ad copulam, non potest puniri pœna stupri ob aliquod jus, quod habet in corpus illius, ut ex Decretis Sacræ Congregat. apud Fagnan. *Instit. Eccl. 46. §. 18.*

12 Sponsus in nuptiis Canæ Galileæ, quibus interfuit Christus Dominus, quis fuerit? Vide verb. *Nuptiæ n. 31.*

SPORTULÆ. Vide verb. *Judex a n. 12. ad 46.*

(*) S T A T I O.

Statio sæpe sumitur pro concursu populi ad Ecclesiam indictam, in qua statis diebus Processio Clericorum ad statas preces faciendas consistebat. Vetustus enim in Urbe ritus fuit, ut certis diebus Clerus in unam aliquam Ecclesiam supplicationis causa conveniret, ubi sacra fiebant, aliaque divina officia peragebantur. Hi porro dies jejuniorum erant; unde solvere stationem idem erat quod solvere jejunium; Isidorus *lib. 6. c. ult. Etymol.* Discernunt autem quidam inter jejunium, & stationem: nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem: Statio autem est observatio statutorum dierum vel temporum, ut quartæ, & sextæ feriæ, vel Quadragesimæ. Et S. Ambrosius *Serm. 36.* „ Stationes vocantur jejunia, quod stantes, & commorantes in eis, inimicorum insidias repellimus. „ 1

Porro Cleri Romani processio in illas Stationes duplex est, sollemnis, aut privata. Hæc fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit: Solemnis vero, cum solemni more, decantando litanias, aliasque preces, Pontifex, aliique omnes eo sese recipiunt. Processiones solemnes præcedit Collecta, id est coadunatio Clericorum in una Ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum Stationis procedatur: sic dicta, quod in eo loco Clerus cum populo colligatur ad faciendam processionem solemnem. Et quia in loco, ubi fit collecta, ora- 2

Notæ Romani Theologi.

* Id nimis periculosum est, ac vix casus esse poterit in quo sola venialis culpa insit; Tum quia raro, aut fere nunquam in iis abest delectatio venerea; Tum etiam quia certum est periculo se exponere hujus delectationis, quod periculum a gravi excusari non potest.

Responsio Auctoris.

Ast si tactus, oscula, & hujusmodi fiant inter sponsos sine ulla delectatione sensibili, venerea, morosa, & directe voluntaria, ut loquor *ibi* ego, non sunt nisi venialia, ubi revera absit omnis delectatio sensibilis venerea; morosa & directe voluntaria; ubi autem ipsi ex sua personali conditione & proclivitate cognoscant sic se exponere periculo alicujus delectationis morosæ venereæ, certe tenentur sub gravi se abstinere ab ipsis. Conclusio autem mea procedit conditionate, in casu, quo fiant sine ulla venerea morosa delectatione. Conditionale vero nihil ponit in esse, nisi purificata conditione, *arg. §. sub conditione 4. Institut. de verbor. obligationibus, L. Hoc jure utimur 8. & ibi addit. marg. ff. de verborum obligation. L. Quia autem 6. §. final. ff. Si quis omissa causa testam. L. Unica §. Sin autem, Cod. de Caducitat. tollendis, c. 1. §. final. de Sponsalibus in 6. Clementin. 1. de concession. præbendæ.* Eo vel maxime, quod *n. seq.* remitto lectorem ad ea quæ habentur sub verb. *Delectatio morosa a n. 27. ad 29.* ubi expresse dico: Cavendum est tamen, ne in istis osculis, tactibus, & amplexibus habeatur illa delectatio carnalis & sensibilis, quæ merito fuit damnata ab Alexandro VII. 18. *Martii* 1666. in propos. 40. in ordine, *ibi*: *Est probabilis opinio, quæ dicit, tantum esse veniale osculum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

oratio super populum funditur ante processionem; inde fit, quod ejusmodi orationes etiam Collectæ appellantur, quoniam *super collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Ecclesia in aliam ad Stationem faciendam*, ut loquitur Micrologus in Cap. III. *Sic in capite jejunii illa oratio* Concede quæsumus *apud Sanctam Anastasiam super collectam populi dicitur, qui stationem apud Sanctam Sabinam celebraturus est*. Sed ejusmodi Collectæ fiebant præcipuæ in Quadragesima, & in singulis triduis quatuor temporum, propterea quod illis diebus solemnis processio celebrabatur: at quia forte privata erat aliis temporibus processio, nullæ collectæ assignantur in veteri indice collectarum, & stationum, quem Mabillonius exhibuit Tom. II. Musei Italici p. 544.

3 Gregorius Magnus stationes antea vagas, vel certis ecclesiis scripto non addictas, in suo Sacramentario constituit, *ordinavitque per basilicas, vel beatorum Martyrum cœmeteria*, testante Johanne Diacono in ejus Vitæ lib. III. cap. XVIII. Primitus vero Stationes illæ institutæ fuerant vel ob Sanctorum Natalitia, vel ob dies publicæ processionis, sive Missæ sacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob Sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis, vel in Cæmeteriis, idest in Ecclesiis super eorum tumulos constructis, quæ ob id cæmeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimæ essent Sanctorum festivitates, & memoriæ, non erat necessarium harum stationum diem, & locum assignare in Sacramentariis, in quibus quæcumque propriæ Sanctorum Missæ habebantur, publicas olim stationes exigebant. At vero Stationes aliorum dierum, puta Quadragesimæ, quatuor temporum, Adventus, Natalis Domini, Paschatis, & similium, cum incertæ essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio, ad quamnam Ecclesiam esset procedendum ad publicam Stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo Sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas porro constituit passim in basilicis præcipuis, scilicet Patriarchalibus, & Titulis, aliquando tamen in Diaconiis, & Oratoriis, ut in Oratorio Sancti Pancratii, in qua idem Sanctus Pontifex homiliam habuit. Gregorius secundus supplevit vacantes aliquot Quadragesimæ dies, nempe in feriis quintis: quas Stationes, ne repeterentur in Titulis, in aliis ecclesiis statuit. Hoc est, quod significare voluit Scriptor libri de gestis Pontificum his verbis: *Hic quadragesimali tempore ut in quinta feria jejunium*, idest Statio, *atque Missarum celebritas fieret*, *in Ecclesiis* (*quod non agebatur*) *instituit*. Attamen singulas Quadragesimæ ferias quintas ante Gregorium II. festivas fuisse instar Dominicæ Micrologus auctor est in Cap. I.

Etsi autem fixæ, ac ratæ essent in Sacramentario Stationes, eas tamen populo denuntiari mos erat. Id fiebat ab Archidiacono in publica Missa præcedente. Postquam enim Pontifex communicaverat, veniebat *Archidiaconus cum calice ad cornu Altaris, & adnunciabat Stationem*, quæ verba leguntur in primo libello Ordinis Romani num. 19. Olim igitur ex primævis Romanis Ordinibus, post: *Pax Domini &c.* denunciabatur ab Archidiacono, stante cum calice ad cornu Altaris, statio futuri diei. Ita perhibent Ordo Romanus I. (1), & II. (2). Sæculo vero XII. hæc denunciatio fiebat ante Communionem a Subdiacono Regionario; ita docet Ordo Romanus Benedicti Canonici, ubi de ritibus in Missa feriæ IV. initii Quadragesimæ, his verbis: *Ante communionem vero stat Subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce*: Crastina die veniente, Statio erit in Ecclesia S. Georgii Martyris ad velum aureum. *Respondet Schola*. Deo gratias. 4

5 Ad locum Stationum deferebantur ex Patriarchio Lateranensi vasa sacra, præeunte cruce stationali, de qua extat V. Cl. Ciampinii pererudita dissertatio, Pontificem in sella gestatoria eo portari mos erat. Aliquando tamen equo vehebatur. Leo IV. instauravit *crucem auream*, quæ (*ut mos antiquitus est*, ait Anastasius) *Subdiaconi manibus ferebatur, prædecessorum Pontificum*. Presbyteria etiam, idest erogationes fiebant, tum ob ministrorum obsequia, tum ob laudes, & acclamationes. Immo Pontifex quandoque in ipso itinere causas finiebat, aut certe ad ejus nutum nomenculator, & sacellarius, ut in primo ordine Romano num. 2.

6 Stationum aliquod vestigium Sæculis XIII. & XIV. perdurabat. Vide *Garampium in vita B. Claræ p. 555.* Nunc vero stationum nomine veniunt indulgentiæ illæ, quæ certas ecclesias visitantibus conceduntur. Vide etiam V. *Litaniæ &c.*

STELLIONATUS. Vide verb. *Pœna art. 2. numer. 204. 205.*

STIPES. Vide verb. *Matrimonium quoad Impedimenta art. 1. n. 28.*

S T O L A.

---

1 Stolæ delationem esse signum proprie denotans jurisdictionem, & Officium Sacerdotale, tradit Glossa *in l. unica verb. Fibulis, Cod. Nulli licere*; & facit textus in *cap.* (3) *Cum sit 6. de aucto-*

(*1) Num. 26.

(2) Num. 14. Ord. Rom. XI. n. 34.

(3) Stola *orarium* passim cum a Græcis, tum a Latinis vocatur; quamvis Græci id nominis stolæ diaconali non Sacerdotali tribuant, quæ apud illos latior est Orario nostro, nec ullis litterarum notis, aut cruiculis intexta, ut Orarium Episcopale. Mos olim fuit, ut a recens ordidinatis cum Præsbyteris, tum diaconis stola passim gestaretur; immo diaconi per annum integrum post susceptum diaconatus ordinem jugiter stolam gestare debebant. Hinc cum in Bracarensi Provincia

eterit. & usu Pallii; ubi quod Archiepiscopus solum in Ecclesiis suæ Provinciæ Pallio uti potest; secus extra, *c. Ex tuarum* 7. *eod.* Quod enim operatur Pallium inter Episcopos, operatur Stola inter Sacerdotes; Theodosius Rubeus *Singularium part.* 3. *in tit. de præcedentiis n.* 64. Gratian. *disceptat.* 298. *n.* 75. Panimoll. *part.* 2. *dec.* 169. *num.* 31. *& seq.* Samuel. *de sepultur. tract.* 1. *disp.* 3. *controv.* 7. *n.* 9. *& disp.* 4. *controv.* 12. *n.* 12. Monacell. *tom.* 12. *tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 77. ubi expresse dicit: *Nam Stolæ delatio Jurisdictionem importat.*

2 Nullam autem importare Jurisdictionem si simpliciter deferatur sine ullo illius actuali exercitio, docet Pignattellus *tom.* 3. *consultat.* 48. *num.* 40. expresse dicens, quod Stola sine suo exercitio non est signum præcipuum Jurisdictionis, sed vestis Sacerdotalis, *cap. Ecclesiastica* 9. *dist.* 23. & ut tradit S. Thomas 3. *part. q. Supplement. art.* 7. *in corpor.* est habitus proprius Sacerdotis, & est veluti forma totius ornatus Sacerdotalis, & deducitur *ex Concil. Bracaren.* III. *cap.* 3. *& Toletan.* IV. *cap.* 39. Theodos. Rub. in ejus Respons. impress. apud Gratian. *cap.* 298. *numer.* 61. Panimol. *part.* 3. *decis.* 270. *num.* 11. Rota *in Savonen. Aggregationis* 15. *Junii* 1699. §. *Non obstat, coram Pio*, ibi: *Non obstat, quod Stola sit signum jurisdictionis, ideoque non concedenda simplici Sacerdoti &c. Quapropter aliud Stola significat in Episcopo, aliud in simplici Sacerdote &c. Et propterea esse signum æquivocum, nec importare jurisdictionem, nisi illam deferens expleat Parentalia. Et in Bisinianen. Præeminentiarum* 27. *Januar.* 1726. §. *final. coram. Calcagnino*; ubi quod delatio Stolæ in actibus non funeralibus non est signum jurisdictionale, sed duntaxat distinctivum Parochorum a ceteris Presbyteris: & sic etiam alibi sæpe sæpius, ut refert probando Scarfantonus ad Ceccoper. ad *p.* 3. *addit.* 39. *sub. n.* 80. Et expresse declaravit Benedictus XIII. Constitut. incip. *Pretiosus* §. *Et ad tollendam*, ibi: *Declarantes, & quatenus opus sit decernentes, ac matura deliberatione mandantes Crucis erectiones, Stolæ delationem, & ingressus in Ecclesias in omnibus, & singulis enumeratis, ac ceteris quibuscumque similibus casibus, nullam penitus jurisdictionem importare, aut minimum in aliquo præjudicium cuicumque irrogare, aut quomodocumque, & quandocumque irrogare, & inferre posse.*

3 De qua tamen vide dicta sub verb. *Parochus art.* 2. *num.* 67. ubi insuper adducuntur hinc inde plures Sacrarum Congregationum Resolutiones, & Pontificum Constitutiones quo ad ingressum Parochorum cum Stola, & Cruce elevata in Ecclesias Regularium, prout etiam plures hinc inde quo ad hoc referuntur a Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 48. & ab Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 14. *& tom.* 4. *part.* 1. *discept.* 11. ubi in fine circa hanc diversitatem Resolutionum adducit, quod habet doctissimus Faber *in Epist. ad Lector. sui Cod.* ibi: *Idem plane Senatus, sed non iidem Senatores*, quem sequuta est Rota, *decis.* 181. *in princip. coram Emerix jun.* & plures etiam alias hinc inde Resolutiones adducit ipse *citato tomo* 4. *part.* 3. *discept.* 6.

Capellani Confraternitatum nequeunt deferre Stolam in Processionibus, quæ fiunt extra suarum Confraternitatum Ecclesias, ut probant decreta congesta a Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 73. *num.* 21. & per viam Legis generalis decrevit *Sacra Congreg. Rit. die* 10. *Decembr.* 1673. *in responsione ad* 23. *dub. & Sacra Congreg. Concil. in Cremonen. die* 24. *Januar.* 1706. *ad* X. *dub.* ubi orta controversia inter Capellanos Confraternitatis Casalis Majoris aggregatæ Archiconfraternitati Mortis, & Orationis Urbis, & Parochum dicti loci super delatione stolæ deferendæ per dictos Capellanos in functionibus, & Processionibus, partibus informantibus, declaravit eos extra Oratorium Confraternitatis stolam deferre non debere, nec posse, non obstantibus decisionibus Rotæ *in Savonen. Aggregationis* 27. *Junii* 1598. *coram Pio, &* 15. *Junii* 1699. *coram eodem &* 15. *Januar.* 1700. *coram dell'Olmo, &* 13. *Junii* 1701. *coram Molines decano*; quæ afferebantur in Summario Confraternitatis; Sic refert Monacell. *tom.* 2. *titul.* 13. *formul.* 1. *num.* 78. Et sic etiam ead. *Sacra Congr. Conc. in Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.* 1718. *ad* 6. *dub. apud Thesaurum Resolution. Sacræ Congr. Conc. tom.* 1. 4

Stolam deferre in Processionibus, & funeribus non competere Archipresbytero Collegiatæ privative quo ad alios Parochos, respondit *Sacra Congregat. Concil. in Derthonen. oppidi Novarum, Jurium Parocchialium* 3. *Decembr.* 1718. *ad XI. dub.* 5

Stolam, & superpelliceum deferre sine licentia Parochi licere Archipresbytero Collegiatæ in actu benedictionis in articulo mortis dandæ infirmis, ad quos accessit, respondit *Sacra Congr. Conc. in d. Derthonen. ad XIV. dub.* 6

Parochi civitatis possunt in publicis Processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis Sacris paramentis indutum, incedere cum Stola. *Sacr. Rit. Congr. in Ariminen.* 24. *Januar.* 1728. apud Scarfantonum ad Ceccoper. *part.* 3. *addition.* 23. *sub num.* 5. 7

Regulares non possunt benedicere agros, & maledicere locustas cum stola sine Parochi licentia; Supplicante enim in *Sacr. Congr. Concil.* Procuratore Generali Capuccinorum declarari; *Primo*: *An Regulares dicti Ordinis requisiti ab agrorum Dominis, possint, absque licentia Parochi benedicere agros; & maledicere locustas, & brucos, & cæteros hujusmodi vermes & quatenus affirmative. Secundo. An in hujusmodi functionibus peragendis uti possint Stola absque licentia Parochi. Sacr. Congregat. die* 28. *Augusti* 1688. *respondit ad utrumque, Negative*: apud Monacell. *loco citat. numer.* 79. 8

Sacerdotes ad communionem generalem in Feria V. in Cœna Domini accedere debent cum stolis albis 9

cia diaconi *absconsis infra tunicam uterentur orariis, ita ut nihil differre a subdiaconis viderentur*, Bracarense Concilium id vetuit *can.* 27. Vide Georgium de *Liturg. Rom. Pont. Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20., qui *num.* 4. mysticas quoque quasdam Stolæ significationes in medium adfert.

albis super Cottam a collo pendentibus. Cœremonial. Episcop. *lib.* 2. *c.* 29. §. 3. Merati *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *de Feria V. in Cœna Domini num.* 7. Et Diaconi ad ipsam accedere debent cum stolis diaconalibus albis. Merati *loc. cit. n.* 3. & alii.

10 Stola Sacerdotalis cum Alba, est aptanda, & gestanda in modum Crucis: Soluta vero, & pendens a collo, hinc inde si cum superpelliceo, vel pluviali, aut sine eo adhibetur. Cum superpelliceo enim ligari in modum Crucis non potest. Gavant. & Merati *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 10. *Rubrica* 4. *vers. Stola*; & alii.

11 Stola autem diaconalis aptanda, & gestanda est a Diaconis ab humero sinistro pendens sub dextrum; quia ab ipsis fertur super uno tantum humero sinistro sub axillam dexteram connexa, ad distinctionem Sacerdotum, qui utroque humero eam portant, ut supra; Fertur eutem a sinistro humero ad latum dextrum ex *Concil. Bracaren. I. cap.* 27. ut ab activa vita laboriosa, ad contemplativam suavem diaconus transeat. Honorius in *Gemma lib.* 1. *c.* 240. Vel ut portet hic jugum domini in sinistra, idest in præsenti vita, cum spe quietis futuræ in dextra. Durand. *lib.* 2. *cap.* 9. quæ ratio valet etiam pro Sacerdote. Ceterum dexteram Diaconi partem vult esse liberam ob ministerium Altaris; *Concil. Toletan. IV. c.* 39. Sic Gavant. & Merati *loc. cit. Rubrica* 7. *vers. Diaconus cum Stola*.

12 Episcopus non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere, & antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem. Sic Rubrica Missal. *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 4. Et ideo non ducit Stolam in modum crucis, quia ante pectus gestat ejus loco crucem pectoralem, quam ante stolam accipit, ut notat Innocentius III. *c.* 53. apud Gavant. & Merati *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 1. *Rubrica* 4. ubi Merati notat, quod in recentibus missalis Romani rubricis, post illa verba, *Si celebrans sit Episcopus*, adducuntur hæc alia, *vel Abbas, ut supra*, ex quibus deducitur, quod ducere stolam in modum crucis ante pectus, convenit etiam Abbatibus Pontificalium usum habentibus, præsertim quando pontificaliter celebrant.

13 Stola super cottam non utuntur Romæ concionatores ob reverentiam Papæ, qui extra Sacramenta Stola utitur. Gavant. & Merati *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 6. *Rubrica* 6. *vers. Orator Romæ*.

14 Alia ad rem; Vide verb. *Parochus art.* 3. *num.* 36. ubi, quod occasione funerationis cadaverum, alterius diœcesis, aut Parochiæ in Ecclesiis Regularium, potest proprius Parochus defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictas Ecclesias libere transire per quascumque Diœceses, & Parochias cum Stola, & cruce elevata, etiam irrequisitis eorumdem Parochis. Sic expresse *Sacra Congregat. Episcopor. & Regular. in Placentina* 24. *Novembr.* 1713. *ad* 1. *dub.*

Additiones ex aliena manu.

15 Delatio Stolæ non semper est signum jurisdictionis. Si actus, in quo Stola defertur, sit indifferens, etiam actus indifferens est actus delationis ipsius Stolæ. Contra si jurisdictionalis sit actus in quo defertur Stola, signum jurisdictionis est actus ipsius delationis. Vide Rotam *in Tranen. Præeminentiarum super reservatis* 23. *Junii* 1723. *cor. bon. mem. Gamaches*, ubi & de usu hujus distinctionis in praxi.

STUPRATOR, STUPRUM.

Stuprum stricte & proprie sumptum est violenta defloratio puellæ Virginis, seu est concubitus cum puella virgine ipsa invita, seu per vim coacta. *Sic in re Communis Doctorum*. Ponitur autem ly *violenta*, seu *ipsa invita*, *seu per vim coacta*, ut excludatur copula, in quam consentit virgo, quia talis copula, in quam consentit virgo, pertinet potius ad simplicem fornicationem, quam ad stuprum stricte, & proprie sumptum. *Comm.* 1 2

Censetur vero virgo violenter, seu per vim coacta deflorari, sic, ut ejus defloratio dicatur stuprum stricte, & proprie sumptum, quando, vi, timore, dolo, fraude, aut facta promissione matrimonii, & hujusmodi decipitur, & inducitur ad copulam; *Communis*. Dicitur autem notanter in definitione puellæ virginis, seu cum *puella virgine*, ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, seu illius, quæ antea copulam habuerat, quia ille violentus concubitus non est stuprum, cum non sit violatio integritatis virginalis. *Communis*. 3 4

Stuprum igitur est gravissimum, & speciale luxuriæ peccatum ob gravissimam injuriam, quam Stuprator infert puellæ virgini, & ejus parentibus. *Communis*. Unde Stuprator tenetur in foro conscientiæ, aut illam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare secundum sui possibilitatem, & viri prudentis arbitrio. *Communis; arg. cap. Pervenit* 2. *de ad ult. & stup.* 5 6

Alia ad rem; Vide verb. *Dos art.* 2. *num.* 14. *ad* 38. ubi late de omnibus. 7

SUBCOLLECTOR APOSTOLICUS.

Subcollectores Cameræ Apostolicæ, Advocati, Procuratores, Fiscales, & Notarii in causis spoliorum, & Jurium præfatæ Cameræ, eorum officio durante sunt exempti a jurisdictione Ordinariorum. Ex litteris Pauli III. Pii IV. Gregorii XIII. & Sixti V. quarum meminit Joann. Anton. Novarr. *in Summ. Bullar. tit. de Subcollectoribus*, & Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Subcollector num.* 1. 1

Subcollectores Apostolici tamquam prorsus exempti non comprehenduntur sub decret. Concil. Trident. *sess.* 6. *de reformat. cap.* 4. *& sess.* 7. *cap.* 1. *& sess.* 25. *cap.* 6. *de reform. Sacra Congregat. Concil.* penes Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar.* Glossa 51. *num.* 81. *&* 82. & Barbosa *loc. cit.* 2

Subcollectores Apostolici non possunt visitari, nec 3

nec corrigi ab Episcopo. *Sacra Congreg. Concil. in Senogallien.* 11. *Julii* 1590. apud Barbosam *loc. cit. num.* 5.

4 Subcollectores, vel commissarii spoliorum non comprehenduntur sub dispositione Ordinariorum, sed Nuncii Apostolici juxta eorum privilegia. *Sacra Congreg. Concil.* apud Barbos. *loc. cit. n.* 6.

5 Subcollectorum privilegia non suffragantur illis, qui non resident in diœcesi, cujus sunt deputati Subcollectores. *Sacra Congregat. Episcop. in Pistorien.* 9. *Februarii* 1624. apud Nicol. *in Flosculis* verb. *Subcollector n.* 1.

6 Immo Sacra Congregatio non probat, quod quis deputetur Subcollector in aliena Diœcesi. *Eadem Sacra Congreg. in Pistorien.* 9. *Septembr.* 1625. apud
7 eumdem *loc. cit. n.* 1. Et sic deputati non sunt exempti ab Ordinario loci, ubi beneficium habent. *Eadem Sacra Congreg. in Venafren.* 9. *Decembr.* 1654. apud eumdem *ibid. sub n.* 1.

8 Subcollectorum spoliorum causæ ad Nuncium pertinent. *Sacr. Congreg. Episc.* 14. *Decemb.* 1619. apud Gavant *in Manual. Episc. verb. Spolia Clericor. num.* 14.

9 Subcollectores Cameræ Apostolicæ, si non serviunt amplius, sub Ordinario sunt. *Sacra Congreg. Episc.* 1. *Octobris* 1602. apud Gavant. *loc. cit. verb. Exempti n.* 9. & *Sac. Congreg. Concil.* 14. *Aprilis* 1646. quæ apud Nicol. *loc. cit. n.* 4. expresse censuit, quod Subcollectores amoti, vel amplius non servientes; non gaudent exemptione ab Ordinarii jurisdictione.

10 Curam animarum, vel aliud servitium Ecclesiasticum personalem residentiam requirens, obtinentes, non debent deputari Subcollectores, & si deputantur, non sunt exempti quo ad onera beneficii. *Sac. Congreg. Episc. in Asculana* 19. *Aprilis* 1606. *& in Acerren.* 23. *Maii* 1614. apud Nicol. *loc. cit. n.* 2. Et quod Subcollector non excusetur a residentia Parochiali decrevit etiam *Sacr. Congr. Concilii* apud Barbosam *loco cit. n.* 3.

11 Unde Episcopus cogere potest eos ad residentiam, & ad solvendum punctaturas. *Sacra Congr. Episc. in Marsican.* 20. *Junii* 1614. *& in Avellina* 12. *Maii* 1617.

12 Et quod dictum est de curatis, intelligitur etiamsi sint Archidiaconi, vel Archipresbyteri, vel in alia dignitate constituti; *Eadem Sac. Congr. Episcop. in Neapolitana Nullius Motulæ* 23. *Augusti* 1652. apud Nicol. *loco cit. n.* 3.

13 Potest Episcopus exequi suam sententiam latam contra suum Clericum, antequam esset Subcollector, vel etiam post, si antea fuerit incœptum Judicium. *Sacr. Congr. Episc. in Policastren.* 13. *Maii* 1617. *in Squillacen.* 30. *Maii* 1626. *in Hieracen.* 24. *Martii* 1628. apud Nicol. *loco cit. n.* 7.

14 Si Subcollectores administraverunt reditus Capitulares, compelli possunt ab Ordinario ad reddendas rationes, sed si fuerint in fraude deprehensi, puniuntur a suo Judice. *Eadem Sac. Congr. Episcop.* 8. *Jun.* 1646. apud eumdem *loco cit. n.* 6.

15 Potest Episcopus cogere etiam Clericos Subcollectores, ut Synodis intersint, & ad publicas Processiones accedant. *Sacra Congregat. Concil. in Cajacensi* 21. *Martii* 1654. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 479.

Subcollector absque Ordinarii licentia alloquens Moniales potest excommunicari. *Sacra Congreg. Concil. in Hipporegien.* 13. *Maii* 1628. apud Barbosam *loc. cit. num.* 7. & Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp.* 25. *quæsit.* 4. *num.* 6. 16

Subcollectoris delictorum saltem notiorum informationem potest capere Ordinarius, vel capi facere ad effectum transmittendi suis superioribus. *Eadem Sacr. Congreg. Concil. in dicta Hipporegien.* 13. *Maii* 1628. 17

Subcollectores subjecti sunt Episcopo quoad celebrationem missarum, & alias functiones Ecclesiasticas, & quoad onera ipsis ratione beneficii incumbentia. *Sacra Congreg. Concil.* 24. *Maii* 1664. apud Monacell. *tom.* 4. *supplem. ad Ill. tom. n.* 87. 18

Non potest tamen Episcopus illos a Divinis suspendere ob delicta occulta, sicut ceteros subditos. *Sacr. Congregat. Concil. in Vercellen.* 24. *Novembr.* 1671. apud Monacell. *loc. cit. num.* 88. 19

Subcollector spoliorum nequit percipere distributiones quotidianas, dum ratione Officii Subcollectoris choro non assistit. *Sacr. Congr. Concil. in Cassanen.* 9. *Febr.* 1647. *ad cap.* 12. *sess.* 14. *de reform.* & plures alii teste Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 327. 20

Episcopus, si in sua diœcesi omnes canonici, vel eorum major pars prætextu officii Subcollectoris prætendant exemptionem a sua jurisdictione, debet facere verbum cum Sanctissimo. *Sacr. Congr. Concil. in Anagnina* 16. *Novembr.* 1652. *ad cap.* 10. *sess.* 24. *de reform.* apud Pignatell. *consult.* 389. 21

Subcollectores, & commissarii pro locis exemptis, sed habitantes in civitate Episcopo subdita, non gaudent exemptione a jurisdictione Ordinarii. *Sacr. Congreg. Concil. in Caputaquen.* 11. *Martii* 1722. sic refert Ursaya *in Miscellaneo* 1. *Sacro, & profano litt. S. num.* 246. 22

Subcollectores Apostolici sunt quidem exempti a jurisdictione Ordinarii, ut liquet ex Constitut. 40. Gregorii XIII. *t.* 4. *part.* 3. *Bullar. nov. pag.* 293. & Constitut. 47. Urban. VIII. *tom.* 4. & ex jam allatis hucusque, sed cum multis limitationibus, nempe quod non obstantibus suis privilegiis adhuc subdantur jurisdictioni Ordinarii in rebus respicientibus, aut curam animarum, si quam exerceant, aut servitium Ecclesiæ, si canonicatum aliudve beneficium possideant, & in pluribus aliis ut patet in sequenti decreto Sacræ Congregationis Concilii approbante san. mem. Innocentio XI. edito, quod ad uberiorem notitiam hic ad litteram datur una cum suis declarationibus, seu additionibus emanatis a Benedicto XIII. 23. Maii 1725. 23

Decretum Sacræ Congregationis Concilii circa Subcollectores latum die 27. *Februarii* 1677.

DIE 27. Februarii 1677. Sac. Congr. EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad occurrendum controversiis, ac querimoniis circa Subcollectores Spoliorum, aliosque commissarios Cam. Apostolicæ, præsertim Regni Neapolitani ad eamdem Sacr. Congreg. delatis salubriter intenta, authoritate etiam a S. mem. Clemente IX. & Sanctissimo D. N. Innocentio XI. tributa, præ- 24

prævia matura consultatione, statuit, ac decrevit, ut in posterum in singulis infrascriptis diœcesibus, videlicet, Aquinaten. Acerrarum, Aliphana, Avellina, Asculana in Piceno, Asculana in Apulia, Atrien. Bisacciarum, Bitecten. Bituntina, Brundusina, Bellicastren., Boven. Carinolen. Calven. Cajacen. Casertan. Campanien. Capritan. Conversan. Cotronen. Castren. Castellaneten. Civitatis ducalis, Camplen. Cariaten. Fundana, Frigentin. Guardien. Gravinen. Gallipolitan. Isclan. Insulan. Juvenacen. Literen. Lavellen. Laquedonien. Motulen. Massulubren. Marturanen. Minerbinen. Monopolitan. Melphiten. Minoren. Marsicen. Montis Marani, Montis Pelusii, Melphien., Murana, Nuscana, Nicoteren. Nucerina, Ostunen. Oritan. Ortonen. Pennen. Puteolan. Polignanen. Ravellen. Ruben. Rossanen. Rapollen. Reatina, Surrentina, Suessana, S. Agathæ, Satrianen. Stabien. seu Castri Maris, Sarnen. S. Severi, S. Angeli Lombardorum, Trojan. Theanen. Thelesina, Trivicana, Tranen. Ugentin. Umbriaticen. Vican. Vulturarien. Vestan. Venusina, Valven. Vigilien. Venafrana.

25 Et in singulis pariter infrascriptis locis exemptis, seu nullius diœcesis, videlicet Canusii, Cerignolæ, Casalis novi, Cetrani, Centolæ, Castri S. Laurentii, Castellan. Carbanarien. Brosii, Frasan. Montis Virginis, Montis Casini, Marubii, Putignani, Rutiliani, S. Stephani de Nemore, Sanctissimæ Trinitatis Caven. S. Angeli ad Fasanellen. S. Vincentii de Vulturno, Terlitii, & aliis, in quibus fortasse hactenus Subcollectores deputari solitum fuit, unicus Subcollector.

26 In sequentibus vero scilicet, Aprutina, Aversana, Arianen. Amalphitan. Alexanen. Aquilana, Baren. Bojanen. Bovinen. Bisinen. Canaven. Capuana, Compsan. Cathacen. Hieracen. Hidruntina, Isernien. Larinen. Lycien. Marsorum, Nolan. Neritonen. Neocastren. Oppiden. Policastren. Potentin. Rheginen. Sorana, Sypontina, Sulmonen. Squillacen. S. Severinæ, S. Marci, Theatina, Termularum, Triventin. Tarentin. Tricaricen., & Tropien. duo tantum.

27 In sequentibus, nimirum: Acheruntin. & Materanen. unicus, in Anglonen. Beneventan. Cosentin. Caputaquen. Cassanen. Mileten. & Salernitan. non plures, quam tres, & in Neapolitana decem Subcollectores, & non ultra, respective deputentur, & exerceant.

28 Ad evitandam autem confusionem remisit arbitrio Nuncii dividere, & assignare cuilibet subcollectori partem diœcesis, seu loca, intra quorum limites debeant in exercitio se continere.

29 Et ne semel in Subcollectores deputati necessitatem inducant multiplicandi alios Subcollectores renunciando officium, licet possint in eo continuare, & idonei sint, declaravit, nullum Subcollectorem post renunciatum officium gaudere exemptione ab Ordinario, nisi laudabiliter exercuerit, saltem per duodecim annos.

30 Eos vero qui in officio, aut alias ita deliquisse comperti fuerint, ut a Nuntio amoveantur, & alii eorum loco deputentur, nullatenus exemptione hujusmodi gaudere; Et e contra illos, qui probe, ac fideliter se gesserint, velintque in Officio continuare, confirmandos esse a Nuntio, nec alios eorum loco deputari posse.

Præterea, attenta Subcollectorum hujusmodi multitudine, & causa a san. mem. Urbano VIII. in sua Constitutione 35. considerata concedendi illis exemptionem censuit expedire, ut Sanctissimus declaret, ita esse intelligendam dictam Constitutionem, ut Subcollectores, terminato officio non gaudeant amplius exemptione, defuncto, vel alias deficiente Ordinario, in cujus tempore exercuerunt. Sicuti etiam declaravit illos, qui, licet in Subcollectores deputati fuerint nunquam exercuerunt, minime gaudere; Nec pariter illos, qui non resident in diœcesi, pro qua sunt deputati, & Ordinarium certiorare debere Sac. Congregationem de dicta non residentia, ejusque provisionem expectare. 31

Generaliter vero Subcollectoribus exemptionem ab Ordinario in civilibus non suffragari, nisi adesset in diœcesi judex a Nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in causis passivis, & nullo privilegio, aut exemptione gaudeat. 32

Quod vero attinet ad Substitutos, & Officiales Subcollectorum, declaravit, dd. Substitutos non gaudere exemptione, illam tantum concedendam esse uni tantum notario pro quolibet Subcollectore in actu exercitii, & quoad commissarios super illicitis negotiationibus, aut ad alias causas particulares deputatos non gaudere exemptione, nisi in actu exercitii, & tam commissarios hujusmodi, quam Subcollectores, quando procedunt contra denunciatos, vel alios inquisitos de illicitis negotiationibus, si ex processu informativo constet de eorum innocentia, non posse illos cogere ad expensas ejusdem processus, & decreti absolutorii. 33

Et quod majoris momenti est, ne prætextu hujusmodi officii cura animarum, servitium Ecclesiæ, ac divini cultus, morumque honestas detrimentum patiatur, declaravit, Parochos in Subcollectores, aut commissarios ad quascumque causas particulares non esse deputandos, sicuti nec pœnitentiarium, nec theologum. Quod si post deputationem de aliqua parochiali, aut pœnitentiali, vel theologali præbendis fuerint fortasse provisi, tunc minime gaudere exemptione in concernentibus curam animarum, & respective adimplementum onerum ipsarum præbendarum, & eadem ratione non gaudere canonicos, & alios beneficiatos Subcollectores in concernentibus servitium Ecclesiæ, & adimplementum onerum ipsorum canonicatuum, & beneficiorum, nec lucrari distributiones quotidianas si non inserviant; Insuper teneri ratione beneficiorum, quæ obtinent, ad publicas processiones accedere, solvere cathedraticum, & subsidium caritativum, & interesse synodo, ac visitationi, non tamen pluries, quam semel in anno. Posse vero solummodo cogi ab Ordinario ad exequendam visitationem in iis, quæ respiciunt cultum divinum; ipsumque Ordinarium posse procedere contra Subcollectores accedentes sine ejus licentia ad monasteria monialium, aut non servantes præceptum communionis paschalis, & contra percutientes Presbyterum, vel Clericum posse procedere ad declaratoriam excommunicationis *ex can. si quis suadente*: 34

te: & si quando repererit aliquem Subcollectorem in publico concubinatu vivere, certiorare debere eamdem Sacram Congregationem, ac ipsum Nuntium, cujus partes erunt severe eos punire, ac privare officio. Posse tamen eumdem Ordinarium carceribus mancipare ad superiorum dispositionem retinendos, subcollectores deprehensos in fragranti crimine, quod meretur pœnam corporalem, non tamen minorem carceratione, dummodo statim de carceratione Nuntium certioret.

35 Item administratores locorum piorum in subcollectores deputatos subesse Ordinario quoad redditionem rationum administrationis; nec posse subcollectores a casibus Episcopo reservatis absolvi absque illius licentia, & nullum inquisitum posse a Nuntio in subcollectorem deputari, nisi de ejus absolutione constiterit.

36 Ut autem sciant Ordinarii, quos in subcollectores, aut commissarios debeant recognoscere, declaravit, subcollectores teneri ostendere Ordinario suas commissiones, antequam illas exequantur; commissarios vero particulares teneri, vel per litteras patentes, vel privatas sui superioris, aut alio modo certiorare Ordinarium de demandata jurisdictione.

37 Demum quatenus supradictæ declarationes, vel aliquæ illarum futuris temporibus non observentur, Sacra Congregatio voluit, incumbere locorum Ordinariis, ut pro eorum zelo, ac pastorali sollicitudine quæcumque secus audiverint, huic S. Sedi fideliter referant pro opportuna provisione obtinenda.

38 Et die 15. ejusdem facta de præmissis omnibus relatione eidem Sanctissimo D. N. Innocentio XI. Sanctitas suas declaravit, præcitatam Constitutionem fel. recordat. Urbani VIII. esse intelligendam juxta prædictam Sacræ Congregationis sententiam, & præsens decretum, omniaque, & singula in eo contenta approbavit, & confirmavit, & inconcusse, ac inviolabiliter observari, & exequi mandavit, salva tamen semper ejusdem Sacræ Congregationis auctoritate, omniaque, & singula præfata declarandi, moderandi, & ampliandi, & in totum, vel in parte annullandi, & interpretandi.

39 Voluit tamen Sanctitas sua, quod præsenti decreto, restricto ad Collectores, & Subcollectores spoliorum regni Neapolitani, per Nuntium Apostolicum deputatos, sive deputandos, derogatum, sive præjudicatum minime censeatur reservationibus, & affectionibus beneficiorum eorumdem collectorum, & subcollectorum resultantibus ex regulis Cancellariæ Apostolicæ.

Ita reperitur in registro S. C. C. & in fidem &c.

Prosper Archiep. Theodosiæ Secr.

40 Sequuntur aliquæ supra relati decreti declarationes, seu additiones, emanatæ a Congregatione particulari, deputata in Concilio Romano a SS. D. Nostro sub die 13. Maii 1725.

Primo: quod in hac parte, scilicet in §. *Et quod majoris momenti,* in quo decretum ejusdem Congregationis Concilii loquitur de subcollectoribus, qui obtinuerunt postmodum parochias, vel præbendam theologalem, seu pœnitentialem, amplietur decretum ipsum, & eidem addatur, prout nova hac declaratione additur, quod tunc subcollectorum officia illico cessent, & thesaurarius vel Nuntius Apostolicus alium deputare teneatur.

Secundo: Non posse *Thesaurarium generalem*, & Nuntios in quacumque diœcesi, etiam extra statum Ecclesiasticum, litteras patentales subcollectoribus in futurum concedere, nisi eis attestatio exhibeatur curiæ Episcopalis, in qua de ipsorum bona vita, & moribus, ac eosdem nec inquisitos, nec processatos esse, testimonium feratur, quam attestationem & thesaurarius, & Nuntius in actis conservare teneantur; alias patentales litteræ, quorumcumque alio modo concessæ, & expeditæ, nullæ sint, & invalidæ, itaut contra istos procedere possit Episcopus ordinarius. 41

F. A. Archiep. Episc. Abellinen. & Frequentin. Concil. Secr.

Subcollector nonnisi unus pro qualibet diœcesi deputari potest, & si plures deputentur, quamvis unus dicatur deputatus pro diœcesi, alter pro loco exempto intra diœcesim existente, hic postremus nulla gaudet exemptione. Cum enim in diœcesi Bituntina tres olim reperirentur subcollectores, unus videlicet pro ipsa civitate, & diœcesi Bituntina, alter pro Abbatia *Nullius* Fasani, & tertius pro loco *Nullius* Rutiliani, & Episcopus Bituntinus *die* 14. *Maii* 1687. a Sacra Congregat. Concil. quæsivisset, *An Subcollectores deputati pro jurisdictione Fasani, & Rutiliani, & commorantes Bitunti aliqua in dicto loco gauderent exemptione?* Responsum fuit, *Non gaudere, & Episcopum procedere posse in futurum*, uti habetur *lib.* 47. *decret. fol.* 285. Atque Episcopo Caputaquensi similem quæstionem proponenti in Congregatione habita *die* 14. *Mart.* 1722. rescriptum fuit, ut servaretur prædictum decretum editum in Bituntina. Sic Benedictus XIV. qui tunc temporis erat Secretarius ejusdem Congregationis, *de Synodo Diœcesana lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 7. & reperitur *in tom.* 2. *Thesaur.* resolution. dicti anni. 42

Subcollectores tenentur interesse Synodo diœcesanæ, processionibus, & visitationi, solvere cathedraticum, & subsidium caritativum. *Sac. Congreg. Concil.* 21. *Mart.* 1614. & 27. *Februar.* 1677. in supra allato decreto approbato ab Innocentio XI. Non adnumerantur Sedis Apostolicæ Officialibus, de quibus loquitur textus *in cap. Matthæus, de hæreticis, & in c. Divina in eminenti, de privilegiis, inter Extravagant. Commun.* Sic expresse declaravit *Sacr. Congreg. Concil. die* 26. *Martii* 1682. quæ ad dubium: *An Subcollectores spoliorum pro R. Camera Apostolica recenseri debeant inter officiales de quibus loquuntur ipsæ Extravagantes ad effectum præmissum?* Respondit *Negative*, & *die* 20. *Junii ejusdem anni*, perstitit *in decisis*, sicuti etiam respondit de Protonotariis non participantibus. Veri enim officiales Sedis Apostolicæ, de quibus loquuntur citati textus, altioris sunt gradus, atque ad graviora procuranda negotia destinati, ut scite d. Benedict. XIV. aliis allegatis *loc. cit. n.* 8. 43

Ad-

Additiones ex aliena manu.

44 Deputantur Subcollectores spoliorum, vel a Nunciis Apostolicis, ut ex Constitutione *Gregorii XIII. in ordine* 25. *tom.* 2. *& Urbani VIII.* 147. *tom.* 4. vel a Cardinali camerario, & a thesaurario generali, juxta *Constit. ejusdem Urbani* 190. §. 5. *& Alexandri VIII.* 190. §. 11. *tom.* 6.

45 In subcollectores autem non possunt deputari, nisi ii qui de legitimo matrimonio nati sunt, ut rescripsit *Sac. Congregatio Concilii interpres in Bituntina* 4. *Maii* 1697.

SUBDIACONUS. Vide verb. *Ordo artic.* 1. *a n.* 40. *ad* 42.

SUBORNATIO. Vide verb. *Pœna art.* 1. *num.* 208. 209.

SUBREPTIO. Vide verb. *Rescriptum a num.*27. *ad* 33.

SUBSIDIUM CARITATIVUM.

---

1 Subsidium caritativum, idest caritatis auxilium, sic appellatur, quia a principio ex caritate peti debet, & non violenter extorqueri, *arg. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii*, *& cap. Cum Apostolus* 6. *& cap. Cum part.* 16. *de censib.* Et dicitur subsidium, quia in subsidium peti debet, nempe quando facultates Episcopi non sufficiunt ad satisfacienda onera, ad exemplum subsidiariæ actionis, ideo sic dictæ, quia datur, quando deficit propria, & specialis actio, ut in §. *final. Instit. Ad Legem Aquil.* & *in* §. *final.* ubi Glossa *Institut. de interdict.* Bellencinus *tractat. de caritativo subsidio quæst.* 14. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 87. *num.* 2. Ventrigl. *prax. rer. notabil. part.* 2. *annotat.* 25. §. 1. 2. & alii passim.

2 Subsidium caritativum igitur est exactio, seu pensio extraordinaria, quam prælati Ecclesiastici, & præsertim Episcopi, ex manifesta & rationabili causa a suis subditis in subsidium exigunt. *Sic in re Communis*; atque desumitur *ex cap. Cum Apostolus* 6. *de censibus* §. *Prohibemus*: ibi: *Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, ac rationabilis causa extiterit cum caritate moderatum ab eis valeant auxilium postulare.*

3 Caritativum subsidium ex manifesta, & rationabili causa præter summum Pontificem, de quo nemo dubitat, possunt in suis diœcesibus exigere Episcopi, ac iis superiores, ut archiepiscopi, primates, patriarchæ &c. *Communis*, *arg. c. Conquerente* 16. *ad finem de Offic. ordinar. cap. Cum Apostolus* 6. §. *Prohibemus*, *de censibus*.

4 Caritativum subsidium exigere potest Episcopus electus, & confirmatus, licet non consecratus, *arg. cit. cap. Conquerente* 16. *de Offic. ordinarii*; Hoc enim est jurisdictionis, & non ordinis. Bellencinus *loc. cit. q.* 9. Barbosa *l. c. num.* 8. Azorius *Institut. moral. part.* 2. *l.* 12. *cap.* 14. *q.* 5. alii.

Administrator, seu coadjutor datus Episcopo 5
per Papam, vel Ecclesiæ cathedrali vacanti, potest a subditis illius Ecclesiæ exigere caritativum subsidium, per text. *cap. Is cui*, *de election. in* 6. *& cap. Ultimo in fine*, *de supplenda negligentia Prælator.* Bellecin. *loc. cit. q.* 8. Barbosa *loc. cit. num.* 10. Ventriglia *loc. cit. q.* 8.

Capitulum, sede Episcopali vacante, potest ca- 6
ritativum subsidium exigere. Glossa verb. *Aliunde in c. Puniente* §. *Ad hæc*, *de election. in* 6. ubi Joann. Monachus, & Archidiaconus, Bellencin. *loc. cit. q.* 7. Azorius *loc. cit. q.* 12. Bellet. *disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de Clerico debitore* §. 12. *n.* 38. Ventriglia *loc. c. num.* 31.

Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum carita- 7
tivum subsidium exigere possunt; Ipsi enim in Ecclesiis suorum titulorum jurisdictionem habent de jure communi, & Episcopalia jura obtinent, *cap. Querelam*, *de electione*. Et sic tenent Joan. Monachus *in cap.* 1. *de majoritat. & obedient.* Diana *part.* 5. *tract.* 2. *de potest. & privileg. S. R. E. Cardinal. resolut.* 55. Bellencin. *loc. cit. q.* 3. Ventriglia *loc. cit. num.* 20. Azorius *loc. cit. qu.* 5. *vers. Quæres*, Barbosa *loc. cit. num.* 15. & alii ibi allegati.

Legatus Papæ habet Jus exigendi caritativum 8
subsidium ab Ecclesiis provinciæ sibi delegatæ; Ipse enim in provincia sibi delegata omnia libere, & immediate potest, quæ quilibet Ordinarius jure, seu consuetudine potest in sua diœcesi, adeoque sicuti Episcopus in sua diœcesi, potest ipse in sua provincia caritativum subsidium exigere. Bellencin. *loc. cit. q.* 12. Azorius *loc. cit. quæst.* 5. §. *Sed quid dicendum*, Barbosa *loc. cit. num.* 16.

Generalis totius ordinis Regularis potest exigere 9
subsidium caritativum a monasteriis sui ordinis pro sumptibus necessariis ad gubernationem ordinis, si aliunde non habeat bona sufficientia ad hoc destinata. Barbosa *l. cit. nu.* 19. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 3. *disp.*10. *quæst.*2.*n.*2. Ventrigl. *loc. cit. num.* 25. & alii.

Commendatarius perpetuus Ecclesiæ cathedralis 10
potest exigere caritativum subsidium ab Ecclesiis sibi subjectis. Sic Bellencin. *loc. cit. q.* 6. Azorius *loc. cit. quæst.* 5. *verb. Commendatarius*; Barbosa *loc. cit. num.* 21. & alii. Et ratio est, quia ipse habet legitimam administrationem, & potest exercere jurisdictionem, quæ competeret Episcopo titulato, ut tenent Archidiaconus *in cap. Nemo deinceps*, *de election. in* 6. Innocentius *in cap. Si constiterit*, *de accusat.* Cardinalis *in Clementin. ult. de Procuratorib. q.* 12.

Prælati Episcopo inferiores, quamvis habeant 11
territorium separatum, & jura Episcopalia, de jure non debent, nec possunt exigere caritativum subsidium. Sic censuisse *Sacram Congregat. Episcop. in una Nullius Altamuræ* 14. *Maii* 1697. refert Monacell. *par.* 1. *tit.* 1. *formul.* 1. *num.* 42. Quod autem Prælati, seu Abbates habentes territorium, & diœcesim, & quibus subsunt Ecclesiæ pleno jure, tenent Ventriglia *loco cit. num.* 24. Meroll. *Theol.* mo-

moral. part. 3. disp. 7. cap. 5. dub. 21. n. 400. & seq. & videtur id tenere Barbosa *loc. cit. num.* 10. Monacell. *loc. cit.* dicens in indice: *Nisi habeant territorium separatum, & Jura Episcopalia*, & alii: Quia, ut dicunt, ipsi habent vere proprium territorium, & diœcesim, & jura episcopalia, adeoque possunt ab ecclesiis sibi pleno jure subjectis æque ac Episcopi, & alii supradicti, caritativum subsidium exigere.

12 Vicarius generalis Episcopi non potest caritativum subsidium exigere, nisi de speciali mandato ipsius Episcopi. Hoc enim nullo jure reperitur illi concessum, adeoque in generali commissione, & mandato sibi ab Episcopo tradito non continetur. Bellencin. *loc. cit. q.* 21. Azorius *l. c. cap.* 15. *quæst.* 5. *verb. Vicarius*, Barbosa *loco cit. n.* 12. Ventriglia *loco cit. n.* 13. & alii passim.

13 Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi sine dubio exigere possunt caritativum subsidium in suis respective diœcesibus ex dictis *supra num.* 2. Illud tamen exigere non possunt in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi alicubi id eis competeret ex legitima consuetudine: Nullibi enim in jure reperitur id eis concessum. Barbosa *loc. cit. num.* 9. Bellenc. *loc. c. q.* 2. Azorius *loc. cit. q.* 5. *vers. Sed dubiæ quæstionis*, Pirhing *lib.* 3. *decret. tit.* 39. *num.* 14. Reiffenstuel *ibid. n.* 20. & alii passim.

14 Episcopi, aliique supradicti, quibus competit jus exigendi caritativum subsidium, possunt ad illud solvendum compellere, & cogere etiam per censuras clericos id dare nolentes, seu recusantes. Sic. Joann. Andreas *in c. Cum Apostolus 6. de censibus num.* 7. & *ib.* Innocentius, Hostiensis, Butrius, Abbas, & alii, Bellencin. *loc. cit. q.* 15. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *t.* 3. §. *Unic. de subsidio caritativo num.* 9. Azorius *loco citat. num.* 3. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 21. Bellet. *Disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de Clerico debitore* §. 12. *num.* 25. Alexander de Nevo *cons.* 59. *num.* 5. Barbosa *l. c. n.* 5. allegans alios, & Rotam *in noviss. decis.* 425. alias 23. quæ incipit: *Item extra Rotam petebatur consilium*, & sic tenent etiam alii plures, *arg. cap. Cum Apostolus 6. de censibus, cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii, Clementin. Frequens, de excessib. Prælator.*

15 Ad hoc autem, ut Episcopus, vel alius possit subsidium caritativum exigere, debet intervenire manifesta, & rationabilis causa necessitatis. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii*, ibi: *Si manifesta, & rationabilis causa extiterit, & c. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de censibus*, ibi: *Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit.*

16 Quænam vero dicatur manifesta, & rationabilis causa necessitatis, ut Episcopus possit exigere subsidium caritativum, relinquitur arbitrio ipsius Episcopi una cum consensu, vel saltem consilio capituli, quod Episcopus requirere tenetur, ut docent Joann. Andreas *in cit. cap. Cum Apostolus 6. de censibus num.* 8. & *ibidem*, Butrius, Innocent. Hostiens. Bellet. *loc. cit. num.* 8. Bellencin. *loc. cit. q.* 10. Ventriglia *loc. cit. num.* 6. Barbosa *loc. c. n.* 26. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 34. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 142. *num.* 6. & alii per text. *in cap. Novit* 4. *& cap. Quanto* 5. *de his, quæ fiunt a Prælat.*

Si autem dubium, & controversia sit inter capitulum, & Episcopum, an subsit sufficiens causa subsidium caritativum exigendi, vel quantitas petita sit nimia & excessiva; tunc vel de consensu partium eligendi sunt arbitri, vel recurrendum est ad superiorem. Sic Bellencin. *loc. cit. quæst.* 17. Azorius *loco cit. q.* 4. §. *in dubium vocatur*; Layman *loc. cit. num.* 9. Pirhing *loc. cit. num.* 53. Barbosa *loc. cit. num.* 28. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 36. & alii cum Glossa *in c. Cum Apostolus 6. de censibus, verb. Rationabilis, arg. can. Si clericus* 46. *caus.* 11. *quæst.* 2. Et ratio est, quia tunc solum potest Episcopus ipse compellere, & cogere clericos nolentes, & recusantes dare subsidium caritativum, quando causa manifesta est, *arg. cit. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii, & cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de censibus*. Non autem quando causa est dubia, vel controversa, ut recte notant citati doctores, & alii. 17

In specie tamen sufficienter rationabiles, & manifestæ pro exigendo subsidio caritativo censentur a doctoribus potissimum causæ sequentes. I. Expensæ necessariæ pro promotione, confirmatione, & consecratione ipsius Episcopi. II. Expensæ necessariæ pro solvendis debitis ab ipso, vel suo antecessore contractis pro bono communi, aut necessitate Ecclesiæ. III. Expensæ necessariæ ad visitanda limina Apostolorum. IV. Expensæ necessariæ pro itinere ad concilium generale, vel provinciale, ad Papam, imperatorem, vel regem ob bonum commune diœcesis, vel Ecclesiæ universalis. V. Expensæ necessariæ pro adventu imperatoris, regis, aut magni principis, præsertim si Episcopus ab eo habeat regalia. VI. Expensæ necessariæ pro tuendis, seu recuperandis juribus, actionibus, ac bonis ecclesiæ cathedralis, seu pro bono communi totius diœcesis. Sic Reiffenstuel *loco citato num.* 30. Ventriglia *loco citat. a num.* 9. Barbosa *loco citato a num.* 29. cum multis apud ipsos, & alii passim. 18

Qui tamen communiter notant prædictas causas esse solummodo sufficientes in casu, quo Episcopi reditus ad satisfaciendum eis non sufficiant, quia si Episcopi reditus in casibus prædictis sufficiunt absque subsidio caritativo, illud exigere nequaquam potest, cum deficiat necessitatis ratio, utpote conditio necessario requisita, *cit. cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus, de censibus*. Et quod Episcopus qui habet congruam pinguem, quæ excedat taxam a Concilio præscriptam, illud non possit exigere, expresse respondit *Sacra Congregat. Concilii in Geranden.* 17. *Februarii* 1663. *& Sacra Congregat. Episcop. in Policastren.* 16. *April.* 1697. *referente clar. mem. Card. Petrucci* apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 1. *for.* 1. *num.* 37. 19 20

Quantitas subsidii caritativi cum non sit in jure definita, determinari potest, & debet ab Episcopo cum consilio capituli ex dictis *supra num.* 16. juxta exigentiam circumstantiarum, necessitatis, expensarum, redditnum, & hujusmodi. Menoch. *de arbitrar judic. c.* 179. *n.* 4. Pignatell. *loc. cit. n.* 12. Bar- 21

Barbosa *loco citato num.* 37. Bellet. *loc. cit. num.* 14. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 32. & alii communiter.
22 *arg. l. In fundo* 30. *ff. de rei vindicat.* Debet tamen ab Episcopo semper taxari, & exigi subsidium moderatum, ut tradunt communiter doctores, per text. *in cit. cap. Conquerente* 16. *de offic. Ordinarii*, ibi: *Non amplius ab eis exigas præter moderatum auxilium*, *& cit. capit. Cum Apostolus* 6. §. *Prohibemus*, *de censibus*, ibi: *Cum caritate moderatum valeant auxilium postulare*, ubi insuper hæc subjungitur ratio: *Cum enim dicat Apostolus; Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis, multum longe a paterna pietate videtur, si Præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis*
23 *necessitatibus Pastoris debent more fovere*. Hodie tamen debet servari taxa solita exigi a quadraginta annis retro ex dispositione taxæ Innocen-
24 tianæ per ejus verba relata *infra num.* 27. Et quod nec possit exigi major solito jam declaraverat *Sacra Congregatio Episcop.* 27. *Januar.* 1589. apud Barbos. *in Summ. Apostolic. decis. verb. Subsidium n.* 2.
25 Et etiam quod non debet excedere expensas factas in Bullis expediendis. *Sacra Congregat. Episcopor.* 25. *Maii* 1583. apud eumdem *ibid. num.* 1.

26 De jure communi non tantum semel, sed etiam pluries, & quidem quoties juxta prædicta existit rationabilis, & manifesta causa, & reditus non sufficiunt, potest Episcopus subsidium caritativum exigere. *Communis*, textu expresso *in c. cap. Cum Apostolus* 6. §. *Prohibemus*, *de censibus*, ibi: *Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt*.

27 Jure tamen novo Taxæ Innocentianæ per viam Legis universalis saltem in Italia promulgatæ, exigi potest solum unica vice in primo ingressu Episcopi, ut expresse ipsa Taxa disponit, ibi: *Il sussidio caritativo in quelle Diocesi, nelle quali sia solito d'esigersi, e non altrimenti, si esiga solamente per una sol volta nel primo ingresso del Vescovo secondo*
28 *la Tassa solita antica di* 40. *anni indietro*. Unde Caritativum Subsidium non potest exigi ab Episcopo, ubi non est solitum exigi, ut patet ex dictis Taxæ Innocentianæ expressis verbis: *In quelle Diocesi, nelle quali sia solito di esigersi, e non altrimenti*. Monacell. *loco cit. n.* 39. & alii passim.

29 Ad solvendum subsidium caritativum tenentur soli Clerici Beneficiati, & minime Clerici Beneficio carentes, & Laici. *Communis*, *arg. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii*; Et ratio est clara, quia tale subsidium est onus mixtum adhærens personis Ecclesiasticis in ordine ad Ecclesias, & Beneficia, ex quibus reditus percipiunt.

30 Nec obstat, quod *in cap. Cum Apostolus* 6. *de censibus*, concedatur Episcopis exigere tale subsidium universaliter *a subditis*, quorum nomine veniunt etiam Laici, & Clerici Beneficio carentes; Non obstat, inquam, quia *ibi* per subditos intelliguntur soli Clerici Beneficiati, prout communiter advertunt Doctores, ne dictum *cap. Cum Apostolus*, discordet cum *cit. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii*, *& can. Quia cognovimus* 6. *caus.* 10. *q.* 3. In quibus a solis Clericis Beneficiatis, seu ab Ecclesiis ratione Beneficiorum conceditur posse tale subsidium exigi.

Ad solvendum Subsidium caritativum tenentur 31 non solum simplices Clerici Beneficiati, sed etiam Canonici omnes, etiam Cathedralis. *Communis*, *arg. cit. cap. Conquerente*; *& Extravagant.* 1. §. *Præmiss. de censibus*, ibi: *Eorumque Capitulis*. Non 32 tenentur tamen Canonici solvere tale subsidium de distributionibus quotidianis, & de oblationibus, & mortuoriis, quia hæc non veniunt nomine fructuum Beneficiorum, de quibus solis fructibus solvitur Subsidium caritativum. Bellencin. *loco cit. q.* 76. Guttierez ad *Regul.* 8. *Cancellar.* §. 7. *Proœm. num.* 174. Riccius *in prax. part.* 3. *resolut.* 90. *per tot.* Barbosa *loco cit. num.* 44. Ventriglia *loco cit. n.* 32. & alii passim.

Hospitalia causa communis pietatis fundata, si 33 titulum Beneficii habeant, aut si fundata sint Episcopi auctoritate, quamvis titulum Beneficii non habeant, tenentur solvere Subsidium caritativum, quia cum sint loca Religiosa, & Sacra, sicuti aliæ Ecclesiæ, uti ab istis, ita ab illis potest Episcopus caritativum subsidium exigere. Barbosa *loc. cit. n.* 55. Azorius *loco cit. q.* 6. *vers. Si roges*, Bellencin. *l. c. q.* 38. Meroll. *loco cit. cap.* 5. *n.* 477. Ventriglia *l. cit. n.* 33. & alii.

Monasteria, & eorum Ecclesiæ Regulares non 34 tenentur solvere Subsidium caritativum. Joan. Andreas, Butrius, & Imola *in cap. Dilectus*, *de Offic. Ordinarii*, Bellencin. *loc. cit. q.* 20. Pirhing. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 39. *n.* 56. Engel *ibid. num.* 10. Reiffenstuel *ibid. n.* 27. Sannig *ibid. c.* 2. *num.* 3. Barbosa *l. cit. n.* 45. & plurimi alii contra alios. Et ratio est, quia subsidium caritativum debetur lege diœcesana; Monasteria autem, & Ecclesiæ Regulares sunt exemptæ a lege diœcesana, *arg. can. Cum pro utilitate* 34. *caus.* 16. *q.* 1. *c. Quam sit* 5. *caus.* 18. *qu.* 2. *& cap.* 1. *de statu Monachorum*, adeoque &c.

Et quod Episcopus Caritativi subsidii nomine non 35 possit a Monialibus, quidquam, nedum exigere, sed nec recipere a sponte dantibus sub pœnis tam dantibus quam accipientibus arbitrio Sacræ Congregationis, expresse decrevit *Sacr. Congr. Episcopor.* 9. *Martii* 1635. apud Piton. *Constit. Pontific. & decis. ad Episcopos num.* 984.

Tenentur tamen Monasteria Regularia Subsidium 36 caritativum solvere ratione Ecclesiarum sæcularium sibi subjectarum, si quas tales habent. *Communis*: Et ratio est, quia tales Ecclesiæ sæculares, antequam subjicerentur Monasterio Regulari, solvere consueverant Episcopo tale Subsidium caritativum, adeoque censentur unita Monasterio cum suo onere, cum quo transivit res; *c. Pastoralis*, *de Decimis*, *c. Quia Monasterium*, *de Religiosis domibus*; Nisi Monasterium ad id obtinuisset expressum speciale Apostolicum privilegium.

Subsidium Caritativum solvere non tenentur Cle- 37 rici Beneficiati pauperes. Sic Hostiensis, Imola, Butrius *in cit. c. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii*, Reiffenstuel *loco cit. n.* 26. Barbosa *loco cit. nu.* 49. Bellencin. *loco cit q.* 10. Bellet. *loco cit. n.* 19. *& seq.* Azorius *loco cit. cap.* 14. *q.* 6. Ventriglia *loco cit. n.* 39. & alii, *arg. c. Licet* 4. *de Censibus*; Illi autem juxta citatos Doctores censentur Clerici Beneficiati pauperes, qui vix necessariam sustentationem, & nil ultra habent ex reditibus Beneficii.

Fra-

38 Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum Vicarii in Parochialibus Religioni prædictæ unitis non tenentur solvere subsidium caritativum. *Sac. Cong. Conc. in una Augustana* 4. *Decembris* 1630. sic ex Bonfadin. & Barbosa refert Ventriglia *loco cit. n.* 36.

39 Cardinales non tenentur solvere Subsidium caritativum pro Beneficiis, quæ possident. Bellet. *l. cit. num.* 25. Ventriglia *loco cit. num.* 37. Roman. *consil.* 498. *num.* 1. *& seq.* Cæphal. *consil.* 2. *n.* 10. *volum.* 1.

40 Familiares autem Cardinalium, nec alii Curiales, etiam Papæ Familiares, quamvis multas habeant immunitates, & exemptiones, tamen non reperiuntur specialiter exempti a solutione Subsidii Caritativi, adeoque, nisi aliter sit legitima consuetudine introductum, ad illud tenentur. Bellet. *l. c. n.* 26. *& seq.* Ventriglia *l. c. n.* 38. & alii.

41 Successor in Beneficio compelli potest ad solvendum Subsidium caritativum, quod ejus prædecessor non solvit, Barbosa *loco cit. n.* 38. Meroll. *loco cit. num.* 495. Ventriglia *loco cit. n.* 31. & alii advertentes, quod licet possit Episcopus agere contra quem velit; sive successorem, sive antecessorem, si adhuc vivus sit, vel ejus heredem, si jam sit mortuus, ad hanc solutionem; tamen ex æquitate debet illud exigere ab utroque pro rata fructuum perceptorum.

42 Clericus Beneficiatus habitans in una diœcesi, & habens Beneficium in alia, tenetur solvere subsidium caritativum soli illi Episcopo, in cujus diœcesi habet Beneficium. *Sacr. Congregat. Concil.* 2. *Decembr.* 1673. apud Pitonium *Constitut. & decis. ad Episcopos n.* 1598.

43 Etsi Beneficium, seu Ecclesia Beneficialis sit sita in una diœcesi, & habeat prædia, & reditus in alia, Beneficiatus tenetur solvere subsidium Episcopo Diœcesis suæ Ecclesiæ, quæ attendi debet tamquam caput; *arg. l. Cum in diversis, ff. de Relig. & sumpt. funer.* non autem attendenda sunt prædia, quæ sunt accessoria Ecclesiæ, ut *in cap. Unic. de Consecrat. Eccles. vel altar. in* 6. Ventriglia *loco cit. n.* 51. Bellencin. *loco cit. qu.* 35. & alii passim.

44 Si Ecclesia Beneficialis sita sit in confinio duarum diœcesum, & dubium sit, cui Episcopo competant jura Episcopalia, & collatio in dicta Ecclesia, tunc ambo Episcopi se concordare debent, ut alternis vicibus subsidium exigant; *argum. Clementin. Plures, de Iurepatr.* Et si inter se convenire renuant, tunc Jure Metropolitanus poterit eis præcipere, ut conveniant, eo quod talis eorum discordia sit Ecclesiæ damnosa. Bellencin. *loc. cit. qu.* 52. Azorius *loc. cit. qu.* 6. *vers. Quid. dicendum*; Barbosa *loco cit. num.* 52. Ventriglia *loco cit. n.* 26. & alii.

45 Pensionarius, & Rector Beneficii tenentur ad solvendum subsidium pro rata portione; Nisi tamen Pensio sit ei concessa libera ab omni onere, etiam Subsidii Caritativi, quia tunc Pensionarius nihil deberet solvere. Et in casu, quo pensio non sit ei concessa libera a tali onere, debet subsidium solvere Episcopo illius Diœcesis, in qua est Beneficium, seu Ecclesia, super cujus fructus est imposita Pensio, licet ipse Pensionarius sit alterius Diœcesis. Gigas *de pensionibus q.* 28. *n.* 18. Bellencin. *loco cit. qu.* 37. Bellet *loco cit. num.* 32. Barbosa *loco cit. numer.* 52. Ventriglia *loco citat. numer.* 31. & alii.

Ecclesiæ pleno jure exemptæ non tenentur præstare Episcopo Subsidium Caritativum. Bellencin. *loco cit. q.* 32. Azorius *loco cit. q.* 6. *vers. Item non potest*, Cochier *de Jurisd. Ordin. in exemptos part.* 4. *q.* 9. *per tot.* Barbosa *loco cit. n.* 57. Ventriglia *loco cit. nu.* 34. & alii recte limitantes conclusionem in duobus casibus: Primo quando Ecclesia exempta habet populum non exemptum, quia tunc eo respectu exigi posset tale subsidium. Secundo quando in concessione privilegii exemptionis apposita est clausula, quod Ecclesia exempta remaneat adhuc cum caritate priori cum suo Episcopo, quia tunc teneretur adhuc ipsi præstare dictum Subsidium Caritativum. 46

Addenda sunt sequentia Decreta relata cum eruditissima doctrina suo more ab Eminentissimo Cardinali Cavalchino in causa *Algaren. Subsidii Caritativi*, apud Thesaurum Resolutionum S. C. C. anni 1738. ibi *in Gerund. Subsidii Caritativi*, ubi disceptatis hisce dubiis. I. An Episcopi pingues reditus habentes, qui videlicet nedum congruam ipsis juxta formam Sacri Concilii Tridentini assignatam, verum etiam duplicatam, ac longe majorem habent, possint exigere caritativum subsidium a suis Diœcesanis? II. An Episcopi, quibus pro exigendo caritativo subsidio non obstat sufficientia, sive exuberantia redituum, possint illud exigere, nulla urgente causa, & inconsultis eorum Capitulis? III. An possint illud exigere a Clericis Beneficiatis, qui licet aliquos reditus habeant non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum; immo tales reditus vix sunt sufficientes ad prædictum eorum victum? IV. Supposito, quod consultis eorum Capitulis, dictum caritativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere a suis Clericis Beneficiatis non habentibus alios reditus, quam distributiones quotidianas: die 17. Februarii 1663. Rescriptum fuit *Ad I. II. III. Negative. Ad IV. Explicandam naturam harum distributionum*; ut in lib. Decr. p. 433. 47

In qua Algaren. subsidii caritativi propositis sequentibus dubiis. I. An Episcopus Algarensis potuerit a Canonicis Præbendatis Cathedralis Ecclesiæ exigere subsidium caritativum, & in qua summa, & quatenus negative; II. An teneatur illud restituere? III. An Episcopus potuerit dictum subsidium caritativum exigere non solum a Parochis, sed etiam a Vicariis perpetuis, & in qua summa? IV. An licuerit prælaudato Episcopo exigere dictum subsidium, tam ab Ecclesiis, & Confraternitatibus habentibus Beneficium unitum, aut alios reditus, quam a Confraternitatibus nullum Beneficium unitum possidentibus, aut nullos, aut ad summum tenues reditus piis oneribus gravatos habentibus? V. An potuerit ab Episcopo confici taxa controversi subsidii caritativi post requisitum, sed non obtentum Capituli consensum, illudque exigi in summa taxata in casu &c. *Sacra Congregat. Concil.* 2. *Augusti* 1738. Respondit: *Omnia ad Eminentissimum Rezzonicum, qui dignetur rem perpendere, auditis Partibus, etiam cum facultate agendi pro con-* 48

concordia, *& Sacræ Congregationi referre*.

49 In Marianen. subsidii caritativi proposito dubio. *An Episcopo Marianen. debeatur subsidium caritativum ex Rectoriis di Belgodere, e di Russino, ut prætenditur spectans ad Monachos Olivetanos, vel potius obstet prætensa exemptio DD. PP. in casu &c. Sacra Congregat. Concil. die* 8. *Febr.* 1718. distulit propositionem: *die vero* 11. *Martii* 1713. Respondit: *Negative quoad primam, & Affirmative quoad secundam partem, & amplius*. Sic apud Thesaurum *tom.* 9. *circa finem in dict. Marianen. subsidii Caritativi*.

Alia vide infra, *ad verb. Visitatio*.

Additiones ex aliena manu.

50 Quod ait *Auctor n.* 14. posse Clericos compelli ad caritativum subsidium, id controversia haud caret. Sunt enim, qui post *Innocentium in cap. Cum Apostolus, de Censib.* tenent nunquam Clericos ad
51 subsidium caritativum cogi valere. Non ignoramus vero prævaluisse opinionem affirmativam, sed eam amplectendam vellem ea cum moderatione, quam affert *Ziegler. de Episcop. lib.* 3. *c.* 27. *§.* 16. quod scilicet & justæ sint causæ ipsum exigendi, & Episcopus redditibus haud abundet.

52 Qui autem plenius de Caritativo subsidio instrui cupit, is adeat *Gonny in tractatu de Caritat. Subsid.* qui quæstiones omnes ad materiam hanc pertinentes examinat.

SUCCESSIO AB INTESTATO.

---

1 ILle dicitur decedere intestatus, seu *Intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non Jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo heres extiterit*. Sic expresse habetur in princip. *Instit. de hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, & concordat *l. Intestati* 1. *ff. de suis, & legitimis heredibus*, ibi: *Intestati proprie appellantur, qui cum possent Testamentum facere, testati non sunt; Sed & is, qui Testamentum fecit, si ejus hereditas adita non est, vel ruptum, vel irritum est Testamentum, inte-*
2 *status non improprie dicitur decessisse*. Unde qui tali succedit dicitur intestato, seu ab intestato succedere, & heres ab intestato vocatur. *Communis*.

3 Immo quamvis qui testari non potuit, proprie non sit dicendus intestatus, tamen hic quoque in Jure pro intestato accipitur, textu expresso *in cit. l. Intestati* 1. *ff. de suis, & legitimis heredibus*, ibi: *Plane qui testari non potuit, proprie non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est, sed hos quoque pro intestatis accipere debemus*. Et sic etiam qui tali succedit, dicitur intestato, succedere, & heres ab intestato appellatur. *Communis*.

4 Successio ab intestato est acquisitio hereditatis legibus debita absque testamento, vel dispositione hominis; *Est in re communis, arg. tot. Titul. ff. Si quis omissa causa Testamenti ab intestato, vel alio modo possideat hereditatem*.

(*) Porro locus est intestatæ successioni *si certum* 5 *est tabulas non extare l.*3.*ff. si tab. test. non ext.* Quamdiu autem ambigitur an extent nec ne huic possessioni locus non est. *l.* 1. *cod. de poss. bon. sec. tab.* Neque solum cum nullæ testamenti tabulæ extant, huic possessioni locus est, sed cum etiam injustæ extant, ut si quis filius præteritus fuerit, item si hæres scriptus recuset adire, vel probetur testatorem post factum testamentum ab intestato decedere voluisse. *l.* 1. *§.* 9. *& l.* 13. *ff. si tab. test. null. ext.* Rursus ad hoc ut locus sit intestatæ possessioni requiritur, ut nemo antea hanc possessionem adeptus sit sive secundum tabulas, sive contra tabulas, vel requiritur, ut hæres repudiaverit. *l.* 1. *§.* 2. *&* 3. *ff. eod. l.* 1. *§.* 1. *quis ordo in possess.* Capta vero possessio in vim Carboniani Edicti non impedit quominus etiam ab intestato peti possit. *l.* 1. *§.* 4. *ff. si tab. test. nul. ext.* Hæc enim non est vera, & definitiva possessio. Carboniano siquidem Edicto locus est, *si cui controversia fiet, an inter liberos sit, & impubes sit, causa cognita perinde possessio datur, ac si nulla de ea re controversia esset, & judicium in tempus pubertatis causa cognita differtur*. *l.* 1. *ff. de Carbon. Edict.* Sed videnda etiam *lex* 7. *§.* 8. *& l.* 12. *ff. eod.* quæ rem clarius explicat. Notandum denique intestatam possessionem tunc demum concedi, nisi quis jure civili ex testamento hereditatem adiverit. Exemplum habes in *l.* 2. *ff. si tab. nul. ext.* (*)

Successio ab intestato est duplex, seu dupliciter 6 fit, scilicet in capita, & in stirpes; *communis*.

Successio *in capita* fit, & est, quando hereditas se- 7 cundum numerum personarum succedentium, quibus defertur, in portiones, seu partes viriles, sive æquales dividitur, ita ut tot fiant partes, seu portiones hereditatis æquales, quot sunt capita, seu personæ ejusdem gradus, & ob id appellatur *successio in capita*, textu expresso *in Novella* 118. *c.* 3. *in fine*, ibi: *Quod in capita nostræ leges appellant*.

Successio in Stirpes fit, & est, quando plures suc- 8 cedunt in locum alicujus, non secundum numerum personarum, sed secundum portionem, quam de Jure accepisset ille, in cujus locum succedunt, ita ut omnes simul sive multi, sive pauci sint, tantam solum portionem hereditatis accipiant, quantam suus Principalis, cujus loco succedunt, reciperet, si adhuc viveret. Sic si pater intestatus decedens, unum filium, & decem nepotes ex alio filio prædefuncto relinquat, isti decem nepotes succedunt *in stirpem*, idest in locum sui patris, a quo tamquam stirpe proveniunt, & omnes decem simul tantam solam portionem hereditatis recipiunt, quantam reciperet suus pater, si adhuc viveret, idest solummodo tantam inter omnes, quantam accipit de se solo ipse adhuc vivens frater eorum prædefuncti patris, *§. cum filius* 6. *& §. Sed nos* 16. *Instit. de hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, ibi: *Quemadmodum inter filios, & nepotes ex filio antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes dividi hereditatem*. Et concordant *Anthentic. In successionem, cod. de suis, & legitimis*, & *Authent. De heredibus ab intestato venientibus cap.* 1. *collat.* 9. ibi: *Tantam de hereditate morientis accipientes partem quanticumque sint, quantam eorum parens, si vi-*

si viveret, habuisset, quam successionem in stirpes vocavit antiquitas.

(*) Jure antiquo quod ex ipso Prætoris edicto obtinebat, octo erant bonorum intestati possessionis gradus, quos fuse describit *Theophil instit. lib. 3. tit. 9. §. 1.* Ulpianus profecto septem dumtaxat enumerat gradus, ut videre est in ipsius *frag. tit. 28. §. 7.* licet hunc eundem textum mutilaverit Tribonianus, ut hanc legem legibus accommodaret Justiniani, qui omnibus sublatis gradibus, quatuor tantum constituit: ideo ita legitur Ulpiani *textus in l. 1. §. 1. ff. si tab. nul. ext.* Sed cur Theophilus octo enumerat gradus, septem vero tantum Ulpianus. Ex edicto quidem Prætoris octo erant gradus octavus nempe *unde decem personæ*, quæ dabatur manumissori post vocatas ad hanc possessionem novem personas, videlicet filium, nepotem, neptem, patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, & sororem, & decimo loco vocavit manumissorem ad successionem manumissi intestati decedentis. Sed vide Theophil. loc. cit. Postea autem mancipationes, & manumissiones in mancipationibus in usu esse desierunt; nullus proinde bonorum possessioni *unde decem personæ* jam super fuit locus, ideoque illum Ulpianus omisit. (*)

9 Nunc vero ex constitutionibus Justiniani succedentium ab intestato quinque ordines assignantur. Primus est *descendentium*, liberorum nempe, nepotum, ac pronepotum &c. Secundus est *Ascendentium*, Parentum nempe, Avorum, ac Proavorum &c. Tertius *Collateralium*, fratrum nempe, & aliorum consanguineorum. Quartus *conjugum* inter se. Quintus denique *Fisci*, *Authent. de heredibus ab intestato venientibus*, *seu Novella* 118. *cap.* 1. 2. *& 3. Collat. 9. ac tot. Tit. ff. & cod. Unde vir, & tot. Tit. Cod. de bonis vacantibus.*

10 Liberi naturales, & legitimi simul, idest filii ex legitimo Matrimonio nati, si adhuc omnes sint superstites, sine ulla status differentia, sive feminæ, sive mares, sive sui sint, hoc est in patris potestate, sive emancipati, sive sæculares, sive Clerici, aut Ecclesiasticæ personæ, succedunt in capita, & æqualiter ab intestato suis parentibus, tam patri, quam matri, exclusis omnibus, aliis, non solum collateralibus, sed etiam ascendentibus, & descendentibus; Si autem aliquis ex dictis liberis fuerit præmortuus, succedunt pro ipso ejus filii, aut nepotes non in capita, sed in stirpes. *Communis*, textu expresso *in cit. Authent. de heredibus ab intestato venientibus*, seu *Novella* 118. *cap.* 1. *Collat. 9. & cit. Authent. In successionem, Cod. de suis, & legitimis.*

11 Etiam filii legitimati per subsequens Matrimonium succedunt ab intestato parentibus, si soli sint, vel una cum naturalibus & legitimis liberis jam natis, seu nascituris æqualiter, cum habeantur per omnia, ac si ab initio legitime nati fuissent. *Communis*, textu expresso in *§. Sui autem 2. Institut. de hereditatibus, quæ ab intestato, & cap. Tanta 6. Qui filii sint legitimi.*

12 Item filii legitimi tantum, idest adoptivi, etiam eodem modo, quo legitime nati æqualiter in capita succedunt adoptanti, vel arroganti. *Communis*, claris Juribus *in §. 14. Institut. de hereditatibus, quæ ab intestato, leg. Cum in adoptivis 10. §. 1. Cod. de adoptionibus, leg. Si te parens 5. Cod. de suis, & legitimis liberis*, ibi: *Si te parens, in cujus fuisti potestate, solemniter in adoptionem dedit cum filiis naturalibus adoptivi patris ante, vel post quæsitis defuncto intestato succedere potes.* (*) Dummodo tamen fuerint in potestate adoptantis, dum his mortuus est: Emancipatione enim omnia adoptionis jura dissolvuntur. *l. 1. §. 6. ff. unde liberi.* (*)

Filii naturales legitimati per Rescriptum Supremi Principis æquali Jure, ac si fuissent legitime nati, succedunt ab intestato suis parentibus, si tres concurrant conditiones, scilicet; Primo si nulli extent filii legitimi: Secundo si pater naturalis peracta generatione, ex aliqua justa causa matrem ducere non potuit sicque per subsequens Matrimonium prolem legitimare nequivit; Tertio si proles in legitimationem consenserit; Sic expresse *Novella* 74. *cap.* 1. *& Novella 89. cap. 9.* Si autem Supremus princeps in rescripto legitimationis insereret clausulam: *Non obstante, quod adsint legitimi*, seu: *Etiam in præjudicium legitimorum*, procederet conclusio, etiam non concurrente prima conditione, quia Supremus Princeps potest antiquas Leges abrogare, & novas condere, *arg. leg. Disputare 3. Cod. de crimine sacrilegii*, cum similibus, & in tali casu standum esset dispositioni posterioris Legis, quia posteriora derogant prioribus, *c. Licet Romanus Pontifex 1. de Constitutionibus in 6. leg. Sed & posteriores, ff. de Legibus*, cum similibus. Et sic tenet *Communis Doctorum*, teste Gailo *lib. 2. Observ. 142. num. 8.* 13

14 Legitimatio filii naturalis facta per Rescriptum Supremi Principis tempore, quo nulli existebant filii naturales simul, & legitimi, probabilius non expirat quo ad successionem ab intestato, etiamsi postea nascantur Patri filii legitimi. Sic Gailus *l. cit. num. 5.* Reiffenstuel *lib. 3. Decr. tit. 27. nu. 4.* Bartolus *in l. Ex facto n. 3. ff. de vulgari & pupillari substitutione*, Baldus *ib. n. 1.* ac etiam Jason. *n. 15.* citans communem; Et ratio est, quia semel perfecta, & consummata non irritantur, quamvis ad eum casum perveniant, a quo incipere non potuissent, *l. In ambiguis 82. §. 1. De Regul. Juris*, ibi: *Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt, & cap. Factum 73. de Regul. Jur. in 6.* ibi: *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*; contrarium tamen sentiunt multi citati a Tiraquell. *in leg. si unquam n. 275. Cod. de revocat. donat. arg. l. Existimo 98. princip. ff. de verb. obl.*

15 Filii naturales, non extantibus aliis ex legitimo Matrimonio natis, neque uxore legitima, succedunt ab intestato patri una cum sua matre in sextante, seu duabus unciis (idest duabus partibus, si hereditas in duodecim dividatur) æqualiter inter eos divendis; ita ut una prolibus naturalibus; altera vero matri remaneat; *Novella 18. cap. 5. Novella 89. c. 12.* Si autem extent filii, aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non succedunt filii naturales patri ab intestato, nec avo paterno, sed solum debentur illis alimenta ex bonis paternis arbitrio boni viri *cit. Nov. 18. c. 5. & Nov. 87. c. 12.* 16

§. 12. Succedunt tamen matri dicti filii naturales etiam illustri, & omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum legitime natis, *l. Si qua illustris* 5. *Cod. Ad S. C. Orficianum*, & §. *Novissime* 3. *Instit. eod.* cum similibus.

18 Filii Spurii, *vulgo quæsiti* nullatenus succedunt patri ab intestato, *arg.* §. 4. *Instit. de successione*
19 *Cognat.* Istorum enim certus pater nescitur, adeoque &c. Succedunt tamen matri non illustri æque ac filii naturales; *cit.* §. *Novissim. Instit. ad S. Consul. Orficianum*, *& leg.* 2. *ff. Unde Cognati*. Ma-
20 tri autem illustri, & habenti filios legitimos non succedunt ab intestato; Secus vero si legitimis filiis careat, *l. Si qua illustris* 55. *Cod. ad S. C. Orfician.*

21 Filii ex damnato coitu, nec patri, nec matri ab intestato succedunt, quamvis nulli legitimi extent. *Novella* 89. *c. final. & Authent. Ex complexu*, *Cod. de incestuosis nuptiis*.

22 Filiis ex damnato coitu æquiparantur, ita ut nec patri, nec matri, nec aliis ascendentibus succedant ab intestato, filii, quorum parentes ob crimen læsæ Majestatis sunt condemnati, *l. Quique* 5. §. 1. *Cod. Ad Leg. Jul. Majest.* Item filii eorum, qui propter hæresim condemnati sunt, *cap. Excommunicamus* 3. §. *Damnati*, *de Hæreticis*.

23 Qui autem sint, & dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, spurii, quæsiti, ex damnato coitu? Vide verb. *Filii*, ubi late de omnibus.

24 Nepotes, & pronepotes succedunt ab intestato Avo, vel Aviæ in stirpes, sive adhuc extent filii dicti Avi, & dictæ Aviæ, sive non §. *Cum filius* 6. *&* §. *Sed nos* 16. *Instit. de heredit. quæ ab intestato*, *Novella* 118. *& Authent. In successionem*, *Cod. de suis*, *& legitimis*, *& l. Nepotes* 2. *Cod. eod.* cum similibus.

25 Deficientibus descendentibus & fratribus, seu sororibus germanis, succedunt ab intestato soli ascendentes, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores; Unde Pater, & Mater succedunt filiis decedentibus sine liberis, & fratribus, vel sororibus germanis, idest utrinque conjunctis, exclusis a tali successione Avo, & Avia. *Novell.* 118. *cap.* 2. *Authent. defuncto*, *Cod. Ad S. Consult. Tertullianum*.

26 Sic etiam si Paulus v. g. defunctus sine liberis relinquant superstitem Patrem, & Avum maternum. Matre mortua, solus Pater succedit Paulo, excluso penitus avo materno etiam quo ad bona materna, & viceversa Patre mortuo, Mater superstes excludit penitus Avum paternum a successione filii etiam quo ad bona paterna, *arg. l. Si plures* 10. §. *Filio*, *ff. De vulgari*, *& pupillari substitutione*, *& cit. Nov.* 118. *c.* 2. juncta Glossa *ib. verb. Proximi*, & Gloss. *in cit. Authent. defuncto*, *verb. Gradus*; Pirhing *l.* 3. *Decret. tit.* 27. *num.* 13. Reiffenst. *ibid. numer.* 30. testas de communi contra paucos.

27 Si defunctis Patre, & Matre extent plures ascendentes sine fratribus, vel sororibus defuncti, v. g. extent Avus, & Avia in linea paterna, & simul Avius, & Avia in linea materna, aut ex parte Patris extet solus Avus, & ex parte Matris Avus, & Avia, vel viceversa, tunc succedunt defuncto Nepoti, aut Pronepoti omnes æqualiter, non in capita, sed in stirpes, ita ut hereditas ex æquo inter illos ascendentes, qui eumdem gradum obtinent, dividatur, & unam medietatem accipiant ascendentes a Patre, alteram ascendentes a Matre, sive plures fuerint, sive unus solus ex una parte. *Communis*, text. claro *in cit. Novella* 118. *cap.* 2.

Quando cum ascendentibus æqualis gradus extant 28
etiam germani fratres, & sorores defuncti, tunc succedunt omnes æqualiter, & in capita, ita ut ascendentes, & fratres, & sorores defuncti accipiant æquales partes hereditatis, tot faciendo æquales portiones, quot sunt capita, seu personæ. *Communis*, text. aperto *in cit. Novella* 118. *cap.* 2. §. *Si vero*, *& cit. Authent. Defuncto*, *Cod. Ad S. C. Tertullianum*.

Sorores autem, & fratres solum uterini, idest 29
ex sola Matre, vel solum consanguinei, idest ex solo Patre, excluduntur per ascendentes, nec possunt cum illis succedere hereditati fratris uterini defuncti. *Communis*, per text. *in cit. Novella* 118. *cap.* 2. ibi: *Si vero cum ascendentibus inveniantur fratres*, *aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto*, ubi, ut vides, textus ad id admittit solos fratres, aut sorores germanos, & non solum uterinos, aut solum consanguineos.

Germanorum filii succedunt cum ascendentibus, 30
seu sororibus germanis hereditati alterius prædefuncti germani fratris, aut sororis, non nisi tamen in stirpem, text. expresso *in Novella* 127. *cap.* 1.

Nepotes autem, seu pronepotes præmortui fra- 31
tris non gaudeant hoc privilegio, sed excluduntur a dicta hereditate per ascendentes, & germanos fratres, aut sorores ipsius præmortui fratris, ut constat clare ex Rubrica *cit. Novella* 127. ibi: *Ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus extantibus*, ubi, ut vides, Rubrica ad dictam successionem admittit solum fratrum filios, non autem nepotes, & pronepotes. Tum quia Jus repræsentationis ultra fratrum filios locum non habet in linea collaterali. *Authentic. Post fratres*, *fratrumque filios*, *cod. de legitimis heredibus*.

In iis casibus, in quibus filii naturales, & ille- 32
gitimi succedunt parentibus, parentes etiam succedunt illis, textu expresso in *Nov.* 89. *c.* 13.

Deficientibus descendentibus, & ascendentibus 33
succedunt ab intestato defuncto ejus sanguine juncti collaterales, & quidem æqualiter, & in capita, cum hoc tamen, quod collateralis gradu proximior semper totaliter excludat remotiorem, sicque omnium primo succedunt germani fratres, & sorores, penitus exclusis fratribus, & sororibus solum uterinis, vel solum consanguineis, text. expr. *in Novella* 118. *ca.* 3. *& Authent. Itaque*, *Cod. Communia*, *de successionibus*.

Quando cum defunctis fratribus, & sororibus 34
germanis extant etiam filii alterius fratris aut sororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam isti cum illis ab intestato succedunt, ita tamen ut fratres, & sorores succedant in capita, & dicti filii solum in stirpem omnes simul pro unica tantum portione loco sui patris prædefuncti, text. expr. *in Nov.* 118. *cap.* 3.

118. *cap.* 3. §. *Si autem*, *& in Authent. cessante*, *Cod. de legitimis heredibus*.

35 Sicuti fratres germani, ita etiam filii fratrum germanorum excludunt fratres solum uterinos, vel solum consanguineos, sublata omni differentia sexus, & emancipationis, textu claro *in cit. Novella* 118. *cap.* 3. §. *Si autem defuncto*, *& cit. Authent. Cessante*, *cod. de legitimis heredibus*.

36 Si soli filii diversorum fratrum, vel sororum extent, & nullus frater defuncti, neque germanus, neque solum consanguineus, aut solum uterinus, tunc filii, & filiæ fratrum germanorum, non in stirpes, sed in capita succedunt defuncto patruo. Affertur exemplum. Demus, quod Petrus habens duos fratres Paulum & Joannem, iis præmortuis, intestatus decedat, & ex fratre Paulo extent quatuor filii, seu filiæ, & ex altero fratre Joanne sex. Hi decem filii, seu filiæ duorum fratrum succedunt Petro patruo suo, non in stirpes, sed in capita, sicque hereditas Petri non est dividenda in duas partes pro numero duorum fratrum præmortuorum, sed in decem partes secundum numerum decem filiorum, seu filiarum dictorum duorum fratrum. Sic clare deducitur ex *l. Post consanguineos* §. 2. *ff. de suis*, *& legitimis heredibus*, ibi: *Si plures sint ejusdem gradus*, *omnibus* (omnibus defertur hereditas) *in capita scilicet*, *ut puta duos fratres habui*, *vel duos patruos*, *unus ex his unum filium*, *alius duos relinquit*, *hereditas mea in tres partes dividetur*, *& l. Leg. duodecim* 14. *ad finem*, *Cod. de legitimis heredibus*, ubi de liberis fratrum, & sororum sic statuitur; *illo procul dubio observando*, *ut successio non in stirpes sed in capita dividatur*. Sic Fachin. *lib.* 6. *controv.cap.*3. Molina *tract.*2. *disp.*164. *num.*12. Covarruvia *in Epitom. success.n.*12. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 27. *n.* 39. Pirhing *ibid. num.* 21. testans de communi contra aliquos, & ferens hanc sententiam fuisse approbatam a Carolo V. in comitiis imperialibus Spiræ habitis anno 1529.

37 Si autem nullis extantibus fratribus germanis defuncti extent ejusdem fratres consanguinei, vel uterini, tunc succedunt quidem soli filii, & filiæ fratrum germanorum, exclusis fratribus solum consanguineis, vel solum uterinis, ut expresse habetur *in Novella* 118. *cap.* 3. §. *Si autem vers. Unde consequens est*; At vero in stirpes, & non in capita, quia quando prædicti filii, & filiæ, fratrum germanorum defuncti concurrunt cum ejusdem defuncti fratribus consanguineis, vel uterinis, tunc succedunt solum jure repræsentationis sui patris fratris germani dicti defuncti, alioquin non possunt excludere ab ejusdem hereditate ipsius defuncti fratres consanguineos & uterinos, cum essent uno gradu ipsis remotiores: adeoque cum eos solummodo excludant, quatenus repræsentant patrem suum defunctum, qui utpote frater germanus eos excluderet, & succedentes jure repræsentationis, succedant in stirpes, & non in capita *ex cit. Nov.* 118. *c.* 2. §. *Si autem*, *& Authentic. Cessante*, *Cod. de legitimis heredibus*, in tali casu dicti filii, & filiæ succedunt in stirpes, & non in capita. Sic Fachin. *loc.cit.* Pirhing *loc. cit. num.*21. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 41. & alii communius.

Quando nulli extant liberi legitimi, nec germani fratres, vel sorores defuncti, de cujus hereditate agitur, tunc ab intestato succedunt ejus consanguinei, seu uterini fratres, & sorores, exclusis omnibus collateralibus, textu expresso *in cit. Novella* 118. *cap.* 3. *vers. His autem non existentibus*: *Et Authent. Post fratres autem*, *Cod. de legitimis heredibus*. 38

Quando defunctus relinquit quosdam fratres consanguineos, & etiam quosdam fratres uterinos, tunc probabilius fratres consanguinei cedunt in bonis paternis, nempe quæ a patre defuncto ad eum pervenerunt, & fratres uterini in bonis maternis, nempe quæ a matre defuncta obtinuit, in aliis vero bonis æqualiter, & indistincte succedunt. Sic colligitur ex *leg. de emancipatis* 13. §. *Exceptis maternis rebus*, *Cod. de legitimis heredibus*, ibi: *Exceptis maternis rebus*, *in quibus si ae eadem matre*, *fratres*, *vel sorores sunt*, *eos solos vocari oportet*. Et sic tenent Glossa *in Authent.Post Fratres* 1.*verb. Filii eorum*, *Cod. de legitimis heredibus*, & Gloss. *in Authent. Itaque verb. Utroque parente*, *Cod. Communia*, *de successionibus*, & ibi Bartolus, Covarruv. *in citat. Epitome de successionibus ab intestato num.* 8. §. *Tertio est advertendum*, Jason *in leg. Post Dotem*, *ff. soluto matrimonio*, Molina *cit. disp.* 164. *num.* 7. Pirhing *loc. cit. num.* 22. & ipso teste alii communiter, & hanc sententiam vocat etiam communissimam Reiffenstuel *loc. cit. num.*43. quamvis ipse *num.* 44. 45. *&* 46. cum variis aliis defendat oppositum. Quæ sententia est vere probabilis, ut fatetur etiam ipse Pirhing *loc. cit.* eamque propugnant Fachin. Fulgosus, Corneus, Haunold. Bald. Salicet. & alii cum Reiffenstuel *loc. cit.* 39 40

Deficientibus omnibus fratribus, & sororibus, tam germanis, quam consanguineis, & uterinis, eorumque omnibus filiis, succedunt ab intestato reliqui collaterales sanguine juncti gradu propinquiores, exclusis remotioribus, & quidem non in stirpes, sed in capita, si plures existant ejusdem gradus, nulla habita distinctione, aut differentia sexus masculini, aut feminini, agnationis, & cognationis, vel bonorum paternorum, aut maternorum, sive utrum ex utroque, an ex uno tantum latere sint conjuncti, quia in istis sola cognatio spectatur, textu expresso *in Authent. Post Fratres* 2. *Cod. de legitimis heredibus*, *& c. Nov.* 118. *c.* 3. *in fine*, *& cap.* 4. *per tot.* 41

Ab intestato succedere possunt omnes cognati gradu proximiores probabilius usque ad decimum gradum tantum secundum computationem civilem. Sic Glossa fin. communiter recepta *in Authent. In successione*, *Cod. de suis*, *& legitimis heredib. & cit. Novella* 118. *cap.* 3. §. *final. verb. Cognatos*; & debet heres petens hereditatem probare se defuncto intra decimum gradum conjunctum fuisse, Schneidew *Comm. in Institut. de heredit. quæ ab intestato* §. *De tertio ordine succedentium n.*40. Pirhing *loc. cit. n.*23.*vers.Porro hodie*, & alii, *arg.* §. *Hoc loco* 5. *Instit. de successione cognatorum*. Plures tamen alii satis probabiliter censent hodie agnatos, & cognatos etiam ultra decimum gradum admitti ad successionem in infinitum, excluso fisco, dummodo suam genealogiam probare possint: *leg. Post con-* 42 43

consanguineos 2. §. 1. *ff. de suis*, *& legitimis heredibus*, ibi: *Deincepsque ceteri, si qui sunt hinc orti in infinitum* & concordat §. *Ceterum* 3. *Instit. de legitima Agnatorum successione*; Tum quia *in cit. Novella* 118. *cap.* 3. §. *final. & cap.* 4. omnes agnati & cognati ad hereditatem vocantur juxta gradus prærogativam, nulla facta restrictione ad certum gradum, quod idem colligitur ex *leg. Vacantia* 4. *Cod. de bonis vacantibus*. Ceterum recte notat Reiffenstuel *loc. cit. num.* 47. quod inutilis videtur quæstio, an talis successio extendatur usque in infinitum, an vero solum usque ad decimum gradum? quia ultra decimum gradum casus successionis ab intestato vix contingit.

(*) Mihi quidem hac in re non videtur locus quæstioni; Extat lex non obscura, quæ septem numerat cognatorum gradus quæ est *l.* 1. §. 3. *ff. unde cognati*. Idem statutum legimus in institut. lib. 3. tit. 5. §. 5. vers. proximitatis. Ergo ultra septimum gradum non esse locum cognatorum successioni pro certo habendum est. (*)

44 Filii adoptivi non succedunt filiis legitimis patris adoptantis, nec aliis agnatis, & cognatis, nec isti succedunt filio adoptivo, textu claro in *leg. Cum in adoptivis* 10. §. 1. *vers. Et ideo, Cod. de adoptionibus*.

45 Fratres naturales, spurii, ac ceteri hujusmodi naturales ex uno patre, & diversis matribus provenientibus sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt; *leg. Si Spurius*, *ff. Unde cognati*. Et sic communis receptissima doctorum teste Covarruv. *de matrimon. part.* 2. *cap.* 8. §. 5. *num.* 26. & Reiffenstuel *loco cit. num.* 10.

46 Neque dicti fratres naturales, & spurii succedunt fratri legitime procreato, vel legitimato. Et nec isti illis, *arg. Novella* 89. *c.* 4. Cum enim ex dicta Novella filii naturales etiam legitimati soli patri, non autem ceteris collateralibus succedant, sequitur evidenter, quod nec isti illis succedere possint, quia hæc successio est reciproca, ut cum aliis recte docet Covarruv. *in Epitome de successionibus ab intestato ad finem*; Reiffenstuel *loc. citat. num.* 50. & alii.

47 Fratres naturales, ac spurii, & ceteri hujusmodi collaterales uterini, seu ex eadem matre succedunt & sibi invicem, & collateralibus legitime natis, ac si legitimi nati essent etiam ipsi. *Communis*, textu expresso *in l. Hac parte* 2. *& l. Si Spurius* 4. *ff. Unde Cognati*.

48 Collaterales nati ex damnato coitu nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab intestato succedere possunt, sive ex parte patris, sive ex parte matris sint conjuncti. *Sic Communis Doctorum* teste Schneidewin *lib.* 3. *t.* 1. *de tertio ordine succedentium num.* 37. & Reiffenstuel *loc. cit. sub n.* 51. *arg. Authent. Ex complexu*, *Cod. de incestis*, *& inutilibus nuptiis*, ibi: *Ex complexu nefario, aut incesto, seu damnato liberi nec naturales sunt nominandi, omni paternæ substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre*, ubi, ut vides, adeo odibiles reputantur taliter nati, ut non solum ab omni successione, sed etiam alimentatione parentum excludantur, adeoque multo magis a successione collateralium.

Deficientibus omnibus consanguineis defuncti sive descendentibus, sive ascendentibus, sive collateralibus, tunc nisi adsint in contrarium pacta dotalia, aut statuta, seu consuetudines locorum, succedit superstes conjux, excluso fisco. *Communis*, textu expresso *in leg. Unic. ff. & Cod. Unde vir, & uxor*. 49

Dummodo tamen tempore mortis unius nullum inter eos reperiatur divortium, textu expresso *in cit. l. Unic. ff. Unde vir, & uxor*, ibi: *Ut autem hæc bonorum successio locum habeat, uxorem esse oportet mortis tempore, sed si divortium secutum sit, ... hæc successio locum non habet*. 50

Uxor pauper succedit ab intestato defuncto marito diviti etiam extantibus liberis, vel aliis consanguineis, non quidem in omnibus bonis, sicuti quando deficiunt omnes consanguinei, sed in quartam partem hereditatis, si non sint plures, quam tres liberi, seu consanguinei, vel si quatuor, aut plures extent liberi, seu consanguinei, in portionem virilem, idest in tantam portionem, quanta uni ex liberis, vel consanguineis obtingit, computato tamen in hac portione illo, quod eidem a marito legatum, seu relictum est. *Authent. Præterea*, *Cod. Unde vir, & uxor*, *Novella* 57. *c.* 6. *& Nov.* 117. *cap.* 5. 51

Cum hac tamen advertentia, quod si uxor pauper succedat marito una cum liberis, succedit tantum quoad usum fructum sua vita durante, asservata proprietate filiis; Si vero succedat marito cum consanguineis collateralibus, succedit etiam quo ad proprietatem. *Sic citata jura*. 52

Et ad hoc, ut uxor pauper sic succedat bonis mariti, debet esse vere pauper, ita ut nec habeat sufficientem dotem, nec alia media, unde honeste vivere possit, alias nihil ei deberetur de bonis mariti, *cit. Authent. Præterea*, *Cod. Unde vir, & uxor*, ibi: *Si superstes laboret inopia*, *& cit. Nov.* 53. *cap.* 6. §. 2. ibi: *Nam si aliunde habeat ..... non erit justum gravare filios per successionem*. 53

Insuper ad hoc, ut uxor pauper possit sic marito succedere, requiritur, quod tempore mortis mariti nullum fuerit inter eos justum divortium, juxta dicta *supra num.* 50. *per cit. l. Unic. ff. Unde vir & uxor*: Et quod nulla in contrarium adsint pacta dotalia, aut statuta, seu consuetudines locorum, utpote quæ juri communi derogant, *arg. c. Cum tanto* 11. *de consuetudine*, *& l. De quibus* 32. *ff. de Legibus*. 54

Maritum etiam pauperem succedere reciproce cum liberis, aut sanguine junctis uxoris in quartam, vel virilem partem in bonis ipsius præmortuæ divitis uxoris, tenent Schneidew *loc. cit. n.* 16. Engel *loc. cit. n.* 16. Glossa *prim. in Authent. Præterea*, & ibi teste Reiffenstuel *loc. citat. num.* 58. Doctores communiter, *arg. in cit. Authent. Præterea*, *Cod. Unde vir, & uxor*, ubi indistincte id statuitur de conjuge superstite, *& Novella* 53. *cap.* 6. ubi id expresse sancitur præcisis his verbis: *Si inops, aut vir, aut mulier inveniatur, & moriens quidem aut vir, aut mulier locuples sit, ille vero, vel illa superstes pauper existat*, & id etiam inferre videtur identitatis ratio, quia ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio, *leg. Illud* 32. *ff.* 55

Ad Legem Aquiliam, *& c. Inter corporalia*, *de translat. Episcopi*; Cum ratio Legis sit anima Legis, *l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum*. Nihilominus dubium movent, ut recte advertit Reiffenstuel *loc. cit. num. 68.* novissimæ Constitutiones *Novell. 117. c. 5. in fine*, ibi: *Virum enim in talibus casibus quartam secundum priorem nostram Legem ex substantia mulieris accipere modis omnibus prohibemus*, quæ verba, ut subjungit dict. Reiffenstuel considerationi legentium præsertim Legistarum relinquuntur.

56 Deficientibus consanguineis ultra decimum gradum, & uxore, aut viro, succedit ultimo loco fiscus in omnibus bonis vacantibus defuncti, seu defunctæ, *leg. Scire debet 1. & l. Vacantia 4. Cod. de bonis vacantibus*, Pirhing *loc. cit. num. 25.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 59.* Engel *loco cit. num. 17.* &
57 alii passim. Ut autem Fiscus legitime succedat dictis bonis, debet prius per publicum proclama, seu patentes litteras publico in loco affixas vocare omnes, qui in talem hereditatem jus aliquod se habere existimant, & si intra certum præfixum tempus nullus heres, seu actor comparuerit, tunc omnia dicta bona hereditaria, tamquam bona vere vacantia Fisco deferuntur; *leg. Si vacantia 5. Cod. de bonis vacantibus*. (*) Multa hic addi possent circa tempus quo quis petere potest possessionem intestatam, sed plus æquo procederet hæc nostra elucubratio; ideo lector hæc videat in titulo ff. de possessorio edicto, cui locus semper est, ubi consuetudo in contrarium non observetur. (*)

58 Limitatur tamen conclusio, quoad bona peregrinorum in remotis locis a sua patria decedentium ab intestato, tunc enim si adhibita sufficienti diligentia pro recipiendis eorum heredibus, nullus heres ob distantiam locorum reperiri possit, tunc bona apud ipsos reperta non deferuntur fissco, nec hospiti, in cujus hospitio peregrini decesserunt, sed ab Episcoqo loci in pias causas erogari debent, textu expresso *in Authent. Omnes peregrini*, *Cod. Communia*, *de successionibus*, & tenent Pirhing *loc. cit. num. 25.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 59.* Engel *loc. cit. num. 8.* & alii communiter.

59 In bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, & parsimonialia succedunt ab intestato eorum legitimi consanguinei, Glossa *in cap. Sed hoc 1. de successionibus ab intestato*, *verb. Tradant*, Abbas *ibid. num. 1.* Barbosa *ibid. num. 5.* Engel *loc. cit. num. 21.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 61.* & alii communiter, *arg. can. Quicumque 7. caus. 12. q. 4.* cum similibus.

60 Si clericus consanguineos successionis capaces non habeat, in dicta bona patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, & parsimonialia succedit Ecclesia, cui servivit, seu in qua beneficium habuit, excluso fisco Episcopali. Abbas *loc. citat. num. 2. & 3.* Barbosa *loc. cit. num. 2.* Engel *l. cit. num. 22.* Pirhing *loco cit. num. 26.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 62.* & communis aliorum, per tex. expr. *in cap. Quicumque 2. caus. 12. q. 3. c. Quicumque 7. can. caus. 12. q. 5.* juncto *c. Sed hoc 1. de successionibus ab intestato*, in cujus summario sic expresse habetur: *Clericus bona propria dare potest cui vult, sed si decedat intestatus, & non habeat consanguineos, succedit Ecclesia.*

Si autem clericus intestatus decedens, nec habeat consanguineos successionis capaces, nec beneficium habuerit; in dicta sua bona patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, & parsimonialia succedit fiscus Episcopalis. Abbas in *cap. Sed hoc 1. num. 1. & cap. Sancto Concilio 2. n. 2. de successionibus ab intestato*, Engel *loc. cit. n. 22.* Pirhing *loc. cit. num. 27.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 63.* cum communi aliorum. Et ratio clare liquet a pari; Sicuti enim deficientibus consanguineis, & uxore laici decedentis intestati succedit fiscus sæcularis juxta dicta *supra num. 60.* ita etiam deficientibus consanguineis, & Ecclesia clerici sponsa succedit fiscus ecclesiasticus; cum etiam Episcopus suum fiscum, ac jura episcopalia habeat, ut tradunt Abbas *loc. cit.* Engel *loc. cit. num. 22.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 63.* & alii communiter cum Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. num. 16.* per text. *in c. Si quis contumax 20. & c. si quis deinceps 21. caus. 17. q. 4.* cum similibus. Episcopus 62
tamen in tali casu non potest sibi ipsi dicta bona appropriare, sed debet ipsa erogare in pias causas. Abbas *in cit. c. Sed hoc 1. in fine de successionibus ab intestato*, Reiffenstuel *loc. cit. n. 27.* & alii passim, *argument. cap. Relatum 12. de Testament.* 61

In bona vero mere ecclesiastica clericorum, seu acquisita ex beneficiis ecclesiasticis, vel intuitu Ecclesiæ, succedit collegium clericorum, vel successor in beneficio, si clericus defunctus bona separata possidebat, ab eodem tamen in pios usus fideliter distribuenda. Pirhing *loc. cit. n. 27.* Reiffenstuel *loco cit. num. 64.* Abbas *in cap. Relatum 12. de testament. num. 1.* & ibi doctores communiter, per text. express. *in cit. c. relatum*, ibi: *Respondemus, quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita eis Ecclesiis debent juxta Lateranense Concilium post acquirentis obitum remanere: Nomine autem Ecclesiæ, non Episcopus, vel Successor Clerici morientis, ubi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligitur, quæ illarum rerum debet canonicam distributionem, & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispenset.* 63

In omnia bona religiosorum professorum, qui de ipsis ante professionem nihil disposuerunt, succedit, velut ab intestato mortuorum morte civili, monasterium, seu ordo religiosus, si successionis, & possessionis in communi sit capax; Et ratio est, quia quidquid acquirit monachus, acquirit suo monasterio. *Authent. Ingressi, & Authent. Si qua mulier, Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis, Authent. De sanctissimis Episcopis §. Si qua mulier, cap. 38. Collat. 9. Novella 123. & Authent. de Monachis §. Illud quoque cap. 5. Novella 5. c. Statutum 1. caus. 18. quæst. 1. can. Abbates 16. caus. 18. q. 2. can. Quia ingredientibus 7. caus. 19. q. 3. c. In præsentia 8. de probationibus* cùm similibus. 64

Si autem monasterium, seu ordo religiosus non sit successionis, & possessionis in communi capax, tunc in talia bona succedunt heredes illorum 65

rum ab intestato; perinde ac si morte naturali obiissent; Cum enim monasterium, seu ordo religiosus non sit successionis capax, sequitur quod illa bona immediate devolvantur ad proximos cognatos, & heredes ab intestato, cum nemo alius jus ad illa habeat. *Communis*.

66 Alia ad rem. Vide verb. *Beneficiatus*, verb. *Heres*, verb. *Filii*, verb. *Parentes*, verb. *Regulares*, verb. *Testamentum*.

Additiones ex aliena manu.

67 Accidere nonnunquam solet simul mori eos, qui possunt invicem sibi ab intestato succedere, ex. gr. Parentes, & filios. Interest vero determinare quis prius mortuus habendus sit, idque ut
68 reguletur successio. Ita autem pro diversitate personarum dijudicandum reor quoad ascendentes, & descendentes.

69 Si Pater cum filio impubere simul mortuus sit, creditur pater supervixisse; *L. 9. in fin. ff. de Reb. dub.* Frinckelthaus. *observ.* 52. *num.* 9. *& seq.* Zach. *quæst. medic. legal. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 14.

70 Sunt qui tenent id obtinere etiamsi filius paululum impubertatem excesserit, quum novissima pubertatis ætas nondum omni imbecillitate exempta
71 sit. Tutius vero est subsistere in terminis a jure præscriptis; Fusar. *de fideicommiss. substit. quæst.* 416. *num.* 5.

72 Num idem procedat si pater, & filius impubes in diversis locis perierint, & incertum sit quis prior decesserit? Affirmant Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præsum.* 50. *num.* 33. Negat vero Donell. *in*
73 *commentar. ad L. 9. §. 1. ff. de Reb. dub.* Meo judicio admitti potest *Menochii* opinio in his aut similibus casibus: quando ambo eidem quidem periculo expositi, sed separati sunt, ut puta si ambo in eodem mari, & eodem tempore naufragium patiantur, sed tamen diversis navibus vehantur, vel etiam si urbe universim incensa in diversis ædibus degant, aut diversis quidem periculis, sed eo-
74 dem tempore affligantur. Alias ubi ambobus in diversis locis constitutis talia pericula non concurrant, prius dicendum erit patrem juxta ordinem mortalitatis naturalem citius esse mortuum; Confer Mascard. *de Probat. conclus.* 1344. *num.* 8. *&* 16.

75 Contra vero si cum filio pubere pariter decedat pater, supervixisse filius credetur; *L. 9. §. 4. ff. de Reb. dub.* Idque etiam si in bello pereant; Charond *lib. 1. verisimil. c.* 31. *num.* 4.

76 Quod dictum est de patre, & filio simul morientibus locum etiam sibi vindicat quoad patrem, & filiam pariter simul morientes; Ecked. *in commentar. ad titul. ff. de Reb. dub. num.* 4. tum quoad matrem cum filiis aut filialibus decedentem.

77 Quid autem si fœmina parturiens una cum partu moriatur, num fœmina, an partus prior mortuus censebitur? Vide distinctiones Barry *de success. lib.* 17. *tit.* 12. *n.* 24. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 43. *num.* 26.

78 Hactenus de ascendentibus & descendentibus simul morientibus. Quod attinet ad collaterales simul obeuntes distinguendi pariter essent plures casus. At de fratre, & sorore simul morientibus, vide Carpzov. *part. 1. decis.* 19. *num.* 2. *& sequent.* De fratribus *L.* 18. *ff. de Reb. dub.* De pupillo cum fratre substituto Mejer *in Colleg. Argentoraten. ad lib.* 34. *tit.* 5. *thes.* 5. *num.* 6. *ab Esbach. ad* Carpzov. *par.* 3. *c.* 17. *defin.* 13. De duabus sororibus *Fulgos. consil.* 22. *num.* 54. *& sequent.* Grat. *lib.* 2. *Respons.* 6. *num.* 26.

SUCCESSOR IN BENEFICIO ECCLESIASTICO.

An, & quando teneatur stare locationi factæ ab antecessore. Vide verb. *Locatio num.* 8. *&* 9.

An, & quando teneatur solvere debita antecessoris. Vide verb. *Solutio a num.* 11. *ad num.* 15. Vide etiam verb. *Melioramenta num.* 32. 33.

SUFFRAGIA.

Suffragium dicitur a suffragando, seu auxiliando. Sic ex S. Thoma *in* 4. *dist.* 45. notat Silvester *in Summa verb. Suffragium num.* 1. 1
Suffragium dupliciter accipitur. Primo pro voto, 2
quod in electionibus ad officia, & dignitates dari solet, & de suffragio sic accepto satis constat ex dictis sub verb. *Electio*: Secundo pro auxilio, seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem pœnæ temporalis vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. Unde suffragium sic acceptum 3
est auxilium, seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri præbet ad consequendam a Deo pœnæ temporalis remissionem.

Suffragium sic sumptum tripliciter contigere po- 4
test: Primo ex opere operato per Sacrificium Missæ. Secundo per indulgentias; Tertio ex opere operantis, nempe per proprias operationes bonas, ac satisfactorias, ut orationes, jejunia, eleemosynæ & hujusmodi. De suffragio primo modo satis constat sub verb. *Missa*; De suffragio secundo modo satis patet sub verb. *Indulgentia*, *& Jubileum*, & de suffragio tertio modo instituitur hic discursus.

Unde hujusmodi suffragium ex opere operantis 5
duobus modis contingere potest; Primo per modum satisfactionis, prout unus offert pro alio valorem satisfactionis, qui est in operibus bonis, ad satisfaciendum pro pœna temporali; secundo per modum impetrationis, aut meriti de congruo, prout unus suis precibus, aut orationibus impetrat a Deo, ut alteri concedat auxilium ad resurgendum a culpa, & ad obtinendam remissionem debitæ temporalis pœnæ. *Sic in re Doctores communiter* post S. Thomam *in* 4. *distinct.* 45. *quæst.* 2. *art.* 1.

Per-

6 Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi, & fideles defuncti in Purgatorio existentes; beati enim in Paradiso nullis indigent suffragiis; damnati autem in inferno horum sunt penitus incapaces.

7 Certum igitur de fide est, dari inter fideles suffragiorum communicationem, idest communicationem bonorum operum, quibus ipsi fideles se mutuo juvare, ac sibi invicem suffragari possunt: id enim habetur clarissime in Symbolo Apostolorum per illa verba *Credo Sanctorum Communionem*; cujus articuli verus sensus juxta communem catholicorum theologorum est, quod detur in Ecclesia communio bonorum operum inter homines justos quibus sibi invicem suffragari possunt: Homines enim justi sunt membra unius mystici corporis Ecclesiæ sub uno capite Christo; unde ad *Ephesios* 4. comparat Apostolus ecclesiam corpori humano, in quo sicuti unum membrum sanum alteri præbet auxilium, ita etiam in mystico corpore ecclesiæ unus homo justus alteri auxilium præstare potest per bona opera; Et hoc etiam expresse colligitur ex illo Psalmistæ *Ps.* 18. ibi: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, & ex illo *Ad Romanos* 15. ibi: *Obsecro vos fratres per Dominum Jesum Christum, & caritatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, & ex illo *Jacobi* 5. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet oratio justi assidua*.

8 Unde possunt fideles justi se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis, quo ad culpam jam dimissis. *Communis ac certa* inter catholicos, contra hæreticos; idque expresse docet catechismus S. Pii V. *in fine de Sacramento Pœnitentiæ*, ubi sic expresse dicit: *In eo summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est; qui humanæ imbellicitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit*.

9 Fideles possunt suffragari, & juvare suis bonis operibus etiam defunctos quo ad remissionem pœnæ temporalis in Purgatorio exsolvendæ. *Est de fide*, & expresse ex 2. *Machab. cap.* 12. ibi: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Et hæc veritas definita est in pluribus Conciliis, quæ refert Mastrius *Theol. moral. disp.* 23. *q.* 5. *art.* 1. *num.* 7. & expresse in Concil. Trid. *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio*, ibi: *Cum Ecclesia Catholica Spiritu Sancto edocta ex sacris litteris, & antiqua patrum traditione in Sacris Conciliis, & novissime in hac Oecumenica synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari*.

10 Hinc omnino pium esse, nec divinæ justitiæ, aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus Purgatorii recte ex Scriptura, & PP. & sensu universalis ecclesiæ ostendit contra aliquos Raynaudus in *Heter. tract.* 15. *part.* 2. *sect.* 1. *punct.* 1. *& seq.* & iterum *punct.* 10. *&* 11. ubi contraria argumenta solvit, & sic tenent etiam La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1336. Kazenberger *in Supplement. Theol. Sacramental. Patris Sporer, Append. de Suffragiis* §. 2. *num.* 246. & alii.

An autem laudabilius sit satisfactiones omnium suorum operum totius secuturæ vitæ suæ transferre in animas Purgatorii, vel sibi retinere? Variant doctores, Raynaudus enim *loc. citat. sect.* 2. *punct.* 2. Arriaga *d.* 40. *sect.* 2. cum quibus inclinat La Croix *loc. cit. num.* 1336. & alii docent, id esse minus laudabile, & fore prodigalitatem venialiter malam contra caritatem propriam, & amorem Deo debitum, quia est velle Deum prius, & potius laudari ab alio, quam a se; quod videtur esse hominis minus amantis Deum. Econtra autem Hautinus *in Patr. defunct. a num.* 627. citans pro se S. Thomam, Suarez, & Lugo fuse contendit id esse laudabilius, quia per illum actum caritatis plus meretur gratiæ, & consequenter gloriæ, sibi, & Deo per totam æternitatem: Quod & admittunt, ut revera admittendum est, etiam Auctores primæ sententiæ de eo, qui multo reatu onustus morti proximus applicat alteri, seu animabus purgatorii omnes satisfactiones suas, advertens se per id facere actum, qui merito, & dignitate sua damnum illud compenset, nam ex caritate transferens, auget suam gratiam, qui est fructus æternus longe pretiosior. 11

Si quis vivens applicet animabus Purgatorii omnes missas, preces, & satisfactiones pro se defuncto offerendas, probabilius invalide applicat. Raynaudus *loc. cit.* La Croix *loco cit. num.* 1334. Kazenberger *loc. cit. num.* 246. & alii; Et ratio est, quia applicatio operis non est in potestate illius, pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis: Offerens autem, qui suo tempore offeret pro tali defuncto, non offeret ad dictam talis defuncti intentionem, sed offerret, ut ei prosit; Ideoque si ei prodesse poterit, proderit, si autem prodesse non poterit, & offerens non substituat aliam intentionem, a Deo distribuentur secundum interpretativam intentionem, & voluntatem facientis, & offerentis opus, ut in similibus cum S. Thoma tenent Pasqualig. *q.* 86. Raynaudus *loco citat. p.* 1. *num.* 32. & alii. Quamvis Kazenberger *loc. cit.* & alii apud La Croix *loc. cit. num.* 1330. dicant, quod tunc vel proderunt ipsi operanti, vel reponentur in communem thesaurum ecclesiæ; Hautinus autem *in Patr. defunct. a num.* 617. citans pro se S. Thomam, Suarez, & Lugo, ut refert La Croix *lib.* 2. *num.* 179. fuse contendit nedum id valide fieri, sed etiam laudabilius esse, quia per actum illum caritatis plus meretur gratiæ, & consequentur gloriæ sibi, & Deo per totam æternitatem. Quod tamen Arriaga *d.* 40. *sect.* 2. concludit minus esse laudabile, quia est velle Deum potius laudari ab alio quam a se, quod videtur esse hominis minus amantis Deum. 12 13

Suffragia necdum exhibita, etiamsi certo sint exhibenda, nunc non prosunt Animabus in Purgatorio. *Sic communis, & certa Doctorum* cum Raynaudo *loco citato part.* 3. *nu.* 43. La Croix *loco citato num.* 1330. & Kanzenberger *loco cit. num.* 247. Nec hoc indiget probatione. 14

Per se loquendo utilius est Animabus, si statim magna copia suffragiorum pro illis offeratur, quia so- 15

solum illis suffragia prosunt, si sint actu exhibita, non autem, si sint, quamvis certo, exhibenda. Per accidens tamen potest esse laudabilius fundare Missam perpetuam, cum possit esse magis ad Dei gloriam ut populus in perpetuum certo die, & loco Missam pro commoditate habeat, Raynaud. *loco cit. a num.* 47. La Croix *loco cit. a num.* 1341. & alii passim.

16 Communio oblata pro Animabus Purgatorii de se non prodest ipsis, nisi in quantum actus adjuncti sunt ex opere operantis impetratorii, vel satisfactorii. Sic fuse demonstrat Rainaud. *tom. 6. opuscul. 6. de communione pro mortuis*, & sequitur La Croix *loco cit. n.* 1344. & alii.

17 Restitutio eorum, quæ defunctus abstulerat, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodesse possint ratione piorum actuum, quos heredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil conferunt ad liberationem Animæ. Sic S. Thomas, Navarr. Sotus, Bellarminus, Suarez, Molina, Valentia Rainaudus citati, & secuti a La Croix *loco cit. num.* 1345. ubi dicit hanc conclusionem esse contra paucos; Et ratio est quia vel defunctus ante mortem fecit quod potuit, & non ideo diutius patietur; vel id neglexit & ideo patietur, quantum promerita est ipsius negligentia non obstante, quod ejus heredes suis dictis omissis obligationibus satisfaciant, *arg. c. Mora sua 25. de Regul. Juris in 6. & l. in condemnatione* 173. §. 2. *ff. de Regul. Jur.*

18 Sic econtra negligentia heredum in tali restitutione, & adimpletione votorum facienda non obest ejus Animæ in Purgatorio existenti, quia heredum negligentia non est culpa ad ipsum pertinens. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso *in cap. cognoscentes 2. de constitutionibus*; Cum peccata suos debeant tenere Auctores, *cap. Quæsivit 2. de his, quæ fiunt a majori parte capituli, l. Sancimus 22. cod. de pœnis*; Nec debeat aliquis alterius odio prægravari, *cap. Non debet 22. de Regulis Juris in 6. & l. Non debet 74. ff. de Regulis Juris*. Sic Doctores citati *n. antecedent.*

19 Quamvis tamen varii alii apud Mastrium *in Theologia moral. disputat. 24. quæst. 3. articul. 3. num. 69.* affirment dilationem restitutionis a Testatore relictæ obesse ejus Animæ in Purgatorio existenti, & esse causam longioris dilationis in illis pœnis; Unde S. Birgitta *lib. 6. Revelationum capit. 66.* affirmat tandiu Animam cruciari in Purgatorio, donec restituatur ablatum & huic opinioni favent revelationes quædam Animarum defunctorum quæ vivis apparuerunt, & ab heredibus suorum debitorum restitutionem fieri petierunt, ut a Purgatorio liberarentur.

20 Usus Cereorum ardentium prodest defunctis in quantum conjuncti, & amici nomine defuncti protestantur se confiteri Christum esse verum lumen, & ex ejus meritis sperare misericordiam. Raynaud. *loco cit. sect. 3. punct. 11. quæst. 7.* La Croix *loco cit. n.* 1347. Kazenberger *loco cit. num.* 250. & alii.

21 Aspersio Aquæ benedictæ prodest defunctis propter preces Ecclesiæ, quia benedicendo petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum. Raynaud. *loco cit. q.* 5. La Croix *loc. cit. nu.* 1347. Kazenber. *loco cit. num.* 250. & alii.

Incensatio Thuris prodest, in quantum orat Ecclesia, ut anima pascatur odore cœlesti. La Croix *loco cit. num.* 1347. Kazenber. *loco cit. num.* 250. Raynaudus *loco cit.* & alii. 22

Campanarum pulsus non juvat defunctis, nisi indirecte, quatenus movet audientes ad orandum, seu suffragia offerendum pro defuncto. Raynaudus *loco cit. punct.* 7. La Croix *loc. cit. num.* 1346. Kazenberger *loc. cit. n.* 249. & alii. 23

Sepultura in loco sacro prodest defunctis, partim quia preces publicæ Ecclesiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi sepultos, & partim quia cum fideles frequentius illuc conveniant, frequentius excitantur ad orandum pro ipsis. Rayn. *loco cit. punct. 12. q.* 3. Kezenberger *loc. cit. n.* 250. La Croix *loco cit. n.* 1347. & alii; *argum. cap. Fraternitatem 3. de sepult.* 24

Ut suffragium habeat suum effectum, tres conditiones requiruntur in eo, pro quo suffragium offertur; Prima, quod indigeat suffragio idest sit debitor alicujus pœnæ temporalis, quia ubi nulla restat talis pœna solvenda, nullum etiam requiritur suffragium pro ejus exsolutione. Secunda, quod sit in statu gratiæ, quia qui est in peccato mortali, utpote membrum mortuum, non potest recipere subsidium, seu suffragium ab aliis membris vivis. Tertia; quod peccata, pro quibus satisfatio, seu suffragium exhibetur, jam sint deleta quoad culpam, quia non remittitur pœna antequam sit remissa culpa, pro qua est pœna promerita. *Communis*. 25

Item, ut suffragium suum sortiatur effectum, tres conditiones requiruntur etiam ex parte illud offerentis. Prima, quod sit in statu gratiæ, quia existens in peccato mortali indignus est remissione culpæ, & pœnæ, adeoque impotens est ad obtinendam aliis remissionem pœnæ temporalis per suffragia ex opere operantis, ac nomine proprio exhibita; Licet tamen id possit per suffragia ex opere operato, ac nomine, & in persona Ecclesiæ oblata, ut Missarum sacrificia, indulgentiæ, & Divina Officia in persona Ecclesiæ a Sacerdote oblata, quæ suum sortiuntur suffragandi effectum, non obstante Offerentis peccato. Secunda, quod Offerens habeat intentionem offerendi, & applicandi suffragium pro eo, cui prodesse intendit, & talis intentio, seu applicatio, opus bonum præcedat, & non subsequatur. Tertia, quod suffragium sit opus, quod ex se vim habeat satisfaciendi, idest habeat valorem & pretium ad solvendum debitum illius, pro quo offertur, ut sunt Oratio, Jejunium, & Eleemosyna, sub quibus omnes aliæ operationes pœnales, & satisfactoriæ comprehenduntur. *Sic Doctores Communiter*. 26

Generales, & Provinciales Ordinum Regularium possunt extra Religionem specialibus suis Benefactoribus, sive sæcularibus, sive Ecclesiasticis communicare, & applicare omnia bona spiritualia, seu suffragia sui Ordinis, sive omnium Religiosorum sibi subditorum ex speciali privilegio ab Urbano V. concesso Generalibus, & Provincialibus Ordinis Minorum, prout habetur *in Monumentis Ordinis secundæ impressionis fol.* 261. & *in Compendio Privilegiorum verb. Indulgentiæ quoad sæculares quarto num.* 6. 27

num. 6. nempe: *Ut Generales, & Provinciales totius Ordinis Minorum possint communicare suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia Benefactoribus Ordinis*. Et id communiter fieri solet concedendo eis Litteras, quas vocant *Filiantias*, seu *Litteras Filiationis*, vel *Fraternitatis*, aut *Suffragia Ordinis*.

28 Dicta communicatio omnium bonorum operum, seu suffragiorum Ordinis per hujusmodi *Filiantias*, seu *Litteras filiationis*, vel *Fraternitatis* a Regularibus Prælatis specialibus suæ Religionis Benefactoribus concessas multipliciter ipsis prodest; In primis quidem per modum cujusdam meriti de congruo, cum omnino congruum sit, quod ob multiplicia merita Religionis, in cujus *Filiationem*, seu *Fraternitatem* dicti ejusdem speciales Benefactores sunt assumpti, Deus peculiari auxilio, & protectione eos foveat, defendat, atque custodiat; Ratio enim amicitiæ postulat, ut Deus propter amicos suos specialia Beneficia conferat etiam aliis, qui amicitia, & fraternitate illis conjuncti sunt: Propter enim decem justos, si ibi inventi fuissent, pepercisset Dominus Sodomæ, & Gomorrhæ, ac finitimis Civitatibus; *Genes.* 18.

29 Item talis communicatio prodest illis per modum impetrationis, in quantum assiduæ orationes, pia, & religiosa exercitia, Divinaque Officia, quæ diu, noctuque in Religione peraguntur, possunt de congruo mereri, & impetrare, ut Deus confederatis illis specialia gratiæ auxilia conferat, quibus a peccatis præserventur, & si in ipsis sint, ab eis avocentur, atque ab omnibus animæ, & corporis malis liberentur.

30 Item talis communicatio prodest illis per modum satisfactionis, quia in Religiosis ordinibus ultra plurimas Missas, multiplicesque preces, & continua Divina Officia, peraguntur propemodum infinita opera pœnalia, atque satisfactoria, ut jejuniorum, vigiliarum, abstinentiarum, pœnitentiarum, disciplinarum, mortificationum, peregrinationum, prædicationum, lectionum, meditationum, observantiarum, laborum, devotionum, & hujusmodi, quæ applicantur pro Fratribus, Benefactoribus, ipsisque confœderatis, tam vivis, quam defunctis.

31 Tandem talis communicatio prodest illis, quia Regulares in casu mortis alicujus sui specialis Benefactoris habentis dictam *Filiantiam*, seu Suffragia ordinis possunt unica Missa per modum Suffragii ipsius Animam liberare a pœnis Purgatorii ex concessione Clementis VIII. facta Minimis, & consequenter omnibus aliis communicantibus cum eis, quæ habetur *Tom.* 2. *Privilegiorum ejusdem Ordinis Constit.* 10. *dicti Clementis VIII.* Et referunt Peyrinus *ad dictam Constitutionem num.* 2. Bassæus verb. *Suffragium numer.* 2. Reiffenstuel *Theolog. moral. tractat.* 12. *quæst.* 7. *n.* 88. & alii passim.

SUPERBIA.

Superbia ut sic dicitur ex eo, quod quis in donis naturalibus, vel supernaturalibus inordinate appetat ipse excellere, vel eminere *super alios*, ac velut *alios superare*; superbia enim sic dicitur a *super*, & *ire*, quia superbus super alios, & supra suam mensuram ire vult: Unde Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios. *Ita in re Communis*. 1 2

Superbia completa, & consummata, seu in suo genere perfecta est, qua quis inordinate ita excellere, seu eminere appetit super omnes, ut nec ipsi Deo, nec Superioribus, eorumque Legibus subjici velit, & est peccatum mortale, & diabolicum pœna æterna Inferni meritissimum; Unde de sic superbo Lucifero *Isaiæ cap.* 14. habetur: *Detracta est ad inferos superbia tua ..... qui dicebas in corde tuo: In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum .... ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. 3

Item peccatum mortale est superbia, cum quis existimat habere ex se, & non a Deo bona gratiæ, naturæ, & fortunæ, juxta illud superborum relatorum *Deuteronomii cap.* 32. *num.* 27. ibi: *Ne forte superbirent & dicerent: manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*; Unde Apostolus 2. *ad Cor. c.* 4. contra similem superbum sic invehit; *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 4

Item peccatum mortale est Superbia, cum quis cognoscit quidem se a Deo talia bona habere; sed ex suo merito, & justitia, & non ex liberalitate Dei. *Communis*. 5

Item peccatum mortale est superbia, quoties est conjuncta cum gravi contemptu, & notabili damno proximi, ut si quis superbiendo de sua excellentia, valde aspernetur, & reprobet tamquam vilem proximi statum, & conditionem, & se extollendo super alios in aliqua professione, ut Legistæ, Medici, Concionatoris, & hujusmodi injustum, & grave damnum aliis causet. *Communis*.

Quamvis plures soleant assignari filiæ superbiæ, ut jactantia, ostentatio, hypocrisis, inobedientia, pertinacia, discordia, curiositas; tres tamen sunt ejus filiæ, præcipuæ, nempe Vanagloria, Præsumptio, & Ambitio. *Sic Doctores communiter*. 7

Vanagloria est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, seu humanæ laudis, & gloriæ. Et hæc ex genere suo, & per se est solum peccatum veniale; quamvis possit fieri peccatum mortale per accidens ratione materiæ, si nimirum gloriatio fiat de re mortaliter mala, vel ratione notabilis damni proximo illati. *Communis*. 8

Præsumptio est appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra proprias vires; Unde ille dicitur præsumptuosus, qui tentat dicere, vel facere aliquid supra id, quod potest. Per se, & ex genere suo est tantum peccatum veniale; Potest tamen fieri mor- 9

mortale per accidens, si inde immineat periculum gravis injuriæ Dei, notabilis damni proximi, aut salutis propriæ; Sicque graviter peccat, qui præsumit quærere, & exercere Officium Judicis, Consiliarii, Medici, Confessarii, Lectoris, Magistri, & hujusmodi sine sufficienti scientia. *Communis*.

10 *Ambitio* est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in honoribus, vel Dignitatibus non debitis, vel debito majoribus; Per se, & ex genere suo est solum peccatum veniale; At vero potest fieri peccatum mortale per accidens, vel ratione materiæ, ut si quis ambiat dignitatem, qua notabiliter sit indignus; Vel ratione circumstantiarum, ut si modo, vel medio mortaliter malo, puta per subornationem, per simoniam, & hujusmodi quærat quis fieri Superior, seu Prælatus; Vel ratione damni proximo illati, ut cum quis cum alterius notabili damno, & gravi injuria vult Officium, seu Beneficium obtinere. *Communis*.

11 Unde de primo ad ultimum, quamvis superbia completa, & consummata, seu in suo genere perfecta, & proprie capta, sit peccatum mortale, ut patet ex dictis *supra num. 3. & seq.* Tamen superbia imperfecta, & late accepta, qua quis non renuens subjici quibus debet, in suo dumtaxat interno affectu se se magnificat, est tantum veniale peccatum, quia sine Dei contemptu, & proximi notabili despectu, aut damno se plus justo efferre non est adeo gravis inordinatio; adeoque per se & ex suo genere non excedit peccatum veniale, ut tradunt passim Doctores: Et talis superbia late dicta, quæ proprio nomine dicitur *Philautia*, quamque Scotus *in 2. dist. 6. quæst. 2.* vocat Luxuriam quamdam spiritualem, consistit in immoderata propriæ perfectionis complacentia nullo habito ad alios respectu.

SUPERIORES.

1 Superiores Regulares exacte observare deben
Sancita in Decretis Clementis VIII. & in suis
peculiaribus Constitutionibus in Tyronum ad-
missione, Bened. XIV. tom. 2. Constitut. 47. in-
2 cip. *Si datam*. Superiorum consensus requiritur a S.
Sede, in concedendis dispensationibus pro Regula-
ribus. Idem *ibid*.
3 Superiores Regulares non possunt suis subditis
concedere Litteras Dimissorias ad recipiendos Or-
dines ab alio, quam ab Episcopo Diœcesano, nisi
hic a Diœcesi absit, vel ordinationes in temporibus
non sit habiturus. Idem const. 16. incip. *Impositi*
4 *Nobis*. Eorum Dimissoriæ nullæ declarantur, nisi
adjuncta habeant documenta subscripta a Vicario
generali, vel Cancellario, aut Secretario ejusdem
Episcopi de ejus absentia a Diœcesi, sive quod Or-
dinationes non sit habiturus. Idem *ibid*.
5 Superiores Regulares Monasteriorum Monialium,
bis, aut ter in anno Confessarium extraordinarium
offerre tenentur universæ Communitati. Idem Con-
6 stitut. 56. incip. *Pastoralis curæ*, Et quidem semel
saltem in anno hujusmodi Confessarium deputare
debent e Clero sæculari, vel ex alio Ordine Re-
gulari. Idem *ibid*. Singulis autem Monialibus pe- 7
culiarem Confessarium extra Ordinem in pluribus
casibus denegare non debent. Idem *ibid*. Vide *verb. Confessarius*.
Superiores Regulares non se opponentes Regu- 8
laribus petentibus Professionis nullitatem, officio
suo deesse censentur. Idem Constitut. 47. incip. *Si*
datam. Superior Regularis una cum Ordinario Lo- 9
ci, cognoscere debet causas super nullitate Profes-
sionis Regularis inter quinquennium promotas, si-
ve actio sit a Religione intentata, sive a Profes-
so. Idem *ibid*. Idem statuitur si causa intra quin- 10
quennium legitime introducta, post quinquennium
denuo instauretur. Idem *ibid*.
Superior Regularis similiter cum Ordinario co- 11
gnoscere debet causas nullitatum Professionum Mo-
nialium sibi subjectarum. Idem *ibid*. Superior Re-
gularis ad effectum cognoscendi causas super tali 12
nullitate Professionis, est Prælatus Monasterii, cui
concreditum est universum Monasterii regimen, non
autem Confessarius Monialium. Idem *ibid*. Supe-
rior Regularis conjudex in hujusmodi causis exi- 13
stens, juri suo cedere nequit, sed alium potest sub-
delegare.
Superiore Regulari dissentiente a judicio Epi- 14
scopi in causa nullitatis Professionis, causa de-
volvitur ad S. Sedem. Idem *ibid*. Superior Regu- 15
laris alius a primo, una cum Judice secundæ, aut
ulterioris instantiæ semper in causis hujusmodi ju-
dicare debet. Idem *ibid*. Si in Judicio secundæ, aut 16
ulterioris instantiæ non adsit Superior Regularis
ejusdem Ordinis, assumendus erit Superior Mona-
sterii vicinioris ipsius Ordinis; vel alius Judex Ec-
clesiasticus deputandus ab eo, ad quem pertinet,
nempe a Superiore, ad quem pertinet, suas vices
ad hunc effectum ei delegare. Idem *ibid*.
Superior Regularis in causis nullitatis Profes- 17
sionis non admittitur ad judicium ferendum, quum
causa apud S. Sedem judicatur quacumque de cau-
sa. Idem *ibid*. Etiamsi agatur de causa intra quin- 18
quennium promota. Idem *ibid*.
Superiores Regulares, & non Parochi, debent 19
exquirere a suis familiaribus, & continuis com-
mensalibus, eisque actu inservientibus, an præce-
pto Paschalis Communionis satisfecerint. Sic *Sac. Cong. Concil.* ex Bullario Ord. Prædicatorum *tom. 7. pag. 322. Constit. 69.*

SUPERSTITIO.

Superstitio, sic dicta, eo quod homines nimi- 1
rum timerent iram Deorum superne imminentem, quasi superstantem, ut ex aliis observat Gobat *tom. 3. part. 4. de Superstitionibus num. 896.* definitur, quod sit vitium Religioni oppositum secundum excessum, quo quis Divinum exhibet cultum, vel quem non debet, seu modo indebito, vel illi, cui non debet. *Ita in re Communis*.
Unde superstitio est duplex, una *ratione rei cul-* 2

tæ, quæ coli non deberet; cum scilicet cultus Deo debitus, falso deo, seu creaturæ tribuitur; & alia *ratione cultus*, indebiti scilicet, seu incongrui, vel inconvenientis, quo verus Deus quidem colitur, sed cultu, & modo indebito, tribuendo ei cultum falsum, vel superfluum, aut indecentem contra, vel præter Ecclesiæ consuetudinem, ac præscriptum. *Sic in re Doctores communiter.*

3 Hinc superstitio *ratione cultus* dividitur in tres species, scilicet in Superstitionem *cultus falsi*, in Superstitionem *cultus superflui*, & in Superstitionem *cultus indecentis*.

4 Superstitio *cultus falsi* est Deum colere Judaicis, aut Mahumeticis cæremoniis, ut per circumcisionem, immolationem Agni, & hujusmodi, quæ significant Christum adhuc venturum, & nondum venisse; Item falsas Reliquias intrudere adorandas, falsa miracula prædicare, aut imprimere, falsas revelationes fingere, & hujusmodi; Et hæc superstitio ex genere suo est peccatum mortale, quia gravem injuriam, & irreverentiam irrogat Deo primæ veritati, & religionem fundat in falsitatibus; Quamvis tamen interdum possit in aliquibus excusare ignorantia & simplicitas. *Sic Doctores passim.*

5 Superstitio *superflui cultus* est Deum colere ritibus, seu Cæremoniis ad ipsius Dei gloriam, & ad spiritus devotionem excitandam non inservientibus, uti in Missa plures formare Cruces, pluries repetere *Alleluja*, dicere *Gloria*, vel *Credo* contra Rubricas, aliasque non præscriptas addere Cæremonias; Item Missam audire cum certo numero, & ordine cereorum, in tali situ, & dispositione corporis, & alia hujusmodi præter, vel contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ. Et hæc Superstitio, secluso scandalo, & Ecclesiæ contemptu, ac mala intentione agentis, ordinarie est tantum peccatum veniale, quia est materia levis, & actio ex se non mala, & multa excusat simplicitas. *Ita Communis Doctorum.*

(*) Non discrepat Antoine, modo hæc sententia certis quibusdam limitibus circumscribatur. Sic enim habet in Tract. de virtute Religionis cap. V. art. I. quæst. II. resp. 1. „ Hæc superstitio, juxta communem sententiam, est solum venialis, modo actio aliunde nulla lege sit prohibita, & absit scandalum, & contemptus cæremoniarum Ecclesiæ, ac communis fidelium usus: quia & materia levis, & irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem. Secus, si fiat post prohibitionem Superioris. Si tamen in Missa, vel in administratione Sacramentorum, relictis rubricis, aliæ cæremoniæ etiam pro sua devotione & secluso contemptu adhiberentur, videtur non posse excusari a mortali, ob materiæ gravitatem, & periculum grave, & gravem præsumptionem. „ (*)

Superstitio *cultus indecentis* est Deum colere verbis, factis, & rebus potius ad ejus offensam, quam ad ejus gloriam, & laudem inservientibus, uti in Divinis Officiis adhibere Musicam, cantum, tonum, vocem, verba, gestus, instrumenta, & alia hujusmodi, quæ potius ad lasciviam, seu impuritatem provocent, quam Dei laudem, & populi devotionem excitent; & hæc superstitio, seclusa magna indecentia, gravi scandalo, prava intentione agentium, & periculo animarum, non est peccatum mortale (1); Secus autem si talia intervenirent. *Sic Doctores communiter.* 6

Superstitio ratione *rei cultæ* dividitur in quinque species, nempe in Idololatriam, Magiam, Divinationem, Vanam observantiam, & Maleficium. 7

Idololatria est Superstitio, qua cultus soli Deo, seu Creatori debitus tribuitur Creaturæ; Unde Apostolus *ad Romanos* 1. scribit: *Servierunt Creaturæ potius, quam Creatori.* 8

Idololatria est triplex, *Prima* est Idololatria externa simul & interna, quoad existimationem, & affectum; Et est, cum quis, & intellectu existimat erronee creaturæ aliquid inesse Divinitatis, & voluntate intendit eam colere, & hæc est Idololatria perfecta, & semper conjuncta cum infidelitate, sicque duplex peccatum mortale includit, infidelitatis contra fidem, & superstitionis contra Religionem: Nec absolvi potest a Confessario non habente specialem facultatem absolvendi ab Hæresi. *Secunda* est Idololatria externa simul, & interna quoad affectum tantum, non quoad existimationem; Et est, cum quis cognoscit quidem Idolis nihil inesse Divinitatis, & unicum tantum ac verum Deum agnoscit, & confitetur, sed tamen ex pravo affectu, cupiditate nempe aliquid a diabolo impetrandi Idolis, vel ipsi dæmoni voluntarium cultum externum tanquam Deo, defert, qualis ordinarie est Idololatria, seu potius dæmonolatria Sagarum, & Magorum: Et ob hanc Idololatriam non incurritur Excommunicatio in Bulla Cœnæ, sed solum Excommunicatio lata a Joanne XXII. non reservata Pontifici, ut habetur in Directorio Inquisitorum: adeoque a quovis legitimo Confessario absolvi potest, ut notat Sporer *tom. 1. tract. 2. in 1. Præcept. Decalog. cap. 9. sess. 1. n. 4. Tertia* est Idololatria externa, & simulata tantum; Et est, cum quis absque existimatione Divinitatis, & sine ullo affectu interno colendi aliquid pro Deo; ex timore tormentorum, & mortis, idolo, seu dæmoni exterius tantum exhibet cultum Deo debitum, v. g. Sacrificium Thuris, ut fuit Idololatria S. Marcellini Papæ, & aliorum; & hæc Idololatria, quamvis sit tantum materialis, cum careat affectu interno colendi aliquid pro Deo, est tamen gravissimum peccatum mortale contra debitam professionem exter- 9

(*1) E. R. Deum colere verbis, factis, & rebus potius ad ejus offensam, quam ad ejus gloriam, & laudem inservientibus, atque ad lasciviam, seu impuritatem potius provocantibus, quam Dei laudem, & populi devotionem excitantibus, peccatum mortale minime esse, affirmari neutiquam potest, nisi vera Religionis notio penitus subvertatur. Heinc corrigenda est Auctoris Sententia sub hoc numero tradita, nec absque aliqua limitatione suscipienda videntur ea, quæ statuuntur sub num. 4. & 5.

(2) Tota illa narratio de thure a S. Marcellino Idolis incenso commenticia est. Vide Scriptores a Sandinio citatos not. 2. ad Vitam S. Marcellini.

ternam Fidei, & contra virtutem Religionis: Potest vero absolvi a quolibet legitimo Confessario.

10 *Magia* est duplex, nempe naturalis, & superstitiosa, seu diabolica. Magia *naturalis* est ratio quædam, seu facultas operandi mira per vires rerum naturalium occultas absque ope dæmonis; Et hæc non est superstitionis species, quamvis tamen ut periculosam ex eo, quod diabolus facile se illi immisceat, adeoque sensim ad superstitionem manuducentem diligenter cavendam esse merito censeant graviores, sanioresque Doctores.

11 Magia *Superstitiosa*, seu *diabolica* est ratio quædam, seu facultas operandi mira, ope, & ministesio dæmonum per signa ab ipsis instituta. *Communis*. Magia superstitiosa est ex genere suo peccatum mortale gravissimum, quia continet expressam, vel tacitam dæmonis invocationem, ac proinde benevolentiam erga ipsum, & confœderationem, ac societatem cum ipso: Est autem Deo summe injuriosum, quod ipso relicto ad dæmonem perpetuum ejus hostem recurratur, & cum eo societas ineatur. *Communis*.

12 *Divinatio* est superstitiosa inquisitio, aut prædictio alicujus occulti per invocationem, & disciplinam dæmonis. *Est in re communis*.

13 Divinatio superstitiosa fit semper per pactum expressum, vel implicitum cum dæmone, pluresque continet species, quæ hic assignantur.

14 Prima divinationis species est *Præstigium*, cum dæmon nempe quibusdam apparitionibuspræstigiosis in imaginibus, aut corporibus aliunde asportatis, vel compactis ex aere se oculis, aut sensibus hominum ingerit ad occulta pronuncianda.

15 Secunda est *Necromantia*, quæ est divinatio facta per fictas mortuorum suscitationes, vel locutiones, adhibitis certis verbis, aut signis, quibus mortui videntur resurgere, loqui, & docere occulta.

16 Tertia est *Geomantia*, quæ est divinatio facta per certa signa, & puncta in corporibus terrestribus, ut lapide, ligno, carta, & hujusmodi.

17 Quarta est *Hydromantia*, quæ est divinatio facta per signa apparentia in acqua.

18 Quinta est *Aeromantia*, quæ est divinatio facta per signa apparentia in aere.

19 Sexta est *Pyromantia*, quæ est divinatio facta per signa apparentia in igne.

20 Septima est *Chyromantia*, quæ est divinatio facta ex manuum lineis.

21 Octava est *Spatulomantia*, quæ est divinatio facta ex spatulæ signis, quibus occulta de statu hominis præsenti, vel futuro divinantur.

22 Nona est *Metoposcopia*, quæ est divinatio facta per signa frontis.

23 Decima est *Pedomantia*, quæ est divinatio facta per inspectionem pedum.

24 Undecima est *Physiognomia*, quæ est divinatio facta ex totius hominis signis.

25 Duodecima est *Onyromantia*, seu *Onyrocritica* quæ est divinatio facta ex somniis habitis.

26 Tertiadecima est *Astrologia Judicaria*, quæ est divinatio facta ex situ, motu, ac positione Astrorum, & Planetarum de venturis ex libera hominis voluntate pendentibus.

Quartadecima est *Pythonia*, & est, cum diabolus ex pacto docet occulta per homines arreptitios. 27

Quintadecima est *Augurium*, & est cum hominis, animalium, & avium vocibus, cantu, garritu, sternutatione, & hujusmodi divinantur occulta. 28

Sextadecima est *Auspicium*, & est cum ex volatu avium occulta divinantur. 29

Decimaseptima est *Omen*, & est divinatio facta ex hominum vocibus, casu, & præter intentionem prolatis. 30

Decimaoctava est *Aruspicium*, & est, cum per signa apparentia in arteriis, seu intestinis sacrificatorum animalium dæmon responsa dat, ut fiebat apud Gentiles, qui ipsum dæmonem consulebant per sacrificia animalium. 31

Decimanona est *Oraculum*, & est, cum dæmon consultus per preces coram idolis perfusas responsa dat per ipsa idola, ut frequentissimum erat apud Gentiles, qui per idola dæmonis *Oracula* recipiebant. 32

Vigesima est *Sortilegium*, nomine cujus, quamvis generalius loquendo veniant omnes *superstitiones*, *divinationes*, & *magiæ*, ut recte advertunt Engel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 21. *num.* 1. Reiffenstuel *ibid. num.* 2. & alii, proprie tamen, & specialius loquendo *Sortilegium* est divinatio, qua per *sortes divinatorias*, & falsa signa, ope dæmonis futura, vel occulta manifestantur. *Ita in re Communis*. 33

Notanter autem dicitur per *sortes divinatorias*, quia triplices sunt sortes, nempe divinatoriæ, consultoriæ, & divisoriæ. *Sic Doctores communiter*. 34

Sortes divinatoriæ sunt illæ, quibus occultorum, seu futurorum manifestatio, vel consilii alicujus directio petitur per media vana, & impertinentia minime ad Deum relata, & consequenter ad dæmonem pacto expresso, vel tacito; Et hæ sortes passim sumuntur pro divinationibus, sortilegiis, aut maleficiis, indeque ut vere superstitiosæ & illicitæ graviter prohibentur tum Jure divino *Exodi capit.* 22. *n.* 8. *Levit. cap.* 19. *n.* 31. & *cap.* 20. *n.* 6. & 27. *Deuteron. cap.* 18. *num.* 10. *cum seq.* & sæpe alibi; Tum Jure Canonico *in can. Illud* 9. *caus.* 26. *q.* 2. *can. Qui divinationes* 2. *can. Non licet* 3. *can. non oportet* 4. *can. Si quis Episcopus* 5. *can. Aliquanti* 6. *can. Sortes* 7. *can. Pervenit* 8. *can. Si quis Clericus* 9. *can. Contra* 10. *can. Auguriis* 11. *can. Episcopi* 12. *caus.* 26. *q.* 5. *cap. In tabulis* 1. & *cap. Ex tuarum tenore* 2. *de sortilegiis*, & Const. Sixti V. incip. *Cæli*, & *terræ*, quæ ut ad rem multum faciens, hic ad litteram datur. 35

SIXTUS EPISCOPUS &c.

„ §. 1. COeli & Terræ creator Deus, quem unum omnipotentem corde credimus ad justitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem, & similitudinem suam creavit, mentem dederit, quæ non solum divino fidei lumine illustrata mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi magno licet cum labore, præclara multa investigaret, atque intelligeret; tamen ut superbum animal homo nonaltum

tum saperet, sed timeret, & immensam conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda, & aperta sunt & ad internas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt tamquam ea, quæ sunt, omnia præsentia & ante oculos posita habet, solus denique omnia, & singula quæcumque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia disposuit quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Isaiam illis verbis: Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos; & in novo testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris eventibus paulo cupidius inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit: non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Nec vero ad futuros eventus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus, ex naturalibus causis necessario, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione consilio, vel auxilio omnis divinatio manat, sive quod expresse ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi pravitate sua, & odio in genus humanum occulte etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, & mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est in hujusmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquisitione, & præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude, ac dolis miseros homines a via salutis avertat, & laqueo damnationis involvat. Quæ cum ita sint, nonnulli hæc fideliter, & religiose, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipsi, & alios in errorem mittentes: Tales in primis sunt astrologi olim mathematici, Genethliaci vocati, qui vanam, falsamque syderum, & astrorum scientiam profitentes, divinæque dispositionis ordinationem suo tempore revelandam prævenire audacissime satagentes, hominum nativitates seu genituras, ex motu syderum, & astrorum cursu metiuntur, ac judicant futura, sive etiam præsentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & naturali die, sive quavis alia temporum, & momentorum vanissima observatione, & notatione de uniuscujusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis discriminibus, aliisque prosperis & adversis casibus, & eventibus præcognoscere, judicare, & affirmare temere præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis, cum S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum, qui hæc observat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, christianam fidem, & baptismum prævaricasse affirmet, ut illos merito Apostolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies observatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Hi igitur levissimi, & temerarii homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum, & christianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus, & quæcumque prospere, vel adverse obventura sunt, ac actus humanos, ea denique, quæ cum ex libera hominum voluntate proficiscantur, astris, syderibusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt futura significandi, & ad præcognita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus judicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones, sibi assumere, & palam venditare non dubitant, quibus pauci rudes, & imperiti aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, ut ex hujusmodi judiciorum & prædictionum præscripto aliquid certo esse credant, aut sperent, quorum sane, & mendacium magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui cœli, & stellæ & clarissima cœli sydera, sol, & luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt, sic enim Moyses populum Dei ut hunc errorem caveret, præmonebat. Ne forte elevatis oculis ad cœlum, ut videas solem, & lunam, & omnia astra cœli & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini servire? nonne nobilissimæ intelligentiæ angeli ipsi omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis? nam rationabiles oves ita diligit Deus ut non solum Episcopos, quemadmodum a S. Ambrosio scriptum est ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam angelos destinaverit. Præclare etiam S.Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. Quod si angeli homines custodiunt, quid adversus angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco prætereunda eximii Ecclesiæ doctoris, & beatissimi Pontificis magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas hæreticos unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Absit, inquit, a fidelium cordibus, ut aliquid esse fatum dicant; vitam quippe hominum so-

solus hanc conditor, qui creavit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt, & si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur, utinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Neque enim quæ christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio investigarent; iisdemque misere se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem prænoscenda, & investiganda in divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim geomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, aliisque sortilegiis, & superstitionibus non sine dœmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alii vero aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes quibusdam auguriis, auspiciis similibus signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, & inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum diabolo pactione facta in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres describunt, dœmones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel sacramentis, aut sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum, venerationemve tribuunt, aut annulum, seu speculum, aut parvas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant ad dœmones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obsessis, vel sympaticis, & phantasticis mulieribus dœmones de futuris occultis rebus, aut factis exquirunt, ut merito ab his, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendacesque referant responsiones. Alii quoque præstigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam superstitionibus deditæ in phyalis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis etiam benedictis sub nomine *angeli sancti*, *& albi* diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum architectum orant, ut similiter futura, vel occulta quævis per spectra, & apparentes imagines, phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacii diabolo aliis incantationibus futurorum, & occultorum hujusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum dœmonis præstigiis, & dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi, ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in se ipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, ut astrologi, & alii prædicti, qui hujusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent, injuste, atque imprudenter, quod Dei est, sibi assumant, & usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis pestis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licet jam pridem regulis indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Trident. Conc. confecti, illud inter cetera constitutum fuerit, ut Episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen judiciis, & naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta fuissent; libros vero omnes, & scripta Geomantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejici, & aboleri curarent: Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

§. 3. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis Officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus, ex paternæ caritatis visceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem a prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent; Cupientes præterea sanctam illam christianæ religionis simplicitatem præsertim ubi agitur de summa creatoris Dei potestate, sapientia, & providentia ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, ut par est, retineri; Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac hujusmodi illicitarum divinationum, & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de christiano pupulo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est, non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israel: Hac perpetuo valitura Constitutione Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus, ut tam contra astrologos, mathematicos, & alios quoscumque dictæ astrologiæ artem præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem nauticam, in posterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisve casibus,

bus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id se non certo affirmare asserant, aut protestentur, quam conrra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur, docent, aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati superiores, & alii Ordinarii locorum, quam inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiam qui in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos severius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus hujusmodi judiciariæ, astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onyromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato indice interdictos sub censuris & pœnis in eo contentis a quibuscumque Christifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinariis locorum, & inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere; nihilominus eadem authoritate statuimus, & mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem inquisitores libere, & licite procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Ut autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in Valvis basilicarum S. Jo. Lateranen. & Principis Apostolorum de urbe, ac in acie campi Floræ affigi, seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et insuper universis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis, nec non inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint in suis & singulis Parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit, deinde vero semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia vero difficile foret præsentes litteras ad singula quæque, loca in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac parvo sigillo Sanctæ Romanæ, & universalis inquisitionis, aut alicujus prælati, vel curiæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1586. Nonis Jan. Pontificatus Nostri anno 1. „

37 Sortes consultoriæ sunt illæ, quibus a Deo postulatur occultæ veritatis manifestatio, aut ancipitis consilii alicujus directio: Et hæ sortes non sunt illicitæ, nec prohibitæ, si Dei jussu, aut instinctu fiant, de quibus *Proverb. 16.* expresse dicitur: *Sortes mittuntur in sinum sed a Domino temperantur*. Tales enim sortes consultivæ sæpe factæ leguntur in sacris litteris, ut in investigatione furis *Achan*, *Josue 7.* in electione Matthiæ *Actor. 2.* cujus electionem signo visibili a Deo demonstratam fuisse testatur S. Dionysius (1) *lib. de Cœlesti Hierarch. cap. 5. num. 2.*

38 Sortes divisoriæ sunt illæ, quæ adhibentur ad dividendas res, seu hereditates inter plures vel ad dirimendas lites, & controversias, & hujusmodi; Et istæ sortes per se malæ, & illicitæ non sunt, sed sæpe sunt bonæ, ac utiles, juxta illud *Proverb. 18. Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat*. Unde de jure communi in judiciis, & sententiis proferendis locus datur sorti, *l. Sed cum ambo 14. ff. de judiciis*; Sicque si plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, discordant in eligendo, sorte dirimitur lis: *l. Si duobus 3. Cod. Communia, de Legatis*, & concordant *l. Judæi 8. Cod. de Judæis*, *l. Quotiens 4. Cod. de privileg. scholar. l. Meminimus 2. Cod. Quando & quibus pars*, *l. Denunciasse 17. §. 6. ff. Ad Leg. Jul. de adult. l. Si quæ sunt 1. ff. Familiæ erciscundæ*, *leg. Generaliter 24. §. 17. ff. de Fideicommiss. Libert. leg. Ait Prætor 10. §. 1. ff. Quæ in fraudem creditor. Novella 162. c. 3. & §. Optionis 23. Instit. de Legatis*.

39 Dictarum autem sortium usus est omnino prohibitus in electionibus ad Prælaturas, & officia ecclesiastica, seu electio per sortes ad Prælaturas, & officia ecclesiastica est illicita, & absolute prohibita. *Communis*, textu expresso *in c. Ecclesia vestra 3. de sortilegiis*, ibi: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*, & concordat *c. Quia propter 42. de electione*, ubi omnis electio aliter facta, quam per formam scrutinii, compromissi, vel inspirationis, declaratur nulla.

40 Sortilegi, seu divinatores, & magi de jure Canonico, si Clerici sint, ab officio, & beneficio deponi, & in arctum monasterium (hodie in perpetuos carceres) detrudi debent, *c. Non oportet 4. c. Si quis Episcopus 5. & c. Aliquanti 6. caus. 26. q. 5.* Et insuper magi degradari, & curiæ sæcu-

(*1) Sive Auctor Operum S. Dionysio Areopagitæ suppositorum.

culari tradi debent, *c. Admoneant* 15. *caus.* 26. *q.* 7. & ad id speciales Pontificiæ Constitutiones habentur, & signanter Const. Innocent. VIII. incip. *Summis*; Leonis X. incip. *Honestis*; Greg. XIII. incip. *Omnipotentis*, & Sixti V. incip. *Cœli, & Terræ*.

41 Sortilegi vero, seu divinatores, & magi Laici de jure Canonico, si servi, seu viles existunt, verberibus, & cruciatibus castigandi sunt; liberi autem, ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi, *c. Contra Idolorum cultores* 10. *caus.* 26. *q.* 5. immo si contumaces fuerint, debent etiam excommunicari, *c. Admonet* 15. *caus.* 26. *q.* 6. Et ratione magiæ tradi possunt curiæ sæculari severius juxta suas leges puniendi per cit. Pontific. Constitut. Innocent. VIII. Leonis X. Gregor. XIII. & Sixti V.

42 Sortilegi, seu divinatores, & magi, tam clerici, quam laici sunt infames, ideoque a testimonio, & accusatione repelluntur; *c. Constituimus* 9. *caus.* 3. *q.* 5. Et si exerceant sortilegia, seu divinationes, ac magias, quæ hæresim sapiant, ut invocando dœmonem per preces, & sacrificia, eique tribuendo quæ soli Deo competunt ex Constitut. 13. Joan. XXII. incip. *Supra*, sunt puniendi iisdem pœnis, quibus puniendos esse hæreticos diximus sub verb. *Hæreticus*. Vide *ibi*, & citatas Pontificias Constitutiones.

43 Sortilegi, seu divinatores, & magi de jure civili puniuntur pœna publicationis omnium bonorum, & ultimi supplicii etiam aliquando per ignem inferendi, *leg. Nullus* 3. *& l. Nemo* 5. *de Maleficis*. Ex Constitutionibus autem Caroli V. qui per magiam aliis damna inferunt, igne cremari; qui autem sine damno magiam exercent; pœna arbitraria etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniri jubentur. Engel *lib.* 5. *Decret. tit.* 21. Reiffenstuel *ibidem numer.* 16. Vide infra *num.* 78.

44 Judex Ecclesiasticus punire potest Sortilegos, seu divinatores, & magos etiam laicos, Abbas *in cit. cap. In tabulis* 1. *num.* 3. *de sortilegiis*, Pirhing *lib.* 5. *Decretal. tit.* 21. *num.* 19. Reiffenstuel *ibid. num.* 19. Julius Clarus *§. Hæresis num.* 26. & ipso teste Communis aliorum, *arg. can. contra Idolorum cultores* 10. *caus.* 26. *q.* 5. & expresse judicibus ecclesiasticis hanc facultatem etiam in laicos tribuerunt Adrianus VI. Constitut. 2. incip. *Dudum*, & Sixtus V. Constit. 17. incip. *Cœli, & Terræ*, statuentes tales Sortilegos, seu divinatores, & magos, aliosque similes etiam laicos posse puniri ab inquisitoribus. Vide infra *n.* 76.

45 *Vana observantia* est superstitio, qua adhibentur media inutilia, & improportionata ad aliquem effectum obtinendum, vel impediendum, ad quem nec a Deo, nec a natura ullam vim habent, nec sunt ab Ecclesia ad id ordinata. *Est in re Communis.*

46 Vana observantia differt a divinatione per hoc, quod divinatio primario, & per se ordinetur ad speculativam alicujus occulti, seu futuri cognitionem; Vana observantia autem totaliter ad cognitionem practicam aliquid agendo, vel omittendo. *Sic Doctores Communiter*.

Species præcipuæ vanæ observantiæ sunt tres, scilicet ars notoria, observantia sanitatum, & observantia eventuum; Ad has nempe reducuntur omnes aliæ species vanæ observantiæ, sive fiant cum expressa, sive cum tacita, aut implicita dœmonis invocatione. *Sic in re Doctores Communiter*. 47

Ars notoria est superstitio, qua per quasdam ignotorum verborum precationes, per certa aliqua jejunia, per certa aliqua signa, & alia hujusmodi prorsus inutilia media, expectatur scientiæ infusio, seu acquisitio absque aliquo studio; Hac arte utuntur potissimum Anabaptistæ, qui profanæ cœnæ suæ sumpto poculo statim in instanti aliquando scientiarum & scripturarum antea penitus ignoratarum notitiam consequuntur, ipsas memoriter recitant, sacras etiam Scripturas se intelligere existimantes, de ipsis tamquam periti discurrunt dœmone semper verba suggerente, vel per os ipsorum loquente, ipsosque sic dementante; Unde sæpe evenit, quod catholici per exorcismos scientiam illam cum magna eorum confusione ipsis adimant; Et si abjecta sua secta ad veram catholicam fidem convertantur, statim ad pristinam ignorantiam redeunt, ut de multiplici experientia testantur passim Doctores. (1) 48

Observantia sanitatum, est superstitio, qua media inania, & inutilia adhibentur ad sanitatem hominum, aut brutorum conservandam vel recuperandam. *Sic in re Communis*. Sic hujus superstitionis rei sevadunt qui certa ignota nomina, certa determinata verba, certos characteres, certas scripturas, certa involucra, certa signa, certum numerum crucium, & orationum, & alia hujusmodi inutilia adhibent, & applicant ad sanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad se vel alios reddendos impenetrabiles, seu invulnerabiles telis, ensibus, globorum ictibus, ut sint immunes ab hostium læsionibus, & ab omni infortunio & qualibet infirmitate liberi, quia supradicta omnia, & similia, nec a Deo, nec a natura, nec ab Ecclesia sunt ad id ordinata, & consequenter si id interdum eveniat, non nisi a dœmone per tacitam ejus invocationem evenire censetur. Immo hujus superstitionis rei sunt etiam illi, qui res sacras gestant, v. gr. reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, Evangelium S. Joannis, & hujusmodi, seu pias preces, aut Sacræ Scripturæ versus recitant si ab illis sanitatem, aut alium hujusmodi effectum infallibiliter expectent, quia cum præter Sacramenta, & Sacramentalia nihil sit ex sacris rebus, & verbis, quod effectum habeat infallibiliter, qui illum sic expectant, nonnisi a dœmone per tacitam ejus invocationem expectare censendi sunt. 49

Aliud autem esset, si per verba sacra, per reliquias, per cruces benedictas, per agnos Dei, & hujusmodi supradictos effectus cum fiducia, & non cum infallibilitate exposcerent: tunc enim esset res pia, 51

(*) E. R. Quæ de Anabaptistis, secundum Auctorem nostrum, testantur passim Doctores, tacent historici, veluti Bossuetius, Dupinius, Fleurius, immo inter fanaticos recensent Anabaptistas.

pia, & non superstitiosa; Et de facto leguntur in libris asceticis exempla plurima illorum, qui a similibus verbis & rebus sacris fuerunt præservati a lethalibus vulneribus, liberati a doloribus, & sanati ab infirmitatibus. Unde si quis ex talibus exemplis animatus per similia verba sacra, per reliquias, per Agnos Dei, & hujusmodi, pia invocatione Sanctorum speret a Deo consimiles effectus obtinere, dummodo non credat infallibiliter a Deo sibi deberi sic concedi, non est peccati damnandus, ut notant passim Doctores.

52 Hic juvat adducere quod refert Felix Potestas *tom. 2. part. 2. num. 257.* quod nempe Panormi est dedicata Ecclesia septem præcipuis Archangelis, qui adstant ante Deum beato Amadeo revelatis, quorum nomina ibi, & in cathedrali in sacello Archiepiscopi Hajedi sculpta sunt, *Michael Victoriosus, Gabriel Nuncius, Raphael Medicus, Uriel Fortis Socius, Jehudiel Remunerator, Barachiel Adjutor, Scalciel Orator.* Ceterum sola priora tria sunt de fide, quia habentur in Sacra Scriptura; Quartum nempe *Uriel* non est de fide, sed magnæ auctoritatis, quia habetur *in lib. Esdræ cap. 4.* ibi: *Et respondit ad me Angelus, qui missus est ad me; cui nomen Uriel.* Qui liber licet sit extra Canonicos; fuit tamen ipsis libris Sacris, & Canonicis jussu Sixti V. annexus, ut de facto reperitur impressus in fine Sacræ Bibliæ vulgatæ editionis Sixti V. jussu recognitæ, & Clementis VIII. auctoritate editæ. (1)

53 *Observantia eventuum* est Superstitio, qua quis ex cujusdam rei impertinentis occursu bona, vel mala sibi, aut aliis eventura ominatur, & inde actiones suas dirigit observans facta, verba, loca, dies, tempora, occursum hominis, cadaveris, animalis, garritum aviculæ, & hujusmodi. *Ita in re communis.*

54 Unde hujus Superstitionis rei evadunt, qui in ludo mutant locum, aut chartas ad evitandam malam ludi fortunam: Qui ferunt lignum particulare ad lucrandum in ludo: Qui nolunt adire convivium, in quo cum suo interventu sint tresdecim, eo quod unus certo credatur brevi moriturus, uti e tredecim convivis in ultima cœna unus mortuus est, Christus scilicet, aut Judas. Qui in nocte S. Joannis orant, ut in somno appareant illi quibus nubere debeant. Qui credunt se non ducturos uxorem eo anno, quo coram se ignis fuit coopertus cineribus. Qui scopas invertunt, ut mulier de qua suspicantur, quod sit Saga, si talis sit, abire non possit, nisi gressu averso, seu cancrino. Aut certam schedam affigunt januæ, ut ad eam cogatur venire fur. Qui cum gallina instar galli cantat, credunt malum imminere. Qui credunt prænunciari alicui mortem, vel infortunium, dum avis mœstum canit, corvus crocitat, lepus occurrit. Qui aliquid infaustum metuunt, si videant duos Sacerdotes simul elevantes hostiam in Missa. Qui credunt gallinas fore liberas ab accipitre, si primum suum ovum detur pauperi. Qui conservant ova die Parasceves a gallinis exclusa ad extinguendum incendium, & sic de aliis fere infinitis similibus Superstitionibus, quæ ad longum adducuntur a doctissimo Patre Gobat *tom. 3. part. 4. de Superstitionibus per tot.* & ibi brevitatis gratia videndæ relinquuntur: Unde sufficiat hic tradere ex communi doctorum quasdam regulas generales, ex quibus facile cognosci potest, quænam sint veræ Superstitiones, & quandonam sint mortales, vel veniales.

Regula prima. *Quoties tribuitur, seu creditur inesse vis aliqua rebus, verbis, factis, signis, figuris, characteribus, & hujusmodi ad aliquem effectum, ad quem talem vim, nec a natura sua, nec a Dei, vel Ecclesiæ institutione habent, semper est Superstitio.* 55

Regula secunda. *Quoties preces, characteres signa, aut ignota sunt, aut vana, vel frivola, vel falsa: Aut si nota, bona, & sancta sint, sunt tamen eis admixtæ circumstantiæ, certi modi, numeri, temporis, loci, personæ, & aliæ vanæ, inutiles, & omnino impertinentes ad talem effectum, qui intenditur, semper est Superstitio.* 56

Regula tertia. *Quoties ex rebus, verbis, factis, scriptis, signis etiam de se bonis, & sanctis promittitur, & creditur infallibiliter obtinendus effectus intentus, & aliunde neque ex Dei, neque ex Ecclesiæ institutione inest ipsis dicta virtus infallibiliter præstandi talem effectum, semper est superstitio.* 57

Regula quarta. *Quoties res Sacræ adhibentur ad effectus vanos, & inutiles, aut signa, seu res vanæ, vel inutiles adhibentur ad effectum qualemcumque obtinendum, est semper Superstitio.* Deus enim non immiscet se rebus vanis, & ridiculis, adeoque effectus non potest expectari, nisi a dœmone. 58

Regula quinta. *Quando prudenter dubitatur an effectus productus proveniat a naturali occulta vi rei, vel an a vi superstitiosa, & diabolica? potius judicandum est esse a vi naturali occulta rei, adeoque non esse Superstitionem;* Miræ enim sunt naturalium causarum virtutes, præsertim herbarum, lapidum & hujusmodi, etiam viris doctissimis incognitæ, adeoque licet nobis sit virtus illa ignota, vel dubia, non est a nobis statim censenda superstitiosa, donec resciatur non esse a virtute naturali occulta, cum in tali dubio simus in posses- 59

(*1) Cur Oratio Manasse, ac libri tertius, ac quartus Esdræ nomine prænotati ad calcem Sacrorum Bibliorum Vulgatæ Editionis Clementis VIII. auctoritate publicatæ recusi fuerint, exponitur in admonitione iisdem præmissa his verbis: „ Oratio Manasse, necnon libri duo, qui sub libri tertii, & quarti Esdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra scilicet seriem canonicorum librorum, quos sancta Tridentina Synodus suscepit, & pro Canonicis suscipiendos decrevit, sepositi sunt, ne prorsus interirent, quippe qui a nonnullis sanctis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Bibliis Latinis tam manuscriptis quam impressis reperiuntur. „ Vide Calmeti Dissertationes in lib. III. & IV. Esdræ. Verba porro relata ab Auctore, ex quibus Angelus Uriel nominatur ex vers. I. cap. IV. lib. IV. sumpta sunt, qui liber & anilibus fabulis, & erroribus scatet.

sessione Juris ad utendum hujusmodi rebus: Consulunt tamen doctores cuilibet, qui ejusmodi re dubia uti vellet ad aliquem effectum, ut expresse protestetur, si ulla vis diabolica inibi insit, nolle se effectum consequi. (*) Præterea dubium deponendum antea est. Neque enim nobis fas est uti medio, de quo, utrum licitum sit, an non, dubitamus. (*)

60 Regula Sexta. *Quando certo probabiliter constat rem applicatam ad effectum aliquem non habere ullam vim naturalem ad illum causandum; Dubitatur tamen an habeat vim a Deo, vel a dæmone, censenda est Superstitio saltem ex pacto implicito cum dæmone.* Nec in tali casu, ubi constat certo de inefficacia rei, seu mediorum, prodest protestatio, cum sit contraria facto.

61 Regula septima. *Quando ab aliquo homine bonæ famæ, magnique ingenii, aliquid mirum efficitur, potius censeri debet fieri naturaliter, vel supernaturaliter, quam Superstitiose, & diabolice;* Nemo enim præsumendus est malus, nisi probetur talis, *can. In cunctis* 52. *caus.* 11. *quæst.* 3. *cap. Mandata* 6. *& cap. Dudum* 17. *de præsumptionibus*. Tum quia quandoque etiam maxima sanctitas operantis, vel alia urgentissima indicia suadent aliquid fieri supernaturaliter, & per miraculum, Deo per sanctos suos operante.

62 Regula octava. *Pro vere Superstitiosis, aut saltem valde suspectis mediis ad aliquid obtinendum, vel impediendum, habenda sunt omnia illa, quibus tamquam necessariæ adhibendæ sunt, seu admiscentur circumstantiæ vanæ, ineptæ, & ridiculæ.*

63 Regula nona. *Omnis Superstitio, quæ fit cum pacto expresso cum dæmone, seu cum expressa invocatione ejusdem, aut voce, aut signo, aut ipso facto, adhibendo scilicet signa, quæ quis scit a dæmone esse instituta, ac ipsum per illa operari, sive deinde secum ipso, sive cum alio conventa sint, est semper peccatum.*

64 Regula decima. *Superstitio, quæ fit cum pacto implicito tantum cum dæmone, seu cum implicita tantum, & tacita invocatione ejusdem, quamvis ex genere suo sit peccatum mortale; ex simplicitate tamen, vel ignorantia culpabili, sed tamen levi, & non crassa, seu affectata, & simplici curiositate, ex levitate actus, ex defectu integræ credulitatis, seu certæ fidei, frequentissime redditur solum veniale.* Si enim fiant actiones de se superstitiosæ ex simplicitate, vel ignorantia etiam vincibili, non crassa, nec affectata, sunt quidem ex defectu requisitionis debitæ, culpabiles venialiter, at non mortaliter. Item non mortaliter peccat, qui in re levi ut signo, vel medio superstitioso habito ex sola curiositate experiendi causa, verbi gratia semel, vel iterum faciendo annulum moveri super filum, aut alibi ad latera vasis. Item non peccat mortaliter, qui utitur similibus signis, rebus, seu verbis, aut characteribus solum ex levitate joci, vel risus causa, nullo expectato eventu, qualia multa jocosa fieri solent in certis vigiliis; Tunc enim non est vera Superstitio, quia licet supradicta instituta sint a dæmone, si tamen joco, & non serio expectando eventum, usurpentur, irrisio potius est, quam invocatio dæmonis; Item non peccat mortaliter, qui absque integra credulitate, seu certa fide, & vana solum formidine in agendis, vel cavendis observat hujusmodi vana signa, & alia similia, cum non videatur gravis ordinatio aliquid operari, vel cavere ob metum vanum conceptum ex somniis, ex sternutatione, auris tinnitu, cantu corvi, vel noctuæ, occursu vulturis, seu leporis, & hujusmodi absque certa fide. (*) Consulatur Antoine in tractatu de virtute Religionis cap. v. art. 1. quæst. vI. ubi docet 2. mortaliter peccare illos „ qui ad aliquid obtinendum media inepta & improportionata adhibent, etiam joci caussa, sed ex quadam curiositate, ut experiantur quid casu accidat, quamvis putent totum esse vanum & futile; nam ii tentant experiri, an dæmon de facto se illis mediis immisceat: ergo tentant cum dæmone societatem habere, quod mortale est, etsi joco fiat. „ (*)

Maleficium (quod a *male & facio* dictum est) est superstitio, qua per certa signa, & media, opera, & potestate dæmonis proximo, vel in se, vel in suis nocumentum infertur. *Ita in re Communis.* 65

Maleficium est duplex, nempe veneficum, & amatorium. *Communis.* 66

Maleficium *veneficum* est illud, quo per certa hujusmodi signa, vel media ope dæmonis hominibus in ipso corpore, vel rebus suis nocumentum infertur, & hoc utuntur malefici, ut reddant homines infirmos, proles languidas, pecora morbida, feminas steriles, & conjuges impotentes ad inter se coeundum, quod communiter maleficium ligaminis appellatur. Item ad afferendas non semel mortes pueris, & hominibus, & animalibus; Item ad causandas tempestates, pluvias immodicas, ad destructionem fructuum, & ad alia gravissima hominum damna. Maleficium *amatorium* est illud, quo per certa hujusmodi signa, vel media, ope dæmonis immutatio in affectibus causatur; Et hoc utuntur malefici ad excessivos, vel impotentes amores carnales excitandos, seu econtra ad capitalia odia, præsertim inter conjuges causanda, dæmone hominum phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Dicitur autem maleficium simpliciter amatorium a potiori parte, seu principaliori animæ, videlicet amore, & casu frequentius contingente. 67 68

Numquam licet maleficium solvere novo maleficio, nempe applicando novum signum magicum, quo dæmon moveatur ad novum aliquod operandum ad prius maleficium tollendum. Sic non licet petere, vel jubere magum, aut sagam, ut maleficium novo maleficio solvat; Hoc enim est intrinsece malum, adeoque &c. *Communis.* 69

Item graviter peccat, qui petit a mago, seu saga, aut ab alio, ut maleficium solvat, si sciat nonnisi per aliud maleficium dissolvi posse. *Communis* per rationem mox adducendam. 70

Item graviter peccat, qui petit, seu jubet dissolutionem maleficii, si dubitet, an solvi possit sine novo maleficio. *Communis.* Et ratio clara est, quia numquam licet petere, jubere, vel quomodolibet alterum inducere ad id, quod ab eo sine peccato fieri non potest, uti est maleficium alio maleficio solvere. 71

72 Immo neque id licet permittere, quamvis maleficus se se offerat non rogatus ad maleficium alio maleficio dissolvendum. *Communis*. Sic enim consentiendo esset concurrere ad intrinsece malum; Unde Apostolus *Ad Romanos* 1. sic habet: *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

73 Quando constat, quod maleficus potest licito modo, absque novo maleficio prius maleficium dissolvere, licitum est petere, immo jubere ut solvat, quamvis suspicetur, seu credatur id facturum per novum maleficium: *Communis*, contra paucos (*). Et ratio est, quia cum habeam jus in tali casu petendi quod ab alio recte præstari potest, & est indifferens, imputabitur illius malitiæ, si id cum peccato faciat.

74 Licitum est ad dissolvendum maleficium adhibere aliquod signum positivum contrarium maleficio ex pacto conditionato diaboli: dummodo illud signum de se sit honestum, vel indifferens, verbi gratia, si dæmon sit pactus cum malefico, ut tandiu duret maleficium, quandiu maleficiatus se Cruce non signet, non confiteatur, non communicet, non lavet manus, & hujusmodi, licet non tantum se cruce signare, confiteri, communicare, sed etiam manus lavare, & hujusmodi non quidem intentione eo modo, vel signo aliquid efficiendi ope dæmonis in se, vel in alio, sed præcisa intentione dissolvendi pactum diabolicum, ac impediendi signum magicum noxium, sicque solvendi maleficium, quod vere licitum est, cum talis intentio sit bona, & medium ac signum sit licitum. Sic pluribus congestis Suarez *tom.1.de Relig. lib.* 2. *c.* 17. *num.* 19. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.*41. *num.* 5. Lessius *de Justit. & Jur. lib.*2. *c.*144.*dub.*6. *num.* 45. Martinus Delrius *disquisit. magic. lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 2. Laym. *lib.* 4. *tract.*10. *cap.*4. *num.* 9. Castropal. *tract.* 17. *d.* 1. *p.* 11. La Croix *lib.* 3. *part.* 11. *num.* 42. cum Busemb. & aliis ibi citatis, Sporer *loc. cit. sect.* 4. *num.* 41. Tamburin. *lib.* 2. *cap.* 6. §. 2. *num.* 13. & alii recentiores passim. Unde Tamburinus *loc. cit. num.* 17. Sporer *loc. cit. num.* 42. La Croix *loc. cit. num.* 42. & alii recte docent non peccasse peccato superstitionis quemdam lepidum rusticum, qui cum audisset dæmonem pactum fecisse cum quodam sene avaro ut nemo suum thesaurum terra defossum invenire, & aufferre posset, nisi qui supra locum bona pulte se reficeret, vinumque hilariter biberet, ibidem pultem comedit, vinumque bibit, & thesaurum invenit, ac abstulit.

75 Hinc docet communis opinio, ut testatur praxis universalis, quod vere licitum sit sine novo maleficio tollere signa magica, verb. gr. ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia hujusmodi eo fine, ut diabolus nocere desinat; Et hoc tum in contemptum diaboli, atque magicæ superstitionis, tum in odium facinoris, quo maleficus ea posuit, veluti tesseram sui pacti cum dæmone: Immo non tantum id licitum est, sed & meritorium, ut recte docet Scotus *in* 4. *dist.* 32. *q. unica*, dicens quod ridiculum sit quærere: *An liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum*; *Non enim* (inquit) *solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli*.

Vere superstitiosi sunt denunciandi; Ut tamen 76
eorum Superstitio pariat onus denunciationis, duo requirit: Primo, ut adsit expressa vel tacita dæmonis invocatio. Secundo, quod sit mortaliter peccaminosa. Lupus *part.* 3. *lib.* 15. *art.* 3. *differ.* 2. *pag.* 257. Felix Potestas *tom.* 2. *p.* 2. *num.* 234.

Præcipua remedia spiritualia adversus maleficia 77
adhibenda decem passim a doctoribus assignari solent. I. Magna fides, & plena fiducia in Deum, ejusque divinam protectionem. II. Oratio præsertim conjuncta cum jejunio, ut patet ex verbis Christi *Matth.* 17. *num.* 20. ibi: *Hoc autem dæmoniorum genus non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium*. III. Susceptio baptismi, si quis nondum sit baptizatus. IV. Confessio Sacramentalis peccatorum, loquendo de baptizatis. V. Sumptio Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti. VI. Devota invocatio Sanctissimi nominis Jesu, Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Angeli Custodis, aliorumque Sanctorum. VII. Signum Sanctæ Crucis. VIII. Reliquiæ Sanctorum, Agnus Dei, Cerei Sacri, Panis, Sal, aliæque res rite ab Ecclesia benedictæ. IX. Aqua benedicta. X. Exorcismi ab Ecclesia ad id instituti, & approbati.

Pœnæ statutæ contra maleficos, divinatores, 78
aliosque similes superstitiosos, sunt illæ assignatæ *supra a num.* 39. *ad* 42. contra Sortilegos, servata proportione secundum majorem, vel minorem gravitatem delicti; Et advertendo, quod Deus *Exodi* 22. *num.* 8. sic expresse decrevit: *Maleficos non patieris vivere*, per maleficos intelligens omnes habentes pactum (etiam tacitum) cum dæmone, ut recte notat Suarez *de Religion.tom.*1.*tract.*9. *lib.* 2. *cap.* 19. Gobat *tom.* 3. *part.* 4. *de superstitionibus n.*1040.& alii. Et *Deut. cap.*18. *n.*10. *cum seq.* statuit gentes integre delendas esse propter Superstitiones expressas *ibid. num.* 10. & 11. inter quas sunt observatores somniorum, augures, aliique similes superstitiosi. Item multæ sunt pœnæ decretæ contra ipsos in Sacris Canonibus apud Gratianum *tota causa* 26. & in Codice Justiniani *lib.*19. *tit. de Maleficis*, & *Mathematicis*, & *ceteris similibus*.

Judex competens maleficorum, divinatorum, 79
sortilegorum, aliorumque superstitiosorum, si rei sunt Ecclesiastici, aut laici quidem, sed qui Superstitioni addiderint hæresim, est solus Ecclesiasticus ut per se clarum est: Si autem laici superstitioni hæresim non addiderint, tunc etiam laicus est

Notæ Rom. Theol.

(*) Si constet, maleficium posse licito modo tolli absque novo maleficio: ergo non suspicatur, nec credit quis id tolli per aliud maleficium: at si ita suspicatur, & credit, peccat, ut habetur *num.* 71.

est Judex competens, & datur locus præventioni cum crimen maleficii, seu superstitionis sit mixti fori ex quo contra ipsum, non tantum in Jure Canonico, sed etiam in Civili statutæ sint pœnæ, ut patet *in codice toto titulo de Maleficis & Mathematicis, & ceteris similibus*. Sic Abbas *in cap.* 2. *de sortil.* Gregorius de Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 3. *p.* 4. Gobat *loc. cit. n.* 1048. Delrius *lib.* 5. *disquisit. Magic.* & alii passim *supra num.* 43. & 44.

80 Confessarii suos pœnitentes reos de aliqua Superstitione, divinatione, magia, incantatione, maleficio, & hujusmodi, debent specialiter interrogare de sequentibus. I. Quo fine tali Superstitioni se addixerint, v. g. an ratione vehementis passionis, tristitiæ, vindictæ, luxuriæ, avaritiæ, aut sanctitatis nomen conciliandi, quæ esset sacrilega hypocrisis. II. De Idololatria, an dæmonem loco Dei habuerint, eique obtulerint sacrificia, aut preces fuderint. III. de apostasia, an Deo, & B. Mariæ Virgini, Sanctis, vel Fidei Sacramentis renunciaverint. IV. De hæresi, an crediderint dæmonem esse Deum, esse adorandum, non esse damnatum; eique adhærentes non esse damnandos, seu alios articulos nostræ veræ Fidei abnegaverint. V. De blasphemiis in Deum, Christi humanitatem, B. Mariam Virginem, & Sanctos. VI. De sacrilegiis, an sacra, & præsertim Eucharistiam profanaverint, aut iis indigne usi fuerint. VII. De luxuria, & nefandissima commixtione cum dæmonibus incubis, vel succubis, ut solent lamiæ, & striges. VIII. De damnis proximo illatis in segetibus, animalibus, hominibus, & præsertim infantibus & sponsis, si nocuerint per maleficia, ligamina, incantationes, & hujusmodi.

81 Insuper Confessarii debent eos monere de infrascriptis suis obligationibus. I. Quod ipsi tenentur pactum expressum, si quod habent cum dæmone, aut commercium penitus statim dissolvere. II. Comburere, aut Confessario consignare chirographum, seu signum, si quod habent. Non est tamen necesse ut malefici pœnitentes curent sibi a dæmone restitui tale chirographum, vel signum, si ipse habeat, quia per veram pœnitentiam sufficienter recedunt a pacto, illudque totaliter dissolvunt. III. Libros suos, schedas, ligaturas aliaque instrumenta superstitiosa magicæ artis comburere, seu consignare Confessario. IV. Omnia damna illata resarcire omni modo possibili juxta regulas generales restitutionis ex damno dato; ad quod proinde etiam tenetur Fiscus (ubi veneficorum bona confiscantur) uti & heredes, si ad eos bona deveniant. V. Excommunicationem in Bulla Cœnæ incurrisse, si suis superstitionibus formalem hæresim addiderint, ideoque non posse absolvi a Confessario non habente facultatem specialem absolvendi ad hæresi. Secus vero, si non fuerunt formales hæretici, vel apostatæ, aut idololatræ, juxta dicta *supra num.* 9.

82 Quoad ea, quæ concernunt astrologiam Judiciariam. Vide verb. *Astrologia, Astrologus per tot.* ubi late de omnibus.

SURRIPIENTES.

Surripientes, asportantes, aut apud se retinentes Hostias, vel particulas consecratas, curiæ sæculari tradi debent puniendi. Bened. XIV. tom. 1. Constit. 93. incip. *Ab Augustissimo* §. 1. 1
Et si Ecclesiastici sint, sunt degradandi, & curiæ sæculari tradendi. Idem *ibid.* Etiam pro prima vice; 2 3
etiam minores 25. annis dummodo vigesimum attigerint. Idem *ibid.* Rejectis exceptionibus de non 4
consecratione, aut de honesta intentione, nisi ab ipsis reis probentur. Idem *ibid.* §. 4. & 5.

Insuper attendenda est sanctio Clem. XIII. in Const. 5
incip. *Gravissimum*, in qua confirmatis Apostolicis Constitutionibus contra surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel Particulas consecratas, editis ab Innocentio XI. anno 1677. quarto Idus Martii Pontificatus sui anno I. & ab Alexandro VIII. Anno 1690. undecimo Calendas Februarii Pontificatus sui Anno II. & a Benedicto XIV. Anno 1743. tertio Nonas Martii Pontificatus sui Anno IV. decernitur, ut hujusmodi criminis reis constitutis, sincera delicti Confessio facta in primo generali interrogatorio, nil suffragetur ad minuendam pœnam traditionis brachio sæculari, in dictis Constitutionibus inflictam.

SUSPECTA DE HÆRESI PROPOSITIO. Vide verb. *Propositiones damnatæ num.* 24.

SUSPENSIO.

Quoad ejus esse, & divisionem.

Articulus I.

Suspensio est Censura Ecclesiastica, qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus Ecclesiasticos, alias sibi competentes. *Est com.* 1

Suspensio dividitur in Suspensionem ab Officio, 2
in Suspensionem a Beneficio, & in Suspensionem ab Officio, & Beneficio simul. Suspensio ab Officio 3
est, qua Clerico prohibetur exercitium suorum Ordinum, vel aliarum functionum ipsi ratione Ordinis competentium. Suspensio a Beneficio est, qua 4
Clericus prohibetur percipere fructus sui Beneficii Ecclesiastici. Suspensio ab Officio, & Beneficio 5
simul est, qua Clerico prohibentur Jura utriusque, Officii scilicet, & Beneficii.

Suspensio ab Officio, & Beneficio dividitur in 6
totalem, & partialem.

Totalis est, qua Clericus ab omni prorsus Offi- 7
cio

cio Ecclesiastico, vel a perceptione omnium omnino fructuum beneficialium suspenditur; sic colligi-
8 tur ex *cap. Tuarum, de privileg. & Clement.* 1. *de Decimis*. Partialis ab Officio est, qua Clerico prohibetur aliquis tantum sui Officii actus, ut cum Sacerdos suspenditur solum ab exceptione Confessionum, vel Episcopus solum a Collatione Ordinum; isti enim possunt omnes alios actus sibi competentes ratione Ordinis exercere. Et partialis a Beneficio est, qua Clericus ab aliqua tantum parte fructuum Beneficialium suspenditur, ut a tertia, vel quarta parte illorum. Nec in una includitur alia, & propter hoc suspensus ab Officio determinate, non intelligitur suspensus a Beneficio, ut colligitur *ex cap. Tam Litteris* 33. *de testibus*, & *cap. Tuarum* 22. *de privil.*

9 Suspensio absolute, & sine ulla limitatione imposita, si ex adjunctis colligi nequeat, an sit ab Officio, vel Beneficio, est censenda totalis, & ab utroque simul, quia propositio indefinita æquivalet universali, nec apparet fundamentum, cur potius de Officio, quam de Beneficio debeat intelligi, sic enim est intelligenda dispositio, *cap. Cum bonæ* 3. *de ætat. & qualitat. & Clementin.* 1. §. *Quibus, de privileg.*

10 Suspensio alia est a Jure, & alia ab homine.

11 Suspensiones ab homine sunt, quæ imponuntur a Superiore Ecclesiastico pro aliqua actione parti-
12 culari, ut fiat, vel non fiat. Suspensiones a Jure sunt, quæ variis personis propter varia in Jure communi, & Constitutionibus Apostolicis sunt impositæ, & sunt præcipue quæ infra sequuntur distincte ad majorem commoditatem in diversos articulos notatæ.

Additiones ex aliena manu.

13 De suspensione ex informata conscientia agendum hic paucis est.

14 Suspensio hæc infligitur, nullis præmissis monitionibus, adeoque non censura, sed pœna est. Suspensio enim ubi est censura, requirit omnino monitiones, & ubi est pœna, eas minime requirit; *Schmalzgrueb. in Decretal. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 39. *Mayr. pariter in Decretal. lib.* 5. *tit.* 39. & *n.* 122. *Hurtad. de censur. difficult.* 18. *n.* 80. & *seq. Blund. eod. tractat. disput.* 6. *articul.* 2.

15 Potestas hæc suspendendi ex informata conscientia concessa est Episcopo a *Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 1. *de reformat.*

16 Quæstionis vero est an Episcopus ex informata conscientia suspendere valeat, tum ab ordine, tum a beneficio?

17 Fuerunt qui tenuere, Episcopum ex informata conscientia suspendere dumtaxat posse ab ascensu ad Ordines, idque quia *Concilium Tridentinum* ubi potestatem facit suspendendi ex informata conscientia, loquitur de suspensione ab ascensu ad Ordines.

18 Nihilo tamen minus Sacr. Congreg. Concilii interpres referente S. M. Benedicto XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 12. *cap.* 8. §. 3. sensit, posse Episcopum suspendere & ab exercitio Ordinis jam suscepti, ea de ratione, quod verba illa quibus facultas Episcopo data est suspendendi ex informata conscientia, repetita intelligantur ubi sermo est de suspensione ab exercitio Ordinis suscepti.

Innixi autem huic sententiæ dictæ Sacræ Con- 19
gregationis plures etiam existimarunt, posse Episcopum ex informata conscientia suspendere a Beneficio; idque quia ubi agitur de suspensione ab exercitio Ordinis suscepti, videtur simul agi de suspensione a beneficio, ut præseferunt verba illa: *Aut qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus.*

Contra alii in ea sunt opinione, ut Episcopus 20
ex informata conscientia suspendere nec valeat ab exercitio Beneficii. Confer *Vanespen. de censur. cap.* 10. *Alter. eod. tractat. tom.* 2. *disp.* 12. *c.* 1.

At dicta Sacra Congregatio sustinuit suspensio- 21
nem, quam Episcopus ex informata conscientia inflixerat ab exercitio curæ in *Sagonen.* 21. *Junii* 1625. *Episcopus Sagonensis* (sunt ipsissima verba) *ex facultate sibi attributa Decreto Concilii cap.* 1. *sess.* 14. *ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio curæ, sed ille appellavit, & præcepto Episcopi contempto celebravit, & curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, itaut Parochus non obstante appellatione interposita per exercitium curæ effectus fuerit irregularis? Sacra Congregatio Concilii censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, & Parochum, qui Sacramenta ut supra administravit, irregularitatem contraxisse.*

Hæc vero resolutio aliquam difficultatem in eo 22
pati videtur, quod contrahat irregularitatem, qui violat suspensionem hanc ex informata conscientia. Contrahitur enim irregularitas ex violatione 23
suspensionis, quæ sit censura, non item ex violatione suspensionis, quæ sit pœna, uti est suspensio ex informata conscientia.

Quidquid autem hujus rei sit, adhuc decisum 24
haud est, an Episcopus suspendere queat ex informata conscientia a Beneficio, sed solum decisum est, posse suspendere ex informata conscientia ab exercitio Beneficii, quæ suspensio partialis est, nec fructibus privat.

Ad pleniorem vero hujus suspensionis ex infor- 25
mata conscientia notitiam, congruum est hic subnectere epistolam a dicta Sacra Congregatione datam ad Venetum Nuntium.

Quandoquidem (sunt propria verba) *experientia compertum est, reos criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Episcoporum correctiones, querelas, & gravamina simulare. Hujusmodi itaque appellationes imposterum Amplitudo tua omnino rejici mandabit, nec ullam inhibitionem vigore appellationis relaxari permittet. Sed quoniam disciplina Ecclesiastica ac stylo inductum est, ut Judex Superior, quamvis appellationes proprie dictas eorum, qui ab Ordinario suo extrajudicialiter, & ex informata conscientia suspensi fuerint, recipere non possit, recursibus tamen aditum non præcludat, quo salva jurisdictione Episcopali, ac disciplinæ rigore caveatur, ne quis forte Episcopus potestate sua in subditos sibi Ecclesiasticos abutatur; Posthæc Amplitudini Tuæ, ac Successoribus ejusmodi recursus excipere dumtaxat licebit, servatis infrascriptis conditionibus, atque cautelis,*

Pri-

Primo namque, *non ita facile locum illis dabit, sed congrua adhibita ratione, & circumspectione, nec sane alias, quam cum vehemens suspicio subsit, quod Ordinarius auctoritate sua abusus sit, procedendo videlicet modo prædicto ad pœnam suspensionis, sine gravi causa adversus Sacrorum Canonum præscripta, & in animæ propriæ perniciem.*

Secundo; *Recursu quamvis admisso, suspensi in statu, quo erant, permaneant; illoque pendente Ordines, a quibus suspensi fuerint, exercere nullatenus valeant.*

Tertio; *Recursu ita admisso, requiratur per litteras ejusdem suspensi Ordinarius, ut irrogatæ suspensionis causas, aperire non gravetur, addita etiam promissione de servando secreto, quatenus illud justitia exigat, aut Christiana Charitas suadeat.*

Articulus II.

Suspensiones contra Episcopos.

1 Ordinantes ad Sacros Ordines Religiosos non Professos. S. P. V. Constit. incip. *Romanus Pontifex*.

2 Ordinantes Monachum sine licentia Abbatis; *cap. fin. dist.* 58. ubi Barbosa, & alii.

3 Ordinantes non subditum absque licentia proprii Ordinarii. Concil. Trid. *cap.* 8. *sess.* 23. *de reform.*

4 Conferentes Ordines Simoniace; *cap. penult. de Simonia, & Extravag. Paul. II. de Simon.*

5 Conferentes Clericalem Tonsuram infanti, aut illiterato, vel conjugato per annum a Clericalis Tonsuræ collatione suspenduntur, *cap. Nullus, de temp. Ord. in 6.*

6 Conferentes Ordines suspenso propter malam promotionem; *cap. fin. de temp. Ord. in 6. c. Si quis Episcop.* 1. *q.* 1.

7 Privantes Beneficiis eos, qui in Romana Curia commorantur. Eugen. IV. *Extrav. incip. Divina, de privileg.*

8 In proprium usum convertentes bona beneficiorum vacantium pertinentium ad eorum provisionem, *cap. fin. de officio Ordinarii in 6.*

9 Submittentes Laicis bona, & jura Ecclesiæ absque consensu Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia; *cap. Hoc consultissime, de rebus Eccles. non alienand. in 6.*

10 Alienantes bona Ecclesiæ ultra triennium. *Extravagant. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienand.*

11 Admittentes Resignationes Beneficiorum contra formam præscriptam, *Constit. Pii V. incip. Quarta.*

12 In causa alienationis bonorum Ecclesiæ male utentes delegata potestate. Paul. II. Constit. incip. *Cum Omnibus.*

13 Intromittentes se in causis spectantibus ad electionem Episcoporum, postquam appellatum est ad Papam, *cap. Quamvis, & cap. Provida, de elect. in 6.*

14 Negligentes procedere contra Simoniacos, *cap. Quidquid* 101. *q.* 1.

15 Foventes usuras, & Usurariis locantes suas domus, *cap.* 1. *de Usuris in 6.*

16 Delinquentes contra Clericorum immunitatem. *Clement.* 2. *de pœnis.*

Accedentes ad Ecclesias, ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis Litteris Apostolicis suæ promotionis. *Extravagant.* 1. *de electione.* 17

Abutentes munere Inquisitorum in causis Fidei. *Clem.* §. 1. *Verum, de hæreticis.* 18

Non servantes Extravagant. 2. de elect. quo ad perceptionem fructuum 1. vel 2. anni; *Extrav. Joan. XXII. de elect.* 19

Relaxantes Incendiariis pœnam contentam in jure, *c. Pessimam* 23. *q.* 8. 20

Publicantes Simoniace populo indicem Casuum, Gratiarum, & Indulgentiarum, Pii V. Constit. incip. *Quamprimum.* 21

Concubinarios a Synodo Provinciali admonitos, & non se emendantes Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. 22

Non visitantes Limina Apostolorum statutis temporibus. Sixt. V. Constit. incip. *Romanus Pontifex.* 23

Ingredientes Monasteria Monialium sine necessitate, & non cum paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis, uti expresse præscribit Gregorius XIII. Constit. incip. *Dubiis*, in qua transgressores pro secunda vice, munere Pontificali, & a Divinis suspendit. 24

Publicantes Indulgentias, & facultatem eligendi Confessarios solventibus aliquid. Pii V. Constit. 99. 25

Articulus III.

Suspensiones contra Capitula, seu Capitulares.

Recipientes Prælatos, eisque obedientes absque Litteris Pontificiis. *Extravant.* 1. *de election.* 1

Recipientes ex pacto in ingressu ad Religionem ab admisso prandia, pecunias, aut jocalia. *Extravagant. Sane, de Simonia.* 2

Occupantes bona a Prælato dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, *cap. Quia sæpe, de elect. in 6.* 3

Recipientes ad Professionem ante annum probationis; *cap. Non solum de Regularibus in 6.* 4

Non facientes conscientiam pœnitentibus de solvendis decimis. *Clementin. Cupientes, de pœnis.* 5

Recipientes ad Ordines Sacros non professos. Sanct. Pii V. Constitut. incip. *Romanus Pontifex.* 6

Introducentes mulieres in Monasteria. S. Pii V. Const. incip. *Regularium.* 7

Non observantes in Resignatione Beneficiorum contenta in Constitut. S. Pii V. incip. *Quanta.* 8

Usurpantes decimas sibi non convenientes. *Clem.* 1. *de Decimis.* 9

Articulus IV.

Suspensiones contra Clericos.

Recipientes Ordines Sacros ante legitimam ætatem; *cap. vel non est compos, de temp. Ordin.* 1

Recipientes tales Ordines extra tempora absque dispensatione. Pii V. Constit. incip. *Cum ex sacrorum.* 2

Recipientes ipsos Ordines, non servatis Intersti- 3

stitiis sine dispensatione, *c. Cum quidam*; *& c. Literis, de tempor. Ordinat.*

4 Recipientes Ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprii, *c.* 1. *&* 3. *dist.* 71. Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.*

5 Recipientes Ordines ab eo, qui renunciavit Episcopatui, *cap.* 1. *de Ordinato ab Episcopo qui renunciavit Episcop.*

6 Recipientes Ordines a proprio Episcopo in aliena Diœcesi sine licentia Episcopi loci. Conc. Trid. *sess.* 6. *de reformat. c.* 5.

7 Recipientes Ordines ab Episcopo Titulari absque licentia proprii Episcopi, etiam prætextu familiaritatis. Conc. Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 2.

8 Recipientes Ordines a Schismaticis, *cap.* 1. *&* 2. *de Schismatic.*

9 Recipientes scienter Ordines ab Excommunicato, vel Suspenso, *arg. cit. cap.* 1. *&* 2. *de Schismaticis.*

10 Recipientes Sacrum Ordinem post Matrimonium ratum, etiam non consummatum. *Extrav. Antiquæ, de voto.*

11 Recipientes Ordines, dum sunt excommunicati, suspensi, aut interdicti, *cap. Cum illorum, de sent. Excom.*

12 Ordinatos sine, vel ficto Titulo, *cap. Neminem, & c. Sanctorum dist.* 70.

13 Promotos per saltum. Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *de reform.*

14 Objicientes in personam electi, & postea deficientes in probatione, *c.* 1. *de elect. §. Adjicientes in* 6.

15 Ordinatos in Majoribus cum litteris Dimissoriis Capituli, sive ejus Vicarii Sede vacante infra annum, Concil. Trid, *sess.* 7. *de reform. c.* 10.

16 Celebrantes coram Excommunicato, vel Interdicto, *c. Episcoporum, de Privilegiis.*

17 Parochos non prohibentes Matrimonia Clandestina, vel contra Interdictum Ecclesiæ, *c. Cum inhibiti §. fin. de Clandestinis desponsat.*

18 Tradentes sepulturæ publicos usurarios, *cap. Quia in omnibus, de usuris.*

19 Parochos jungentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia. Concil. Trid. *cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. Matrimon.*

20 Abutentes vestibus contra statuta a jure. *Clem.* 2. *de vita, & honestate Clericor.*

21 Occupantes bona Ecclesiarum vacantium, vel a Prælatis ipsarum defunctis relicta, *c. Quia sæpe, de elect. in* 6.

22 Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas, *c.* 2. *de solutionib.*

23 Electores Episcoporum non præsentantes electionem electi intra 8. dies, *c. Cupientes de elect. in* 6.

24 Eligentes indignum ad Episcopatum, vel Curam animarum, *c. Cum in cunctis, de elect. in* 6.

25 Postulantes in Prælatos Cathedralium Minores 28. annis *Extrav. unic. de Postulat. Prælator.*

26 Compromissarios scienter eligentes indignum, *capit. Compromissarium, de elect. in* 6.

27 Celebrantes electionem per abusum sæcularis potestatis, *c. Quisquis* 13. *de elect.*

28 Inferiores Episcopis recipientes in Visitationibus procurationem in pecunia, vel in victualibus Visitationis Officio non impenso, *c. Exigit, de Censibus in* 6.

Facientes in Judicio per sordes aliquid contra justitiam, & conscientiam in gravamen partis, *c.* 1. *de sentent. & re judicata in* 6. 29

Conferentes Beneficia eorum, qui serviunt in Curia, vel eadem recipientes. *Extravag.* 3. *de Privileg.* 30

Conservatores Regularium se intromittentes in aliis, quam manifestis injuriis, *cap. fin. de Offic. & potestate Judicis delegat. in* 6. 31

Concubinarios notorios; *cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* 32

Occupantes bona, Census &c. Ecclesiæ, Beneficii, vel alterius pii loci, & occupantibus consentientes. Concil. Trid. *c.* 11. *sess.* 22. *de reform.* 33

Sodomiam exercentes. S. Pii V. *Constit.* 5. *&* 72. *in ordine.* 34

Consequentes ordines simoniace, & Simoniam aliter committentes. S. Pii V. Constit. incip. *Cum primum, & Extravag. Pauli II. de Simonia.* 35

Provocantes ad duellum, vel illud acceptantes, *c.* 1. *de Cleric. pugnant. in duello.* 36

Sponte jurantes de tenendo Schismate, *c.* 1. *de Schimatic.* 37

Raptores mulierum, & ad raptum auxilium præbentes. Concil. Trident. *c.* 6. *sess.* 26. *de reform. Matrim.* 38

Disputantes de Immaculata Conceptione B. M. V. S. Pii V. Constit. incip. *Super specula*, aut impugnantes illam, Gregor. XV. Const. 29. inc. *Sanctissimus.* 39

Recipientes, & admittentes Prælatos promotos a Sede Apost. eisque obedientes sine Litteris Papæ. *Extrav.* 1. *de elect.* 40

Superiores Ecclesiarum non exigentes singulis annis rationes de adimplemento onerum Missarum. Innocent. XII. Constit. incip. *Nuper a Congregatione.* 41

Celebrantes Missam, & in ea non communicantes, *c. Relatum, de consecrat. dist.* 2. 42

Non perficientes sine gravi causa Missam jam inchoatam, *c. Nullus Episcopus* 58. *de consecr. dist.* 1. 43

Articulus V.

Suspensiones contra Religiosos.

Recipientes Alumnos ad Professionem ante annum probationis, *cap. Non solum de Regular. in* 6. 1

Non deferentes Habitum a Regula statutum. *Clem.* 1. *§. Si quis, de statu Monachor.* 2

Apostatas in Apostasia Ordines suscipientes, *cap. fin. de Apostat.* 3

Non Professos recipientes Ordines Sacros. S. Pii V. *Constit.* 75. 4

Ejectos a Religione. *Urban. VIII. Constit.* 26. *§.* 10. 5

Introducentes mulieres intra Clausuram Conventuum. *S. Pii V. Constit.* 20. 6

Appropriantes sibi, & usurpantes Decimas ipsis convenientes. *Clem.* 1. *de Decimis.* 7

Superiores concedentes reditus, aut possessiones Mona- 8

Monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat. *Clem. de rebus Eccl.*

9 Superiores non exigentes singulis annis a Deputatis pro Libris Missarum rationem de adimplemento totali onerum earumdem. Innocent. XII. Constit. incip. *Nuper a Congregatione*.

10 Superiores, ad quos occasione excessuum suorum Religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfacientes personis damnificatis. *Clem.* 1. §. *Quibus de privileg.*

Articulus VI.

Suspensio quoad eos, qui possunt suspendere, vel suspendi.

1 Suspensio potest infligi in primis a Summo Pontifice, & Episcopis, *c.* 1. *& cap. Conquerente* 16. *de Officio Ordinarii*. Et ab omnibus, & solis illis, a quibus potest infligi excommunicatio; Eadem enim est potestas jurisdictionis ad ferendas omnes Censuras, cum omnes ordinentur ad eundem finem; scilicet ad coercendam contumaciam, & inobedientiam subditorum rebellium. Et suspensio pariter, sicut Excommunicatio regulariter est scripto ferenda, *c.* 1. *de sentent. Excomm. in* 6.

2 Omnes, & soli Clerici præter Papam possunt Suspensionem incurrere. Hæc enim est Censura propria Clericorum, ad differentiam Excommunicationis, & Interdicti, quæ sunt Censuræ communes Clericis, & Laicis: Episcopi vero hanc Censuram non incurrunt, nisi eorum fiat expressa mentio ex privilegio eis concesso, *cap. Qui periculosum* 4. *de sentent. Excomm. in* 6.

3 Non solum personæ singulares, sed etiam tota Communitas, seu Collegium Clericorum potest suspendi, ut constat ex *cap. sæpe de elect. in* 6. Suspensio autem in communitatem, seu Capitulum dupliciter ferri potest, vel collective, ut si totum Corpus Capituli habens jus alicujus Beneficii Jurisdictionis, & administrationis, ab eo suspendatur. Vel distributive, ut singuli e corpore Capituli, dummodo noxii sint, eamdem pœnam Suspensionis incurrant. Et interdum hi duo modi suspendendi, collective, & distributive conjunguntur, uti patet *in cap. Ne sede vacante, & cap. Quia sæpe* 40. *de elect. in* 6. ubi tam totum corpus capituli, quam singuli e corpore ipsius bona Prælati defuncti occupantes, vel diripientes ab Officiis, & Beneficiis suspenduntur, donec restituant.

Articulus VII.

Suspensio quo ad ejus effectus.

1 Si suspensus aliquem actum, a quo est suspensus, exerceat, graviter peccat, si materia est gravis, & si durante Suspensione actus Ordinis exerceat, ipso facto incurrit irregularitatem, ut habetur *in cap.* 1. *de sentent. & re judicat, & cap.* 1. *de sentent. Excommun. in* 6.

2 Suspensus ab Officio, & Beneficio non potest eligere, & est incapax Beneficii Ecclesiastici, & provisio ei facta est nulla, sicuti constat *ex cap. Cum dilectus, de Consuetud.* Cum enim Beneficium detur propter Officium, non recte confertur ei, qui Officium præstare non potest, *cap. ult. de Clerico excomm. ministrant.*

Suspensus ab Ordine, & Beneficio voluntarie, & scienter violans Suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab Officio, & Beneficio est deponendus, ut colligitur *ex cap. Clerici, & cap. Latores, de Clerico excomm.* 3

Si Suspensus a Beneficio audeat se ingerere usurpando fructus ejusdem Beneficii, graviter peccat, & tenetur ad illorum restitutionem; cum hac distinctione, quod si sint fructus Præbendæ, sunt restituendi Ecclesiæ, vel pauperibus; si vero sint fructus quotidianarum distributionum ob assistentiam Divinis Officiis, sunt restituendi iis, qui adstiterunt Divinis Officiis, juxta textum *in c. Si quis deinceps* 17. *q.* 4. Et præter hoc onus restitutionis, & grave peccatum usurpans hos fructus contrahit perpetuam privationem Beneficiorum, ex textu *in cap.* 1. §. *ultim. & cap. Cupientes vers. Ceterum, de elect. in* 6. 4 5

Si quis Suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare Divina, est deponendus, non solum ab Officio, sed etiam a Beneficio; sic expresse habetur *in cap. Ut Clericorum, verb. Si quis, de vita, & honestate Clericor.* 6

Suspensus a Minori Ordine non potest ad Majores ascendere, nisi prius absolvatur, quia suspensus ab Ordine inferiore censetur etiam suspensus a Superiore, non vice versa; nam cui non licet quod minus est, non debet licere quod est majus, *arg. l. Legatorum §. Ultim. ff. de interdictis*, ubi expresse habetur: *Est enim perquam ridiculum, eum qui Minoribus honoribus pœnæ causa prohibitus est, ad Majores aspirare; Majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.* 7

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si celebrat in ea, fit Irregularis, & si moritur impœnitens durante Suspensione, caret Ecclesiastica sepultura, *cap. Is cui, de sentent. excomm. in* 6. 8

Suspensus ab Officio, Ordine, & Jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus; ita ut nullibi possit exercere actus illius potestatis, a qua fuit suspensus, donec absolvatur: quia Censura afficit immediate personam, ideoque eam comitatur etiam extra territorium ferentis, uti notant Doctores cum Glossa in *cap. Pastoralis §. Verum, de appellat.* 9

Sciendum tamen est, quod ordines, & alii actus per suspensionem prohibiti sunt validi, exceptis electionibus, *cap. Cum dilectus, de consuetud. cap. Cum inter* 16. *de election.* Et exceptis actibus Iurisdictionis, & per hoc absolute suspensus invalide absolvit; Absolutio enim a sic suspenso data est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia Jurisdictionem supplet *, *arg. can. Infirmis* 1. *caus.* 3. *quæst.* 8. *l. Barbarius* 3. *ff. de Officio Prætor.* 10

Sus-

Notæ Rom. Theol.

* Non sufficit error communis, sed requiritur etiam titulus coloratus, ut alias diximus.

11 Suspensio a divinis inflicta pendente appellatione declarata fuit invalida à *Sac. Congr. Concil. in Amalphitana* 19. Augusti 1724. apud Thes. *Resol. Sacr. Congr. Concil. tom.* 3.

Articulus VIII.

Suspensio quoad modos, quibus tollitur.

1 Suspensio inflicta propter contumaciam cum hac lege tacita, vel expressa, ut suspensus non possit prius absolvi, quam a contumacia, seu inobedientia recedat, tollitur per absolutionem.

2 Quæ absolutio a tali Suspensione Juris potest dari ab Episcopo, vel alio quasi Episcopali Iurisdictione prædito, si non sit specialiter reservata Pontifici, *arg. cap. Nuper, de sentent. Excomm. & cap. Ex litteris, de constitut.*

3 Suspensio imposita ad determinatum tempus, v. gr. ad annum, vel sub conditione: *Donec restituerit*, elapso tempore, vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia Superioris declaratione. Sic Glossa recepta *in Clem.* 1. *De Decimis verb. Donec, & in cap. Quia sæpe, de elect. in 6. verb. Donec.*

4 Sespensio lata præcise ut pœna alicujus patrati delicti tollitur per dispensationem, quæ dispensatio dari solum potest ab auctore canonis, aut ejus successore, delegato, vel superiore, non autem ab inferiore, sive suspensio lata sit a Jure, sive lata ab homine, sive lata sit ad determinatum tempus, sive sine temporis limitatione, quia sicut legem superioris, ita & annexam ei pœnam inferior solvere non potest. Glossa *in cap. Cupientes §. Ceterum verb. Suspensus, de elect. in 6.*

5 Pro suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba, unde sufficiunt quæcumque verba apta ad illam exprimendam, quocumque idiomate proferantur. Ex usu tamen Ecclesiæ consueto hæc, vel similis forma adhiberi solet: *Absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi ob talem, vel talem causam, & restituo te pristinæ executioni tuorum ordinum, vel officiorum.*

6 Prius autem, quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cetero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, ut habetur *in cap. Super eo* 1. *cap. Venerabili* 52. *de sent. excomm.* Et si crimen, propter quod incursa est Suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensæ, ut habetur *in cap. Porro, & in cap. Parochianus, de sent. Excommunicat.*

SUSPICIO. Vide verb. *Judicium temerarium a num.* 13. *ad* 14.

SUSURRATIO. Vide verb. *Detractio artic.* 1. *num.* 10.

SYMBOLUM.

Symbolum dictum est a *Syn*, quod est simul, & *Bolus*, quod est morsellus, quia nempe Symbolum Apostolorum, quod est primum, & a quo cetera appellantur Symbola, confectum est ab omnibus simul Apostolis, singulis eorum aliquem morsellum, seu particulam quamdam apponentibus. Sic Glossa in *Rubr. titul. de summa Trinitate circa finem*, & alia Glossa *in cap. Canones* 1. *verb. Apostolo distinct.* 15. & Canonistæ passim, non desunt tamen qui dicant, quod Symbolum græce, sonet latine indicium. Et sic Symbolum fidei sit quoddam indicium, sive signum, vel tessera, aut nota Christianorum, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus nempe paganis, judæis, & hæreticis, sicut a simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus, & exploratoribus, Symbolum militare appellatur, ut docet Rufinus Presbyter Aquilejens. *fol.* 169. *in symboli Apostolici Commentariis paulo post initium*, ibi: *Symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ latine signa, vel indicia nuncupantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis, vel socius.* Cardinal. Petra *tom.* 1. *comment. in Constit.* 2. *Divi Leonis Magni, num.* 6. Card. Bellarm. *præfat. ad explicat. Symboli Apostolici*, Calepinus verb. *Symbolum*, & alii. 1

Symbolum in proposito est regula fidei, brevis, ac perfecta confessio, breve prædicationis indicium, brevis credendorum collectio. *Ita in re Communis.* Unde Sanctus Augustinus *in lib.* 1. *de symbolo cap.* 1. ait: *Est autem Catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res passa est, brevitate sermonis utque incipien-* 2

Responsio Auctoris.

Quamvis non parva sit controversia inter doctores, an sufficiat error communis sine titulo colorato, ut videre est in verb. *Confessarius art.* 1. *num.* 38. *ad* 42. inclusive; conclusio tamen mea apertissime indicat, adesse in Confessario absolute suspenso dictum titulum coloratum, cum expresse dicat: Absolutio enim a sic suspenso data, est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet. Cum enim hic Confessarius ante suspensionem occultam vere & realiter omnibus innotuerit, ut a legitimo Superiore titulo requisito ad actum absolutionis munitus se continue & publice exponens ad confessiones excipiendas, & superventa suspensio fuerit communiter occulta, certe sine alio expresso addito, ob hunc errorem communem Ecclesia supplet in hoc casu jurisdictionem. Frustra enim exprimitur, quod jam intelligitur, *leg. Cornelius* 69. *ff. de hæredibus instituendis*. Habetur etenim pro expresso, quod tacite subintelligitur, *l. Fideicommissa* 11. *§. si filio, ff. de legatis* 111. cum similibus.

pientibus atque lactentibus ..... paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, & ad divinam doctrinam ..... surgentibus.

3 Symbola principaliora, in quibus substantialiter omnia alia continentur, quatuor sunt, nempe Symbolum Apostolicum, Symbolum Nicænum, Symbolum Constantinopolitanum, & Symbolum Sancti Athanasii, cujus tamen an ipse S. Athanasius fuerit Auctor, multi dubitant, uti dicetur infra.

4 Symbolum Apostolicum sic dicitur, quia confectum fuit ab Apostolis, qui magistri orbis terrarum a Christo constituti, antequam separarentur ab invicem ad prædicanda cunctis gentibus mysteria fidei ab omnibus credenda, Spiritu Sancto afflati singillatim conferendo suas sententias, illas in unam brevem summam duodecim articulorum collegerunt, ut sic quorum una erat fides, unum baptisma, una eademque esset Evangelicæ veritatis prædicatio per universum orbem diffusa, juxta illud Propheticum *Psalm.* 118. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

5 In dicto igitur Symbolo singuli Apostoli posuerunt suum articulum, & quamvis varient doctores in assignando ordine, quo quisque Apostolus suum articulum posuit, inter omnes tamen verisimilior videtur ordo, quem tradit doctor Subtilis *in* 3. *dist.* 25. *quæst. unica* §. *Horum articulorum*. Sic S. Petrus posuit primum articulum, scilicet: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli, & Terræ;* Sanctus Joannes posuit secundum, scilicet: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum*. S. Jacobus Zebedæi posuit tertium, scilicet: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine;* Sanctus Andreas posuit quartum, scilicet: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus;* Sanctus Philippus posuit quintum, scilicet: *Descendit ad Inferos:* S. Thomas posuit sextum, scilicet: *Tertia die resurrexit a mortuis*: Sanctus Bartholomæus posuit septimum, scilicet: *Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, S. Matthæus posuit octavum, scilicet: *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos;* S. Jacobus Alphæi posuit nonum, scilicet: *Credo in Spiritum Sanctum;* S. Simon Zelotes posuit decimum, scilicet, *Sanctam Ecclesiam Catholicam Sanctorum Communionem*. S. Judas Jacobi undecimum duodecim, scilicet: *Remissionem peccatorum*: Sanct. Matthias posuit duodecimum, scilicet. *Carnis resurrectionem, & vitam æternam*. Et sic Scoti ordo fundatur in Sacra Scriptura, nam *Actorum cap.* 1. *num.* 13. hoc eodem ordine referuntur Apostoli post Christi in Cœlos ascensionem, ibi: *Et cum introissent in Cœnaculum, ascenderunt, ubi manebat Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jacobus Alphæi & Simon Zelothes, & Judas Jacobi*, Et exinde *cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis*, ibi: *num.* 26. Unde verosimilius est quod singuli Apostoli posuerint suos articulos in symbolo ab ipsis confecto juxta ordinem post Christi Ascensionem inter se observatum, & a S. Luca hic *Actorum cap.* 1. *num.* 13. relatum. (1)

Symbolum Nicænum sic dicitur, quia conditum fuit anno 325. sub Sancto Silvestro Papa a trecentis decem & octo Patribus in primo Concilio Nicæno ad majorem, & expressiorem fidei explicationem, atque expresse ad confutandas hæreses de novo insurgentes, ad quarum explicatam reprobationem Patres Sanctæ generalis Nicænæ Synodi nonnulla in suo Symbolo addiderunt verba ad Symbolum Apostolorum, ut patet inductione. Unde hic datur ad litteram, prout refertur a Ludovico Bail *in summa Conciliorum tom.* 2. *part.* 1. *Concilii Nicæni pag.* 164. 6

Symbolum Nicæni Concilii.

„ Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei ex Patre natum unigenitum idest ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt & quæ in Cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in Cœlos: iterum & venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt; Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, & quia ex iis, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia." 7

Symbolum Constantinopolitanum sic dicitur, quia confectum fuit anno 381. sub Damaso Papa a centum quinquaginta Patribus in primo Concilio Constantinopolitano, & dicto Symbolo Nicæno ad uberiorem adhuc & clariorem fidei explanationem, & novarum hæresum confutationem, quædam per primum generale Concilium Constantinopolitanum denuo apposita fuerunt, pro ut clare patet intuenti, tum supra allatum Symbolum Nicæ- 8

(*1) Apostolos, antequam Evangelii gentibus annunciandi causa ab invicem disjungerentur, veluti in Concilium coactos de cudendo Symbolo, quod omnibus fidei Christianæ tessera esset, cogitasse, certissima est Irenæi, Tertulliani, Ambrosii, ceterorumque veterum Patrum traditio, quam Laurentius Valla, Gerardus Vossius, Erasmus, idque genus hypercritici in dubium vocare frustra conati sunt. Vide Bollandianos mense Iulio ad d. xvII. ubi de Apostolorum divisione agunt. Cætera, quæ de singulis Apostolis, singulos articulos promentibus, deque ordine, quo quisque illos edidit, Auctor narrat, incerta sunt, atque antiquiora, gravioraque, quibus confirmari jure possint, monumenta desiderant.

cænum, tum sequens Symbolum Constantinopolitanum, quod ad hunc finem hic etiam ad litteram datur, prout refertur ab eodem Bail *loco citat. prima parte Concilii Constantinopolitani primi pag.* 197.

9 Symbolum Concilii Constantinopolitani.

„ Credimus in unum Deum, Patrem Omnipo-
„ tentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium
„ omnium & invisibilium conditorem. Et in unum
„ Dominum Jesum Christum, filium Dei unigeni-
„ tum, ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum
„ ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo
„ vero, natum, non factum, homousion Patri,
„ hoc est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem
„ omnia facta sunt, quæ in Cœlo, & in Terra.
„ Qui propter nos homines, & propter nostram
„ salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est
„ de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo
„ factus est: Crucifixus etiam pro nobis: sub Pon-
„ tio Pilato passus, ac sepultus, tertia die resur-
„ rexit secundum scripturas: ascendit in Cœlos;
„ sedet ad deteram Patris, inde venturus est cum
„ gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni
„ non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum
„ Dominum, & vivificantem, ex Patre proceden-
„ tem, & cum Patre, & filio adorandum, & con-
„ glorificandum, qui locutus est per Prophetas: &
„ unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ec-
„ clesiam, confitemur unum Baptisma in remissio-
„ nem peccatorum. Et expectamus resurrectionem
„ mortuorum, & vitam futuri sæculi. Amen.

10 Quibus Symbolis ad confutandum errorem Græcorum negantium Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, facta fuit additio *Filioque* primum in Concilio Toletano 1. *anno* 405. celebrato sub Innocentio Papa I. ubi dictum Concilium in Symbolo (ut refertur *in Tomo primo Concilliorum*) sic profitetur: *Credimus Spiritum quoque esse Paraclitum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedit. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paraclitus, sed a Patre, Filioque procedens.* Idemque statutum fuit in Concilio Ephesino 1. celebrato contra Nestorium *anno* 431. sub Cœlestino Papa, & relato *in can. De Spiritu* 38. *distinct.* 5. *de consecratione*, ibi: *Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, unde & ab isto similiter sicut ex Patre procedit.* Et idipsum præter alia etiam in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. *anno* 1215. celebrato fuit definitum, ac refertur *in cap. Firmiter* 1. §. 1. *de summa Trinitate, & fide Catholica*, ibi: *At Spiritus Sanctus pariter ab utroque..... procedens*, & *cap. Damnamus* 2. §. *Nos autem, eodem titulo*, ibi: *Et sic eadem res est Pater, & Filius, nec non & Spiritus Sanctus ab utroque procedens*. Et idem iterumque definitum fuit in Concilio Florentino sub Eugenio IV. celebrato *anno* 1438. & 1439. & his verbis in *decreto Unionis* expressis; *Definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam*. Et idem denique definitum, confirmatumque fuit in Concilio Tridentino sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. contra Lutheri, ac aliorum hæreticorum errores, nec non pro pace inter Principes, ac reformatione Ecclesiæ inchoato *anno* 1545. ac cum aliquandiu fuisset interruptum, finito tandem anno 1563. In cujus *sessione* 3. *in decreto de symbolo fidei* sic expresse habetur: *symbolum fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tamquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod Portæ inferi numquam prævalebunt, totidem verbis, in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem ejusmodi est*.

„ Credo in unum Deum, Patrem omnipoten- 11
„ tem, factorem cœli, & terræ, visibilium om-
„ nium, & invisibilium. Et in unum Dominum
„ Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; Et
„ ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de
„ Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo
„ vero. Genitum non factum, consubstantialem
„ Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter
„ nos homines, & propter nostram salutem de-
„ scendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu
„ Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.
„ Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato,
„ passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die
„ secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum,
„ sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus
„ est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus
„ regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Do-
„ minum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque
„ procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur,
„ & conglorificatur, qui locutus est per Prophe-
„ tas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apo-
„ stolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma
„ in remissionem peccatorum; Et expecto resur-
„ rectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi.
„ Amen. „

Symbolum Apostolicum cœpit recitari in Missa 12
a tempore ipsorum Apostolorum, ut tradunt Dionysius Areopagita *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 3. Durand. *de Ritibus Ecclesiastic. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 14. Barbosa *ad Concilium Trid. sect.* 5. *n.* 3. & alii. (1) Et

(*1) In Romana Ecclesia, atque adeo in universo orbe Christiano Apostolorum Symbolum non modo catechumenis traditum, postea ab iis ipsis reddendum, sed etiam ex veterum fidelium more recitari quotidie consuevisse, non dubitaverim. Non tamen Auctori assentior, hocce symbolum ab ipso Apostolorum tempore Romæ in Missa recitari cœpisse, affirmanti. Certe Amalarius *lib.* III. *de Eccl. offic.* fuse singulas Romanæ Missæ partes exponit, de symboli vero cujuscumque, nedum Apostolici recitatione tacet. Ordines quoque Romani genuini III. & IV. Hittorpii, uti & vetustissimus ille, quem Cl. Blanchinius in Prolegomenis ad Anastasium *T.* III. vulgavit, licet olim ad usum Basilicarum Urbis exarati, non solum de omni symbolo silent, sed nullum symbolo recitando in Missa vacuum

13 Et idem Apostolicum Symbolum recitatum fuit in Missa apud Romanos, seu in Ecclesia Romana plusquam mille annis, hoc est usque ad tempora Benedicti VII. dicti VIII. qui metu divisionis, aut schismatis, & precibus Sancti Imperatoris Henrici II. jussit ad majorem Ecclesiarum conformitatem, ut Romana Ecclesia in Missa, omisso Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesiæ Hispaniarum, & Galliæ canebant, idest Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione *Filioque* in supradicto Concilio Toletano contra errorem Græcorum facta. Sic Berno *de rebus ad Missam pertinentibus cap.*2. Baronius *ad ann.* 447. *n.*19. Sever. Binius *in notis ad Concil. I. Constantinopolitan.* Barbosa *loc. cit. num.* 3. Lupus *tom.* 2. *Schol. ad synod. Nicæn. cap.* 4. *fol.*13. *num.* 14. Ciaccon. *in vitis Pontific. tom.* 1. *fol.* 759. & alii notantes, quod Ecclesia Romana in Missa per totum illud tempus retinuit, ac recitavit Symbolum Apostolorum, quia nunquam a fide Apostolica aberraverat, & deinde ob supradictum motivum Symbolum Constantinopolitanum recitare incæpit.

14 In aliis autem Ecclesiis loco Symboli Apostolorum jam antea in Missa cœperat recitari, & cani Symbolum Nicænum juxta Decretum Sancti Marci Papæ, ut referunt Platina *in vita ejusdem Pontificis*, Ciacconius *in vita Pontif. tom.* 1. *fol.* 229. & alii id extendentes etiam ad Ecclesiam Romanam, & deinde Symbolum Constantinopolitanum ex Decreto S. Damasi Papæ I. & mandato ejusdem Concilii Constantinopolitani, ut notant Glossa Marginalis *in cap. Canones* 1. *distinct.* 15. Archidiaconus *ibid. num.* 3. Pinell. *lib.* 2. *de Missa cap.* 19. & 49. & alii id pariter extendentes ad Ecclesiam Romanam, quamvis tamen probabilius ex dictis *supra num.* 13. ipsa Ecclesia Romana retinuerit, & recitaverit in Missa Symbolum Apostolorum usque ad tempus Benedicti VII. dicti VIII.

15 Consuetudo autem recitandi in Missa Symbolum prius Apostolorum, deinde Nicænum, & demum Constantinopolitanum asseritur a Durand. *de Ritibus Eccles. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 14. Anton. Possevin. *in Apparatu Sacro verb. Symbolum*, Card. Petra *tom.* 1. *Commentar. ad Constitut.* 2. *Leonis Magni num.* 13. & ab aliis plurimis.

16 Symbolum Sancti Athanasii, quod incipit *Quicumque vult salvus esse*, ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Eusebianorum adventum per sesquianum expectaret, hod fidei symbolum scripsit, ac tamquam catholicæ fidei suæ professionem publice edidit, quod deinde una cum actis Nicænæ Synodi, cui ipse Athanasius præsens interfuit, in Archivio Romano diu asservatum fuit, donec tandem post multos annos Ecclesiæ recitandum tradi meruerit, Baronius *ad annum Christi* 340. & *ad notas, in Concil. Roman. II. tom.* 1. *part.* 1. *Conciliorum*, Fagnanus *in cap. Firmiter* 1. *num.* 33. *de Summa Trinitate, & fide Catholica*, Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. titul.* 1. *num.*77. Ciaccon. *in Vitis Pontif. tom.* 1. *fol.* 233. *litt. A.* Card. Petra *loc. cit. num.* 16. & *alii*. Et quod tale symbolum fuerit compositum ab ipso Sancto Athanasio testatur ultra supradictos Bellarminus *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis* §. *de Sancto Athanasio circa finem*, Hincmarus Rhemensis, qui *anno Christi* 848. floruit, ita de ipso statuit; *Sermonem Athanasii de Fide, cujus initium est: Quicumque vult salvus esse &c. memoriæ quisque commendet, & sensum illius intelligat*. Ayton Episcopus Basileensis tempore Ludovici Pii *in suo Capitulari cap.* 4. sic decernit: *Quarto ut Fides Sancti Athanasii a sacerdotibus discatur, & ex corde die Dominico ad horam primam recitetur*: Concilium Augustodunense editum *anno Christi* 670. ita sancivit: *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel Clericus symbolum, quod inspirante Sancto Spiritu Apostoli tradiderunt, & Fidem Sancti Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur*. Et ipsa Catholica Ecclesia testimonium perhibet, prædictum Symbolum sub nomine Sancti Athanasii in divino officio recitandum proponens, & mandans. Et Sacra Congregatio Rituum ipsum Symbolum Sancti Athanasii appellat, dum expressis his verbis de ipso sic censet: *Symbolum S. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in choro recitatur stando*. Dicta *Sac. Congreg. Rituum* 23. *Decemb.* 1624. apud La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2055. *Decret.* 168. 17

Nihilominus Cabassutius *Notit. Ecclesiast. sæculi* 2. *dissert.* 19. pluribus probat Sanctum Athanasium non esse illius Symboli auctorem. Et Graveson *tom.* 1. *Histor. Ecclesiast. colloq.* 4. *pag.* 367. & 368. primæ impressionis Romanæ hoc Symbolum inter opera dubia S. Athanasii reponit, plurimasque rationes adducit variorum auctorum, qui hoc Symbolum S. Athanasio abjudicant, dicitque quod aliqui illud tribuunt Eusebio Vercellensi, alii Vincentio Lirinensi, nonnulli Athanasio Sinaitæ, alii Anonymo Theologo Gallo, qui Pipini, vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo acerrimo sub finem quinti sæculi fidei catholicæ defensori, qui multa opera scripsit, & non suo, sed sub antiquorum patrum, præsertim sub nomine S. Athanasii evulgavit; Unde dicit ipse Graveson, quod difficile creditu non est hoc Symbolum fuisse editum a Vigilio Tapsensi sub nomine S. Athanasii, & postea *tom.* 3. *coll.* 4. *fol.* 157. sic expresse habet: *Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos hoc symbolum S. Athanasii nomine inscriptum non esse genuinum illius fœtum*. (1) 18

Symbolum in Missa dicendum est diebus præscri- 19

cuum locum relinquunt. De usu Apostolici symboli in officio nonnulla attingunt Emmanuel de Azevedo Exercitationum liturgicarum decade IV.ª *Exercit.* 31. & Zaccaria in Onomastico Rituali *T. II. pag.* 161.

(+1) Nemo uberius hanc de vero Athanasiani Symboli auctore quæstionem pertractavit, quam Cl. Emmanuel de Azevedo in nuper citata *Exercitatione* 31., præsertim vero Exercitationum Eccle-

 sia-

scriptis in Rubricis Missalis *cap. XI. de symbolo*. Unde *Sac. Rit. Congreg. in Curien. die* 19. *Junii* 1700. expresse statuit, ut sequitur: *In Festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub Ritu duplici majori, non est dicendum symbolum in Missa, sed serventur Rubricæ generales Missalis Romani capite XI. de symbolo.*

20 Item in Festo translationis Patroni principalis cathedralis sub ritu duplici majori, non potest in Missa dici Symbolum, nec in ipsa Ecclesia cathedrali, neque per totam diœcesim. *Ead. S. R. Cong. in d. Curien.* 19. *Jan.* 1700.

21 Quamvis cit. Rubrica Missalis *cap. XI. de symbolo*, ubi declarat in Festo Patroni alicujus loci, vel tituli Ecclesiæ dicendum esse *Credo*, excipiat Festum tituli alicujus capellæ, vel altaris; talis tamen Rubricæ exceptio intelligenda est de Missis privatis, non vero de Missa solemni, ut recte explicat eruditissimus P. Merati *ibid. num.* 12. afferens ad id sequens decretum: *Symbolum in Missa solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricar. licet de eo fiat Officium sub Ritu semiduplici*, ut pro Festo S. Antonii de Padua declaravit *Sacra Rit. Congregat.* 1. *Aprilis* 1651. *in una Burgi S. Domnini*. Festum enim Sancti Antonii tunc erat semiduplex, cum elevatum sit ad ritum duplicem pro Ecclesia universali a Clemente X. anno 1670. 18. Junii.

22 Nomine festorum principalium ordinum, in quorum Missis a supradicta Rubrica de Symbolo, conceditur *Credo*, venire solent festa, quæ sub Ritu primæ classis celebrantur, nempe fundatoris ordinis, seu principalis tituli, aut patroni. An autem sub eodem nomine principalium festorum ordinum comprehendantur etiam insigniores Sancti cujusque respective ordinis, controvertitur inter doctores; Guyetus enim, & Bissus apud Merati *loc. cit. n.* 13 censent servandum esse in hoc casu legitimum cujuslibet ordinis usum, saltem quoad festa duplicia secundæ classis, hoc comprobante praxi fere omnium ordinum Regularium, qui in festis suorum Sanctorum secundæ classis Symbolum recitant; Ipse autem Merati *loc. citat.* videtur sentire contrarium, etiamsi talia festa secundæ classis celebrentur cum octava, id probans exemplo S. Laurentii, quod licet celebretur sub Ritu secundæ classis, & cum octava ab Ecclesia universali, nihilominus quia Sanctis martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali festo non dicitur *Credo*, nisi in Ecclesia ejusdem titularis, ut patet ex communi praxi, & Decreto *Sacræ Rituum Congregationis, in Perusina* 23. *Martii* 1709. ibi: *In die S. Laurentii titularis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis nullius diœcesis non est recitandum Symbolum Apostolicum in aliis Ecclesiis ejusdem loci, sed tantum in Ecclesia propria*; adeoque a fortiori, concludit ipse, concedi non debet *Credo* in festis Sanctorum confessorum alicujus ordinis particularis; quamvis ab eodem celebrentur sub ritu secundæ classis, & cum octava; At vero donec aliter a Sede Apostolica, seu Sacra Congregatione definiatur, non videtur recedendum a priori Guyeti, & Bissi, aliorumque opinione fundata in communi praxi, & consuetudine omnium fere ordinum regularium; cum consuetudo sit optima legum interpres; *cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud. leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*. Immo consuetudo inveterata, & legitime præscripta pro lege est observanda; *L. De quibus* 137. *ff. de Legibus, cap. Cum tanto* 11. *de consuet. cap. Non est* 3. *eod. in* 6. cum similibus.

Fatemur tamen quod, præcisa dicta cummuni praxi, & consuetudine, in festis SS. Martyrum, Confessorum, & Virginum, seu Viduarum, aliarumque non Virginum, non debet dici *Credo* juxta illud vulgare dictum *Muc non credit*, per cujus primam litteram *M.* indicatur non debere dici *Credo* in Festis Sanctorum Martyrum, per secundam *V.* non debere dici in Festis Sanctarum Virginum, & Viduarum, & per tertiam *C.* non debere dici in Festis Sanctorum Confessorum, nisi sint Doctores Ecclesiæ, & nisi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ sint Fundatores Ordinis, Patroni, aut Titulares Ecclesiæ, seu in ipsa Ecclesia habeatur eorum insignis Reliquia, aut nisi talia Festa venerint in Dominicis, & infra octavas Festorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati *loc. c. n.* 8. *in fine*. Et ratio est, quia ut docent Alexander Alensis *q.* 10. *de Sacrament. Eucharistiæ* §. 9. Quarti *p.* 1. *titul. XI. de Symbolo vers. Ex quibus*, & alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quæ de aliis in *dicta Rubrica de Symbolo* exceptis occurrunt. 23

Prima enim ratio, seu motivum, cur dicatur *Credo* in variis ex ibi assignatis Festivitatibus, est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt Innocentius III. *de Mysteriis Missæ lib.* 2. *c.* 51. Sanctus Thomas 3. *p. qu.* 83. *art.* 4. Durand. *lib.* 4. *cap.* 25. Quarti *loco cit. vers. Prima ratio*, Gavant. & Merati *loco cit. Rubrica de Symbolo*, & alii passim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Dominici dedicati sunt in memoriam Resurrectionis Christi, & cultum Sanctissimæ Trinitatis, de quibus Mysteriis fit mentio in Symbolo; quæ ratio militat de omnibus Festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicuti fit de B. V. Maria, ac etiam de Angelis indicatis per ly *Invisibilium*. 24

Secunda ratio, seu motivum, cur dicatur *Credo* in aliquibus aliis ibi enumeratis, est, ut docent S. Thomas *loc. cit.* Durandus *loc. cit.* Quarti *loco cit. v. Secunda ratio*, & ipso teste alii communiter, quia ipsi Sancti vel primo Symbolum composue- 25

siasticarum secundæ partis exercitatione xx. cum Liturgicis ex Veneto Zattæ typographio a. 1783. in lucem emissarum *p.* 779. *seqq.* Quod ad hujus symboli celebritatem maxime facit, nominum, quibus passim donatur, dignitas est; dicitur enim *Fides Catholica*, & *textus fidei*, ut Zaccaria ostendit in Onomastico Rituali *T. I. p.* 144. & *II. pag.* 166.

posuerunt, vel egregie Fidem in eo contentam propagarunt prædicatione, & doctrina; Et ideo dicitur in Festis Apostolorum, & Evangelistarum; Item in Festo S. Mariæ Magdalenæ, quæ ex Innocentio III. *loc. cit.* fuit Apostolorum Apostola. Item in solemnitatibus Creationis, & Consecrationis Summi Pontificis, & consecrationis Episcoporum, quia ipsi sunt Successores Apostolorum; Et in Festis insigniorum Doctorum, quia singulari sua prædicatione, & doctrina plurimum Fidem in Symbolo contentam propagarunt.

26 Tertia ratio, seu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis, est, ut volunt Alexander Alensis *loc. cit.* Quarti *vers. Tertia ratio*, Guttierez *lib.* 3. *cap.* 28. *quæst.* 3. Merati *loc. c. n.* 4. & alii, quia tales Sancti ob excellentiam auctoritatis, seu ratione solemnitatis, vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam, aut locum hoc honore dignantur, ut eorum Missæ votivæ solemniter pro re gravi, aut pro publica Ecclesiæ causa celebrentur; Et ob id dicitur *Credo* in Festo Patroni, & Titularis Ecclesiæ, Dedicationis, seu Consecrationis ejusdem, in Festis Fundatorum Ordinum, ac in Festis illorum, de quibus in Ecclesia habentur Insignes Reliquiæ.

27 In festo S. Joannis Baptistæ, quamvis sit primæ classis, & cum octava, non dicitur *Credo*, quia Sanct. Joannes Baptista figurat Legem veterem, & consummavit cursum ante promulgationem Evangelii, & Institutionem Symboli, ut tradit Quarti *loc. cit. vers. Opponi posset*; & in simili Durandus *lib.* 7. *cap.* 14. *numer.* 8. & alii. Quæ ratio militat etiam pro Festo S. Joseph, & aliis similibus. In Festo autem S. Laurentii Martyris, quamvis sit secundæ classis, & cum octava, non dicitur *Credo*, quia in ipso non habent locum suprassignatæ rationes, & motiva dicendi Symbolum, nec adest ad id praxis, ac legitima consuetudo, cum potius universalis Ecclesia in ejus Festo illud omittat, sicut illud omitteret in Festis S. Stephani, & Sanctorum Innocentium, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicuti de facto omittitur in in die octavæ Innocentium currentis extra dictam Octavam.

28 In Missa Patroni minus principalis non debet dici *Credo*. *Sacr. Rit. Congr. in Beneventana* 2. *Decembris* 1684. *&* *in Lycien.* 15. *Septemb.* 1691.

29 Sola ratione SS. Sacramenti expositi, non est dicendum Symbolum in Missis privatis. *Sac. Rit. Congr. in una Canonicor. Regul. Lateranen.* 2. *Decemb.* 1684. Et idem statuitur in Instructione Clementis XI. & XII. pro expositione SS. Sacramenti occasione 40. horarum §. 10.

30 Dum in Missa solemni canitur *Credo* non debent pulsari Organa. Concil. Provincial. Mediolanens. tert. apud Gavant. *in Manual. Episc. verb. Missa Conventualis sub n.* 22. ibi: *Symbolum totum canatur a Choro, non alternatim cum Organo. Sic* etiam *Cæremonial. Episcopor. lib.* 1. *cap.* 28. ac Cæremonial. Ordinis Minor. *part.* 4. *c.* 9. quod tamen *ib. n.* 7. subjungit: Quod si numerus Cantorum, seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a Choro, & Organo. Sed Organo sonante, duo Cantores legant alta, & intelligibili voce quæ a Choro non cantantur, ut sequitur, ac docet etiam Simon Buongiovanni *in Sacrarum Cæremoniarum Silva lib.* 2. *cap.* 10. *vers. Quod si*. In hoc enim casu subintrat necessitas, quæ facit licitum, quod alias est illicitum, *cap. Quod non est licitum* 4. *de Regul. Jur. cap. Omnes* 1. *de Fer. cap. Consuluisti* 3. *de celebr. Missar.* cum non subjaceat Legi necessitas, *cap. Consilium* 2. *de observat. jejun. cap. Sicut* 11. *de consecration. dist.* 1. cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur *Credo*, non potest prosequi Missam. *Sac. Rit. Congr. in Beneventana* 13. *Septembr.* 1670. *&* *in Januen.* 17. *Decemb.* 1695.

Symbolum in qualibet Missa, etiam pro defunctis, recitatur a Græcis, eumque morem servari a Monachis Ordinis S. Basilii jubet Benedict. XIV. Constitutione incip. *Quem Religionis sensum* §. 6. Symboli recitatio in Missa a Græca ad Latinam Ecclesiam traducta est. Idem Constitut. incip. *Allatæ sunt* §. 28. Symbolum idem sine additamento *Filioque* a Græcis, & Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversæ facti circumstantiæ exegerunt. Idem *ibid.* §. 10. Symbolo autem Nicæno non solum licuit, sed & decuit superaddere particulam *Filioque*. Hinc non modo Patres Concilii Zamosciæ *tit.* 1. *de Fide Catholica*, sed etiam Patres Concilii Libanensis *par.* 1. *eod. tit.* 11. provide, ac recte statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti, Symbolum juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, cum particula *Filioque* usurpent. Idem *Ibid.* §. 30. 31 32 33

Alia ad rem. Vide verb. *Missa art.* 12. *&* 13. 34

SYNDICUS.

Syndicus græce idem est, ac latine *Defensor*. Sic notant communiter Doctores *in c. Sicut studii unic. de Syndico*. Unde Syndicus proprie acceptus est ille, qui constituitur ab aliqua Universitate, seu Collegio, vel Capitulo ad negotia illius pertractanda, ac potissimum ad causas, & lites illius in Judicio persequendas. *Sic in re Communis*, per text. & Gloss. *in cit. c. Sicut studii, verb. Generaliter, &* *l. Neque societas* 1. §. 1. *ff. Quod cujuscumque Universitatis nomine, vel contra eam agatur*. 1 2

Syndicus, quamvis generaliter acceptus conveniat cum Procuratore generaliter accepto, cum nomen Procuratoris generaliter acceptum etiam Syndicum sub se complectatur, *arg. c. Salvator* 8. *vers. In nomine caus.* 1. *qu.* 2. *c. Quia in causis* 7. *&* *c. Petitio* 9. *de Procuratoribus*, tamen proprie, & stricte acceptus distinguitur a Procuratore proprie dicto, quia hic constituitur a quocumque privato domino, & in causis privatis, Syndicus vero ab Universitate, Collegio, Capitulo, & in causis publicis, & communibus, ut colligitur ex *c.* 3

Peti-

Petitio 9. de Procuratoribus, & notant Abbas *in cit. cap. Sicut studii unic. de Syndic. n. 2.* Engel *lib. 1. Decretal. tit. 39. n. 1.* Pirhing *ibid. num. 1.* Reiffenstuel *ibd. num. 3.* & alii passim.

4 Syndicus proprie captus differt etiam ab Actore, quia Actor constituitur specialiter ad unam causam, vel ad plures, sed tantum præsentes; Syndicus vero constituitur generaliter ad omnes causas tractandas, tam præsentes, quam futuras. Glossa *in cit. l. Neque Societas 1. verb. Syndicum, ff. Quod cujuscumque Universitatis &c.* & citati Doctores. Quamvis etiam Actor Universitatis quandoque pro Syndico sumatur, & econtra, ut patet ex *cit. l. Neque societas* §. 1. ibi: *Actorem, sive Syndicum*.

5 Syndicus proprie captus differt etiam ab Administratore, seu Oeconomo, quia hic præcipue in administratione pecuniæ, aliorumque negotiorum extrajudicialium; Syndicus vero potissimum in litibus prosequendis versatur. Engel *loc. cit. num.* 2. Reiffenst. *loc. cit. num. 3.* Pirhing *loc. cit. num.* 1. & alii.

6 Ad constituendum Syndicum omnes de Communitate, seu Collegio, vel Capitulo, qui jus suffragii habent, citandi, seu convocandi sunt, quia quod omnes tangit, ob omnibus approbari debet, textu expresso *in cap. Ad hæc 7. de Offic. Archidiaconi*, ibi: *Cum ab omnibus quod omnes tangit, approbari debeat;* Si autem aliqui vocati nolint intervenire, aut recedant, possunt præsentes eum constituere; Dummodo duæ partes ex tribus de Communitate, Collegio, seu Capitulo eorum, qui volunt, possunt, ac debent interesse, sint præsentes, & major pars præsentium consentiat; *leg. Nulli 3.* juncta Glossa verb. *Duæ partes, ff. Quod cujuscumque Universitatis & ibi* Bartolus *num. 8. l. Quod major 19. ff. Ad municip.* Hostiens. *in Summa de Syndico num. 10.* Pirhing *loc. citat. num. 2.* & alii passim.

7 Quamvis consultius sit, ut Religiosi pro causis sui Monasterii non sint ipsi Syndici, sed potius aliquem extraneum Procuratorem Generalem, seu Syndicum constituant, cui causas in Judicio tractandas demandent, assignato ipsi convenienti salario, ut disponitur *in citat. cap. Sicut studii unic. de Syndico*, cum, ut ibi dicitur, præstet, ut servi Dei modicum aliquid expendant in salarium Syndici, quam ut ipsi forensi causarum strepitu involvantur, ibi: *Expedit pro parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei esse quietos*. Ni-
8 hilominus loquendo de necessitate, non possunt Religiosi compelli ad constituendum Syndicum extraneum, sed exigente sui Monasterii utilitate, v. gr. si Monasterium sit inops, ut extraneo Syndico Salarium dare non possit, aut si alius idoneus, & fidelis vir haberi nequeat potest Religiosus in causis sui Monasterii Syndicus constitui, *arg. cap. Monachi 16. quæst. 1. cap. Insuper 16. de testibus, & cap. Cum deputatis 36. de Judic.* Et sic notant Abbas *in c. cap. Sicut studii num. 4.* Layman *ibid. num. 1.* Pirhing *loc. cit. n. 16.* Reiffenst. *loc. cit. num. 6.* & alii.

9 Pro ordine FF. Minorum plures Summi Pontifices concesserunt, ut unusquisque Conventus unum Syndicum, seu Procuratorem Apostolicum extra Religionem habere posset, qui nomine Romanæ Sedis eleemosynas Fratribus Minoribus a fidelibus elargitas, recipiat, & administret, eorum providendo necessitatibus. Sic concessit Martinus IV. Const. incip. *Exultantes in Domino*, qua concessione licite utuntur, non obstante quod id prohibuerit Joann. XXII. Extravag. *Ad Conditorem, de verbor. signific.* Nam prohibitio fuit modificata: *nisi de speciali Sedis Apostolicæ licentia*, quæ subinde emanavit a Martino V. Const. incip. *Amabiles fructus*, & a Paulo IV. Constitut. incipient. *Ex Clementi*, in qua Paulus Litteras concessivas Prædecessorum confirmavit, & innovavit, dictamque facultatem iterum expresse concessit; insuper declarando quod id non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis provisus pro puriori illius observantia, ut & declaravit novissime etiam Innocentius XI. Constit. incip. *Sollicitudo Pastoralis Officii* confirmat. ab Innocentio XII. Constitut. incip. *Alias*.

Concesserant prius Nicolaus III. in *cap. Exiit qui seminat 3. de verbor. signific. in 6.* & Clemens V. in *cap. Exivi de Paradiso 1. inter Clementinas, de verb. significat.* quod Fratres Minores pro pura suæ Regulæ observantia possent in suis indigentiis, & necessitatibus recurrere ad amicos, seu benefactores spirituales, qui vel per se immediate, vel per alias personas substitutas, ac depositarias, sibi benevisas, aut etiam sibi a prædictis Fratribus nominatas, seu præsentatas, pecunia, aliisque rebus necessariis ipsis succurrerent, remanente tamen (si secus non expresserint, aut declaraverint) apud ipsos donantes benefactores pecuniæ, donec fuerit expensa, dominio; Vel ipso in Sedem Apostolicam assumpto, si donantes, aut legantes intelligerentur omnimode a se illud abdicasse, seu e vivis decessisse; & in tali casu possunt Fratres ad personam deputatam, seu substitutam, aut depositariam (non obstante concedentis, seu donantis morte, vel heredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum dominum concedentem, seu donantem. Cum autem advertissent, & ex- 11
perimento didicissent Fratres, sibi grave, onerosum, molestumve esse ad plures personas, pro diversitate benefactorum, recurrere, sibique facilius, commodiusque esse informare unam, quam plures, de modo debito expendendi pecunias in suas necessitates, ac indigentias, de qualitate necessitatum, aliisque conducentibus ad puram Regulæ observantiam, pro securitate, ac serenitate conscientiæ, & ad removendos scrupulos, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam sub Martino IV. & V. ac Paulo IV. qui per suas peculiares supra allegatas Constitutiones concesserunt, ut ad id unusquisque Conventus unum Syndicum, seu Procuratorem Apostolicum extra Religionem tute habere posset. Qui Syndici, seu 12
Procuratores in omnibus parificantur cum substitutis dantium, seu donantium: Sicut enim donantes ex concessione Nicolai III. & Clementis V. dum nolunt per seipsos pecunias in necessitate

Fra-

Fratrum expendere, possunt substitutos nominare, qui eorum vice, & nomine id agant; & si nolint ipsi eos nominare, possunt tales substituti ipsis præsentari, & nominari a Fratribus, talesque sic nominati substituti auctoritate donantium tenentur modo Fratribus licito pecunias expendere; Ita etiam Syndici, seu Procuratores Apostolici ex concessione, & declaratione Martini IV. & V. ac Pauli IV. per Superiores Fratrum electi, ac nominati, tamquam substituti Papæ nolentis seu non potentis per seipsum expendere, & administrare, de ejusdem nomine, & auctoritate, possunt, ac debent modis Ordini congruis, Fratribusque licitis pecunias administrare. Tum quia Syndici Apostolici duplicem gerunt personam, idest *substitutorum* donantium quoad pecunias, quorum dominium dantes, seu donantes sibi reservassent; & *substitutorum* Papæ quoad pecunias, quæ sunt de dominio Papæ, (cum illud dantes, seu donantes a se ablegasse censeantur.) Hinc sicut substituti donantium nihil Regulæ puritati præjudicant ex declarationibus Nicolai III. & Clementis V. ita a pari nihil Regulæ puritati officiunt Syndici Apostolici ex declarationibus Martini IV. & Innoc. XI. Constit. incip. *Sollicitudo Pastoralis officii* §.1. ubi sic expresse habet: *declarantes tamen pariter, quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici; cum eorum usus non sit Dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus pro puriori illius conservatione; sive ejusmodo Syndici assumantur ad prescriptum Constitut. Nicolai III. & Clementis V. prædecessorum prædictorum, sive secundum dispositionem Constitutionum recol. memor. Martini IV. & V. ac Pauli IV. prædecessorum pariter nostrorum, prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respective fuerit receptus.*

13 Ex quibus clare, & expresse constat, quod Syndicorum, seu Procuratorum Apostolicorum usus sit omnimode licitus Fratribus Minoribus, nec sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus provisus pro puriori illius observantia, sive ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III. & Clementis V. sive secundum dispositionem Constitutionum Martini IV. & V. ac Pauli IV. prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis Fratrum Minorum respective fuerit receptus ex supra allata litterali declaratione Innocentii XI. Et quod dispositio Martiniana, & Paulina nominandi, & deputandi Syndicos non sit in re contraria declarationibus Nicolai III. & Clementis V.

14 Modus tamen utendi Syndico Apostolico assumpto ad præscriptum Martinianæ, & Paulinæ videtur facilior, commodior, & tutior pro unoquoque Conventu. Immo Portellus *dub. Regul. verb. Syndicus n.* 4. & Matthæuc. *Schola paupertatis tit.* 4. *cons.* 1. *n.* 44. volunt, quod Conventus non habens hujusmodi Syndicum, ponat se in periculo transgrediendi Regulam, cum, ut dicunt ipsi, vix inveniendus sit Conventus quantumcumque reformatus, qui tali Syndico non indigeat ad recipiendas, ac retinendas nomine Sedis Apostolicæ pecunias adventitias, oblatas, ac traditas, præsertim ab advenis, transeuntibus, in longinqua abeuntibus, pro Fratrum necessitatibus subveniendis. Quod non tam facile aut tute semper fieri potest per amicos spirituales, qui velint per seipsos, vel alios deputatos, seu substitutos suas pecunias in Fratrum necessitates expendere; Ultraquam quod cum nimiis incommodis ac periculis, tot deberent esse substituti, quot essent donantes: Quotidiana enim experientia magistra similes amici spirituales, ac benefactores, aliique eleemosynas pro Missis, aliasque adventitias Fratribus offerentes, atque donantes rogati, vel quod ipsi eas in Fratrum indigentias expendant, vel quod id alteri personæ committant, respondere solent, *Habetis Syndicum, mittat ad Syndicum, nec possum, nec volo ulteriorem curam suscipere*. Immo plures, ac plures præsertim a Conventibus distantes, advenæ, & peregrini, ac alii aliud nolentes incommodum, solent sine ulla intentione retinendi in se dominium, mittere ad Conventus pecuniarias, aliasque eleemosynas, quæ certo sine tali Syndico non possent tute recipi, retineri, & expendi; cum ad id per tales dantes non censeatur nominata, & substituta alia persona, nec ipsis per Fratres præsentata, aut nominata, nec alia in tali casu reperiatur auctoritate Pontificis nominata, & deputata, quæ tute possit ipsas pecunias recipere, retinere, & expendere in Fratrum necessitates contra dispositionem, ac declarationem respective tum Nicolai III. & Clem. V. tum Martini IV. & V. ac Pauli IV.

Syndici Apostolici deputantur pro toto Ordine 15
a Generali, pro Provinciis, & Custodiis, ac Conventibus sibi subjectis a Provincialibus, & respective Custodibus, vel etiam a Guardianis de expressa Prælatorum licentia juxta dispositionem Pauli IV. in d. Const. incip. *Ex Clementi*, ut recte notat Matthæuc. *Schola paupertatis tit.* 4. *cons.* 1. *n.* 1. *& Official. Curiæ cap.* 51. *num.* 1. Qui insuper 16
addit, quod etiam Procurator, & Commissarius Generalis Romanæ curiæ possunt Syndicos pro ipsorum respective officio constituere, ut probat Sanctorus *Comment. c.* 8. *Statut.* 37. *in fine*. Et ad id *cap.* 4. *statut.* 4. *in princip.* refert concessionem Eugenii IV. *Kalend. Maii* 1432. ibi: *Quod possint etiam facere Provinciales in Provinciis, & Procuratores Ordinis in Romana Curia*.

Non possunt tamen dictis Superioribus deputa- 17
ri plures Syndici, sed unus dumtaxat pro unoquoque Conventu; Colligitur ex infra afferenda Constitutione Clementis VII. incip. *Dum consideramus*, in qua *uni tantum Syndico* Conventus quædam privilegia conceduntur. Et ex infra etiam afferendis Litteris Innocentii XI. incip. *Alias*, in quibus ipse Pontifex decreta Sacræ Congregationis memorata privilegia concernentia confirmat, habetur, *Ut unicuique Conventui dicti Ordinis assignetur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus qui omnes eleemosynas* (nota ly *omnes* poni adversative ad alium, qui aliquas recipiat) *tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solus* (nota ly *Solus* poni exclusive seu privative ad alios) *in necessitate Fratrum*

trum applicare debeat. De qua re nefas est dubitare, ut expresse eruditissimus Matthæuc. in *Schola paupertatis tit.4.consil.2.n.5.*cum omnia decreta Apostolica uniformiter procedant, & pro unico semper disponant, & supponant, ut patet in Decretis approbatis, & confirmatis in dict. Constitutione Innocent. XI. & in aliis editis a Congregatione particulari ab Urbano VIII. præpositæ consultationibus Fratrum Minorum de observantia, & a nobis allatis sub verb. *Legatum*. Ac in provisione Apostolica Martini V. in Constitutionibus, & declarationibus suis a S. Ioanne de Capistrano ad annum 1430. impetratis sic expresse habetur; *Quoad quartum capitulum Regulæ quod Fratres non recipiant pecuniam; Statuimus, & ordinamus juxta declarationem Nicolai III. & Clementis V. & Martini IV. quod quilibet Conventus, & locus habeat Procuratorem, Oeconomum, Syndicum, & Actorem, cui omnis eleemosyna pecuniaria, & alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter assignetur; Qui easdem dispensare legaliter, & fideliter pro reparatione Conventuum, & locorum & ad alias necessitates pro tempore occurrentes debent, sic quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant*. Hæc Martinus V. ut refert doctissimus P. Petrus Marchant. *in Relatione Theologica difficultat.* 3. §. *Provisio Apostolica Martini V.* Et sic in statutis Generalibus in Compilatione Sambucana *cap.* 4. §. 1. *n.* 4. ubi sic præscribitur, *Ut quilibet Conventus habeat Syndicum, & Procuratorem, ac etiam substitutum, si opus fuerit, & non alios*. *Nota Syndicum* in singulari, & ly *non alios*. Quocirca recte infert Matthæuc. in *Schola paupertatis tit.* 4. *consil.* 2. *nu.* 5. *in fine*, non est recipienda doctrina Cordubæ in *cap.* 4. *Regulæ quæst.* 16. *vers. Tertio notandum*, ubi tradit plures Syndicos posse esse pro uno Conventu, ad effectum recipiendi eleemosynas pecuniarias, licet duo tantum privilegiis fruerentur: Cum enim adversus ipsum stent jura superius allegata; non est ejus opinio in praxim deducenda, ne quis velit in Regulam offendere, & pro Syndico uti persona interposita; Hæc ille.

18 Qui tamen *loc. cit. tit.* 4. *cons.* 3. *n.* 26. *& sequent.* recte probat, quod potest nominari, & deputari, unus etiam Syndicus pro quocumque hospitio habente suum Præsidem, & Religiosos ibi degentes, & unus a Superiore Generali pro Religione, & a Provinciali pro Provincia, qui gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudet Syndicus cujusque Conventus. Accedente ad id etiam inveterata praxi, & consuetudine, quæ est optima Legum interpres, *cap. Cum dilectus* 8. *de consuetudine*, *& l. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*. Quod idem dicendum videtur de Infirmariis, quæ reguntur diverso, ac distincto regimine ab illo Conventus. Cum ubi eadem est ratio, eadem debeat esse juris dispositio; *L. Ideo* 27. *ff. de Legibus*, *L. Illud* 32. *ff. ad Leg. Aquil. cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episcop.*

19 Non possunt autem dicti Superiores deputare alios Syndicos pro Religiosis particularibus, ut colligitur ex Constitut. Urbani VIII. incip. *Militantis*, & Constit. Innocent. XI. incip. *Exponi Nobis*: ubi statuitur quamcumque eleemosynarum oblationem ipsis Fratribus factam, etiam ratione concionum, *Syndicis Conventuum dumtaxat libere, & integre transmittendam, & consignandam fore*: Immo Fra- 20
tres privati neque de licentia Superioris possunt habere apud Syndicum Conventus pecunias a massa communi separatas; Sicut enim nec pro se potest Superior apud Syndicum denarios habere nomine, & auctoritate sua expendendos, alias censeretur reus proprietatis, utpote disponens de re non sua, ac si sui juris esset: Ita nec potest id subdito concedere, sive agatur de pecunia, quæ obvenit Fratri titulo concionis, vel etiam ratione donationis, aut mercedis oblatæ: nam quovis titulo non est Fratris, nec sub dominio Superioris, sed Pontificis juxta citatas Constitutiones Martini IV. & V. ac Pauli IV. ideoque neque est in potestate Superioris disponere, ut a Syndico ab alia sequestrata retineatur in commodum Fratris particularis ad ejus occurrentes necessitates relevandas, alias de alieno disponeret, & particeps, vel causa esset proprietatis, qua Frater contra Regulam delinqueret. Sic expresse Matthæuc. *in cit. Schola paupertatis tit.* 2. *consil.* 3. *num.* 45. Quinimmo Innocent. XI. Constitut. incipient. *Sollicitudo Pastoralis Officii* confirmat. ab Innocent. XII. Constitut. incipient. *Alias*, sic expresse statuit; *Demum ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælatis, sive superioribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli Religioso ejusdem Ordinis permittant administrationem fundorum, redituum, aut quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium vel immobilium, cujuscumque domini illa sint, & signanter, ut nulli Religiosorum Ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus Monasterii Monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili*.

Insuper d. P. Matthæuc. in *citat. Schola paupertatis tit.* 2. *consil.* 3. *sub num.* 45. proposito hoc dubio: *Quid, si quis sibi reservato dominio, sponte deponat apud Syndicum, non velut Syndicum, sed tamquam suum substitutum, vel Depositarium summam pecuniæ expendendam in necessitates talis Fratris, eique significet*: Tradidi Syndico centum aureos, ut illis tuis necessitatibus provideas? Respondet, quod in casu talis Frater non potest consentire in depositum, & debet protestari, ac informare Syndicum se non posse in pecunias depositas consentire, ad quas sic depositas recurrere nequit, nisi posita vera necessitate, & accedente licentia Superioris: Hæc ille. 21

Posita tamen vera necessitate, & negligentia Superioris in ministrando necessaria, potest Frater subditus, nedum in tale depositum sponte oblatum, & factum consentire: sed sine peccato suis indigentiis providere per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per declarationes Pontificias in citat. Constitutionibus præfinitas; Necessitas enim non habet Legem; *capit.* 22

11. *de*

Sicut 11. *de consecrat. dist.* 1. *cap. Consilium* 2. *de observation. jejunior. capit. Omnes* 1. *de fer. capit. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar.*, *& citato capit. Exiit* 3. *de verborum significat. in* 6. quia ut expresse habetur *in capit. Quod non est licitum* 3. *de Regul. juris*: *Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*: Cavere tamen debet subditus, ne proprium commodum pro necessitate sumat, & judicet: nec facile sibi ipsi credere debet, cum regulariter quis in re propria soleat cæcutire; Unde Superiorum aliorumque prudentum expertorum judicium, & consilium exquirere debet; Quinimmo nunquam recurrere debet ad amicos spirituales, ut isti suis necessitatibus pecunia provideant, nisi prius requisita explicita Superiorum licentia, quamvis possit in aliquo casu sufficere tacita, & præsumpta.

23 Quænam autem sint dictæ Pontificiæ modificationes observandæ, & pro quibus necessitatibus possit a Fratribus Minoribus haberi recursus pro pecunia ad amicos spirituales, brevitatis gratia, utpote extra titulum, videndæ relinquuntur in citatis Decretalibus Nicolai III. & Clementis V. & in allegatis Constitutionibus, & declarationibus Martini IV. & V. ac Pauli IV. a Religione acceptatis, & novissime ab Innoc. XI. confirmatis; & abunde apud Regulæ Expositores, & signanter apud Marchant. in *expositione c.* 4. *& in Relectione Theologica per tot.* & Matthæuc. *in schola paupertatis tit.* 2. *cons.* 3. *&* 4. *& tit.* 4. *per tot.* ac Felic. Potest. *tom.* 1. *part.* 2. *a num.* 1149. ubi *a num.* 1161. duos tradit modos, quibus Fratres uti possunt in suis subveniendis necessitatibus cum omnimoda observantia Paupertatis a S. P. Francisco præceptæ. Vide omnino, & serva.

24 Bona Syndici sunt tacite hypothecata pro securitate eleemosynarum: Unde ex bonis ex-Syndici debet damnum reparari, si ipse indebite, ac injuste administraverit, ne pia Benefactorum destituatur intentio, & ipsi Fratres opportunis auxiliis fraudentur, textu expresso in *citat. cap. Exiit* 3. §. *Ad hæc quia, de verbor. signific. in* 6. Matthæuc. *loc. cit. tit.* 4. *cons.* 4. *n.* 16. & alii passim: Sicque novus Syndicus instare debet pro recuperatione pecuniæ, habetque actionem contra ex-Syndicum, & ejus heredes; Matthæuc. *loc. cit. tit.* 4. *cons.* 4. *n.* 7. *&* 13. *& tit.* 5. *cons.* 3. *n.* 6. *&* 26. ubi refert ad id causas sic Romæ decisas. Cum enim eleemosynæ non conferantur Syndico, ut eas suo arbitrio ludis, ac negotiationibus exponat, vel alias dissipet, sed taxative pro solis Fratrum necessitatibus; sibi imputari debet, si ex propriis supplere teneatur, quæ in alios usus illicite, & male consumpsit contra donantium intentionem, & mentem Pontificis, sciens in Clementina: *Quia contingit* 2. *de Religiosis domibus*, expresse esse statutum, *quod ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva Sedis Apostolicæ auctoritate) converti*; Et ob id

26 Syndicus conveniri debet coram Judice Conservatore ex infra afferenda constitutione Clementis VII. incipient. *Dum consideramus* §. 2. Et Ex-syndicus, si sit Laicus, conveniri potest etiam coram Judice Laico, & si sit Ecclesiasticus conveniri debet coram Judice Ecclesiastico, *c. Si quis Clericus* 1. *& c. Nullus* 2. *de Foro competenti*, cum similibus; Et etiam conveniri potest coram Judice Ecclesiastico ex-Syndicus Laicus: si Judex Laicus fuerit negligens in administrando Syndico debitam de jure justitiam, *c. Licet* 10. *& c. Ex tenore* 11. *de Foro competenti*, Matthæuc. *loc. cit. tit.* 4. *consil.* 4. *n.* 3. *& tit.* 4. *consil.* 4. *n.* 23. *&* 24. & alii passim.

Syndicus Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus ex-Syndicum decoctum, vel ejus heredes, & sic etiam adversus substitutos dantium, seu donantium, & alios veros debitores. Cum enim pecuniæ pro necessitatibus Fratrum Syndico, seu substituto consignatæ, sint sub dominio Papæ, & Syndicus Apostolicus a Fratribus nominatus, sit ipsius Papæ Minister, Oeconomus, & Procurator, debet cum ceteris creditoribus in concursu admitti ut judicialem petitionem intentet, & hac forma pecunias male ab infideli administratore alienatas, seu dissipatas, aut aliis justo titulo vere debitas, Papæ suo Principali recuperet; Et quidem suo ordine anterioritatis juxta ordinem faciendi restitutionem assignatam sub *verb. Restitutio artic.* 4. *a num.* 29. Cum hac tamen advertentia, quod si pecunia pro indigentiis Fratrum Syndico, seu Substituto tradita, in individuo ab aliis distincta, & separata reperiatur (de quo vel syngrapha appareret, vel esset in capsula deputata ad asservandas solas dictas eleemosynas pro Fratrum necessitatibus oblatas) esset novo Syndico integre tradenda, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis creditoribus satisfieri posset, per jura a simili allata sub dict. *verb. Restitutio art.* 4. *num.* 31. Hinc pro obviandis litigiis, quæ possent suboriri circa dictas pecunias pro Fratribus a Benefactoribus donatas, instruendi, & serio admonendi sunt Syndici, ut supradictam omnino fideliter servent praxim in illarum asservatione, & custodia. 27

Possunt conventus præter Syndicum, habere etiam substitutum nominandum a dicto Syndico. *Communis*, per text. in *cit. c. Exiit* 3. §. *In ea vero de verbor. significatione in* 6. ubi dicitur Substitutum principalis Domini posse alium substitutum nominare; Syndicus autem est substitutus, seu Delegatus Domini principalis, nempe Papæ, de cujus dominio sunt res pro Fratribus relictæ, & per ipsum in eorum necessitates applicandæ: Et id habetur in statutis capituli Generalis anni 1676. confirmatis in forma specifica ab Innocentio XI. constitut. incip. *Militantis*, ibi: *Capitulum Generale præcipit sub pœna privationis suffragii, quod Minister, seu Pro-Minister, & Custos cujuscumque Provinciæ simul ad Capitul. iter faciant cum unico tantum socio Religioso pro utroque, & si expensæ aliquæ in itinere ex necessitate faciendæ sint, adducant secum Tertiarium, qui Syndici Apostolici substitutus sit, & ipsius nomine expensas prædictas inevitabiles faciat.* 28

Talis igitur Substitutus non est deputandus a Fratribus, cum Generales, Provinciales & custodes privilegiati non sint ad deputandos hujusmodi substitutos, sed Syndicos dumtaxat, prout clare patet in d. Constitutione Pauli IV. incipient. 29

Ex Clementi. Unde talis substitutus nominandus, & deputandus est ab ipsomet Syndico, ubi prospiciat se non posse in totum per seipsum munus implere; arg. cit. statut. General. confirmat. in d. constitut. *Militantis*, & c. *Si pro debilitate* 3. *&* c. *Præterea* 5. *de Offic. & potestat. Judicis delegat.* c. *Cum causam* 62. *de appellationib.* L. *Adjudic.* 5. *de judiciis*, ubi disponitur, quod Delegatus a Papa, vel Principe (uti est Syndicus Apostolicus) potest subdelegare, immo Syndicus Apostolicus, nedum unum, sed & plures substitutos, prout opus fuerit, potest deputare: Sic expresse Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 1148. *verb. Syndicus*, & alii, *arg.* c. *Cum te consulente* 18. *de Offic. & potestat. Judic. delegat.* ubi statuitur quod Delegatus a Papa potest unum vel plures subdelegare, & tenet Glossa 1. *ibidem*, & alii passim; Et id videtur expresse concessum etiam in cit. cap. *Exiit* 3. §. *Articulum istum*, *&* §. *In ea vero*, *de verb. significat. in* 6. Hinc Substitutus, seu Substituti non dicitur, seu non dicuntur, Substitutus, seu Substituti Fratrum, sed Syndici Apostolici; Et ideo debet substitutus, vel debent substituti pecunias recipere,nomine Syndici in Fratrum necessitates expendere, & ei rationem reddere, non autem Fratribus, ut recte advertit Matthæuc. *Official. Curiæ* c. 51. *num.* 8. & in *Shola paupertat. tit.* 4. *consil.* 2. *n.* 8. dicens posse solum Fratres Syndicum monere de assumenda persona apta, & idonea, seu de assumendis personis aptis, & idoneis, eamque, seu eas proponere, ut eam, seu eas assumat, si sibi placuerit, ad text. in *d. cap. Exiit* §. *Articulum istum*.

30 Nec possunt Fratres a Syndicis computus Juridicos tamquam Domini exigere, sed solum ad experiendam fidelitatem ipsorum, ad quam exhortandi sunt, possunt cum eis computus naturales facere. Sic Constit. Generales Ordinis *c.* 4. §. 2. *pag.* 83. Lantuscha *Theatr.Reg. verb.Syndicus in fine Matthæuc. Official. Cur. c.* 17. *n.* 44. & alii.

31 Possunt tamen Generales, & Provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos Syndicos removere, aliosque subrogare, seu nominare, vel deputare. Sic concessisse Innocentium IV. refert Casarub. *in Gompend. Privilegiorum*, *verb. procuratores Fratrum*, *seu Syndici num.* 1. ibi: *Concessit etiam*, *quod liceat prædictis Ministris præfatos viros sic constitutos removere*, *aliosque ad prædicta exequenda sine difficultate aliqua subrogare*, *quoties videbitur opportunum*; Et idem concessit Paulus IV. in d. Constit. incip. *Ex Clementi*; Et concordant statuta Generalia Ordinis *cap.* 4. §. 1. *num.* 3. ibi: *Declaramus*, quod *Generalis*, *vel Provinciales Ministri*, *non autem Guardiani*, *possint nominare aliquos extra Ordinem*, *sicuti nominatos privare*, *qui sint veri*, *& legitimi Administratores, Oeconomi, Syndici*, *Actores*, *& Procuratores &c.*

32 Quæ Generalia statuta Ordinis *ibid.n.*5. expresse ordinant quod *sine dicto Procuratore*, *vel substituto nihil emi*, *aut vendi*, *vel de eleemosynis prædictis sub quocumque prætextu disponi possit sub pœna proprietatis*, *sub qua etiam pœna prohibemus*, *ne Guardianus*, *nisi in manu Syndici*, *vel substituti de ejusdem licentia eleemosynas teneat*, *vel per manus aliorum expendat*.

Syndici Apostolici, seu Procuratores Fratrum Minorum, amplissimam habent facultatem ex concessione plurium Summorum Pontificum, & signanter ex concessione Pauli IV. Constitut. 1. incipient. *Ex Clementi*, in qua inter alias confirmat, & innovat concessionem eis factam a Martino IV. circa eleemosynas omnes quomodocumque ad dictos Religiosos provenientes, seu spectantes nimirum illas, *per se petendi*, *recipiendi*, *exigendi*, *alienandi*, *transigendi*, *paciscendi*, *agendi*, *conveniendi*, *promittendi*, *remittendi*, *quietationem faciendi*, *agendi*, *defendendi &c. cum illis*, *& contra illos*, *qui hujusmodi res mobiles*, *& immobiles*, *aut pretium earum seu relictas eleemosynas Fratribus in Testamento occuparent &c. ac generaliter in omnibus causis pro rebus*, *& locis hujusmodi ad ipsam Ecclesiam spectantibus &c. in Judicio*, *& extra &c.* ut fuse in dict. Constitution. Pauli IV. incip. *Ex Clementi*, & de quibus late P. De Gubernatis *in Orbe Seraphico lib.* 3. *tom.* 1. *cap.* 17. ac Rota *in Romana*, *& Mexicana* 22. *Junii* 1699. §. *Quamobrem*, *coram Cardin. de la Tremoille*. 33

Ad impedienda autem multa inconvenientia ex parte dictorum Syndicorum, seu Procuratorum oriri solita in alienationibus rerum relictarum ipsis Religiosis, seu Conventibus, congruum existimatum fuit *in Sacra Congregat. Concilii die* 18. *Martii* 1719. exquirere aliquod remedium, narrando quod Syndicis Apostolicis res, & bona Conventibus, & Religiosis relictæ aliquando vilissimo pretio venduntur, vel quia Syndici eas vendunt favore propinquorum, vel quia contrahunt cum personis, quibus resistere non possunt, vel nolunt. Fuit propterea in Congregatione habita dicta die quæsitum: *An*, *& quale temperamentum sit capiendum*? Fuitque Rescriptum: *Quoad mobilia pretiosa Ecclesiæ incorporata*, *esse necessarium Beneplacitum Apostolicum*: *Quo vero ad omnes alias res*, *in futurum non posse Syndicos procedere ad venditionem*, *nisi prævia affixione Edictorum*, *ut venditio fiat majori Oblatori*. Sic refert Ursaya *tom.* 3. *part.* 1. *discep.* 30. *in fine*, & Cardin. Petra *tom.* 5. *Commentar. in Const.* 5. *Pauli II. sect.* 5. *nu.* 5. Vide Matthæuc. *Official. Cur. c.* 30. *nu.* 28. ubi & ipse dicit: magnifica ornamenta Ecclesiastica non posse alienari sine licentia Sedis Apostolicæ. 34

Syndici Apostolici gaudent privilegio Fori in causis Civilibus, Criminalibus, & mixtis, motis, & movendis: Sic expresse concessit Clemens VII. constit. 19. incip. *Dum consideramus*, ut infra. 35

„ Dum consideramus assiduos labores, & vigilias, quos dilecti Filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Monasteriorum Fratrum Minorum Sancti Francisci Regularis Observantiæ; & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum, & Sororum Tertiæ Regulæ Sancti Francisci sustinere non cessant, merito Nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus, ipsosque a quibusvis molestiis, & injuriis sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus, relevemus.

„ Idcirco uni Syndico, & Procuratori hujusmodi cum illius Uxore, & liberis præsenti, & futuro singulæ Domui, & Monasterio prædictis pro

„ pro tempore servientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipsi, & eorum quilibet omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, potiri, & gaudere possint, & valeant.

„ Insuper in quibusvis causis, & rebus ipsos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, Civilibus, Criminalibus, & mixtis, non nisi coram Judicibus Conservatoribus Domorum illarum, quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit de justitia respondere teneatur, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus.

„ Inhibendo sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna universis, & singulis Judicibus, Commissariis Ecclesiasticis, & sæcularibus, quacumque auctoritate fulgentibus, ne de causis contra dictos Syndicos, & Procuratores, motis, & movendis, directe, vel indirecte quovis quæsito colore, seu prætextu se intromittere quomodolibet de cetero audeant, vel præsumant. Decernentes quoscumque processus contra dictos Syndicos, & Procuratores per alios, quam dictos conservatores, in causis dumtaxat contra eos motis, & movendis, habendos, & sententias ferendas, nullos, & invalidos, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus &c. Romæ 16. Aprilis 1526.

36 Ad hoc ab Innocentio XI. confirmantur in forma specifica Decreta variarum Sacr. Congreg. emanata super exemptione præfatorum Syndicorum.

„ Alias pro parte dilecti Filii Francisci Mariæ Tagliaferri Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcop. & Regul. præpositæ, exposito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præsertim fel. record. Nicolaus III. & Nicolaus IV. Martinus V. & Eugenius IV. Prædecessores nostri, ut vera observantia, Regulæque puritas in Ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio & proprietate alieni conservarentur, statuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ord. assignaretur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas, tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solus in necessitates FF. præfatorum applicare deberet.

„ §. 1. Et subinde recol. mem. Clem. Papa VII. etiam Prædecessor Noster, intuitu laborum, quos ejusmodi Syndici in Beneficio dictorum FF. quocumque tempore, & quavis occasione assidue sustinebant, eosdem Syndicos a Foro sæculari exemerat, volens, ut in causis tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus eorumdem Minor. de Observantia de justitia respondere tenerentur, & alia prout in ipsius Clementis Prædecessoris Litteris, desuper in simili forma Brevis die 15. Apr. 1526. expeditis plenius dicitur contineri.

„ §. 2. Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujusmodi in aliqua sui parte amplius in usu non esse, alii vero prætenderent, illud Syndicis prædictis, ratione eorum officii tantum, non autem uti talibus personis, competere, unde fiebat, ut fratres prædicti non sine paupertatis, & regulæ, quam profitentur, ac suarum conscientiarum detrimento, neminem amplius reperire possent, qui eorum syndici, sive procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellet.

„ §. 3. Ideoque pro parte præfati Francisci Mariæ procuratoris generalis d. Congr. Cardinalium supplicato, ut non solum auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud Syndicis, sive procuratoribus hujusmodi, ut talibus personis competere declararetur.

„ §. 4. Emanavit ab eadem Congregat. Cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet: Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, atque attenta remissione libelli per S. D. Nostrum facta, referente Emin. Norfolch censuit danda esse oratori decreta alias edita: nempe super præmissis servandam esse præfatam Constitutionem san. mem. Clem. VII. prout præsentis decreti tenore omnino servari mandat, & præcipit. Romæ 28. Martii 1686.

„ §. 5. Porro cum dictus Franciscus Maria procurat. general. prænarrata pariter exposuisset congregationi etiam Venerabilium FF. nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super Immunitate Ecclesiastica & controversiis Jurisdictionalibus deputatorum: hæc Congregatio censuit danda esse decreta anteriora tenoris, qui sequitur, videlicet: Sac. Congregatio super immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus, habita sub hac die 28. Martii 1686. circa exposita in præsenti supplici libello, dixit, danda esse decreta, ut infra. Die 31. Maii 1639. Fanen. Provincialis fratrum minorum observantiæ Sancti Francisci, Sacra &c. censuit respondendum Episcopo, ut quoad exemptionem Syndici fratrum min. de observ. loci de Cartoceto faciat bullam Clem. VII. observari, si in eo concurrunt requisita ejusdem bullæ.

„ §. 6. Die 17. Nov. 1642. Perusina. Fratres Sancti Francisci minor. observ. Sacra &c. censuit servandam esse bullam Clem. VII. circa psivilegium fori, & exemptionis syndicorum, & procuratorum ordinis FF. minorum S. Francisci de observantia.

„ §. 7. Die 4. Aug. 1654. Fanen. Episcopus: An Syndicus FF. Minorum de observantia S. Francisci gaudere debeat privilegio fori? Sacra &c. censuit hujusmodi syndicum gaudere privilegio fori juxta Constitutionem Clem. VII.

„ §. 8. Die 23. Maii 1645. Romana. P. Commissarius generalis curiæ quærit: An syndici, & procuratores Apostolici conventuum suæ Religionis gaudeant privilegio fori etiam in causis,

,, tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis mo-
,, tis ante institutionem officiorum virtute bullæ
,, Clement. fel. rec. Papæ VII. Sacra Congreg. res-
,, pondit syndicos conventuum ordinis FF. mino-
,, rum de observ. Sancti Francisci ex bulla fel. rec.
,, Clementis VII. gaudere privilegio fori, tam in
,, causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis
,, etiam motis ante eorum deputationem, seu in-
,, stitutionem in officium syndicatus.

,, §. 9. Die 23. Maii 1645. Recinaten. An syndi-
,, cus monialium S. Claræ gaudeat privilegio fori,
,, pro ut gaudent syndici fratrum minorum de ob-
,, servantia? Sacra &c. censuit hujusmodi syndi-
,, cum gaudere debere privilegio fori, in quorum
,, fidem &c. Dat. Romæ sub hac die 20. Aprilis 1686.

,, §. 10. Cum autem &c. Nos &c. Decreta præ-
,, inserta a memoratis Congregationibus Cardina-
,, lium respective emanata auctoritate Apostol. te-
,, nore præsentium approbamus, & confirmamus,
,, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur
,, adjicimus, salva tamen in præmissis auctoritate
,, earumdem respective Congregationum Cardina-
,, lium. Decernentes &c. sicque in præmissis &c.
,, irritum, & inane, &c. non obstantibus &c.
,, Romæ 19. Junii 1686. ,,

37 Dicti syndici Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec conveniri, nisi coram judice conservatore. Ita reperitur in libro decretorum Sac. Congregationis super immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus *sub die* 10. *Maii* 1669. videlicet: *Sacra Congregatio inhærendo declarationibus alias factis censuit procuratorem, & syndicum FF. Minorum de observantia ex bulla fel. rec. Clement. VII. gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus & mixtis, & insuper non posse compelli ad exercenda munia publica communitatis, neque a quoquam posse molestari, nisi coram legitimo conservatore. Romæ hac die* 7. *Januar.* 1699.

Et sub die 9. Augusti 1701. Sacra consulta in favorem syndici conventus terræ Fabriani, extracti ad effectum, ut exerceret munus communitatis, rescripsit: *extrahi alium*, & iterum proposita causa, & instante loci gubernatore sub die 19. ejusdem mensis, & anni respondit: *In decisis*.

38 Tales syndici gaudentes privilegio fori sunt exempti a Repræsaliis.

Spoletana.

Instantibus monialibus monasteriorum Sanctissimæ Trinitatis, Sancti Pontiani, & Sanctæ Catharinæ pro declaratione, agentes dictorum Monasteriorum esse exemptos a Repræsaliis: Sacra Congregatio super Immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus habita sub die 14. *Januarii* 1698. *censuit syndicos tantum gaudentes privilegio fori esse exemptos a Repræsaliis. Romæ die* 7. *Januarii* 1699.

39 Hic juvat subnectere varia decreta Sacræ Congregat. immunitatis ad rem facientia prout referuntur a D. Riccio *in sua Synopsi verb. Syndicus*, nempe.

40 Bulla fel. mem. Clementis VII. circa privilegium fori, & exemptionis syndicorum, & procuratorum ordinis fratrum minorum observ. S. Francisci est observanda. *Sacr. Congreg. Immun. in Perusina* 17. *Novembr.* 1642. *lib. Decret. Paulucc. pag.* 190. *in Maceraten.* 8. *Martii* 1644. *ibid. pag.* 221. *in Fanen.* 4. *Augusti* 1654. *lib.* 5. *Decret. Paulucc. pag.* 48.

Syndici conventuum ordinis FF. Min. observ. ex Bulla supracitata gaudent privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, etiam motis ante eorum deputationem, seu institutionem ad officium syndicatus. *Sacr. Congreg. Immun. in Rom.* 23. *Maii* 1655. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 251. 41

Syndicus legitimus, & unicus fratrum minorum strictioris observantiæ ex laudata bulla gaudere debet privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, nec a quoquam potest molestari nisi coram legitimo conservatore. *Sacra Congreg. Immun. in Terracinen.* 6. *Septembr.* 1666. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 32. 42

Non potest compelli ad exercenda munia publica communitatis. *Sacr. Congreg. Immun. in Sabin.* 10. *Maii* 1667. *ibi pag.* 124. 43

Nec ad solvendas collectas pro oneribus communitativis super propria ipsius bona: Dummodo sit unicus Syndicus Conventus. *Sacr. Congr. Immun. in Feretrana* 19. *Maii* 1703. *lib.* 3. *Decr. Val. pag.* 488. *& in Martiran.* 28. *Martii* 1704. *dict. lib. pag.* 566. 44

Syndicus conventus FF. S. Francisci Mm. observ. est subjectus jurisdictioni Episcoporum, non existente legitimo conservatore religionis. *Sac. Congreg. in Assisiens.* 21. *Aprilis* 1643. *lib.* 3. *Decretor. Paulucc. pag.* 198. 45

Syndicus conventus S. Francisci de Alvernia habitans in civitate Æsina non gaudet privilegio syndicorum vigore Bullæ Clementis VII. *Sacr. Congreg. Immun. in Æsina* 24. *Maii* 1701. *lib.* 3. *Decr. Val. pag.* 535. 46

Episcopus potest procedere contra syndicum fratrum min. observ. S. Francisci ob contraventionem diei festi. *Sacr. Congreg. Immun. in Forosempronien.* 25. *Januarii* 1650. *lib.* 4. *Decr. Paul. pag.* 98. 47

Sacra Congregatio declarat bene processum fuisse per curiam Episcopalem contra syndicum hujusmodi attento consensu ejusdem syndici in jurisdictionem. *Sacra Congreg. Immunit. in Auximana* 10. *Septembris* 1647. *ibi pag.* 26. 48

Episcopus insinuet syndico FF. minor. observ. ut vel abstineat a syndicatu, vel ab officiis publicis. *S. C. Immun. in Asculana* 4. *Aprilis* 1656. *lib.* 5. *Decret. Paul. p.* 9. 49

Immo syndicus FF. min. observ. & simul appaltator ovorum in loco montis Falchi quoad pertinentia ad appaltum non gaudet privilegio fori. *Sac. Congreg. Immun. in Spoletana* 21. *Novembr.* 1702. *lib.* 6. *Decr. Vallem. pag.* 220. 50

Syndici FF. minor. observ. S. Francisci tenentur parere mandatis Ædilium quoad merces, & earum emptionem, & venditionem, sive etiam translationem ad loca nundinarum. *S. C. Immu. in Ariminen.* 15. *Decemb.* 1671. *lib.* 1. *Decret. Altov. pag.* 671. 51

Pro Syndicis FF. Capuccinorum dantur Decreta emanata pro exemptione syndicorum fratrum min. *S. C. Immun. in Rom.* 15. *Decemb.* 1671. *ibi pag.* 633. 52

Syndicus fabricæ conventus FF. Capuccinorum gaudet privilegio fori ad tenorem Constit. fel. mem. Clement. VII. *Sacr. Congreg. Immun. in Recinaten.* 17. *Martii* 1674. *ibi pag.* 911. 53

Syndicus monialium S. Claræ allegare potest pri- 54
vi-

vilegium fori coram conservatore eoque gaudere. *Sacr. Congreg. Immunit. in Urbanien.* 8. *Apr.* 1642. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.*174. *&* 5.*Septemb.*1668. *lib.*1. *Decretor. Altoviti pag.* 263.

55 Syndici monialium S. Claræ gaudent privilegio fori, prout gaudent syndici fratrum min. observ. S. Francisci. *Sacr. Congreg. Immunit. in Recinaten.* 15. *Februarii* 1656. *lib.* 5. *Decr. Paul. pag.* 89.

56 Et sunt exempti a Repræsaliis. *S. C. Immun. in Spoletana* 14. *Jan.* 1698. *lib.* 2. *Decr. Val. p.* 133.

57 Syndicus monialium S. Claræ gaudet exemptione quoad onera personalia tantum. *S. C. Imm. in Ariminen.* 15. *Martii* 2672. *lib.*1. *Decr. Alt. pag.* 682. *& in Forosempronien. dictis die, Ann. & lib. pag.*664. *& in Feretrana* 27. *Februar.* 1674. *ibi pag.* 93.

58 Syndicus monialium S. Claræ, licet teneatur ad collectas communitati impositas pro solutione salarii inservientium communitati, cum non sint onera personalia, attamen, quia fuit in bona fide, & actus executionis factus a Judice laico non potest ipsum constituere in mala fide, non tenetur ad solutionem dictarum collectarum, nisi post decretum Sacræ Congr. quo declaratum fuit dictum Syndicum gaudere privilegio fori, & exemptione ab oneribus personalibus tantum. *S.C. Imm. in Feretrana* 31. *Junii* 1674. *lib.* 1. *Decr. Alt. pag.* 974.

59 Syndicus monialium S. Claræ quoad privilegium personale non gaudet, nisi in loco, ubi exercet officium. *Sac. Congreg. Immun. in Feretrana* 31. *Augusti* 1671. *lib.* 1. *Decret. Alt. pag.* 1445.

60 Syndici terræ Sancti Petri gaudent privilegio quoad forum, & personam. *Sac. Congreg. Immun. in Catacen.* 14. *Sept.*1626. *lib.* 1. *Decret. Paulucci p.* 25.

61 Unus autem tantummodo Syndicus Apostolicus pro unoquoque conventu gaudet prædictis Apostolicis privilegiis, prout pluries rescripsit *Sac. Congreg. Boni Regiminis*, & signanter *in Pisaurien.*24. *Januarii* 1699. & patet ex allata Constitutione Clementis VII. §. 2. ibi: *Idcirco uni syndico, & procuratori hujusmodi*, & ex allata etiam Constitutione Innocentii XII. ante §. 1. ibi: *Unus Procurator sive syndicus Apostolicus*.

62 Insuper eadem Sacra Congreg. Boni Regiminis die 19. Julii 1654. proposita causa ad instantiam quarumdam communitatum, partibus auditis, censuit *syndicos Apostolicos teneri ad onera Communitativa*. Sic referunt Matthæucc. *Official. cur. c.* 51. *n.* 6. & Ursaya *tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 30. *n.* 58.

63 Ecclesiastici assumpti in Syndicos Apostolicos non sunt exempti a Jurisdictione Ordinarii. *Sacr. Congr. Concilii die* 5. *Julii* 1710. *in Insulana Exemptionis*, in qua pro Syndico Apostolico, qui erat Sacerdos, proposito dubio: *An sacerdos Felix de Sola syndicus unicus PP. Minorum Sancti Francisci de Observantia Civitatis Insulæ sit exemptus a Jurisdictione Episcopi; tam extra Visitationem, quam in actu Sanctæ Visitationis* fuit rescriptum, *Negative in casu, de quo agitur*, in quo concurrebant multæ circumstantiæ exclusivæ talis exemptionis, propter quas Sacra Congregatio addidit illa verba. *In casu, de quo agitur*. Sic refert Ursaya *tom.* 3. *p.* 1. *discept.* 30. *n.* 59.

Syndici Apostolici non comprehenduntur in Decreto, quod sæculares non pernoctent in conventibus fratrum Minorum. *Sic Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium*, expresse respondit ad dubium eidem super ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptistam ab Atina Procuratorem Generalem Ordinis propositum: *An scilicet dicti syndici comprehenderentur in Decreto emanato die* 1. *Decemb.* 1679. Audito enim Patre Ministro Generali Ordinis, & attentis narratis, *dicta Sacra Congregatio censuit, ac declaravit præfatos Syndicos Conventuum ejusdem Ordinis non comprehendi in enunciato Decreto. Romæ* 4. *Decembr.* 1699. *G. Cardinalis Carpineus*. 64

Syndico Apostolico dumtaxat licitum est, non Fratribus Minoribus de Observantia, seu Reformatis exigere in judicio Legata facta Sacristiæ, vel Fabricæ Ecclesiæ, aut Conventus. Cum enim in Congregatione ad id specialiter ab Urbano VIII. deputata, fuissent proposita hæc duo dubia: *I. An valeat Legatum annui redditus factum fabricæ sacristiæ, vel Ecclesiæ Fratrum Minorum tam de Familia, quam ex Reformatione. II. An liceat Fratribus hujusmodi Legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel syndicos Apostolicos*; Responsum fuit: *Ad I. Valere Legatum annui redditus factum Sacristiæ, vel Fabricæ Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Minorum, tam de Familia, quam de Reformatione, nisi adsit excessus in quantitate. Ad II. Nec per seipsos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujusmodi Legata, sed syndico Apostolico dumtaxat*. Sic apud Fagnanum dictæ Congregationis Secretarium *in cap. Nimis prava n.* 49., *&* 12. *de excessibus Prælat.* & apud *tom.* 2. *Thesauri Resolutionum Sacræ Congregation. Concilii in expositione causæ in Firmana Legatorum* §. *Hæc sunt*. 65

Syndicus Apostolicus nequit habere dominium, & possessionem census relicti Fratribus Observ. & Reformatis. Et dicti Syndici nomine nequent præfati Fratres retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. Sic apud *d. tom.* 2. *Thesauri Resolut. Sacræ Congr. Conc. in expositione causæ in Firmana legatorum* §. *Tum quia*, ubi refertur ad id Resolutio cit. specialis Congregationis, & Congregationis R. Fabricæ *in Æsina Legati* 26. *Novembris* 1692. *& Sac. Congregatio Concil.* 2. *Octobr.* 1721. ubi ad id dubium; *An Religiosis S. Francisci Min. Observant. Murri Vallium liceat retinere Legatum relictum a quondam Ludovica Moretti in casu &c.* Responsum fuit: *Negative, & syndicum teneri censum dimittere, sed Patres posse recipere fructus ab heredibus per modum eleemosynæ*. 66

Syndicus Minorum de observantia, & reformatorum in concernentibus correctionem, non est exemptus a jurisdictione Ordinarii. *Sacr. Congreg. Conc. in Nullius Altamuræ Exemptionis* 3. *Augusti* 1715. *ad V.* apud d. Thesaurum *tom.* 9. *circa fin.* 67

SYNODUS DIOECESANA. Vide verb. *Concilium Episcopale, seu Synodus Diœcesana*.

FINIS TOMI SEPTIMI.



FERRARIS
BIBLIOT.
TOM. VII.

Q — R — S